


Digitized by Google

Digitized by Google

6
17-A
15

6
80
19

I
354

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

72.F.91

Digitized by Google


ORBIS
MARITIMI
SIVE
RERVM IN MARI
ET LITTORIBVS
GESTARVM GENERALIS
HISTORIA.
Authore
CLAVDIO BARTHOL. MORISOTO Diuionenſi
DIVIONE
apud PETRVM PALLIOT Ante Palatium
Cum MDCXLIII priu.

Digitized by Google

6

ORBIS MARITIMI

SIVE

RERVM IN MARI ET LITTORIBVS GESTARVM GENERALIS HISTORIA:

JN QVA

Jnuentiones nauium, earundem partes, armamenta. Instructiones Claſsium, nauigationes, prælia maritima, arma, ſtratagemata, trophæa, triumphi, naumachiæ. Vrbes & Coloniæ maritimæ, periplus Orbis Antiqui, & Noui. Magiſtratus, Præfecturæ & Officia Claſsica apud omnes Gentes. Leges nauales, lustrationes Claſsium, cauſæ & genera Ventorum, vſus pixidis nauticæ, hiſtiodromice, marium diuerſi motus, æſtúſque, atque exundationes, aliáque omnia ad rem maritimam pertinentia.

Opus vnicâ Centuriâ contentum, quæ in duos Libros diuiſa & partita eſt:

P R I M V S:

Res in mari, aut circa mare geſtas continet, ab initio nauigationum ad Constantini Magni obitum, cum deſcriptione littorum antiquis Coſmographis cognitorum.

S E C V N D V S:

A Conſtantino Magno ad hanc vſque diem res pelago, & in oris geſtas complectitur, cum deſcriptione littorum antiquis incognitorum.

Authore CLAVDIO BARTHOLOMÆO MORISOTO Diuionenſi.

D I V I O N E,

Apud PETRVM PALLIOT, Typographum REGIS, Bibliopolam & Calcographum, ſub ſigno REGINÆ PACIS ante Palatium.

M. DC. XLIII.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

Digitized by Google

LVDOVICO XIII. GALLIARVM ET NAVARRÆ REGI CHRISTIANISSIMO.

MORISOTVS S.

ECCE Tibi, REX INVICTISSIME; Neptunum, quo totus Orbis cingitur & ſuſtinetur, vinculis, quæ illi inieciſti, retentum, triumphandum, ſi placeat, ante Tribunal MAIESTATIS TVÆ cònſtituo. Olim te nouit & ſenſit cùm eſſet AQVITANICVS, didicitque cum Anglis & Rupellanis ſuperbiam ponere & obſequi tibi. Nunc totus colligit vires, & nomina innumera, quibus omne littus pulſat, & ſalutat: venitque ſpontaneus in ſinus tuos, & amplexum, quem Terris reddit, exigit, vt tandem non ſine grandi miraculo per te ſecurè teneatur, qui cuncta per ſe continet, vltra littora Galliæ Europeæ, Auſtralis, & Canadenſis, extendit Imperium tuum, & inimica etiam nobis aperit, donátque maria. Miſeras victæ & fugientis Iberorum claſsis reliquias Genuenſem

nuenſem in portũ, velut in arenam, LIGVSTICVM Mare nuper deduxit, & Gallicum quondam ſe fuiſſe dum meminit, Herculis Monæci portum arcémq; tradidit veteribus colonis, viditque populationem Sardiniæ, Leronémque & Lerinum Inſulas, noſtris redditas, hoſtili labore munitas, multóque ſanguine exoſæ Gentis vbiq; fuſo, pingues nunc & fertiles. Venit & in partes noſtras BALEARICVM pelagus, incenſæq; hoſtium claſſi, & factis cadaueribus negauit tumulũ. GALLICVM, vt totum noſtrum eſſet, Ruſcinonis Comitatum tradidit, & in antiquo Galliarum limite, vbi Veneris templum, longo cum murmure votum, quod pro ſalute tua conceperat, perſoluit. IBERICVM denique, cùm aliud NVMINI TVO, quàm quod Diis ceteris dat, dare non poſſet, eandem, quæ Solis eſt diurno labore defeſsi, Imperiis tuis metam dedit, ſi quid vltra Herculis fretum poſſet, etiam daturum. Ipſe quoque CANTABRICVS Oceanus in Hiſpanum nuper coniurauit, noſtris qui ſine nauigio erant, tradita, quam exarmarent, claſſe. Omne deniq; littus, quod ab Anatis ad Minij oſtium vaſtiſsima maria reſpicit, amicum eſt nobis, vix vnus aut alter maris angulus hoſti reſtat ad fugam: totus enim penè MARITIMVS ORBIS, vel noſter eſt, vel ſociorum. Argumentum certè quod MAIESTATI TVÆ dedicetur dignum. Quod

enim

enim munus, geſtis tuis conuenientius, quàm tibi, Rex Avgvstissime, Neptunum offerre, quantus terras ambit, clientelare ſacramentum facientem, vt domino ſuo, qui totis eius vndis, totis littoribus, vt lubet, imperat: vt benefactori, qui portus aperuit, commercia reſtituit, negociationes tutas fecit, & mare liberum nobis, liberũ ſociis noſtris reddidit. Fœlix ſæculum, cui quidquid Natura ſemouit, vel occuluit, patefeciſti. Cui, artes, diſciplinas, probitatem, ceteráſque Virtutes cum opulentiâ, & famâ reddis: nec ſinis quemquem egere, qui gloriam mereat. Veteres pannos abiecerunt Muſæ, gaudéntque, muneribus tuis, in ſerico & purpurâ coli. Iámque damnata montium ſyluarúmque ſolitudine, per vrbes & caſtra diſcurrunt, licentia, quam feciſti: neque contentæ exteriore conſpectu, irrumpunt in Aulam, atque in tua etiam ſecreta deſcendunt. Fortunatos illos iudico, qui tantis adminiculis fulti Hiſtorias condunt, tradúntque certa & memoranda nepotibus. Ego, cui iſta non ſunt: alia via ad immortalitatem tẽtaui peruenire, & induſtriæ meæ aliquam imaginem poſteris relinquere, ſi omiſſis bellorum & pacis cõſiliis, cauſiſque, quidquid olim & nuper pelago geſtum eſt, in vnũ narrationis corpus coniicerem, traderemque legendum, ſub tutela Nvminis Tvi, poſteritati: quæ cùm omnium nationum præclarè geſta, aut bene

conſtituta ſuper rebus maritimis mirata fuerit, rigeſcere tandem, & aſtringi in ſtuporem eidem neceſſe erit, cùm te dominante, infecta cernet victoriis tuis æquora, vtrunque Oceani littus,ceu ponte iunctum: feras Gentes totiéſque rebellantes impunè, exæſtuantibus pelagi fluctibus, claſſibus, cœlo, locorum ſitu, & ſocialibus armis fidentes, accipere iugum coactas: beneficium denique tuum putari, quòd hodie etiam aliquid ſoli & pelagi ſuperſit Principibus illis, qui ambitiosè nimium totius Orbis Imperium nuper affectabant,& nunc Laribus ſuis incluſi, bellum ægrè ſuſtinent,quod ipſi ſolebant inferre. Quid illa,inquam, poſteritas, cùm naualia, portuſque noſtros Stationariis claſsibus, & validis præſidiis ab hoſte tutos inueniet? Contra hoſtium apertos, ob exitij metum: & quod vbique naſcitur,apud nos ortum videri: nec permittere MAIESTATEM TVAM aliquid eſſe vltimum audaciæ noſtræ. Talem eſſe oportuit, quem in ſeros annos Fata ſeruauerunt, vt Gallia reuiuiſceret, & in fines Orbis produceret Imperium CHRISTIANISSIMO REGI promiſſum.

Diuione Kal. Ianuar. M. DC. XLIII.

PRÆFATIO.

PRÆFATIO.

NVLLVS, quod ſciam, ante me quæ terrâ à ſingulis Nationibus geſta ſunt, à maritimis ſecreta, ſpeciali narratione donauit. Nam cùm Scriptores exiſtimarent, non magis maritimis quàm terreſtribus victoriis Populorum dominationes creſcere & conſolidari: vtrunque ſimul miſerunt in ſæcula, vno ſermonis tenore legendum. Ego verò, qui maritimas vires ad amplificationem æternitatémque Imperiorum longè ceteris potentiores exiſtimo, quidquid vnquam pelago, aut in littoribus ab omnibus Nationibus patratum eſt, quod laudem, aut culpam mereat, in compendium congeſsi: vt appareat, quàm leui compendio in immenſum Regna creſcant, quibus pelagus & claſſes placent. Sic Græci, Macedones, Galli, Carthaginienſes, Saraceni, Turcæ, Dani, Luſitani, Hiſpani, Batauíque atque Angli, vltra ſuas terras dominium protulerunt: triáque tantum Imperia, quæ equitatu peditatúque valentia, pleraſque Prouincias complexa ſint, inueniuntur, ob id maximè, quòd latè per continentem extendantur, raris portubus à Naturâ donata, vel pulſata implacabili pelago. Sed & iiſdem aliquando, & nunc etiam hodie, æquor placuit, placetque; & tranſportatus miles, qui diſcretas ſali fluctibus Inſulas, terráſque, armis domaret. Sic Germani, Tartarique, & Perſæ, à terreſtri certamine ad maritimum conuerſi, Sarmaticum, Glaciale, Indicum, Perſicum, Syriacum, Euxinum, Caſpiúmque maria, hoſtium cadaueribus, armis, fragmentíſque nauium compleuerunt: & nunc quoque, cùm ſenſerint, quid naualis exercitus ad ſalutem gloriámque Gentium poteſt; primi Botnicum Sinum, tractúmque maritimum Mechelburgenſis Ducatus, & Pruſsiæ, Stationariis claſsibus ſeruant, vicinis metus. Tartari, Euxinum Pontum Turcis abſtulère, ipſámque Conſtantinopolim quotidianis excurſionibus laceſſunt. Nec Perſarum Regi rei naualis minor eſt cura, qui Ormum, Perſici Sinus Inſulam, Batauis auxiliantibus, Luſitanis eripuit, & nunc mare ſuum ſuis nauigiis implet, ſæuítque in æquor, quod tandiu in terras ſuas ſæuierat, ſempérque, dum lancinat littus, ademerat aliquid, patienti. Omnes hodie populi, deſerto ſolo, mare habitant, cogúntque ſyluas natare. Nos quoque ſub Chriſtianiſsimo Rege LVDOVICO XIII. omiſſæ tot ſæculis nauigationes delectant: iam noſtris vtimur nauigiis,

conſtituta ſuper rebus maritimis mirata fuerit, rigeſcere tandem, & aſtringi in ſtuporem eidem neceſſe erit, cùm te dominante, infecta cernet victoriis tuis æquora, vtrunque Oceani littus, ceu ponte iunctum: feras Gentes totieſque rebellantes impunè, exæſtuantibus pelagi fluctibus, claſſibus, cœlo, locorum ſitu, & ſocialibus armis fidentes, accipere iugum coactas: beneficium denique tuum putari, quòd hodie etiam aliquid ſoli & pelagi ſuperſit Principibus illis, qui ambitiosè nimium totius Orbis Imperium nuper affectabant, & nunc Laribus ſuis incluſi, bellum ægrè ſuſtinent, quod ipſi ſolebant inferre. Quid illa, inquam, poſteritas, cùm naualia, portuſque noſtros Stationariis claſsibus, & validis præſidiis ab hoſte tutos inueniet? Contra hoſtium apertos, ob exitij metum: & quod vbique naſcitur, apud nos ortum videri: nec permittere MAIESTATEM TVAM aliquid eſſe vltimum audaciæ noſtræ. Talem eſſe oportuit, quem in ſeros annos Fata ſeruauerunt, vt Gallia reuiuiſceret, & in fines Orbis produceret Imperium CHRISTIANISSIMO REGI promiſſum.

Diuione Kal. Ianuar. M. DC. XLIII.

PRÆFATIO.

NVLLVS, quod ſciam, ante me quæ terrâ à ſingulis Nationibus geſta ſunt, à maritimis ſecreta, ſpeciali narratione donauit. Nam cùm Scriptores exiſtimarent, non magis maritimis quam terreſtribus victoriis Populorum dominationes creſcere & conſolidari: vtrunque ſimul miſerunt in ſæcula, vno ſermonis tenore legendum. Ego verò, qui maritimas vires ad amplificationem æternitatémque Imperiorum longè ceteris potentiores exiſtimo, quidquid vnquam pelago, aut in littoribus ab omnibus Nationibus patratum eſt, quod laudem, aut culpam mereat, in compendium congeſsi: vt appareat, quàm leui compendio in immenſum Regna creſcant, quibus pelagus & claſſes placent. Sic Græci, Macedones, Galli, Carthaginienſes, Saraceni, Turcæ, Dani, Luſitani, Hiſpani, Batauíque atque Angli, vltra ſuas terras dominium protulerunt: triáque tantum Imperia, quæ equitatu peditatúque valentia, pleraſque Prouincias complexa ſint, inueniuntur, ob id maximè, quòd latè per continentem extendantur, raris portubus à Naturâ donata, vel pulſata implacabili pelago. Sed & iiſdem aliquando, & nunc etiam hodie, æquor placuit, placetque; & tranſportatus miles, qui diſcretas ſali fluctibus Inſulas, terraſque, armis domaret. Sic Germani, Tartarique, & Perſæ, à terreſtri certamine ad maritimum conuerſi, Sarmaticum, Glaciale, Indicum, Perſicum, Syriacum, Euxinum, Caſpiúmque maria, hoſtium cadaueribus, armis, fragmentiſque nauium compleuerunt: & nunc quoque, cùm ſenſerint, quid naualis exercitus ad ſalutem gloriámque Gentium poteſt; primi Botnicum Sinum, tractúmque maritimum Mechelburgenſis Ducatus, & Pruſsiæ, Stationariis claſsibus ſeruant, vicinis metus. Tartari, Euxinum Pontum Turcis abſtulère, ipſámque Conſtantinopolim quotidianis excurſionibus laceſſunt. Nec Perſarum Regi rei naualis minor eſt cura, qui Ormum, Perſici Sinus Inſulam, Batauis auxiliantibus, Luſitanis eripuit, & nunc mare ſuum ſuis nauigiis implet, ſæuítque in æquor, quod tandiu in terras ſuas ſæuierat, ſempérque, dum lancinat littus, ademerat aliquid, patienti. Omnes hodie populi, deſerto ſolo, mare habitant, cogúntque ſyluas natare. Nos quoque ſub Chriſtianiſsimo Rege LVDOVICO XIII. omiſſæ tot ſæculis nauigationes delectant: iam noſtris vtimur nauigiis,

uigiis, & nunc, qui quondam peregrinas claſſes optabamus aſpicere, mittimus aliis Prouinciis, & terrorem pariter, & decorem. Olim Aſiam atque Africam ſubiecimus, ſed alienis nauibus vecti, multíſque deinde ſæculis obdormiuimus terræ, cùm nullus portus Regibus noſtris, nulla naualis eſſet ſtatio. At poſtquam maritimæ Prouinciæ, vel ereptæ hoſtibus, vel ſucceſſionis iure, ad Valeſios, Borbonióſque deuolutæ, liliis redditæ ſunt: Franciſcus I. Galliarum Rex Jtalico bello occupatus, quinquaginta quinque triremium claſſem ſuis impenſis extruxit, integrámque Henrico II. reliquit. Iſto fatis abrepto, res naualis neglecta: cùm Reges noſtri inteſtinis incendiis extinguendis intenti, maritimis curis animos intendere non poſſent. At poſtquam nubila tempeſtatéſque de Gallico cœlo, ſolóque Henricus Magnus auertit, commercia reſtituere, ſecurum pelagus, purgatúmque reddere, hoſtes maris imperio diſiicere, inſtituit: ob id triremes aliquot Maſſilienſi in portu, æquori Mediterraneo pacando, fabricatæ: aliæque in Oceano naues: conſtruendis, armandiſque aliis collecta vndique & aſportata materia: & niſi æterno poſterorum, & noſtro luctu, ex hominum oculis coactus euolaſſet, haud dubiè Magni titulum ad Indos vſque & Americam, illegitimis occupatoribus expulſis, importaſſet, terrarum, mariſque dominus. Nouerat ille, tribus maximè rebus, ſecuritatem, opulentiam, noménque Regnis dari. Pace? hanc Orbi noſtro reddiderat. Bellis externis! in medio iſtorum apparatu vitam poſuit: non magis peditatu, equitatúque, quàm claſſibus potens. Denique, libertate commercij, quod vt exequeretur, variis in portubus naues, arcéſque, atque propugnacula extrui iuſſerat, ad negotiantium tutelam, metum verò & exitium hoſtium, & piratarum. Nudi quotidie mercatores ad eius genua aduoluti, abreptas ſibi mari in medio naues quërebantur: populos quoque, quibus nobiſcum amicitia erat, ïmbecillitate noſtrâ ſecuros, expoſitas in portubus occupare, negotiantes necare, aut afficere infami ſupplicio. Vires non eſſe læſis ad vltionem: Nouas Gallias colonis viduas. Imperium Hiſpanorum vltra noti pelagi vaſtitatem porrectum: & iam intutum eſſe illud maris ſpatium, quòd in noſtro littore ſtantibus videtur: ipſos portuum aditus teneri ab hoſte, nec audaciam eſſe noſtris, timore retentis, vela faciendi: Amiralio ſolum nomen ſine authoritate reſtare: portoria & vectigalia Principis in dies minui, quæ in immenſum augerentur, ſi armatæ naues eſſent, quæ tutum iter nauigaturis præſtarent. Tributa, quæ nauigantes penderent, decimámque mercium & prædæ, ad nauigiorum fabricationem, armamenta, & ſtipendia militum ſuffectura.

Google

ſuffectura. Portuoſa Galliarum litora, ſecuras ſtationes, multarum & maximarum claſsium patientes: exercitatiſsimos nautas, validos milites: ſtupas, ferrum, canaben, ligna, ceteráque id generis naualis rei, in noſtro ſolo vbertim naſci. Quid, quod mille fluminibus nauigiorum patientibus gratiſsimà tellus interſcinditur, quæ incolis curruum naturalium loco, indefeſsâ & immortali tranſportatione natiuas opes, quo placet, vehunt, deducúntque alienas? Credi flumina illa ab ipſo Oceano in noſtras terras emiſſa, eo fine, vt poſtquam prata, agros, ſyluas, villas, vrbeſque inuiſerint, decorauerint, ditauerint, redeant rurſus in parentis domini{que} ſinum, bonorum quæ fecerint, quæque ipſa viderint, rationem reddituræ. Poſitam inter Hiſpanias & Italiam Narbonenſem Galliam, ſi triremibus abundaret, commercia vtriuſque gentis inhibituram: rurſúmque Hiſpanorum auxilia, ſi Italicum bellum, Neapolitanum, aut Siculum nobis placeret. Remp. Genuenſium, poteſtatemque Regulorum totius Italiæ breui perituram, cùm illis opes non ſint ad ſumptus claſsicos neceſſarios, ſi noſtris conatibus reſiſtere tentarent. Neque ſecurius Barbaros infeſtaturos maria, quibus piratici lembi, & pauca triremes ſunt. Amicitiam cum Venetis, Turciſque, Adriaticum mare, Ionium, Euxinum, Syriacum, Ægyptiúmque, noſtris non modò claſſibus iter aperire, ſed & certa auxilia polliceri & offerre. Iam, Aquitaniam, Armoricas, & Normanniam, poſitas ad Oceanum, pluribus portubus, qu\[am\] Hiſpaniæ, Italiáque omnis, nobilitatas, priuatis abundare nauibus: ſi Stationaria claſsis, parata ad omnem occaſionem, fortunámque fuerit, incluſis, inter Batauos & Normannos Belgis, ruinam minari: Iberorum verò commerciis & Imperio, tum Americæ, tum Indiæ, finem proximum. Maxime ſi priſca cum Batauis ſocietas incorrupta permaneret. Quid enim ſpei reliquum Hiſpano, bellicoſiſsimis nationibus terrâ marique in eius perniciem coniunctis, atque armatis? Cum iam hodie, ſine noſtro milite, Batavi non modò laceſſentibus reſiſtant, ſed etiam vltro bellum inferant: Ibericas claſſes, eáſque validiſsimas frangant, & apertâ vi inuadant portus, occupentque vrbes Inſulaſque totius Orientis atque Americæ celebriores. Hoc defatigatis longâ nauigatione militibus integros milites ſuffectos, hoc exercitationem nauticam facere: dum torpemus incurioſi, contentique terris, quas mendicantium, ganeonum, & prædonum vexant examina: quæ ſi nauticæ turbæ insererentur, vel in nouas Colonias ſparſa mitterentur, fœlicior in ſuo ſolo Gallia eſſet, & in externo glorioſior. Fertilitatem, opeſque Galliarum damnoſas, niſi per ciues in alienas terras deportentur. Nam dum exteri commer-

cy prætextu ſecuri obambulant, penetrántque vrbes ſitus, earumdem, munimentáque agnoſcunt, turbas excitant, animos ab obſequio Regis diuellunt, in rebellionem inducunt, omnéſque lucri cupidos in ſuas partes trahunt. Numeroſam populis Galliam, niſi ad claſſes & colonias deducta, minuatur, ad exotica regna ſeruitia & artifices miſſuram: & iam toto Orbe diffuſos Gallos, coniugio & amicitiâ exteris mixtos, hoſtes vel eſſe, vel generare, neque penè alios ſeruos, cocos, cruſtularios, tonſores, agricolas, vinitores Hiſpaniam hodie habere, creſcere augeríque in dies, & ni medeatur, vnde amici venerunt, hoſtes redituros. Hæc, & alia mercatores illi ad aures Henrici Magni; quibus inductus, ciuitatibus iuxta mare poſitis, quidquid neceſſarium erat ad ciuium & oræ tutelam ſtabiliuit. Ieras Inſulas, olim Stœcades, quæ ante Maſsiliam ſunt, Liguſtico littori obtentas, munire conſtituit, iecítque arcium & propugnaculorum fundamenta apud Antipolim & Telonum, Gallico pelago impoſitas vrbes. Cetera magnis conſiliis deſtinata, mors præuenit, & interrupit incepta, quæ hodie non ſolùm repetuntur, ſed & ampliantur auſpiciis LVDOVICI XIII. hortante atque inſtigante nuper Eminentiſsimo Cardinali Richelæo, commerciorum & littorum vtriuſque maris Præfecto: qui de Regis imperio, Pictonico in tractu proximíſque in Inſulis arces cum præſidiis locauit. Portus Morinorum & Normannorum oblimatos deterſit: in orâ Armoricâ, apud Morbihanum, portum excauauit, quadrato lapide firmatum, vrbíſque nouæ fundamenta iecit. Regias naues ſeptem ingentis magnitudinis, apud Amſtelodamum fabricatas, noſtræ claſsi addidit: quâ Rupellanorum Anglorúmque maritimas vires fugauit, debellauit. Eodem authore commerciorum Societates per Gallias inſtituta, apertúmque mare negociantibus. Miſſæ in Canadam Americæ, quæ alio nomine Noua Francia dicitur, Coloniæ, pulſi inde Scoti & Angli: poſcentibus Orientis & Africæ Regibus, amicitia conceſſa, purgatum prædonibus & meretricibus Regnum, impoſitâ inani, vel maleficâ turbâ, nauigiis, & in alium Orbem, quærundis liberis, occupandíſque terris tranſportatâ. Quæ omnia quàm efficacia ſint ad Regnorum amplificationem & conſeruationem ex lectura iſtius operis, quicunq; volet, inueniet. Hic Reges Principéſque legent, quantùm, & quibus cauſis ſingula Imperia mari creuerint: quos, & quales claſsium Duces habuerint, quæ illis, & quot nauigia, repellendo, vel inſequendo hoſti: quàm formâ variâ, armamentis, propugnatoribus: quæ munitiones portuum vrbiúmque maritimarum tum antiquæ, tum recentes. Nemo enim bello laceſſere, aut facere audet iniuriam

iuriam

iuriam ei Regno, vel populo, quem expeditum & promptum ad reſiſtendum vindicandúmque cognoſcit. Hinc præſidia, arcéſque littorales, & claſſes, ſemper fuerunt Gentibus ad Imperium Orbis aſpirantibus. Iam verò, maritimis exercitibus Præfectus, quid ad pugnã victoriámque naualem poſſint velocia, vel tarda nauigia, illa inſequendo hoſti, iſta reſiſtendo, ex iſtius operis lectione paſſim accipiet. Adde, quòd & diſpoſitiones armatarum claſſium multiplices, arma, naualia, ſtratagemata, machinas, naturam æſtuum, fluminum & pelagi, tutóſque & intutos portus inueniet. Facit etiam ad victoriam multùm, ordo claſſis dum pelagus ſulcat, notitia hoſtilis, per præcurſorias naues tacitè explorata, profectio ſine tumultu, eorum qui ſingulis nauibus imperant in Ducem amor & obſequium: militum ordo, atque ordinatio, vt ſciat, quid quiſque defendere in naui, quem locum tenere, quibus armis vti, quis, quomodò, & quando in hoſtilem nauim deſilire, aut in eam aſcendere debeat. Obſeruare quoque decebit, an remigibus, an nautis concordia ſtet: ſæpè enim medio in certamine, iis in milites inſurgentibus, magna clades maximis claſſibus inflicta eſt. Præcipua autem Præfectorum cura, vt in multos menſes annona, munimentáque & res præliis apta deuehantur: nam multos hæc incuria perdidit. At nauium magiſtri, mercatores, turbáque nautica, totius Orbis antiqui atque noui periplo facto, ſtationes omnes, emporia, portúſque cognoſcent, cui oræ fœderati, ſociíque populi imperent: vnde auxilia, aquam, militem, vel cibaria capiant, ſi libuerit, in hoc tractatu legent: aliáque ad eorum ſalutem & artem pertinentia: vt ſunt, ſpeciales cuiuſque maris motus, impetúſque, quo anni tempore tractabile, vel inquietum vnumquodque ſit pelagus: qui venti à terrâ ſpirent contrarij, vel ſalutares: quæ illorum ratio, quæ æſtuum: quas naues fluctus admittant, qui profundi, qui ſyrtibus, aut rupibus obſiti: quæ nauium nomina formáque apud omnes nationes: denique pixidis nauticæ vſum, loxodromicen, nauigiorum compactiones, partes, fabricas, ornamenta, armamenta. At LECTOR, *cui mare curæ non eſt, odítque nauigationes, ſeu bella detrectet, ſeu timeat inſidiantes piratas, hic ordinem perpetuæ hiſtoriæ à cunabulis Orbis ad hanc vſque ætatem reperiet: multa enim ſparſim conieci, quæ ad maritimarum rerum cognitionem non ſpectant, ſed quæ, ſi prætermiſſa eſſent, temporum rationem interturbarent, eriperéntque hiſtoriæ fructum, legenti. Ad hunc etiam pertinent, ſi curioſus, aut ingenioſus fuerit, Coloniarum omnium maritimarum enumeratio, tempúſque conditionis: qui ſingulis nationibus claſſici Magiſtratus, quæ Stationa-*

riæ, & Annonariæ claſſis; quibus in Prouinciis & portubus. Aderit luſtrationibus nauaļis exercitus, noſcet ſigna pugnæ, vel ineundæ, vel relinquendæ, mirabitur erecta trophæa, triumphantes curru victores, honoratos præmiis milites, naumachias, deſcriptiones littorum, aliáque quamplurima vltra hiſtoriæ modum luxuriantia, in curioſorum gratiam hîc tranſcripta, plerunque verbis ipſis authorum, quos ſuo honore fraudare nolui: ideóque & loca, vnde ſingula deſumpta ſunt, marginibus adſcripſi, ne LECTOR totum illud meum putaret, quod ſcribo. Eſt enim benignum, & plenum ingenui pudoris, fateri per quos profeceris: ingenij vero infælicis, deprehendi in furto malle, quàm creditum reddere, cum præſertim ſors fiat ex vſurâ, & authoritatem authorum exquirant, qui legunt. Addidi & annorum, vt quæque geſta ſunt numerum, vt dillucidior & gratior narratio eſſet. Multa, ex authorum librorúmque penuriâ, quæ in hac vrbe, vnde ſcribo, maxima eſt, legentis humanitas ſupplebit. Excuſabit & nomina, vel barbarè Latinitati intruſa, vel poſt ſingulum quodque caput hydrographiæ, malè, aut forſan ineptè, reddita: authorum culpâ eſt, è quibus plurima collegi: quis enim Regionum, locorum, promontoriorum, portuum, fluminum, vrbium, oppidorúmque antiquas appellationes hodiernis vocibus aptè, & ſine errore, reddiderit, cùm horum ſitus, curſúſque plærunque ignorentur: aut quis ea quæ nuper detecta ſunt, Romano ſermone expreſſerit accuratè, cùm ſint barbara, vel pro occupantis arbitrio indita: Luſitanica, Hiſpanica, Gallica, Anglica, Belgica. Vnde ſingulis capitibus, quæ deſcriptiones littorales complectuntur, vera, vel veris proximiora ſubdidi vocabula, ne verborum intricatio retineret legentem, cui ſtudeo vigilóque, & ob id eum in meum fauorem, ſi benignus eſt, voco, & vt valeat, precor.

* * *

TYPOGRA

TYPOGRAPHVS
LECTORI S.

CVM in manus meas duo ſimul Libri incidiſſent, *Naualis* ſcilicet *Hiſtoria Thomæ Riuij*, & *Ioannis Seldeni Mare Clauſum*, illicò in Moriſoti V. C. domum me contuli, humanitati eius confiſus, quam nemo fruſtra tentauit. Rogaui, vt ad ſe patriámque reſpiceret, detraheret eam laudem Riuio, ne primus videretur hiſtoriam naualem compegiſſe, quam ipſe dudum antea ORBI ſuo MARITIMO inſeruiſſet. Præoccuparet auidum famæ authorem, & ad hunc vſque diem hiſtoriam ſuam maritimam deduceret, quam Riuius ſub Seuero Imp. finierat. Teſtes abſoluti ante Annum 1630. eius operis, clariſſimos & doctiſſimos viros, R. P. Monachum, Brunum, Moreletum, Fauerellum, Monthilium, Maium, Reuolios, Gothofredos, Salmaſium, Galminium, Marcillacum, Golſium, innumeróſque alios, qui lectum illud publico fauore ſuſcipiendum iudicauerunt: in quod etiam Bergeronus, celebris nauigationum exoticarum author, animaduertiones ſequente anno ſcripſerit. Quod denique Anno 1632. Eminentiſsimus ille Cardinalis Richelæus, ſibi iam nuncupatum auidè ſuſceperat, Cebretóque & Citæo, quos inter domeſticos ſuos habebat, ad exactiorem lectionem tradiderat: quorum ſententia fuerit, non alium magis hoc ſæculo authorem ORBIS MARITIMI authore præualere Latini ſermonis puritate, arte, doctrinâ, iudicio, aliíſque omnibus, quæ ad ſuſcepti argumenti expoſitionem & voluptatem legentium faciunt. Quòd ſi quis tam obdurarus ad fidem inueniretur, qui tot, tantorúmque virorum teſtimoniis contra leges ſtare nollet, illum ipſum, ſi ORBEM MARITIMVM perlegerit, in partes aurhoris ſuo genio iturum. Hiſtoriam enim hîc leget non intricatam, vt apud Riuium, ſed ita diſtributam, vt vnicuique Populo, Reipublicæ, & Regno propria ſit, & per annorum ſeriem digeſta. Neque hoc tantùm, licet & iſtud ſolum ad conciliandam omnium Nationum gratiam & amorem valeret, ſed & Rerumpublicarum Regnorúmque quotquot ſunt, aut fuerunt, claſſes,

 magiſtra-

magiſtratus & officia claſſica, leges ordinarionéſque circa rem maritimam, naualia, trophæa, triumphos, aliáque ducum militúmque victorum præmia. Inueniet & in hoc opere non vulgaria de exercitationibus nauticis, ludis, naumachiis, luſtrationibus claſſiũ, ventis, vſu pixidis nauticæ, æſtubus & exũdationibus, pelagi, nauigiorũ ſtructurâ, de antiquorum noſtrorumq; nauigationibus, aliáq; plurima, quibus ſatiari etiam poteſt inexplens animus multiplici ac delectabili varietate rerum facili & naturali ſtilo deſcriptarum, quorum omnium nihil eſſet in Riuio. Quibus ſi adderetur aliquid in Seldenum, contra illud, quod in libro quem *Mare Clauſum* inſcripſit, inconſideranter nimis & falsè aſſeruit, *Dominium Maris Britannici ad Sereniſsimum Magnæ Britanniæ Regem pertinere*, tum verò ex iniuriæ Gallico Imperio factæ vindictâ, authoris ORBIS MARITIMI famam per omnem Orbem cum laude ſpargendam: illum vnum inuentum, qui poſt annos octo ab editione illius Libri, eâ ipsâ die, quâ in notitiam eius venit, calumnias Scriptoris Angli refelleret, veteráque Galliæ iura in Britannicum mare deduceret, oſtenderet, enuclearet. Inde parandi emendíque ORBIS MARITIMI ingens omnibus deſiderium naſciturum: me typos editioni, me ſtilum tabellarum æneatum ſcalptioni offerre, neque quidquam operæ meæ omiſſurum, quò cultum per ſe opus cultius redderetur, nitidis typis & papyro impreſſum. Quid plura? haud difficulter à C.V.Moriſoto impetraui quod ardentèr petebam, cùm iam ipſe in Seldenum iratus eſſet, neque diutius ferre poſſet contumeliam Genti ſuæ factam, & poſteritatem fraudare profecturo opere, quod nunc CANDIDE LECTOR, ereptum prelo tibi trado, ſi quid minus correctum aut emendatum erit, mihi, & editionis feſtinationi attribues, quam rei literariæ iuuandæ ſtudium impatiens incitauit, nihil hîc peccauit author, aut errauit. *Vale.*

Diuione Kal. Ianuarij, Ann. M. DC. XLIII.

ELEN

ELENCHVS CAPITVM LIBRI PRIMI.

CAPVT PRIMVM.

FABVLOSA, *incerta, & obſcura nauigationum, déque earum origine & inuentoribus nauium.* Pag. 1.

CAP. II.

Excurſiones & nauigationes variorum hominum, populorúmque, antiquiſſimæ: Bacchi, Iaſonis, & Herculis expeditiones in mari. Item de raptu Ionis, Europa, Medeæ, & Helenæ. 5

CAP. III.

Græcorum apparatus maritimus. Errores Vlyſsis & Æneæ. 11

CAP. IV.

Perſarum & Græcorum res in mari geſtæ, vſque ad bellum Peloponneſiacum. 14

CAP. V.

Ciuilia Græcorum bella maritima ad bellum vſque Peloponneſiacum. 21

CAP. VI.

Bellum Peloponneſiacum maritimum inter Græcos. 22

CAP. VII.

Bellum Peloponneſiacum in Siciliâ, & in mari Siculo: eius cauſa, certamina, euentus, aliáque huius belli. 28

CAP. VIII.

Belli Peloponneſiaci continuatio, vbi maximè maritima Syracuſanorum, & Lacedæmoniorum contra Athenienſes certamina recenſentur. 32

CAP. IX.

Cetera belli Peloponneſiaci. 38

CAP. X.

Athenienſes maris dominium recipiunt. Variè inter ſe Græci pugnant, donec componerentur, pacem ſuadente Perſarum Rege. Finis Imperij Græcorum. 44

CAP. XI.

Imperium Macedonum, maritima eorundem, vſque ad Perſeum, ſub quo Macedonia Prouincia Populi Romani facta eſt. 47

CAP. XII.

Carthaginienſium & Syracuſanorum maritima, vſque ad bellum Punicum. 58

CAP. XIII.

Bellum Punicum Primum maritimum inter Romanos & Carthaginienſes, propter Siciliam geſtum. 63

CAP. XIV.

Bellum Punicum Secundum maritimum. 71

CAP. XV.

Bella maritima Punicum Tertium præcedentia. Illyricum, Macedonicum I. Syriacum, Creticum, & Macedonicum II. 78

CAP. XVI.

Bellum Punicum vltimum maritimum. 86

CAP. XVII.

Bellum Achaicum maritimum, Balearicum, Sardoum, Silicum, ſiue Piraticum I. Mithridaticum, Sertorianum, Creticum II. Piraticum II, III. & IV. 90

Index Capitum Libri I.

CAP. XVIII.

Geſta Iulij Cæſaris in mari contra Gallos & Brittannos: eiuſdem & Pompeij bella ciuilia maritima, aliáque poſt Pompeij cædem, in Ægypti, Africa, & Hiſpaniæ oris. 97

CAP. XIX.

Ciuilia Romanorum bella in mari, & oris maritimis, à cæde Iulij Cæſaris, ad exceſſum Augusti. 109

CAP. XX.

Compendioſa narratio rerum à Romanis in mari & littoribus geſtarum, ab exceſſu Augusti, ad mortem Conſtantini Magni. 121

CAP. XXI.

Quomodo, quando, & quibus conditionibus Inſulæ & Regiones maritimæ Prouinciæ Pop. Romani factæ ſint, durante Republica. 126

CAP. XXII.

Aliæ Inſulæ, & Regiones maritimæ, Imperij Romani Prouinciæ factæ, ab exceſſu Auguſti Cæſaris vſque ad Conſtantinum Magnum. Item de Prouinciarum rectoribus. 130

CAP. XXIII.

Claſſes, Naualia, Magiſtratus, dignitates & officia claſſica, apud Romanos, qui à Græcis multa deſumpſerunt: vſque ad Conſtantini Magni tempora. Stationariæ eorum claſſes & Annonariæ. Inter quæ, vocabula aliquot nautica recenſentur. 136

CAP. XXIV.

Magiſtratus & officia claſſica apud Græcos: eorundem claſſes, portus, & naualia. 151

CAP. XXV.

Mos luſtrandi naualis exercitus tam apud Græcos, quàm apud Romanos, antequam ad bellum proficiſceretur. Profectio. Pugnæ naualis ineundæ, aut relinquendæ ſigna. 157

CAP. XXVI.

Quidnam à victoribus poſt victoriam naualem factum ſit. De trophæis maritimis, déque victoriarum maritimarum notis, è numis & hiſtoricis antiquis. 161

CAP. XXVII.

De honoribus Imperatoribus, Ducibus, Militibus, & populis Socialibus attributis, qui bello nauali vicerant, aut in eo ſe ſtrenuè geſſerant. 174

CAP. XXVIII.

Exercitationes nauticæ, ludi maritimi ad Circenſium formam, aliáque opera ad neceſsitatem aut voluptatem publicam, priuatámque. Naumachiæ item per varios editæ. 190

CAP. XXIX.

Cur factæ ſint coloniæ, deducendi eas ratio, earum notæ in numis antiquis: Nomina aliquot militarium, & maritimarum apud Romanos. 196

CAP. XXX.

Leges Rhodiæ nauales. 200

CAP. XXXI.

Hydrographia antiqua, hoc eſt, generalis deſcriptio maris, & littorum, cum vrbibus, portubus, & promontoriis, ab antiquis cognitorum: vbi nauigationes veterum continentur, ante Conſtantini Magni tempora factæ. Item de tabularum Geographicarum vetuſtate. 211

CAP. XXXII.

Hiſpaniæ littorales vrbes atque coloniæ antiquæ, cum ſinubus, promontoriis, portubus, & Inſulis adiacentibus. 217

CAP. XXXIII.

Galliarum vrbes, coloniæque maritimæ. Portus item, promontoria, & Inſulæ. 223

CAP. XXXIV.

Italiæ antiquæ vrbes, oppidáque maritima, cum portubus, fluuiis, ſinibus, promontoriis, Inſulis. 231

CAP. XXXV.

Sicilia cum circumiacentibus Inſulis. 244

CAP. XXXVI.

Britanniæ & Hyberniæ littoralis deſcriptio, aliarúmque proximarum Inſularum. 252

CAP. XXXVII.

Germaniæ antiquæ littoralis deſcriptio: Sarmatiæ quoque & Scythiæ Europeæ, Tauricæque Cherſoneſi, & Cimmerij Boſpori, cum vicinioribus Inſulis. 257

CAP.

Index Capitum Libri I.

CAP. XXXVIII.

Deſcriptio oræ maritimæ à Danubij oſtiis ad Neſi oſtia, cum Inſulis proximioribus. 260

CAP. XXXIX.

Cetera Ægei maris littora cum Inſulis. 265

CAP. XL.

Peloponneſi periplus, cum Inſulis vicinis. 269

CAP. XLI.

Epiri & Macedoniæ, quà Adriatico & Ionio mari pulſantur, deſcriptio, cum Inſulis. 274

CAP. XLII.

Cetera Europæ, Dalmatiæ nimirum, Illyridis, & Iſtriæ, coloniæ, vrbes, portus, promontoria, & ſinus, cum adiacentibus Inſulis. 276

CAP. XLIII.

Deſcriptio littorum Africæ cum adiacentibus Inſulis, à Nilo ad columnas Herculis & Atlantis montem. 279

CAP. XLIV.

Cetera littoris Africæ cum Inſulis ab antiquis cognitis, ſcilicet ab Atlante Maiore trans Æquatorem gradibus XV. *cum vnâ tertiâ; hinc ductâ lineâ ſub eodem gradu & diſtantiâ, deſcriptio littoris cogniti, à Praſſo promontorio, ad ima ſinus Arabici.* 288

CAP. XLV.

Ventum ad Aſiam, littoralia ſinus Arabici & Perſici cum Inſulis. 294

CAP. XLVI.

Indici maris littora cum proximis Inſulis, ab anguſtiis Perſici ſinus ad terram incognitam. 298

CAP. XLVII.

Periplus Aſiæ, à Sinenſium regione vſque ad Scythicum mare: mox Caſpij, ſiue Hircani pelagi littoralia antiquis nota recenſentur. 303

CAP. XLVIII.

Sarmatiæ Aſiaticæ, Colchidis, Galatiæ, Ponti, Bithyniæ, vtriuſque Myſiæ, Troadis, Æolidis, Ioniæ, Cariæ, & Doridis, cum Inſulis littoralis deſcriptio. 306

CAP. XLIX.

Doridis reliqua, cum maritimis Lyciæ, Pamphyliæ, vtriuſque Ciliciæ, & adiacentibus Inſulis. 315

CAP. L.

Syriæ, Phœniciæ, Iudææ, & Ægypti, vſque ad Peluſiacum Nili oſtium maritimus tractus. 319.

Index Capitum Libri I.

CAP. XVIII.

Geſta Iulij Cæſaris in mari contra Gallos & Britannos: eiuſdem & Pompeij bella ciuilia maritima, aliáque poſt Pompeij cædem, in Ægypti, Africa, & Hiſpaniæ oris. 97

CAP. XIX.

Ciuilia Romanorum bella in mari, & oris maritimis, à cæde Iulij Cæſaris, ad excessum Augusti. 109

CAP. XX.

Compendioſa narratio rerum à Romanis in mari & littoribus geſtarum, ab exceſſu Augusti, ad mortem Conſtantini Magni. 121

CAP. XXI.

Quomodo, quando, & quibus conditionibus Inſulæ & Regiones maritimæ Prouinciæ Pop. Romani factæ ſint, durante Republicá. 126

CAP. XXII.

Aliæ Inſulæ, & Regiones maritimæ, Imperij Romani Prouinciæ factæ, ab exceſſu Augusti Cæſaris vſque ad Conſtantinum Magnum. Item de Prouinciarum rectoribus. 130

CAP. XXIII.

Claſſes, Naualia, Magiſtratus, dignitates & officia claſsica, apud Romanos, qui à Græcis multa deſumpſerunt: vſque ad Conſtantini Magni tempora. Stationaria eorum claſſes & Annonaria. Inter quæ, vocabula aliquot nautica recenſentur. 136

CAP. XXIV.

Magiſtratus & officia claſsica apud Græcos: eorundem claſſes, portus, & naualia. 151

CAP. XXV.

Mos luſtrandi naualis exercitus tam apud Græcos, quàm apud Romanos, antequam ad bellum proficiſceretur. Profectio. Pugnæ naualis ineundæ, aut relinquendæ ſigna. 157

CAP. XXVI.

Quidnam à victoribus poſt victoriam naualem factum ſit. De tropheis maritimis, déque victoriarum maritimarum notis, è numis & hiſtoricis antiquis. 161

CAP. XXVII.

De honoribus Imperatoribus, Ducibus, Militibus, & populis Socialibus attributis, qui bello nauali vicerant, aut in eo ſe ſtrennè geſſerant. 174

CAP. XXVIII.

Exercitationes nauticæ, ludi maritimi ad Circenſium formam, aliáque opera ad neceſsitatem aut voluptatem publicam, priuatámque. Naumachia item per varios edita. 190

CAP. XXIX.

Cur factæ ſint coloniæ, deducendi eas ratio, earum notæ in numis antiquis: Nomina aliquot militarium, & maritimarum apud Romanos. 196

CAP. XXX.

Leges Rhodiæ nauales. 200

CAP. XXXI.

Hydrographia antiqua, hoc eſt, generalis deſcriptio maris, & littorum, cum vrbibus, portubus, & promontoriis, ab antiquis cognitorum: vbi nauigationes veterum continentur, ante Conſtantini Magni tempora factæ. Item de tabularum Geographicarum vetuſtate. 211

CAP. XXXII.

Hiſpaniæ littorales vrbes atque coloniæ antiquæ, cum ſinubus, promontoriis, portubus, & Inſulis adiacentibus. 217

CAP. XXXIII.

Galliarum vrbes, coloniæque maritimæ. Portus item, promontoria, & Inſulæ. 223

CAP. XXXIV.

Italiæ antiquæ vrbes, oppidáque maritima, cum portubus, fluuiis, ſinibus, promontoriis, Inſulis. 230

CAP. XXXV.

Sicilia cum circumiacentibus Inſulis. 244

CAP. XXXVI.

Britanniæ & Hyberniæ littoralis deſcriptio, aliarúmque proximarum Inſularum. 252

CAP. XXXVII.

Germaniæ antiquæ littoralis deſcriptio: Sarmatiæ quoque & Scythiæ Europeæ, Tauricaque Cherſoneſi, & Cimmerij Boſpori, cum vicinioribus Inſulis. 257

CAP.

Index Capitum Libri I.

CAP. XXXVIII.

Deſcriptio oræ maritimæ à Danuby oſtiis ad Neſi oſtia, cum Inſulis proximioribus. 260

CAP. XXXIX.

Cetera Ægei maris littora cum Inſulis. 265

CAP. XL.

Peloponneſi periplus, cum Inſulis vicinis. 269

CAP. XLI.

Epiri & Macedoniæ, quà Adriatico & Ionio mari pulſantur, deſcriptio, cum Inſulis. 274

CAP. XLII.

Cetera Europæ, Dalmatiæ nimirum, Illyridis, & Iſtriæ, coloniæ, vrbes, portus, promontoria, & ſinus, cum adiacentibus Inſulis. 276

CAP. XLIII.

Deſcriptio littorum Africæ cum adiacentibus Inſulis, à Nilo ad columnas Herculis & Atlantis montem. 279

CAP. XLIV.

Cetera littoris Africæ cum Inſulis ab antiquis cognitis, ſcilicet ab Atlante Maiore trans Æquatorem gradibus XV. cum vnâ tertiâ: hinc ductâ lineâ ſub eodem gradu & diſtantiâ, deſcriptio littoris cogniti, à Praſſo promontorio, ad imâ ſinus Arabici. 288

CAP. XLV.

Ventum ad Aſiam, littoralia ſinus Arabici & Perſici cum Inſulis. 294

CAP. XLVI.

Indici maris littora cum proximis Inſulis, ab anguſtiis Perſici ſinus ad terram incognitam. 298

CAP. XLVII.

Periplus Aſiæ, à Sinenſium regione vſque ad Scythicum mare: mox Caſpy, ſiue Hircani pelagi littoralia antiquis nota recenſentur. 303

CAP. XLVIII.

Sarmatiæ Aſiaticæ, Colchidis, Galatiæ, Ponti, Bithyniæ, vtriuſque Myſiæ, Troadis, Æolidis, Ioniæ, Cariæ, & Doridis, cum Inſulis littoralis deſcriptio. 306

CAP. XLIX.

Doridis reliqua, cum maritimis Lyciæ, Pamphyliæ, vtriuſque Ciliciæ, & adiacentibus Inſulis. 315

CAP. L.

Syriæ, Phœnicia, Iudææ, & Ægypti, vſque ad Peluſiacum Nili oſtium maritimus tractus. 319.

LIBRI SECVNDI

CAPITVM ELENCHVS.

CAPVT PRIMVM.

GOTHORVM *Imperium geſtáque in mari & littoribus, eorundem in Africa, & Italia excidium.* *Pag.323*

CAP. II.

De Longobardis, eorum excurſiones, quomodo Italiam occupauerint, & perdiderint. Aliqua item de Hunnis. *pag.329*

CAP. III.

Saracenorum Imperium quibus littoribus concluſum ſit: quas terras Inſuláſque tenuerint. Eorum pugnæ nauales & victoriæ. Quis Genti bellorum & nominis finis fuerit. 332

CAP. IV.

Notitia Imperij Occidentalis ante Carolum Magnum: in quâ claſſes, Magiſtratus claſſici, & littorum, legiones item claſſicæ recenſentur, ab Anno Salut. CCCVIII. ad Ann. DCCCVIII. 338

CAP. V.

Notitia Imperij Orientalis maritimi à Conſtantino Magno, vſque ad eam diem, quâ Conſtantinopolim Turcæ occupauerunt. In quâ claſſes Annonariæ & Militares, Legiones Ripenſes, & claſſici Magiſtratus. 345

CAP. VI.

Ventum ad Gallos, eorum excurſiones maritimæ antiquiores. Francorum origo, geſtáque aliquot. 350

CAP. VII.

Francorum bella maritima à Pipino Rege ad Ludouicum XIII. qui nobis hodie feliciter regnat. Origo & finis Amiraliorum, quid ab vnoquoque claſſe, vel in littore geſtum ſit. 358

CAP. VIII.

Generale collegium mercatorum per Gallias inſtituitur, ad exoticas merces quærendas & aduehendas. Conditiones inſtitutionis. Recentiores Gallorum nauigationes, prælia, victoriæ, coloniæ, in Africâ, vtraque Indiâ, & Inſulis hactenus incognitis. 381

CAP. IX.

Notitia maritimi Gallorum Imperij, claſſes, Magiſtratus claſſiti & nauigiorum. Varia eorum nomina, officia, iura, iuriſdictiones, & priuilegia. Leges item nauales & maritimæ. 385

CAP. X.

Normannorum res mari geſtæ, antequam illi in poteſtatem Regum noſtrorum venirent, vbi & Noruagiorum, ſiue Normannorum Septentrionalium antiquiſſima aliqua recenſentur. 393

CAP. XI.

Britannorum Armoricorum, antequam ſub Imperio noſtro eſſent, res mari geſtæ. 399

CAP. XII.

Prouincialium, priuſquam tellus illa ſub Imperio Regum noſtrorum eſſet, pugnæ, victoriæque nauales, aliáque mari geſta: vbi & Aragonenſium maritima aliqua memorantur. 403

CAP. XIII.

Belgarum maritima prælia, victoriæque à Iulio Cæſare ad hanc diem. Vbi & de eorum gubernationibus bellicis & politicis tractatur, expeditionéſque in longinquas, & incognitas antea terras recenſentur. 407

CAP. XIV.

Adminiſtratio rei naualis apud Belgas Fœderatos, Magiſtratus, claſſes, & leges nauales. 420

CAP. XV.

Germanorum maritima aliquot memorabiliora, tum antiqua, tum recentiora, eorum ſcilicet qui Oceani fluctibus vicini ſunt. Quorum regna, vires, nouæque coloniæ maritimæ recenſentur: præcipuè Suecorum, Danorum, & Noruagiorum. 423

CAP.

Index Capitum Libri II.

CAP. XVI.

Vandalicarum vrbium, Pruſſorum, Saxonum, Polonorum, Moſcorum, aliorúmque Germanicæ populorum, res mari, aut littoribus patrata. Item de fœdere Anzeatico. 433

CAP. XVII.

Anglorum res mari geſta. 440

CAP. XVIII.

De legitimo Regis Angliæ in mari dominio: contra Seldenum, ex ipſo Seldeno. 446

CAP. XIX.

De Imperio & dominio maris in genere. 463

CAP. XX.

Imperiorum Hiſpanorum maritimum. 471

CAP. XXI.

Imperium Luſitanorũ maritimum, priuſquam Regibus Caſtellæ ſubiicerentur. 487

CAP. XXII.

Notitia maritimi Hiſpanorum Imperij, claſſes, Magiſtratus claſsicos, & littorum complectens. 501

CAP. XXIII.

Maritimum Genuenſium Imperium, pugnaque in Saracenos, Piſanos, & Venetos, mari, aut in littoribus facta. 512

CAP. XXIV.

Eorumdem Genuenſium res mari geſta in ceteras gentes. Vbi & de Florentinis aliíſque in Italia populis nonnulla recenſentur. 519

CAP. XXV.

Venetorum res in mari & littoribus geſta. Vrbis fundatio, pugnæ & victoria nauales, ab vrbe condita, ad Ann. Sal. M.CCC.LXXXV. 527

CAP. XXVI.

Cætera maritima Venetorum hiſtoria. 535

CAP. XXVII.

Venetorum claſſes & Magiſtratus claſsici, aliáque ad rem eorũ maritimam pertinentia. 543

CAP. XXVIII.

Meliténſium Equitum res mari geſta. 549

CAP. XXIX.

Claſſes Melitenſium, eorum dignitates, leges, & munia claſsica. Quæ ferè omnia ceteris nationibus communia ſunt. 555

CAP. XXX.

Aliorum Ordinum Equeſtrium, qui Turcas, vel Saracenos præſidiis & oppidis littoralibus eiecerunt, aut claſſe vicerunt, inſtitutio. 561

CAP. XXXI.

Maritimum Turcarum Imperium, claſſes, & claſsici Magiſtratus. 565

CAP. XXXII.

Pauca ad rem maritimam pertinentia Tartarorum, Sinenſium, Indorum, Perſarum, & Æthiopum. 574

CAP. XXXIII.

Orbis Nouus, ſiue deſcriptio eorum littorum, quæ ante Conſtantinum Magnum incognita, aut ſine nomine fuerunt, in Africâ, Aſiâ, Indiâ Orientali, & Europâ. 578

CAP. XXXIV.

America Septentrionalis, antiquis ignota, ora maritima, & in iis vrbes, & coloniæ. 592

CAP. XXXV.

Inſularum, quæ Americæ Septentrionali circumfuſæ ſunt, nomina, vrbéſque in iis, & coloniæ. 599

CAP. XXXVI.

Meridionalis Americæ vrbes & coloniæ littorales, cum fluuiis, portubus, promontoriis. 601

CAP. XXXVII.

Inſulæ circa Americam Meridionalem, cum Guinea & Terra Auſtralis littorali deſcriptione. 609

CAP. XXXVIII.

Nouæ vrbes & coloniæ maritimæ poſt deceſſum Conſtantini Magni factæ in iis regionibus, quæ antiquioribus Coſmographis cognita fuerunt. 612

Index Capitum Libri II.

CAP. XXXIX.

Reliqua vrbium & coloniarum maritimarum, poſt tempora Conſtantini Magni conditarum in iis locis, & Regionibus, quæ antiquis cognitæ fuerunt. Scilicet à freto Herculeo ad Euxinum Pontum, & Mæotim: inde recurrente per Africæ littora vſque ad Atlanticum mare. 624

CAP. XL.

Multos ad nauticam, naualéſque victorias, per ſydera vocari. Aliqua de vrinatoribus. Tempeſtatum præſagia. Ventorum cauſæ, nomina, obſeruationes. Notæ, ſiue caracteres, quibus Romani olim ventos, aliáque ad rem maritimam pertinentia, ſignificabant. 634

CAP. XLI.

Alia ad artem nauticam pertinentia. Inuentio & vſus pixidis nauticæ. Nonnulla de magnete. Cauſæ Ventorum obliquitatis. 648

CAP. XLII.

Cauſa fluxus & refluxus marium, cur, & quibus locis magis, minúſve æſtus ſuperfundantur, vel etiam nullus ſit: nec ſordidi quidquam mare patiatur, quod variis in locis variè mouetur, intrinſecâ etiam agitatione. 655

CAP. XLIII.

Lacus, fontes, puteóſque eſſe, qui æſtuent. De aquis ſalſis, ſale, ſalſarum aquarum miraculis, contra eos, qui tributum ex iis exigere voluerunt. De vita piſcium marinorum: De vſu aquæ marinæ & ſalis, contra morbos corporis, atque animi. Item de ſalſedine maris, carúmque rerum cauſis. 667

CAP. XLIV.

Cur in fontibus ſalſis & lacubus piſces neque naſcuntur, neque viuant. De luciditate maris & coloribus. Cur ſpeculi vicem præbeat. Cur minus amarum hyeme. Cur non creſcat acceſſu fluminum. 675

CAP. XLV.

De exundationibus pelagi, & nouarum Inſularum eruptione. Vbi altiſsimum mare. Dies antiquorum nautici. Cur mare quieſcente quandoque nauigia abſorbeantur. Cur nauſeabundos faciat mare. Deorum Dearúmque maritimorum nomina ſecundùm naturam maris & ſcientiam explicata. 679

CAP. XLVI.

Quid ſit paraſemon, quid tutela nauis. Picta naues & ſacra. Materia nauium, & cadendæ eius tempus. 685

CAP. XLVII.

Quid quiſque ad fabricam nauium inuenerit. Eas piſcium concharúmque imitatione factas, quæ earum ſint inſtrumenta, armamenta, arma. Item de remis, contis, velis, funibus, & ornamentis nauium. 689

CAP. XLVIII.

De triremis antiqua atque hodierna, quam galeram vocamus, membris, & partibus, Græcis, & Latinis, & noſtris vocabulis. 698

CAP. XLIX.

Nauium ad oſtentationem, aut voluptatem fabricatarum deſcriptio, & enumeratio, aliorúmque nauigiorum quibus antiqui vſi ſunt. 707

CAPVT VLTIMVM.

De piſcatoriis, fluuiatilibus, & reliquo genere nauigiorum, eorum maximè quibus diuerſa nationes hodie vtuntur. 716.

AVTHO

AVTHORVM, QVI JN HOC OPERE CITANTVR, nomina, Alphabetico ordine digeſta.

A.

Accius.
Acoſta.
Ado.
Ægeſippus.
Æginaldus.
Æſchilus.
Ælianus.
Agatharchides.
Agatho.
Agathias. Agellius.
Aimonius Monachus.
Albertus.
Alex. ab Alexandro.
Alexander Guagninus.
Aliatus. Alonzus.
Alphonſus Arrianus.
Alphonſus à Carthagena.
Alphonſus Caſtrenſis.
Alſtedius.
Altamerus.
Ammianus.
Andr. Bureus.
Angelius à Vverdenaghen.
Angiolellus.
Antoninus Imp.
Antonius de Strada.
Annæus Lonicerus.
Annius Viterbienſis.
Antonius Maginus.
Antonius de Errera.
Apoſtolius.
Apollodorus.
Apollonij Scholiaſtes.
Apollonij, Poeta, & Philoſ.
Appianus.
Apuleius. Aretinus.
Argentræus.
Ariſtoteles.
Armenus.
Arnaldus Milius.
Arrianus.
Artemidorus.
Artus Thomas.
Athenæus.
Aubanus Teutonicus.
Aurelius Victor.

B.

Baiſius.
Barlæus.
Barlandus.
Baronius.
Barthemus.
Baſilicus.
Baudierus.
Beatus Rhenanus.
Becanus.
Beda.
Bella-Foreſta.
Bellonius.
Bellonouanus.
Beniaminus.
Bergeronus.
Bernardinus Gomeſius.
Bernardus Paliſſius.
Bernardus Ianiz.
Beroaldus.
Beroſus.
Bilibaldus Stobęus.
Blefkenius.
Blondus.
Bochellus.
Bockornzuerius.
Bocacius.
Boiſſacus.
Bordonius.
Boterus.
Brocardus.
Bruſchius.
Bucananus.
Budæus. Bulengerus.
Busbequius.

C.

Cadamuſtus.
Cælius Auguſtinus.
Cæſar.
Callinus.
Callimachus.
Calphurnius.
Candenus.
Candidus.
Capitolinus.
Carrion.
Carreſius.
Caſſiodorus.
Caſtela Tholoſanus.
Caſtanedeus.
Cerdanus.
Chalcondyla.
Chappuiſus.
Chaumetonus.
Chopinus.
Chriſtophorus Richerius.
Cicero.
Ciophanus.
Clapmarius.
Claud. Cæſar.
Claudianus.
Cleiracus.
Cluſius.
Cluuerius.
Codinus.
Collenutius.
Colombus.
Comes.
Comminesius.
Conſtantinos.
Conſtitutiones Regiæ.
Contarenus.
Coro. de Iudæis.
Corn. Nepos.
Corn. Nicolaus.
Cornel. Tacitus.
Corn. de Vena.
Corn. Vvitfietus.
Cromerus.
Cmro.
Curtius.

D.

Dalechampius.
Daniel Rogertius.
Dares Phrygius.
Dauid Chitræus.
Demoſthenes.
Dempſterus.
Dictys Cretenſis.
Dio.
Diodorus Siculus.
Dionyſ. Hallicarnaſſeus.
Dionyſ. Coſmographus.

E.

Egnatius.
Empedocles.
Erythræus.
Eſcarborus.
Ethyeus Hiſter.
Ethymologicum vetus.
Eudoxus.
Euſebius.
Euripides. Eutropius.

F.

Fauinus.
Fauolius.
Feneſtella.
Ferdinand. Corteſius.
Ferd. Magellanicus.
Feſtus.
Feſtus Auienus. Florus.

Franciſcus

Authores qui in hoc Opere citantur.

Franciſcus Aluareſius.
Franciſc.Pyrardus.
Franciſc.Tarapha.
Franciſc.Drackus.
Fsontinus.

G.

GAleotus Martius.
Galilæi Galilæi.
Gaſparus Balby.
Georgius Braun.
Georg.Interianus.
Georg.Lilius.
Georg.Logothera.
Gerbellius.
Geuftæus.
Germanicus Cæſar.
Gillius.
Giraldus.
Girardus.
Girardus de Veer.
Giraua.
Giſtellius.
Goltzius.
Gorlæus.
Gotfridus Viterbienſis.
Gregorius Gemiſtus.
Gregor.Iſthoma.
Gregor.Tholoſanus.
Gregor.Turonenſis.
Gsorius.
Guilelmus Apulienſis.
Gruterus.

H.

HAitonus.
Hanno Carthaginien.
Henricus Mollerus.
Henric.Pantaleon.
Henric.Soresus.
Herodotus.
Herrera.
Heſiodus.
D.Hieronymus.
Hieronymus Rubeus.
Hirtius.
Hobierus.
Hogembesgius.
Homerus.
Hondius.
Horatius.
Hyginus.

I.

IAc.Cornelius Nectius.
Iacobus Fontanus.
Iac.le Moine.
Iac.Meierus.
Iac.Marius.
Iambulus.

Ioannes Aubanus.
Ioannes Epiſcopus Gerundenſis.
Ioan.Boſchæus.
Ioan.Bohemus.
Ioan.Criſpus.
Ioan.Meurſius.
Ioan.Hugo Lintſcotanus.
Ioan.Feronius.
Ioan.Sradius.
Ioan.Fretœus.
Ioan.de Laet.
Ioan.Maurus.
Ioan.Vaſæus.
Ioan.Seldenus.
Ioan.Verrierus.
Ioan.Koldingenſis.
Ioan Hermannus de Bree.
Iornandes.
Iordanus.
Ioſephus Iudæus.
Ioſephus Indus.
Iouius.
Iſacius.
Iſidorus.
Iuba.
Iulius Firmicus.
Iul.Pollux.
Iul.Obſequens.
Iunius.
Iuſtinianus.
Iuſtinus.

K.

KIriachus Anconitanus.
Krantzius.

L.

LAmpridius.
Lattic.
Lazius.
Leandes Albertus.
Lemnius.
Leo Africanus.
Leonardus Chienſis.
Leonclauius.
Leuinus Apollonius de Regno Peruuiæ.
Levveklayos.
Linſcotus.
Lipſius.
Liuius.
Lonicerus.
Louanius Caſtanedeus.
Lubinus.
Lucanus.
Lucianus.
Lucretius.
Ludouicus Golut.
Ludouic. Roman.Patritius.
Ludouic.Teiſera.

Ludouic.Guicciardin.
Lycophron.

M.

MAffeius.
Maginus.
Maiernus Turquetus.
Manilius.
Marcellinus.
M.Adamus.
M.cſcarbotius.
M.Zuerius.
M.Gothardus Arthus.
Marlianus.
Mariana.
Marmolius.
Marcus Aretius.
Marineus.
Marinus Barletius.
Martialis.
Maſius.
Matthæus Pariſius.
Matthias à Michou, ſiue Miecouienſis.
Matthiolus.
Maximilian.Tranſyluan.
Meckerkius.
Mercator.
Mercurius Gallicus.
Merlinus Coccaius.
Megiſſerus.
Meterenus.
Michael Ritius.
Michaëlius.
Miſaldus.
Moletius.
Munſterus.
Moralis.
Muſæus.
Mutianus.

N.

NArdus.
Natalis Comes.
Nazarius.
Nembrugenſis.
Nicander.
Nicephorus Gregoras.
Nicolaus Gilius.
N.De Oluerâ.
Niger.
Nonius.
Nonnius.
Noſtradamus.
Notitia vtriuſque Imperij.

O.

OCco.
Olaus Magnus.
Oliuarius.

Oliuarius

Authores qui in hoc Opere citantur.

Oliuarius du Nort.
Onuphrius.
Oppius.
Oroſius.
Orpheus.
Ortelius.
Ortenſius.
Oſorius.
Ouidius.

P.

PÆdianus.
Pamphus.
Pancirollus.
Pantaleon Candidus.
Panegyriſtes Maxim.Imp.
Parthenius.
Patereulus.
Paulus Diaconus.
Paulus Venetus.
Pauſanias.
Petrus Aluareſius.
Petr. à Medina.
Petr.Bouterus.
Petr.Diuæus.
Petr.Martyr.
Petr.Bertius.
Petr.Bizarus.
Petr.Ceuallus.
Petr.Erigonius.
Pilipp.Honorius.
Philogenes Atticus.
Philoſtratus.
Picardus.
Pinetus.
Pinſonius. Pinto.
Pirckeymuerus.
Plinij ambo.
Plutarchus.
Poldus.
Polydorus Vergilius.
Pollio.
Polybius.
Pomponius Lætus.
Porcaccius.
Poſſis. Poſtellus.
Procopius.
Propertius.
Prudentius.
Ptolomæus.
Pyrardi nauigationes.

Q.

Quercetanus.

R.

RAmuſius.
Reſendius.
Richardus Dinothus.
Rhodiginus.
Robertus Gaguinus.
Robert.Hues.
Roderic.Toletanus.
Rodericus Santius.
Roſinus.

S.

SAbellicus.
Salmaſius.
Saluſtius. Solmuth.
Sambucus.
Sannazarius.
Sanutus.
Saxo Grammaticus.
Scutenus.
Seldenus.
Seneca.
Serreus.
Seruius.
Seruinus.
Sext.Rufus.
Sidonius.
Sigebertus.
Sigonius.
Silius Italicus.
Simlerus.
Snellius.
Solinus.
Soranzus.
Sophianus.
Staniſlaus Kriziſtanouuic.
Statuta Ordinis S. Ioannis Ieroſol.
Stephanus.
Stephanus Hagenius.
Stevvechius.
Stuckius.
Suetonius.
Suidas.
Symmachus.

T.

TAcitus.
Theophraſtus.
Theuetus.
Thomas Hariot.
Thomas Riuius.
Thuanus.
Thucydides.
Tiraquellus.
Trebellius Pollio.
Trogus. Tzetzes.

V.

VAlerius Flaccus.
Valerius Maximus.
Varro.
Vaſqueſius à Gamâ.
Vegetius.
Velleius.
Veridicus Belga.
Veſputius.
Vigenarius.
Vignierius.
Villanouanus.
Virgilius.
Vitruuius.
Volaterranus.
Vopiſcus. Vrſinus.

X.

XEnophon.
Xilander.
Xiphilinus.

Z.

ZArdus.
Zonaras.
Zozimus.

PRIVI

PRIVILEGE DV ROY.

LOVIS PAR LA GRACE DE DIEV ROY DE FRANCE ET DE NAVARRE, A nos amez & feaux les Gens tenans nos Cours de Parlement, Baillifs, Senechaux, Preuoſts ou leurs Lieutenans, & à tous nos autres Iuſticiers & Officiers qu'il appartiendra. Salut: Noſtre bien amé Pierre Palliot l'vn de nos Imprimeurs, Libraire & Graueur en noſtre Ville de Dijon, Nous a fait remonſtrer qu'il a recouuré vn Manuſcrit intitulé, *Orbis Maritimi, ſiue Rerum in Mari & littoribus Geſtarum generalis Hiſtoria: Authore* CLAVDIO BARTHOLOMAEO MORISOTO *Diuionenſi*: lequel Liure il deſireroit Imprimer, tant en langue Latine que Françoiſe pour l'vtilité & commodité du public: orné & enrichy de pluſieurs Monuments antiques, Medalles, & Cartes des coſtes de Mer. Mais il craint que quelqu'autres Libraires ne le voulussent auſſi Imprimer & mettre en vente apres qu'il en auroit fait les frais, s'il ne luy eſtoit par nous pourueu de nos lettres neceſſaires, humblement requerant icelles. A CES CAVSES deſirant bien & fauorablement traiter ledit Expoſant, & luy donner le moyen de paracheuer vn ſi digne ouurage & tant vtil au public: Nous luy auons permis & octroyé, & de nos graces ſpeciale, pleine puiſſance & authorité Royalle, permettons & octroyons par ces preſentes, d'imprimer ou faire imprimer en tel volume, caractere, langue, & par telle perſonne que bon luy ſemblera ledit Liure, & iceluy mettre & expoſer en vente, & diſtribuer par tout noſtre Royaume, pendant le temps & eſpace de dix ans accomplis, à commancer du iour que ledit Liure ſera acheué d'Imprimer. Faiſant tres-expreſſes inhibitions & deffences à tous Libraires, Imprimeurs, & à tous autres de quelque qualité & condition qu'ils ſoient, d'imprimer ou faire imprimer ſous pretexte de changement, addition ou autrement ledit Liure, ny ſuſciter aucun eſtranger de le faire pendant ledit temps, ſans la permiſſion & contentement dudit Expoſant, a peine de quinze cens liures d'amande, de confiſcation des exemplaires, & de tous deſpens dommages & intereſts au profit dudit Expoſant: à la charge d'en mettre deux exemplaires en noſtre Bibliotheque publie auant que de l'expoſer en vente, ſuiuant nos Reglemens, & vn en celle de noſtre tres-cher & feal le Sieur Seguier, Comte de Gyen, Cheualier, Chancelier de France, à peine d'eſtre deſcheu dudit Priuilege. SI VOVS MANDONS, & à chacun de vous enioignons, que du contenu en ces preſentes vous faciez iouïr & vſer plainement ledit Expoſant, & à ce faire contraignez à obeir tous ceux qui y contreuiendront. Et ſi voulons qu'en mettant au commancement ou à la fin dudit Liure ces preſentes ou vn extrait d'icelles, elles ſoient tenues pour deuëment ſignifiées à qui il appartiendra, & qu'a la collation d'icelles faite par l'vn de nos amez & feaux Conſeillers & Secretaires foy y ſoit adiouſtée comme au preſent Original. MANDONS au premier noſtre Huiſſier ou Sergent ſur ce requis, de faire pour l'execution des preſentes tous exploits neceſſaires, ſans demander congé, Placet, Viſa, ne Pareatis, nonobſtant oppoſitions ou appellations quelconques: CAR TEL EST noſtre Plaiſir. Donné à Paris le vingt-neufuieſme iour de Nouembre l'an de grace mil ſix cens quarante & vn, & de noſtre Regne le trente-deuxieſme.

Par le ROY en ſon Conſeil.

GVEROVLT.

Acheué d'Imprimer pour la premiere fois le dernier Decembre M. DC. XLII.

Les Exemplaires ont eſté fournis.

ORBIS

ORBIS MARITIMI

SIVE

RERVM IN MARI ET LITTORIBVS GESTARVM GENERALIS HISTORIÆ

LIBER PRIMVS.

CAPVT PRIMVM.

Fabuloſa, incerta, & obſcura, nauigationum, déque earum origine, & inuentoribus nauium.

OMNIVM Mortalium primum Noëmum, ſibi ſuíſque liberis ratem fabricaſſe credibile eſt, ſine remis, velis, antenníſque, & gubernaculis; obnoxiam diluuij fluctibus, & ſolo Deo rectore moderatam: Hunc Saturnum, filios verò eius tres, Semum, Iaphetum, & Chamum; Iouem, Neptunum, & Plutonem fuiſſe; Ægyptij, Græci, & Latini ſcriptores voluerunt: quibus placet etiam & Gigantes, & Cyclopas extitiſſe ante Saturni tempora, pelagi incrementis abſorptos, variis Orbis in locis quæ iam nauigandi arte cognitâ tenuerant. Tum Noëmi ſobolem, aquis in ſuos alueos reductis, innumerâ prole Armeniæ regionem impleuiſſe, nouáſque inde ſedes nauibus quęſiuiſſe. Semum totam Aſiam, proximáſque Inſulas, cum ſuis liberis occupaſſe: Iaphetum Europam, & Mediterranei maris Inſulas adeptum: Chamum verò Africam cum ſuis littoribus, dominij ſui feciſſe. Quid in tanta obſcuritate dicam, certi nihil habeo, præcipuè antiquiores hiſtorias Poëtis inquinantibus, ita, vt qui pri-

Sabellic. initio hiſt.

Fazellus lib. 1. decad. 1. rer. Sicular.

Apollonius lib. 4. Argonaut.
Ouid. Faſtor. lib. 1.

mi eorum, quos Dij appellant, nauigauerint, certò ſciri non poſſit. Nam & Saturnum à falce, Drepani loco in Sicilia nomen feciſſe, & Italiam, quòd in eâ terrâ claſſe vectus latuerit, Latium appellatum cognouimus: Iouem, Siculum, Creticum, Ioniúmque maria piratis purgauiſſe, Bœotiæ, Siciliæ, Arcadiæ, & Cretæ imperaſſe: à Curetibus tubas & tympana, vocalia belli irritamenta, accepiſſe: à Cyclopibus, machinas in hoſtiles naues fulminantes. Hinc fabulatum Cyclopas fulmina Ioui fabricauiſſe, & Curetas illum Saturno inſidianti ſurripuiſſe, terrore iniecto per tubarum clangorem, & tympanorum pulſum. Iam Plutonem, ſiue Chamum, Hebræis Nigrum, Gręcis inferorum Deum, ob regionis & populorum, quos ſub ſe habuit, fuſcedinem; Africam, Lybiam, & Mauritaniam occupaſſe: inde traiecto Freto, quod poſtea Herculeum dictum eſt, Hiſpanias: vbi Solem occidere fabulantur, & mergi flumine Ibero. Eundem & Proſerpinam è Sicilia rapuiſſe volunt, eámque in ſua regna deuexiſſe. Neptunum à nando dictum, totum Mediterraneum mare claſſe texiſſe, huic à patre Saturno Præfectum; Amphitriten: Salaciam, & Veniliam vxores habuiſſe, hoc eſt, imperium in omnem aquam, ſalſos fluctus, & reciprocationes pelagi. Ante eius tempora, pauciſſimis remis agebantur naues, quales pontones ſunt, quibus traiiciuntur flumina: roſtratas, & turritas primus hic reperit, quibus totum mare Mediterraneum cum Inſulis domuit: vrbem in Bœotiâ de nutricis nomine Arnonem condidit: Athenas, quòd eius ciues Mineruæ oliuam ſuo equo prępoſuiſſent, facto aggere, immiſſóque mari, penè ſubmerſit: in Siciliâ Cererem compreſſit, Lybam in Phœniciâ, Pitanen in Laconiâ, atque alias aliis maritimis in regionibus. In Aſia Troiam ædificauit, mox iratus Laomedonti, totam regionem inundauit. In Theſſaliâ Penei alueum purgauit, aliíſque populis opem tulit, à quibus pro Deo cultus eſt, ludóſque, & ſacra, & templa, variis, tum in ſequentibus locis accepit, vbi cum turbâ Deorum ęquoris, diebus ſibi Feſtis ire creditus eſt.

Virgil. Georgic. 4.
Æneid. 8.

Pamphus in hymnis.

Theſeus lib. 1. rer. Corinthiac.
Ouid. Metam. 6.
Zetzes hiſt. Sicul. Chil. 2.
Herodot. in Polhymnia.

Apollodor. lib. 3.

Cæruleus qualis properat Neptunus ad Iſthmum
Quadriiugis inuectus, adit cùm flumina Lernæ,
Tænariúmque ſolum, vel Hyantia rura, Gereſtum
Syluoſum, Æmoniámque petram, vel fortia colla
Cùm premit alipedum Calabras incenſus ad oras,
Quas amat, & toto diffuſus numine ſeruat.
Tum variæ comitum facies immania cete,
Et ſenior Glauci chorus, Inoúſque Palæmon,
Tritonéſque citi, Phorcíque exercitus omnis.

Huius, fuſcina eſt; per quam Poëtæ triplicem poteſtatem oſtendunt, tollendi, placandi, & ſeruandi æquoris. Tritona filium habuit

habuit buccinatorem, & tubicinem, ſub cuius voce maria iras ponebant. *Heſiod. in Thogon.*

Ouid. Metam. 1.

Mulcet aquas rector pelagi, ſupráque profundum
Extantem, atque humeros natiuo murice tinctum
Cæruleum Tritona vocat, concháque ſonanti
Inſpirare iubet, fluctúſque, & flumina ſigno
Iam reuocare dato, caua buccina ſumitur illi
Tortilis, in latum quæ turbine creſcit ab imo:
Buccina, quæ in medio concepit vt aëra ponto,
Littora voce replet ſub vtroque iacentia Phœbo.
Tum quoque vt ora Dei madidâ rorantia barbâ
Contigit, & cecinit iuſſos inflata receſſus,
Omnibus audita eſt, telluris, & æquoris vndis,
Et quibus eſt vndis audita, coercuit omnes.

Ceterùm, ſicut Neptuni buccinator, qui claſſium caneret, Triton exiſtimatus eſt, ſic & Palæmon cuſtodiæ portuum demandatus, vnde & Portunus, illíque ob id clauis attributa. Glauco Fabricam nauium, & moderandi artem multi attribuunt; compegiſſe, & rexiſſe Argo nauim in eo nauali certamine, quod Iaſon cum Tyrrhenis habuit. Eundem quoque aiunt Nerei interpretem, & vatem extitiſſe, quoniam tempeſtates æquoris, tranquillitatem, & ſpiraturos ventos præſagiret; quam ſcientiam & Nereum habuiſſe fabulantur; Nereidum, hoc eſt, diuerſæ artis, & ſcientiæ, quæ ad nauigationem pertinet, parentem, ſiue repertorem. Quæ poteſtas Phorco fuerit, quem Phorcyn Græci vocant, nullibi reperio, quamuis hic inter maris Deos numeretur: eum legi Sardiniæ, & Corſicæ à Neptuno præpoſitum, ab Atlante nauali conflictu ſuperatum, ſummerſúmque cùm amplius non appareret, Deum creditum. Fingunt Proteum vitum nauigandi peritiâ admirabilem, rerúmque maritimarum cognitione nobilem, in varias formas mutatum, intérque phocas habitauiſſe, quia ſolers vrinator, & ſcrutator naturæ huius elementi fuerit, qui, de piſcibus, de plantis, lapidibus, elementorum tranſmutatione, déque rerum principiis fuerit philoſophatus. Obſcura illa, ad hiſtoriam ſequentia propius accedunt. Cretenſes, qui antea Macarones, & Aërij, antiquiſſimum Regem habuerunt Iouem, qui piratas claſſe domuit; tum & Minoëm Iouis filium, qui maritimo certamine Athenienſibus ſubactis, tributum illis impoſuit. Phœnices mercibus ſuis auaritiam, luxum, atque omnium rerum inexplebiles cupiditates primi deuexerunt in Græciam. Taurum, virum ſtrenuiſſimum, Minois claſſi præfectum, ſuperauit Theſeus, dedítque præcipitem æquori: hinc Minotauri fabula. Cùm autem Pherecus, nauis, quâ Theſeus in Cretam nauigauerat, gubernator, oblitus fuiſſet candi-

Comes Mythol. lib. 8. cap 4.
Poſiis lib. 3. Amazonidis.
Euripid. in Oreſte.
Natalis Comes Mythol lib. 8. c. 6.
Lucian. in dialogo cui tit. nauigium.
Sabellic. Ennead. 1. lib. 1. & 4. Plutarch in Theſeo.
Diodor. lib. 5. c. 15.
Thucid. lib. 1. c. 1.

dum velum attollere in reditu, quod erat victoriæ ſignum, Ægeus Theſei pater, præcipitem ſe in mare miſit, noménque nouum illi fecit. Eadem illâ ętate viuebat Dædalus, qui Minois crudelitatem fugiens, in Siciliam venit, ibíque vrbem Minoam condidit: quamuis eam vrbem à Minoë ędificatam aliqui velint. Alas Dædali quibus è Cretâ aufugit, Mythici vela nauis putant. Verum nauigandi artis gloriam Prometheus apud Æſchilum ſibi vendicat. Huic, & aliis inuident Rhodij, qui ſe artis huius authores iactant, primíque leges nauigantibus dederunt: vnde etiam apud Iuriſperitos, & hiſtoricos, leges maritimæ, Rhodis attribuuntur. Eundem ſibi honorem deberi Phœnices affirmant, qui Ionem, è quâ Ionium mare, in Ægyptum è Græciâ aſportauerunt, polóſque duos primi omnium diſcreuerunt. Cares quoque, domini quondam maris vocati, Corinthij, Ægynetæ, Tyrij, Ægyptij, ſuum hoc inuentum volunt. Inuentis ratibus in mari Rubro ab Erythrâ Rege, qui nomen ob id huic pelago ſuum dedit, nauigari ceptum eſt. Bœoti cùm in truncis arborum, aut iuncis corio tectis nauigaretur, remis vſi ſunt. Platæenſes minorum nauigiorum repertores putantur. Ratibus, Myſios & Troianos, Helleſpontum tranaſſe multi produnt. Britanni corio circunſitis vſi, quas vitiles Latini appellãt. Erictetem, biremem; * Amimoclem Corinthium, triremem; Athenienſes, quadriremem; Neſicthona Salaminum, quinqueremem; Zenazoram, ſexremem; Mneſigetona, octoremem, & decíremem: Alexandrum Magnum ordines remorum quatuor addidiſſe, Ptolomæum Sotetem quindecimremem feciſſe, duplicaſſe Demetrium Antigoni filium, quadraginta remium nauem compegiſſe Ptolomæum Philadelphum, Philopatorem quinquaginta, teperio: ipſámque Atgo totidem ſurrexiſſe. Naue primus in Græciam ex Ægypto Danaus, à quo Danai Græci vocantur, appulit, ante, ratibus nauigabatur. Nilus olim ex papiro, ſcirpo, & arundine naues habuit; longa nauis ad formam Iaſoniæ primùm Ægyptiis viſa regnante Seſoſtride. Onerariam Hippius Tyrius, lembum Cyrenenſes, Cymbam Phœnices, Circerum Cyprij, Lintres Germani circa Danubium habitantes, ſcaphas Illyrij, Hippagines, hoc eſt, vt Feſto placet, naues quibus equi vehuntur, Salaminij, tectas longas Thaſij, reperête. Sunt qui non hippagines, ſed hippagogas nominent, nec earum inuentores faciant Salaminios, ſed Darium Perſarum Regem, quibus equos in Thraciam expoſuit, aduerſus Miltiadem in campis Marathoniis cum ſeſſoribus cędendos. In Lydiâ primus rate vectus eſt Pyrrhonus, cuius fabricator fuerat. Euſebius Vſonem, ait, arboribus amputatis, ambuſtíſque, primum mare ingreſſum. Danaus Pentecontoron reperit, roſtratas Gryphon Scytha in Oceano

Gregorius Gemiſtus lib. 1. rer. Græcarum.

Herodotus lib 1. Plin. lib. 5. cap 12. & 19. Athenæus Deipn. lib. 1.

** Amoclem Polyd. Vergil. vocat. de inuent. rer. lib. 4. cap 15. vbi & non Erictetem, ſed Erythraos biremiũ inuentores ait: & pro Mneſigetone, Neſigitona nominat.*

Plinius lib 7. c. 56. Diodor. lib. 1. Polydor. Vergilius de inuentione rerum, lib 3. c. 15. Ethicus Hiſtor.

no Septentrionali. Legimus apud Atheneum immenſæ molis naues Cycladas & Ætnas appellatas, hoc eſt, inſulas, & montes.

CAPVT SECVNDVM.

Excurſiones, & nauigationes variorum hominum, populorúmque antiquiſsimæ. Bacchi, Iaſonis, & Herculis expeditiones in mari. Item de raptu Ionis, Europæ, Medeæ, & Helenæ.

SVCCEDVNT & alia, non minus quàm ea, quæ iam enarraui, obſcura. Vexores Ægyptiorum Rex, in Scythiam: Tanais Scytharum Imp. in Ægyptum, ſolâ propagandi Imperij causâ, primi deſcendêre. Superiores Scythæ, naualibus prælijs Ægyptiis attritis, à Mæotide ad Syriacum, Creticúmque, & Ægyptium pelagus propagauerunt nouum Imperium; cui Caſpium mare, Aſſyria, Aſiáque tota, Nino debellato, acceſſit. Vxor Nini Semiramis in Indiam expeditionem parans, ad oras Cypri, Syriæque, & Phœniciæ, II. M. nauigiorum conſtruxit, deportauítque curribus, tergíſque camelorum diſſoluta, ad Indum flumen. Scaurobates, ſiue, vt Diodoro placet, Starobates, Indorum Rex, claſſem lemborum IIII. M. ex harundinibus, oppoſuit reginæ, quæ de carpentis, in alueum Indi, ſuam quoque claſſem coniecerat, impleuerátque milite. Concurſum eſt medio in flumine, Indi victi, capteque naues M: occupatæ inſulæ, quas interlabens fluuius ripis ſuis eripuerat, eáſque coërcebat Semiramis ſublicio ponte: quæ, ſi eadem fortunâ domi vſa fuiſſet, haud dubiè fortis fœmina Heroum geſta ſuperaſſet. Hic temporum, rerúmque ſeriem in tantâ antiquitate vacillantem reperio. In Ægypto Scytharum colonias, in Scythiâ Ægyptiorum. Danaum apud Græcos, qui Ægyptius erat, ſicut & Amaſim regnaſſe in Ægypto; cùm Græcus eſſet. Ionas, Sardiniam, & Corſicam, à Sardo, & Cyrino Herculis filiis, denominationem ſumpſiſſe. Tyrios, Phœnicum colonos, Cretenſium verò, Troianos. Vnam è Vulcani inſulis, quæ ad Septentrionem Siciliæ obtenta eſt, Liparum Auſonis Italiæ Regis filium primum occupaſſe, nomin̄que ſuo adoptatam, Lipaream appellaſſe. Thuſcos deinde cum Liparenſibus nauali prælio congreſſos, victos, & profligatos, captas naues, earúmque decimas ad Apollinem Delphos miſſas. Ab Æolo, qui ventorum rationem primus docuit, Æolias quoque Inſulas nuncupatas lego. Tyriorum ve-

Pompeius Trogus hiſt. lib. 1.
Diod. l. 2. c. 5. & 11.
Agathias pro Vexore, Seſoſtrim nominat, Iordanus lib. de reb. Geticis Veſogim, & pro Tanai Taunaſim.

Sabell. Ennead. 2. lib. 4.

Fazell. initio rer. Sicular.

Sabell. Enn. 1. l. 4.

cuſtiſſimas v‥es in Africâ, Carthaginem, Leptim, Vticam, & extra terrarum confinia Gades. Ægyptum ab Ægypto Rege: Ciliciam, & Phœniciam, à Cilice & Phœnice Europæ fratribus, denominatas. Tithonum Laomedontis, Ilij Regis, filium, in Æthiopiæ extremis verſus mare, Memnonem genuiſſe, qui poſtea Æthiopum claſſem in auxilia Troianorum aduexit. Battum duabus triremibus in Africam nauigauiſſe, è Thera, inſulâ Aegei maris, iuxtáque Cyrenem Zoam oppidum condidiſſe. Bellerophontem naui, in cuius prorâ equus alatus, in Lyciam aduectû, vnde Pegaſi fabula. Herculem, & Theſeum in Amazonas IX. longis nauibus vectos. Amazonas contra, Pręfecto claſſis Penaxagorâ, Scytharum Regis filio, in Atticam aduerſus eoſdem deſcendiſſe, locúmque vbi caſtra poſuerunt, Amazonium vocatum: cùm iam ante hoc bellum armiferæ fœminæ per Thraciam vſque ad Cimmerium Boſphorum penetraſſent, multâ Aſiæ, atque Europæ parte occupatâ. Eas Scytharum progeniem, qui Plino, & Scolpytho ducibus, in orâ Cappadociæ, iuxta amnem Thermodoonta, victis incolis, conſederant. Alij earum Amazonum ſobolem fuiſſe, quæ longè antea Heſperam Inſulam, vltra Gades in Oceano poſitam, Tritonidíſque paludem, Aethiopiæ conterminam tenuerunt, cum inſulis maris Atlantici: quæ etiam Myrinâ Reginâ duce, Libyâ peragratâ, meauerunt in Aegyptum, firmatáque cum Oro Iſidis filio amicitiâ, Arabiam, Syriam, Ciliciámque dom‥uerunt: inde proſtratis Phrygis, cùm ad Euxinum deſcendiſſent, finem Imperij, Caicum flumen fecerant, ínque Dorìcticâ Prouinciâ maritimas vrbes ędificauerant, Ninam, Cymem, Pytamem, & Pryneam: in Leſbo inſulâ, Mytilenem. Paulò ante hæc tempora, celebrabatur Bacchus, qui è Nyſâ Arabiæ Fœlicis ciuitate, in quâ regnabat, ſoluens, Rubri maris littoribus adiacentes populos ſubegit, victíſque, Indis, tigribus ad currum admotis, triumphauit, monumentúmque victoriæ, quâ ſeſe in Oceanum Ganges pręcipitat, columnas duas erexit, in vicinis montibus. Acceperant Sinus Perſici, atque Arabici accolæ imperium, Syriáque tota victori parebat: Ariadnâ in Diâ inſulâ raptâ, non procul à Naxo à Tyrrhenis piratis victus, & captus, cùm eos vino largius infuſo ſoporaſſet cymbâ in patriam elapſus rediit; vbi Arabes Phœnicéſque, mercaturam, nauigationem, & ſyderum ſcientiam docuit.

Trogus hiſt. lib. 2. Diodorus lib. 3. & 4. Notū iſtud, Amazonas caſtis viris, rareſcente numero, à vicinis concubitum petiiſſe, fœmininum ſexum ſeruaſſe, reddidiſſe maſculos patribus, vel occidiſſe. ita apud eas deteſtabile puerperium erat, quod vbique conſtat eſſe votiuū.

Dionyſius de ſitu Orbis. Nonnius in Dionyſiac. Diodorus lib. 3. & 4. Oroſius lib. 1. Herodoti Clio.

Ouid. Metam. lib. 3.

> *Non erat hic regimen dextrâ moderante carinæ*
> *Flectere, & Oleniæ ſydus pluuiale capellæ,*
> *Taygetémque, Hyadáſque oculis, Arctónque notare,*
> *Ventorúmque domos, & portus puppibus aptos.*

Ob id, quòd in eâ peregrinatione triennium conſumpſit, ſacra Trieterica in eius honorem Gręci inſtituerunt. Scilicet hic Io-

nium

nium pelagus lentauerat,Ninóque in Indiâ victo, in Gręciâ Pentheum, in Thracia Lycurgum domuerat, vnde ingens debellatoris fama. Comites in eâ expeditione habuit, Opheltem, Medona, Dictyn, Libyn, Melanthum, Alcimedonta, Epopeum, Lycabam, Proreum, & Ethaliona. Nec ille in Phœnicibus inſtruendis inutilem, atque infructuoſam operam locauit, inſtruxítque nauigandi legibus, accuratâ, & perſpicaci demonſtratione. Iſti quippe Syriaco, Ægyptiacóque mari peruagato, negociationis prętentu, in Græciam mercibus expoſitis, Ionem Inachi Argiuorum Regis filiam rapuerunt, Iſidémque eam, poſtquam in Ægyptum venit, appellauerunt. Hoc exemplum Cretenſes ſequuti, & ipſi Europam Agenoris filiam è Phœniciâ vi deduxerunt. Græci poſtea è Colchide Medeam, & Troiani tandem è Gręciâ Helenam, famoſi argumentum belli. Et Ionium quidem mare ab Ione Inachi filiâ dictum eſt,vel ab Ionibus, qui raptoribus reſtiterant, eo abſorbtis: creditáque eſt Io, ſiue Iſis, ab Ægyptiis, quòd ſine tempeſtate Aſiæ, atque Europæ maria tranauiſſet, tandémque ad Nili oſtia feliciter perueniſſet,tempeſtatum Dea, & numen ſalutare nauigantibus. Quam Phœnicum fraudem cùm Iupiter Cretenſium rex animaduertiſſet, nauem conſcendit, quæ in prorâ effigiem tauri præferebat, vnde Poëtæ mutatum in taurum, Europam Agenoris filiam tergo ſuo per mare portaſſe finxerunt. Raptâ Europâ Agenor ducibus filiis, Cadmo,& Thaſo, claſſem inſtruxit, eáque diuiſâ in diuerſas Orbis partes dimiſit filios, ſi ſororem raptam non inueniſſent, nuſquam redituros. Thaſus ſorore nullibi inuentâ, in Inſulâ maris Ægæi, Thraciæ oppoſitâ conſedit, fecítque huic de ſuo nomine nouum nomen; nam antea Plate vocabatur: Cadmus verò permanſit in Gręciâ, & duce boue Thebas condidit, ob id Bœotias appellatas,quæ & origo regionis Bœotiæ creditur. In ſolatiũ patris lugentis, Europam Cretenſes Deam fecerunt. At Medeæ nihil eiuſmodi contigit, à Colchis, Gręciſque pariter exoſæ.

Luciani in dialogo Zephyri,& Noti. Agatarchides in reb. Europic. Muſaus in Titanograph. Calimachus de habitatis inſulis. Nicander lib. de Europâ.

Æta Solis filius Corinthi regno neglecto, Corinthiorum coloniam Colchos detulerat, ibique regnabat, Idyiâ Oceani filiâ in matrimonium ductâ, è quo Medea. Hæc nubilis erat, cùm Iaſon Peliæ iuſſu in Colchidem expeditionem parauit, ad aureum vellus, quod fuiſſe volunt, Crij (arietem Gręci interpretantur) Phrixi gubernatoris, pellem auro impletam, vel ſaltem tectam: aut philoſophici lapidis conficiendi artem in arietis pelle ſcriptam: aut theſaurum à Phrixo aduectum; à Phrixo Phrygia appellata, & oppidum Phrixium in confinio Colchidis, iuxta mare. Nonnullis placet aureum arietem, in nauigio Phrixi pro inſigni poſitum: aut velleri arietino argumentum feciſſe auri fodinas, quibus olim Colchis nobilitabatur. Lex tum per totam

Apollonij Scholiaſtes in lib. 1. & 2. Argonautar. Apoſtolius cent. 13. Prouerb. 46. Diodor. Sicul. lib. 4. Suidas, Strabo libro 11. Appian. in Mithridatico. Plin. lib. 5. cap 5. Plutarch. in Theſeo. Apollodor. l. 1. Orphaus in hymn. Valer. Flacc. lib. 7. Argonaut. Pauſan in Bœoticis. Hygin. cap. 14.

Gręciam

Grçciam publicata erat, ne quis longis nauibus prӕter Iaſonem vteretur, quem ducem in piratas, & ad cuſtodiam orӕ maritimӕ Grçci ſelegerent: tum ab eo Argo artifice quinquaginta remorum nauigium fabricatum, vocatúmque Argos, quíque Heroas in eam intrauerunt, Argonautӕ: quorum ſinguli ad ſingulos remos ſedebant. Linceus ſpeculator in corbe erat, maria perluſtrans: Iaſon in prorâ, nauis magiſter, & gubernator Tiphys, in puppi:

Qui maris inſidias, claræ quæ ſydera noctis
Norat, & è clauſis quem deſtinet Æolus antris.
Non metuat cui regna ratis, cui credere cælum

Hic cum morbo apud Mariandinos in Propontide extinctus eſſet, ſucceſſorem in gubernandâ Argô Ancæum habuit, Neptuni filium, vel, vt aliis placet, Erginum. Naupegus erat Argus, cui curæ, *-------ne quâ*

Parte trahat tacitum puppis mare, fixáque fluctu
Vel pice, vel molli concludere vulnera cerâ.

Celeuſtes Orpheus,

-----qui carmine tonſas
Ire docet, ſummo paſſim ne gurgite pugnent.

Apollonius lib. 2. Strabo lib. 7. & 11. Plin. lib. 3. cap. 26. Ouid. Triſt. lib. 3.

Vates, Mopſus & Idmon. Fuêre Hercules, Caſtor Pollux, Theſeus, aliíque Diis geniti, ad remos. Hi primùm ex Aphete ad montem Athon, tum Samothraciam, Sygæúmque promontorium ſalutantes, Lemnum inſulam applicuerunt: Cyzicum deinde, Cium, Bebryciam, Iberiam, Syrtémque Libyæ, vbi templum condiderunt, quod Herculi poſtea fuit conſecratum, quia in certaminibus eo loci ab Argonautis celebratis, victor Hercules proclamatus fuiſſet. Demum cùm ob Syrtium naturam nauigare non poſſent, dicuntur illi nauim ſuam per XII. dies humeris portaſſe, donec mare rurſus inuenientes, expeditionem nauticam continuarent. Ad Theram inſulam tempeſtate excepti, cùm volatiles flammæ ſupra capita Caſtorum viſæ fuiſſent, crediti poſtea ſunt nauigantibus propitij, viſis flammarum linguIis, quæ hodie S. Helmi vocantur; ſalutares, ſi geminæ: exitiales, ſi ſingulæ apparuerint, exiſtimantur. Nondum Achaiæ nomen in vſu erat, Achæi in eam regionem de Argo naui expoſiti, nomen dederunt terræ. Reca & Amphiſtratus Lacones, Caſtorum aurigæ, Heniochiam vocauerunt, nam apud Grçcos Heniochus auriga eſt. In Thraciâ Argonautas Phineus ſuſcepit, liberatus ab Harpyis, eós iter in Colchidem docuit. Inde Strophades prçteruecti, Cyaneáſque petras, quæ Symplegades, ſiue concurrentia ſaxa, vocantur, vitatis Bithiniæ, & Salmideſſi piratis, ad Tyniadem inſulam, Mariandynos, Achureſiam, montéſque Paphlagonum peruenerunt. Mox Enetorum vrbem, Carambim,

rambim, Halym, Irim, Themiſcyrum, agrum Dęantem, Cappadociam, Chalybes, Tybarenos, Moſtynes, Aretiadem, Stymphalidum inſulam, Macrones, Phylires, Bechiros, Saphires, Byzeres, ac Phaſim fluuium, qui per terram Circæam fluebat, adiuerunt. Omiſsâ demum vrbe Cytaide, venerunt in Colchidem, è quá Iaſon Medeam ſimul, vellúſque aureum Iolcos deuexir, prius in Iſtrum, deinde iterum humeris naue tranſmiſsâ, in ſinum Adriaticum nauigans, vbi Abſyrtho Medeæ fratre claſſe victo, eas Inſulas, in quarum conſpectu pugnatum fuit, Abſyrtides appellauir. Alij volunr cęſum à Medeâ Abſyrthum, in ſcopulo, qui Pontico pelago adiacer, & ab eius ſectione, ſeu laceratione, vrbem Tomos vocatam, quæ poſtea eo loci ædificata ſurrexir, Ab Abſyrtidibus Inſulis, Iaſon in Sardoum mare proſperis flatibus delatus, Syrenum ſaxis prętermiſſis ad Drepanum inſulam, quæ poſtea Corcyra nuncupata eſt, incolumis euaſit. Hîc à Colchis raptorem inſequentibus, bello petirus, victúſque maririmo, & penè caprus, ab Alcinoo, Phæacum in Corcyrâ Rege, defenſus eſt, qui Colchis Medeam repetentibus, ira demum eam ad eos redituram pronunciauit, ſi intacta ab Iaſone fuiſſet: quam cùm Iaſon vxorem dixiſſet, Colchi re infectâ ad Æetam remigrare veriti, in Illyrico ſinu habitauerunr. Tum continuatâ nauigatione Argonautæ è Corcyrâ in Lybiam, poſt in Cretam, è Cretâ in Æginam, & Locridem, in Theſſaliam tandem peruenerunt, nauímque, quâ rot maria luſtrauerant, in Iſthmo Corinthiaco Neptuno conſecrauerunt, vbi poſtea in honorem Dei, maximo totius Gręciæ concurſu, Iſthmia celebrata. Inſtituta & ab iiſdem alia certamina ſingulis quinquenniis celebranda, in Eleorum regione, iuxta Alpheum fluuium, Olympio Ioui ſacra, indéque ratio computationis annorũ apud Græcos per Olympiadas incepit. Aliqui ſcribunt, Argonautas è Colchide fugientes, ab oſtio Phaſidis ad dexteram ripam curſum flexiſſe, pérque Cymmerium Boſphorum Mæotim ingreſſos, mox per Tanaim aduerſo flumine, cùm ad eius fonres veniſſenr, aſportatam humeris nauim Oceano dediſſe, totámque Europam deinde circuiuiſſe, pérque Gaditanum fretum ſolum patrium tetigiſſe. Decantata toties à poëtis & hiſtoricis expeditio, ab aſtrologis quoque cœlo donata eſt; in quo nauim Argó iuxta Phrixi arietem collocant.

Diodor. lib. 4 c. 4.

Apollonius & Orpheus in Argonautis.

------Oceano vaga ſydera ſurgunt
Exertáque Aries caput, & fera cornua quaſſans
Incipit in gelidos ſeſe obiectare Triones.
Illinc auratâ nitet olim texta figurâ
Nauis, & ipſa ſuo ſpumeſcunt cærula fluctu.
Aurea materies, & clauo nexilis aureo.

Ponian. Vran. l. 3.

B   *Ipſa*

Ipſa quidem memor aduectæ de Colchide pellis
Quadrupedem obſeruat, verſáque in vellera puppi
Prora latet, malóque ſuis ſpectabilis aſtris,
Proſpectat ditem felici vellere lanam,
Quam cælo pater impoſitam regnare per vndas
Iuſsit, & eſſe polo voluit, quo noſtra moueret
Pectora, culcandóque mari, remiſque agitandis,
Mercibus & peregrè per littora curua petendis.

Dares Phrygius de excidio Troiæ. Dionyſ. de ſitu Orbis. Diodor. l. 4. c. 3.

Ceterùm non omnes illi LIV. Argonautæ Colchos peruenerunt, multis in itinere aut morbo, aut alia de causa abſumptis: inter eos Hercules, dum Hylam deſiderium ſuum Nympharúmque, in Mœſiâ quærit, iuxta Aſcanium flumen raptum, cum Telamone, Theſeo, & Polyphemo eo in littore à ceteris relictus eſt. Vbi ab incolis IX. nauibus acceptis, ad Thermodoontis oſtium applicuit, & Amazones vicit. Troia inde captâ, collectáque in Cretâ, & ampliatâ claſſe, contra Geriona in Iberiam nauigauit, vtráque Fretum Gaditanum victi Gerionis boues in Inſulam Oceani Gadiram deuexit: * cum columnas duas Calpen & Abylen, fines Africæ, atque Europæ, in extremo freti, quod ab eo Herculeum poſteritas dixit, collocauit. Inde victor in Libyam, Italiam, Siciliam, & Erycem appulit; piratis Ionio mari fugatis, Mycenas ad Euryſtheum rediit, à quo iuſſus aurea Heſperidum poma rapere, iterum longam nauigationem ſuſcepit, emenſóque Adriatico ſinu, in Thuſciam, Liguriam, Galliam, Libyámque deſcendit. In iis oris multa virtutis, & fortitudinis egregia facinora edidit, in Libyâ, Anteum ſuffocauit: in Ægypto, Buſirim mactauit, ad aras Neptuni: obtruncauit in Arabiâ Emathionem, Coon inſulam diripuit, cum Acheloo in Calidone depugnauit, Perechmum Eubœæ regem profligauit, Cycadas è finibus Locridis expulit, in Phlegræis campis Gigantes debellauit. Tandem tot laboribus exantlatis emeritam clauam Mercurio ſacrauit, Poligij cognomine. Hanc in tellurem actam radices ſumpſiſſe, & pullulaſſe, ſcribunt, in oleam; vt ex bello pacem naſci intelligeremus. Per Iolaum claſſis præfectum Theſpiadum Colonias in Sardiniam deduxit. Per Oileum Amphiarai filium, Laomedontem in Troiano littore, nauali certamine attriuit. Poſt hęc Hercules ad inferos deſcendit, id eſt, mortuus eſt, relatúſque in numerum Deorum. His temporibus in Œbaliâ Helena fuit, à Theſeo Herculis ſocio primùm rapta, poſt à Paride, qui cum XX. triremibus ad repetendam Heſionem, quam Telamon ſecum in Gręciam vi aduexerat, miſſus à Troianis, cum theſauris Menelai mariti Helenèm in Ægyptum raptam deduxit, ad Canopicum Nili oſtium, iuxta Herculis phanum, quod fugitiuis aſilum erat. Iratus Protheus Ægypti Rex, raptorem raptámque

** Vide Ludouic. Nonium Hiſpaniæ, c. 10. Quando Hiſpanias à contextu Africæ mare eripuerit. An Iſthmũ perfoderit Hercules, an congeſta humo hodiernas anguſtias fecerit: an Calpe & Abyla ante Herculem fuerint: aliáque ad eam rem pertinentia.*

Pauſanias in Laconicis. Herod. in Euterpe.

ptámque in Aſiam fugere compulit, in itinere ob ſtuprum Helenæ in Inſulâ Cranaë illatum, ea Inſula Helene poſtea vocata eſt.

CAPVT TERTIVM.

Græcorum apparatus maritimus. Errores Vlyſsis & Æneæ.

GRÆCI, Iniuriam à Paride acceptam vindicaturi, bellum in Troianos per quinquennium parauerunt. Duces expeditionis fuerunt LXIX. claſſes XXVIII. naues MCXL. Bœotos Penelas, Leytus, Archelaus, Protenor, & Colomus, L. nauibus vexêre, in vnaquaque milites CXX. erant. Aſcalaphus & Ialmenus XXX. naues habuerunt, ex Aſplenâ & Mineâ vrbibus milite conducto. Phocenſium claſſi, quæ XL. triremibus conſtabat, Scedius & Epiſtrophus imperabant. Totidem Locros vehebat Aiax Oilai filius. Totidem Elephenor Albanos. Totidem Athenienſes Mneſtheus. XII. omninò naues erant Aiaci Telamonio. Signa Diomedis, Stenelli, & Euriali ſequebantur. Argiuorum, Tyrinthiorum, Threſenorum, Eronenſium, Epidauriorum, Æginentium, & Maſſetorum naues LXXX. Micenæ, & Corinthus, aliæque vrbes claſſem ç. nauigiorum Agamemnoni miniſtrauerant. E Lacedæmone LX. Menelaus, cuius causâ tantum bellum parabatur, eduxit. E Pilo LXX. Neſtor. Ex Arcadiâ LX. Agapenor, celebris iam tum pirata, qui ob id poſt Agamemnonem imperium in omnes claſſes habebat. Amphimacus, & Talpius, cum duobus aliis fratribus, Epeiorum claſſis, quæ XL. nauium erat, duces erant: Meges, Dulichiorum, quibus nauigia XLIX. Præerat Cephaleniis Vlyſſes, qui XII. nauibus vehebantur. Thoas Ætholis, qui XL. Idomeneus Cretenſibus, qui LXXX. Tlepolemus Rhodiis triremibus IX. Nireus Cunæis III. Phidippus & Antippus Niſirienſibus XXX. Achilles L. Mirmidone impleuerat. Protheſilaus Philaciis XL. Eumeles Phereis XI. Philoctetes Thaumaciis VII. Podalirius & Machaon Triceiorum XXX. Sub Euripilo XL. naues erant, tracto milite è iugis Tetanis. Polipeto parebant ex Argiſsâ proximíſque vrbibus locata nauigia XL. Pereboiis æqua claſſis erat ſub Guneo: æqua quoque Thentredoniis & Peneis, ſub Prothois duobus. Is numerus claſſium, nauiúmque Græcis. Et primùm quidem à Troianis, qui in littore erant, tantus naualis exercitus repulſus, in Cherroneſum retro nauigauit, vbi prędantium more, maritima Troia-

Dares Phrygius. Dictys Cretenſis lib. 1. belli Troiani. Homer. Iliad.

norum oppida depopulatus eſt, mox noctu in Ilienſium portum deſcendit, quo ab Hectore reiectus, varia deinde fortunâ pugnatum: donec Hectore & Achille cęſis, Græci iterum exuti caſtris in Cherroneſium fugerunt. Erant Ilienſium, qui Cretenſium coloni ſunt, res in eo ſtatu, cùm Amazones Pentheſileâ duce, ex Ponto; Yphidamas è Thraciâ, Memnon ex Æthiopiâ, magnis claſſibus ſuppetias Priamo venerunt: Græcis verò Pyrrhus è Scyro Inſulâ, Philoctetes ex Lemno, quibus firmati auxiliis, Troianam iſti terram repetunt, vbi poſt varia prælia fœdus factum, quo Gręci pro eâ pecuniâ quam Priamus ſibi dari poſtulabat, ob bellum iniuriâ illatum, Iliacæ Mineruæ opus memorabile ſacrare atque offerre debebant. Hoc equus erat, cum hoc titulo: ACHIVI MINERVÆ ILIADIS SACRVM. Vnde ſumpta eſt à Poëtis materia, vt Troiam equo captam memoriæ prodiderint. Pliniusbellicâ machinâ, quâ muri olim vrbium diſiiciebantur, captam Troiam aſſerit, forſan illi ęnea capitis equini figura, quæ poſtea arietis apud Gręcos, Romanóſque fuit, Epeo opifice. Ceterum cùm Græci patriam ſuam repeterent, tempeſtatibus excepti, longos errores, aut naufragia paſſi ſunt. Diomedes & Menelaus in Ægyptum ventis acti, primus exiguas inſulas Diomedeas vocauit. Petilia in Brutiis Philoctetæ opus traditur: & Idomenei Cretenſis loca quædam oſtenduntur in Salentinis. Fuit & Cypria à Salamine Teucro condita, & circa Nili oſtium Canobum, ſiue Canopus, de nomine gubernatoris, qui Menelai nauem moderabatur, appellatum oppidum. Sed inter omnes Gręcos longis & vagis erroribus celebratur Vlyſſes. Hic è Troiâ ad littus Ciconum venit, vbi multis ſuorum terreſtri & maritimo prælio cæſis, tandem cedere coactus eſt: cúmque iam Ithacæ proximus eſſet, ingruente vento, in Africam delatus, ad Lotophagorum regionem appulit. Hinc Siciliam, Æoliáſque inſulas tenuit. Dein ad Lęſtrygonas ferociſſimos Campaniæ populos, Circeémque, Æęæ inſulæ reginam, acceſſit, è quâ Telegonum & Ardeam genuit; hęc, Ardeam; ille, Tuſculum, in Italiâ poſtea condiderunt. Relictâ Circe, prętemauigatis Syrenum Inſulis, Scylláque, & Charybdi in Siciliæ orâ, ſociis tempeſtate raptis, ad Ogygiam Inſulam deiectus, è Calypſone nymphâ Auſonem, à quo Italia Auſonia dicta eſt, filium habuit. Æoliis inſulis Siciliæ proximis tunc temporis imperabat Æolus, à quo Vlyſſes ventos vtre claſſos, hoc eſt, in pelle arietina deſcriptam chartam marinam accepit. Inde iuxta Phęacum littus ruptâ rate, naufragus, à Nauſicaâ Alcinoi filiâ veſtes accepit. Ab Arete verò Alcinoi vxore, naues, & ſocios, quibus comitatus, in Ithacam expoſitus eſt. Neque ob id tutior in patriâ permanſit, trucidatis quippe Penelopes procis, à Neoptolemo

Natal. Comes Mythol. lib. 9. cap. 1. Sabell. Ennead 2. lib. 7 Dictys Cret. belli Troiani lib. 6. Homer Plutarch. rer Græc. l 4 & 14. Tzetzes in Lycophront. Parthen. in Eroticis, cap. 3. Solin. c. 25. Strabo lib. 3. Tacitus de morib. Germanor.

ptolemo in exilium damnatus, Italiam adiuit, agrúmque Tyrrhenorum Gortyniūm incoluit. Alij eum in Epyrum relegatum volunt. Pulſum aliqui ſęuitiâ maris in Britanniam Inſulam, trāſmiſſo Herculeo freto, iterum Italiam petiiſſe, & in Luſitanicâ Oceani orâ, Vlyſſiponem vrbem erexiſſe. Eius aduentus in Germaniam monumenta monſtrari, aliiſque terris Britanniæ oppoſitis. Nec Græci tantùm, ſed & ipſi Troiani Neptuni iras ſenſerunt, inter quos maioris famæ eſt Æneas, qui poſt Troiæ excidium, collectâ claſſe, ab Antandro in Thraciam traiecit, vbi de ſuo nomine vrbem ędificauit: inde Cherroneſum, quæ Pallene dicta eſt, preteruectus, à Cruſis barbaris hoſpitio ſuſceptus, hyeme tranſmiſſâ, Veneri Genitrici templum dicauit. Hinc in Delum delatus, Cytherámque, Ortygiæ portum relinquens, Naxon, Donyſam, Olearon, Paron, Cycladas, & Cretam adiuit, in quâ Pergameæ vrbi fundamenta dedit. Salutatâ ab alto Italiâ, Strophades, Ithacam, Samem, Dulichium, Zacynthum aut intrauit, aut vidit. In Ambracio ſinu ſtationem habuit, Leucadióq; Apollini in Leucatæ promontorio ſacrificauit. Inde Phęaciam, Epyrúmque legens, Butrotum vrbem aſcendit, vbi Helenus Priamides cum Andromachâ vxore, tempeſtate in eas oras pulſus, Chaonium portum à Chaone Troiano denominauerat, oppidúmque Pergamum; & arcem Iliacam conſtruxerat, riuóſque duos Xanthum & Simoënta dixerat, portis quoque Pergami eadem nomina indiderat, quæ Troiæ antiquæ portis fuerant. Sic denique Æneas Ionio pelago emenſo, in eam Italiæ partem peruenit, quæ Magna Gręcia vocabatur. De eius & Didus amoribus fabuloſum puto. In Siciliâ Anchiſem patrem āmiſit, vbi iam Helimus, & Ægeſtus, Troianorum Duces peruenerant, cum Aceſte, à quibus Ilium, Ægeſta, & Helyma vrbes conditæ. Portum in eadem Siciliâ de Palinuri nauis rectoris naufragiô, vocauit, Leucoſiam, Caietam, & Miſenum, de nominibus, mulieris amatæ, nutricis, & tubicinis. Probabile eſt ideò Poëtas finxiſſe Æneam, Herculem, Theſeum, Pyrithoum, Vlyſſem & Orpheum, ad inferos deſcendiſſe, propter longinquas eorum nauigationes, quibus à conſpectu hominum diu ſeparati, mox reduces, exiſtimati ſunt eò perueniſſe, vbi animæ poſt mortem degunt: pręcipuè cùm & ipſi qui nauigauerant, beatas & fortunatas inſulas, Elyſios campos, nudóſque inſulares, & ſolo terrarum beneficio ſine ſudore viuentes, memorarent. Troianorum item proles putantur & Coloni Patauij, Heneti, aliique Illyrij & Adriæ incolæ. Succeſſit excidio Troiano Phæacum excidium, quos in ſuo ſolo domitos victores Corinthij ſocios fecerunt, vrbémque ibi Corcyram condiderunt, è qua Corcyra inſula vocari cœpta eſt, conditoribus ſuis ſemper infenſa, déque cladibus ſuis. Phœnicis in

Dares. Liuius. Dionyſ. Dion. Virgil. Æneid. 3. Ouid. Metam. 13.

Strabo lib. 1.

morem fortior exſurgens. Celebris tunc erat Ophyr Inſula, quam aliqui Auream Cherſoneſum, alij negant noſtro ſęculo inueniri, Salomonis Regis Iſraël expeditione, Tyriis claſſiariis nauigia Iſraëlitarum moderantibus.

CAPVT QVARTVM.

Perſarum, & Græcorum res in mari geſta, neque ad bellum Peloponneſiacum.

Herodot. lib. 1.
Thucyd. lib. 1. c. 1.

OLYMPIAD. LVIII.

POST hæc tempora Cimmerij, mox Lidij Gręciæ captiuitatem fecerunt, Gyge, Ardye, Saddiate, Hallyatide, Cræſóque regnantibus. Iam Aſſyrij Orbis Imperium amiſerant, iam illis ſucceſſerat Medus, iam Medorum Rex Cyrus Lydos ſubegerat, cùm iſte occupandæ Gręciæ cupidus Arpagum præfectum in Phocenſes miſit, qui prælio victi (in quo primi omnium Gręcorum longis nauibus non roſtratis, ſed Penticonteris, hoc eſt, lembis quinquagenum remorum vſi ſunt) pulſi patriâ, Corſicam habitarunt, infenſi Tyrrhenis, & Carthaginienſibus, quos in mari Sardoo nauali pugnâ vicerunt, Maſſiliámque in littore Gallico condiderunt. Harpagus Phocenſibus debellatis, omnes populos ad Ionij maris littora iacentes, ſuperauit, Teïos, Caras, Caunios, & Lycios. Cyro Cambyſes, Cambyſi Magus, cui Comaris nomen, Mago Darius Hyſtaſpis filius ſucceſſit. Hic, vt Scythis bellum inferret, Iſtrum ponte coniunxit: inde Aſiam, & Macedoniam domuit, Gręciam occupare volens; Democedem Crotonienſem cum exploratoribus miſit, qui celocibus vecti, omnia Gręciæ maritima curioſè luſtrarunt, ſtationéſque, portus, & munimenta tabulis mandata deſcriptáque Dario tradiderunt, quſ mox per Oſthanem, pręfectum claſſis, Samum occupauit priuſquam Ionas adoriretur. Eſt autem Samos Inſula in orâ Ioniæ, inter Miletum, & Chium, Parthenias olim dicta, poſt Hydruſa, inde Anthemuſa, Melamphylus, & Cypariſia: hanc Cares primi habitarunt, poſt Iones: ex Ithacâ etiam & Cephaleniâ celebris Inſula cultores habuit. Dum Cambyſes Perſarum Rex, pater Darij, Aſiæ Imperabat, Samum tenebat Polycrates tyrannus, qui centum nauibus potens, vtramque Ægei maris oram cum interiectis Inſulis dominio ſuo coniunxerat: Leſbios, qui aduerſus eum opem Mileſiis laturi venerant conflictu maritimo fugauerat, ſub illo tempore, quo Cambyſes in Ægyptios mouebat, cui ingentem Samiorum claſſem auxiliarem miſit, multitudine exoneraturus Inſulam, ſéque viris ſuæ dominationi infenſis leuaturus.

Trogus lib. 1.

Sabellic Enn. 1. l. 7.

leuaturus. Senſerunt Samij tyranni artificium, progreſsíque in Carpathium vſque mare, retrò curſum flexêre, ſed cùm in littus patrium deſcendiſſent, à Polycrate pedeſtri pugnâ ſuperati, Lacedæmonem nauigauerunt, hinc Siphniorum terras vaſtarunt, cúmque ab Inſulanis pugnâ victis, centum talenta expreſſiſſent, Zacinthiis Cretâ fugatis, ibi Cydoniam fundauerunt, & in Thyrreni maris orâ Dicæarchiam. Is Samiorum ſtatus erat, cùm eorum Inſulam, cęſo iam Polycrate per OEretem Cambyſis ducem, Darius ſubegit, Oſthane in eam miſſo, alij hunc Othanem vocant.

Idem lib. 8. dictæ Ennead.

Ex hac Inſulâ Mandrocles fuit, author, & inuentor Boſphori Thracij nauibus ſternendi, per quarum tabulata in Græciam primùm Perſarum exercitus traiecit. Interim Oſthanes Darij naualibus prępoſitus, Byzantios, & Chalcedonios capit, & in Troade Antandrum, nouáque claſſe à Leſbiis acceptâ, Lemnum, & Himbrum, à Pelaſgis habitatas, ſubigit. Parte verò ex aliâ Athenienſes Ionibus iuncti Gręciæ totius libertatem contra Perſas tutabantur, variíſque maritimis pugnis nunc attriti, nunc atterentes, in pendenti victoriam relinquebant.

Trogus lib. 2.

Iam quoniam ad bella Athenienſium ventum eſt, quæ non modò vltra ſpem gerendi, verumetiam vltra geſti fidem patrata ſunt, operáq; Athenienſium effectu maiora, quàm voto fuerunt, eorum origo paucis verbis repetenda eſt. In ſuo ſolo nati ſunt Athenienſes, lanificij, vini, & olei vſus inuentores, ciuilis & bellicæ diſciplinæ ſupra cunctas gentes ſtudioſi, & gnari: ante Deucalionis tempora Regem habuerunt Cecropem: poſt Codrum, nemo Athenis regnauit. Adminiſtratio Reipublicæ annuis magiſtratibus permiſſa eſt. Sed ciuitati nullæ leges erant, quia libido dominantium pro legibus habebatur. Eligitur Solon, qui leges daret.

OLYMPIAD. XLVI. ann. 3.

A Codro ad primum Olympiadem quæ ab Iphito incepit 289 ann. numerantur. A primâ Olympiade ad Solonem 46. Olympiades. A Troiæ obſidione ad mortem Codri 111. A Cecrope ad obſidionem Troianam 300. plus aut minus anni ſecundum Sigonium.

Huius viri, inter multa egregia, & iſtud memorabile fuit. Inter Athenienſes & Megarenſes de proprietate Salaminæ Inſulæ, propè vſque ad interitum dimicatum fuerat. Poſt clades multas capitale eſſe apud Athenienſes cœpit, ſi quis legem de vindicandâ Inſulâ tuliſſet. Sollicitus igitur Solon, ne, aut tacendo, parum Reip. conſuleret, aut cenſendo periculum ſibi faceret, ſubitam dementiam ſimulat, cuius veniâ, non dicturus modò prohibita, ſed facturus erat. Sic inter fictam inſaniam, inſolitis ſibi verſibus ſuadere populo cœpit, quod vetabatur: omniúmq; animos ita incendit, vt extemplò bellũ aduerſus Megarenſes decerneretur. Interea memores illati ab Athenienſibus belli, & veriti, ne fruſtra arma mouiſſe viderentur, matronas Athenienſium in Eleuſinis ſacris noctu oppreſſuri, naues conſcendunt.

OLYMP. L.

Plutarch. in Solone.

Quâ re cognitâ, dux Athenienſium Piſiſtratus, iuuentutem in inſidiis locat, iuſſis matronis ſolito clamore & ſtrepitu, etiam in acceſſu hoſtiũ, ne intellectos ſe ſentiant, ſacra celebrare, egreſſóſque nauibus Megarenſes

ſes

ſes inopinantes aggreſſus, deleuit: ac protinus in claſſem vacuam, miſſo milite, intermixtis mulieribus; vt ſpeciem captiuarum matronarum pręberent, Megaram contendit. Ciues cùm & nauium formam, & petitam prædam agnoſcerent, obuij ad portum procedunt: quibus cęſis, Piſiſtratus paulùlum à capiendâ vrbe abfuit. Sed Piſiſtratus, quaſi ſibi non patriæ viciſſet, tyrannidem per dolum occupat: poſt cuius mortem, Diocles eius filius, poſt Dioclem filius alter, Hippias, Athenis regnauit. Hic, regno pulſus, & in exilium actus, profectus ad Perſas, ducem ſe Dario, inferenti Athenienſibus bellum, obtulit. Athenienſes audito Darij aduētu, non expectato Spartiatarum auxilio, in Marathonis campis Milciade Duce pugnauerunt, contra ſexcenta millia hoſtium. Victi Perſæ in naues confugerunt, è quibus multæ ſupreſſæ, multæ captæ. Inter ceteros Themiſtoclis adoleſcentis virtus enituit. Cynægiri quoque militis Athenienſis gloria magnis ſcriptorum laudibus celebrata eſt: qui poſt prælij innumeras cędes, cùm fugientes hoſtes ad naues egiſſet, hoſtilem nauem dextrâ manu apprehendit, nec prius dimiſit, quàm manum amitteret. Tum quoque amputatâ dextra, nauem ſiniſtrâ comprehendit: quam & ipſam cùm amiſiſſet, ad poſtremum, morſu nauem detinuit. Tanta in eo virtus fuit, vt non tot cędibus fatigatus, non ambabus manibus amiſſis victus fuerit, ſed naui dentibus arreptâ, ceu fera, dimicauerit; donec truncato capite, reliquo corpore periret. CCM. Perſarum eo prælio cecidêre. Cecidit & Hippias tyrannus Athenienſis, author & concitator huius belli, Diis patriæ vltoribus pœnas repetentibus. Interea & Darius

OLYMPIAD. LXXII.

Herodot. 4. 5. & 6.

cùm bellum reſtauraret, in ipſo apparatu moritur, relicto ſucceſſore Xerxe, cui, præter regnum à patre acceptum, Helleſpontios Inſuláſque, & vrbes orarum maritimarum ſubactas, per Megabiſum pręfectum ad Praſiadem vſque paludem, reliquit: Bizantios etiam, & Chalcedonios in Thraciâ; Antandros, & Lamponios in Troade: Lemnum, & Imbrum Inſulas per Oſthanem captas: Cyprios pręterea, Artybio duce victos, & Mileſios, ante quorum mœnia nauali certamine Ionum CCCLXIII. triremes fractæ, & fugatæ fuerant. Reliquit & Xerxi filio Darius. Dardanum, Abydum, Lampſacum, ſingulas ſingulis diebus à Dauriſe Helleſponti maris præpoſito receptas in Perſarum fidem: Cariam quoque, Chium, Tenedum, Leſbum, & alias Inſulas ab Himeâ, qui Dauiſi ſucceſſerat, bello receptas. Duæ omninò clades inſignes Dario fuerant, reliquis partibus, illo fœlici, & victore; vna, in Marathoniis campis; altera, cùm Mardonij claſſem circa Athon montem in Macedoniæ orâ per tempeſtatem amiſit: ſed illæ iacturæ, abundante hominum multitudine, & nauigiorum, inter damna vix numeranda ſunt: cùm ſemper Darius maiori-

bus copiis, etiam victus, quàm victor, ſurrexerit. Igitur Xerxes bellum à patre cœptum aduerſus Grçciam, per quinquennium inſtruxit. Hinc Athon montem, circa quem ante annos aliquot Mardonius naufragium paſſus fuerat, vindicaturus ignominiam, à copiis naualibus quæ ad Eleuntem Cherſonneſi in ſtatione erant, in Iſthmo à continente prçcidi imperat: quinque vrbes reſciſſæ, & ſeparatæ à continenti ſunt, Dion, Olophyxos, Acrothoon, Thyſſus, & Cleone. Euripus claſſiariorum operâ factus, duarum triremium capax. Commeatibus præterea ad mare pari ſtudio deportatis, ipſe, cum toto exercitu à Critallis Çappadociæ, Sardis versùs mouit. Mandat ad hæc, circa Abydum & Seſton, quà vtrunque littus ab altero ſeptem ſtadus diſtat, vt pons Euripo imponeretur, quem iam iunctum, ſubita vis pelagi diſiunxit. Quod vt Xerxi nunciatum eſt, trecenta Helleſponto verbera imperauit, compedéſq; in imum vadû iniici, captiuitatem, & ſeruitium Neptuno ſe imponere ſacrilega vanitate iactitans. Fama eſt, ne qua nota elemento deeſſet, miſiſſe in vadum cum ferro vrinatorem, qui huic mari, ſeruitutis notam, ſtigmata velut inureret. Qui pontem fabricati fuerant, ob id quòd vndarum impetu diuulſus fuerat, extremo ſunt ſupplicio affecti, ventorum culpâ in hominibus vindicatâ. Pons indè duplex æquori impoſitus, DCLXIV. triremibus, biremibúſque cathenis, atque anchoris tenacibus connexis, quibus acerum tabulata inſtrata ſunt, vt per ea, ceu terræ inambularetur, munitis hinc & inde nauium lateribus, ne iumenta fluctuum aſpectu inter tranſeundum turbarentur. Septem dies, & totidem noctes ſine intermiſſione in tranſmittendo exercitu conſumpti. In hoc claſſiarij, & milites qui in nauibus erant, non numerantur. Triremes autem fuère MCCC. & amplius. In quibus Phœnices erant, Cyprij, Cilices, Pamphylij, Lycij, Cares, Dores Aſiatici, Iones, Æoles, & Helleſpontij: quibus præerant, Prexaſpes, Aſpathemis, Megabiſus, Megabatis, Achemenes, & Arabignes Darij filij. Aderant & duces ſingulis claſſibus, qui horum imperio parebant, & in his Artemiſia Ligdamis filia. Periculo, quod imminebat, territi Athenienſes, Delphos miſerunt, qui de futuro ſtatu ciuitatis Deum per Pythiam conſulerent, quibus legatis Ariſtonice Pythia reſpondit.

Iupiter è ligno muris Tritonida donat,
Qui ſoli inuicti tibi ſint, natíſque ſaluti.

Secundùm hoc oraculum imbelli fœminarum virorúmque multitudine in Salaminen Inſulam ſocialem, & amicam tranſportatâ, relictis vrbis domibus, & mœnibus, ex interpretatione Themiſtoclis, Athenienſes ceteri, bello idonei, intra muros ligneos Tritonida, hoc eſt, * ſe, intra naues condiderunt. Tum Lacedçmonio

Sabell. Enn. 3. l. 1.

Diodor. Sicul. l. 11. Herodot. l. 7. & 8. Thucydid. l. 1. c. 8. Trogus lib. 2. Hæc geſta ſunt ann. 1. OLYMPIAD. LXXV.

** vel vrbem ſuam, Athenas, hoc eſt, Tritonida, ſiue Mineruam. Nam vrbs propriè extra vrbem, cum ciuibus vacua eſt.*

moniorum claſſi coniuncti, ſollicitare amicos ſuos in partes ſuas, & auxilia ceperunt: aliqui recuſauêre, alij dedêre: Iones, qui in exercitu Perſarum erant, defectionem medio in certamine Themiſtocli polliciti ſunt. Corcyrei Græcis LX. triremes inſtruxêre, ſed illæ circa Tænaron retentæ, Salaminiæ pugnæ non interfuerunt: nam cùm de aduentu Xerxianæ claſſis Græci cognouiſſent, timeréntque ob imparem nauium & militum numerum, magno & vaſto in mari certamen, non expectato ſociorum aliquorum auxilio, anguſtias Salamini freti, ne çircumueniri ab hoſtibus poſſent, occupauerunt. Ibi cùm diſſenſio interciuitatum Principes orta fuiſſet, & illi deſerto bello ad ſua tuenda dilabi vellent: timens Themiſtocles, ne diſceſſu ſociorum, vires minuerentur, per * ſeruum, quem fidelem nouerat, Xerxi nunciat, eum in locum Græciam conueniſſe, in quo facilè debellari, atque opprimi poſſet. Quòd ſi ciuitates quæ iam abire vellent, diſſiparentur, maiore labore ei ſingulas conſectandas. Hoc dolo impulit Regem ſignum pugnæ dare. Græci quoque aduentu hoſtium occupati, prælium collatis viribus capeſſunt. Interea Rex, velut ſpectator pugnæ, cum parte nauium, in littore remanet. Arthemiſia autem Regina Hallicarnaſſi, quæ in auxilium Xerxi venerat, inter primores duces bellum acerrimè ciebat: quippe vt in viro muliebrem timorem, ita in muliere virilem animum cerneres. Inter pugnandum, captas, & incenſas per Xerxem Athenas, nunciatum eſt Græcis: Leonidem præterea & Spartanos ad Thermopylas terreſtri certamine cecidiſſe, potiri hoſtem viarum anguſtiis. Tum demum cùm anceps quoque prælium eſſet, Iones qui cum Perſis erant, exequuturi, quod Themiſtocli promiſerant, ſubtrahere ſe pugnæ paulatim cœperunt: quorum defectione turbati Perſæ, mox prælio victi, in fugam vertuntur. Multa hoc in concurſu memorabilia fuerunt; collato marte, filij tres Sandaucis, vel vt alij malunt, Sandanis, qui ſororem Darij vxorem habebat, captiui, & ad Themiſtoclem adducti, Euphrantidis vatis iuſſu, Omeſtæ Dionyſio immolati ſunt. Ariſtides Themiſtocli inimicus, eidem in periculo communi conciliatus eſt. Scyllis Scionæus vrinator, qui inter hoſtium claſſiarios erat, ad Græcos transfugit. Ab Aphetis ad Artemiſium, octoginta ſtadia ſub aquis nataſſe dicitur, res fabulæ quàm fidei propior. Hic antea cum filiâ Cyanâ, & ipsâ doctâ vrinatrice, Xerxis claſſem fœdè Magneſiæ ſcopulis laceratam, & ad Aphetas reliquâ ſui parte commorantem, penè totam euerterat, ſciſſis funibus, quibus anchoræ tenebantur, fractis gubernaculis, puppibus, & carinis ferro ſub vndâ terebratis: quo facto, vterque ad Græcos incolumis, & victor natando peruenit: in cuius rei memoriam Amphictyones, patri, & filiæ poſt Salamineam victoriam, ſtatuas dedicarunt,

* *Sicinnum, pædagogum filiorum Themiſtoclis, nominat Sabell. Enn. 3. lib. 2. & Plutarch. in Themiſtocle.*

Pauſanias in Phocaicis.

runt,poſuerúntque in templo Delphico. Satis conſtat medio ardore pugnæ Calidnenſium triremem ab Arthemiſiâ depreſſam, cùm ferre non poſſet puſilanimitatem malè pugnantium. Hæc poſt pugnam euaſit, pulſo Athenienſium Trierarcho, qui fugienti inſtiterat, vitatis etiam iis qui ad eam capiendam inuitati erant,præmio dragmarum XM.Ariſtides pleriſque Athenienſium qui ad Salaminem ſtabant ſecũ aſſumptis,in Pſyttaleam tranſiit, ſubitóque acceſſu barbaros oppreſſit, qui in ſtatione ibi erant. Sic CCCLXXX. Græcorum naues,MCCC.Perſarum vicerunt, innumerámque hoſtium multitudinem, pauci Græci,quibus Euribades Lacedæmonius imperabat; ſuſtinentibus iſtud Athenienſibus,quamuis numero nauium, peritiáque rei maritimæ ſuperiores eſſent, quoniam ſpes omnis victoriæ & libertatis in concordia ſita eſſet. Hac clade perculſus Xerxes,è Mardonij ſententiâ patriam repetit. Sed Græci auditâ Regis fugâ, conſilium ineunt pontis interrumpendi: quem ille Abydo,velut victor maris fecerat,vt interclúſo aditu,aut cum exercitu deleretur,aut deſperatione rerum,pacem victus petere cogeretur. Sed Themiſtocles timens,ne intercluſi hoſtes deſperationem in virtutem verterent, & iter,quod aliter non pateret,ferro patefacerent,cùm perſuadere ceteris non poſſet,ſeruum eundem,quem paulò ante, ad Xerxem mittit, certiorémque conſilij facit, & occupare tranſitum maturâ fugâ iubet. Ille perculſus nuncio, tradit ducibus milites perducendos, ipſe cum paucis Abydon contendit. Vbi cùm ſolutum pontem hybernis tempeſtatibus offendiſſet, piſcatoriâ ſcaphâ traiecit trepidus. Erat res ſpectaculo digna, & ad æſtimationem rerum humanæ ſortis miranda, in exiguo latentem videre nauigio, quem paulò antè vix æquor omne capiebat: carentem etiam omni ſeruorum miniſterio, cuius exercitus, propter multitudinem, terræ graues erant. Tandem Phœniſsâ ſuſceptus naui,curſum in Aſiam tetendit, ac tum furentibus ventis in periculum naufragij adductus, poſcente gubernatore, vt onere nauis ſubleuaretur, nobiles viri, qui ad Regem peruenerant, illo adorato, confeſtim è naui in fluctus deſiluerunt. Idem cùm & alij feciſſent,Xerxes incolumis Aſiam tenuit. Tum ibi gubernatorem nauis,quia periclitantem ſeruaſſet, aureâ coronâ donauit, donatúmque, ob eorum iacturam, qui in ſubiectum mare ſe de triremi deiecerant, capite mulctauit. Sed neque ob id, Græciâ pulſi ſunt Perſæ,claſſis reliqua in Samum tranſmiſit, ibíque hibernauit: Mardonius terreſtribus copiis, cùm oppida multa vaſtaſſet,ad Citheronem Bœotiæ montem deletus eſt, caſtráque eius,referta Regalis opulentiæ,capta. Vndè primùm Græcos,diuiſo interſe auro Perſico,diuitiarum luxuriâ cepit. Eodem fortè die,quo Mardonij copiæ cęſæ ſunt, etiam nauali prælio in Aſiâ,

Plut. in Ariſtide.

Sabell. Enn. 3. l. 2.

ſub monte Mycale, aduerſus Perſas dimicatum eſt. Ibi ante congreſſionem, cùm claſſes ex aduerſo ſtarent, fama ad vtrunque exercitum venit, viciſſe Græcos, & Mardonij copias occidione occidiſſe. Tantam famæ velocitatem fuiſſe, mirabile, vt cùm matutino tempore prælium in Bœotiâ commiſſum ſit, meridianis horis in Aſiam, per tot maria, & tantùm ſpatij, tam breui horarum momento, de victoriâ nunciatum ſit. Confecto bello cùm de præmiis ciuitatum ageretur, omnium ſentẽtia Athenienſium virtus ceteris prælata eſt. Inter duces quoque, Themiſtocles ciuitatum iudicio princeps iudicatus, gloriam patriæ ſuæ auxit, cuius mœnia ex integro condita ſunt, antiquis maiora, ob quod Lacedæmoniis Athenienſes ſuſpecti eſſe ceperunt, nauali etiam extructo, quod Pireæum vocatum eſt, cùm antea Athenienſium nauale Phalerum eſſet. Vexabat interim Athenienſium claſſis oras Ciliciæ, & Cypri, Cimonis ductu, latéque patebat toto mari reſtauratæ vrbis imperium, & iam Ægyptus Atticis opibus fulta, ad defectionem ſpectabat. Debellata q ioque barbarorum claſſis, in Thraciam ſe receperat, Scyrúſque, Cimonis armis ceſſerat, Aſiâque tota ab Ioniâ ad Pamphyliam Perſicis prẹſidiis liberata ab eodem erat; cùm ille obuiam venientibus hoſtibus proceſſurus, quorum claſſi Titrauſtes imperabat (qui prẹlio congredi recuſans, ad Eurimedontem fluuium ſeceſſit, in Cypriæ, & Phœniciæ claſſis aduentum) cùm pertinacius inſtaret, hoſtis pugnam capeſſere coactus, claſſem proximis littoribus impegit, in amica caſtra terrâ fugiens. CC. naues cum ingenti hominum numero, Cimon cepit, præter alias multas, quæ partim ſuppreſſæ ſunt, partim læuâ dextrâque ripâ fluminis illiſæ. Conuerſus inde victor ad LXXX. nauium claſſem, quæ Phœnicum erat, opprimendam, eam totam ad Hydropem, ex improuiſo adortus profligauit. Multiplex hæc clades tantum Perſarum Regno terrorem intulit, vt Rex in miſeras pacis conditiones conſentiret, quibus expreſſum erat, vt Perſa Graio mari abſtineret, néve longâ naui, vel roſtratâ, intra Cyaneas & Chelidonias Inſulas verſus Græciam nauigaret. Satis conſtat Pacis aram ob id ipſum poſtea dedicatam. Paucis Perſarum, qui Cherſonneſum adhuc tenebant pacis conditiones diſplicuêre, quorum naues XIV. Cimon cepit, barbaríſque totâ Cherſonneſo pulſis, omnem eam terram cum Criſſeâ & Thaſiâ orâ Athenienſibus ſubiecit. In Scyrum coloniam deduxit, Naupactum, Eionâque recepit, Naxum, Cariam, & Lyciam partim vi, partim amicitiâ, ſibi adiunxit. Thaſios tandem rebellantes, & Æginetas Athenienſibus ſubegit, maríque victor, colonos Amphipolim, quam tenebant Edoni, miſit. Mortuo inter hæc Xerxe, Athenienſes Inaro, Regi Ægyptiorum, auxilia contra Artaxerxem Perſarum Regem decernunt, quorum ope freti Ægyptij Perſas ſuperant.

Pauſanias in Atticis.

Thucydid. lib. 1. c. 111. & 112 Plutarch in Cimone Diodor. Sicul. lib. 12.

OLYMPIAD. LXXIX.

Sigon. in tractat. cui tit. Athenienſium tempora.

CAPVT

CAPVT QVINTVM.

Ciuilia Græcorum bella maritima, ad bellum vſque Peloponneſiacum.

ATHENIENSIVM gloria, prædáque Perſarum, luxum in Græciam, mox & diſcordiam intulit, Lacedæmoniis ſuperiores non ferentibus. Fiunt igitur de vno populo duo corpora, & eorumdẽ caſtrorum homines, in duos hoſtiles exercitus diuiduntur. Hinc Lacedæmonij, communia quondam ciuitatum auxilia, ad ſuas partes trahebant. Inde Athenienſes, & vetuſtate gentis, & geſtis rebus illuſtres, propriis viribus confidebant. Atque ita duo potentiſſimi Grçciæ populi, inſtitutis Solonis, & legibus Lycurgi pares, ex æmulatione virium in bellum ruebant. Prçter hæc & aliæ irarum cauſæ fuerunt; indignè ſuſtinentibus Athenienſibus Lacedæmoniorum contemptum, qui ſuam ſocietatem neglexiſſent, in eo bello, quod contra Ithomen geſſerant. Acceſſerunt ad ea odia, quæ inuicem conflata erant, quòd Megarenſes à Corinthiis prçlio de finibus inito ſuperati, ad Athenienſes defecerunt, cùm antea Lacedæmoniorum ſocij fuiſſent. Indignati Corinthij Athenienſium cum Megarenſibus ſocietatem, occupatis Athenienſibus contra Perſas in Ægypto, bellum inferunt, victi tamen nauali prælio Corinthij ad Ceryphaleam, pœnas ruptæ pacis dederunt. Néve nouarum rerum materia deeſſet, Athenienſes bello cum Æginetis orto, duçe Socrate Stribi filio, iterum cum Peloponnenſibus in mari congreſſi, hoſtes ſuperant, LXX. eorum nauibus captis, victoreſque Æginam obſidione cingunt, in cuius vrbis opem Corinthij cum Epidauriis accurrunt, quibus victis, Æginetæ per deditionem recepti, dirutis vrbis muris, Athenienſium vectigales facti ſunt. Hinc victores Peloponneſi oram claſſe circumuecti, Tolmidà duce, Lacedæmoniorum nauale incendunt; Chalcidem, Corinthiorum oppidum, occupant. Dum hæc in Græcià geruntur, Megabarus Perſarum dux in Ægypto, Græcos ex vrbe Memphi eiectos, in Proſopi inſulâ concluſit, vbi auerſis alio fluctibus, Inſuláque magnâ ex parte continens factâ, pauci ex tanto Athenienſium exercitu relictà in ſicco claſſe, peragratâ Lybiâ, Cyrenas peruenêre. His L. Athenienſium, & ſociorum naues VI. poſtquam in Ægyptum venerant, ſequenti anno, in auxilium miſſæ, Mendeſium, vnum ex Nili oſtiis, ingreſſæ, in apertum diſcrimen inciderunt: Perſico peditatu à terra, à tergo Phœnicum

OLYMPIAD. LXXX.

Thucydid. l. 1 c. 2.
Trogus lib. 3.
Sabell. Ennead. 3. lib. 5.

ſub monte Myſcale,aduerſus Perſas dimicatum eſt. Ibi ante congreſſionem, cùm claſſes ex aduerſo ſtarent, fama ad vtrunque exercitum venit, viciſſe Græcos, & Mardonij copias occidione occidiſſe. Tantam famæ velocitatem fuiſſe,mirabile,vt cùm matutino tempore prælium in Bœotiâ commiſſum ſit, meridianis horis in Aſiam, per tot maria, & tantùm ſpatij, tam breui horarum momento, de victoriâ nunciatum ſit. Confecto bello cùm de præmiis ciuitatum ageretur, omnium ſententia Athenienſium virtus ceteris prælata eſt. Inter duces quoque, Themiſtocles ciuitatum iudicio princeps iudicatus,gloriam patriæ ſuæ auxit,cuius mœnia ex integro condita ſunt, antiquis maiora, ob quod Lacedæmoniis Athenienſes ſuſpecti eſſe ceperunt, nauali etiam extructo,quod Piræum vocatum eſt,cùm antea Athenienſium nauale Phalerum eſſet. Vexabat interim Athenienſium claſſis oras Ciliciæ,& Cypri,Cimonis ductu,latéque patebat toto mari reſtauratæ vrbis imperium,& iam Ægyptus Atticis opibus fulta, ad defectionem ſpectabat. Debellata q ıoque barbarorum claſſis, in Thraciam ſe receperat, Scyrúſque, Cimonis armis ceſſerat, Aſiáque tota ab Ioniâ ad Pamphyliam Perſicis præſidiis liberata ab eodem erat; cùm ille obuiam venientibus hoſtibus proceſſurus,quorum claſſi Titrauſtes imperabat (qui prælio congredi recuſans, ad Eurimedontem fluuium ſeceſſit,in Cypriæ, & Phœniciæ claſſis aduentum) cùm pertinacius inſtaret, hoſtis pugnam capeſſere coactus, claſſem proximis littoribus impegit, in amica caſtra terrâ fugiens. c c. naues cum ingenti hominum numero, Cimon cepit, præter alias multas, quæ partim ſuppreſſæ ſunt, partim læuâ dextráque ripâ fluminis illiſæ. Conuerſus inde victor ad LXXX. nauium claſſem, quæ Phœnicum erat, opprimendam, eam totam ad Hydropem, ex improuiſo adortus profligauit. Multiplex hæc clades tantum Perſarum Regno terrorem intulit,vt Rex in miſeras pacis conditiones conſentiret,quibus expreſſum erat, vt Perſa Graio mari abſtineret, néve longâ naui, vel roſtratâ, intra Cyaneas & Chelidonias Inſulas verſus Græciam nauigaret. Satis conſtat Pacis aram ob id ipſum poſtea dedicatam. Paucis Perſarum, qui Cherſonneſum adhuc tenebant pacis conditiones diſplicuêre,quorum naues XIV. Cimon cepit, barbaríſque totâ Cherſonneſo pulſis, omnem eam terram cum Criſſeâ & Thaſiâ orâ Athenienſibus ſubiecit. In Scyrum coloniam deduxit,Naupactum,Eionáque recepit, Naxum, Cariam,& Lyciam partim vi,partim amicitiâ,ſibi adiunxit. Thaſios tandem rebellantes,& Æginetas Athenienſibus ſubegit,maríque victor, colonos Amphipolim, quam tenebant Edoni, miſit. Mortuo inter hæc Xerxe,Athenienſes Inaro,Regi Ægyptiorum, auxilia contra Artaxerxem Perſarum Regem decernunt,quorum ope freti Ægyptij Perſas ſuperant.

Pauſanias in Atticis.

Thucydid.lib.1. c.111.& 12 Plutarch in Cimone Diodor.Sicul.lib.12.

OLYMPIAD. LXXIX.

Sigon.in tractatus tit. Athenienſium tempora.

CAPVT

CAPVT QVINTVM.

Ciuilia Græcorum bella maritima, ad bellum vſque Peloponneſiacum.

ATHENIENSIVM gloria, prædáque Perſarum, luxum in Græciam, mox & diſcordiam intulit, Lacedæmoniis ſuperiores non ferentibus. Fiunt igitur de vno populo duo corpora, & eorumdẽ caſtrorum homines, in duos hoſtiles exercitus diuiduntur. Hinc Lacedæmonij, communia quondam ciuitatum auxilia, ad ſuas partes trahebant. Inde Athenienſes, & vetuſtate gentis, & geſtis rebus illuſtres, propriis viribus confidebant. Atque ita duo potentiſſimi Grçciæ populi, inſtitutis Solonis, & legibus Lycurgi pares, ex æmulatione virium in bellum ruebant. Prçter hæc & aliæ irarum cauſæ fuerunt; indignè ſuſtinentibus Athenienſibus Lacedæmoniorum contemptum, qui ſuam ſocietatem neglexiſſent, in eo bello, quod contra Ithomen geſſerant. Acceſſerunt ad ea odia, quæ inuicem conflata erant, quòd Megarenſes à Corinthiis prçlio de finibus inito ſuperati, ad Athenienſes defecerunt, cùm antea Lacedæmoniorum ſocij fuiſſent. Indignati Corinthij Athenienſium cum Megarenſibus ſocietatem, occupatis Athenienſibus contra Perſas in Ægypto, bellum inferunt, victi tamen nauali prælio Corinthij ad Ceryphaleam, pœnas ruptæ pacis dederunt. Néve nouarum rerum materia deeſſet, Athenienſes bello cum Æginetis orto, duçe Socrate Stribi filio, iterum cum Peloponnenſibus in mari congreſſi, hoſtes ſuperant, LXX. eorum nauibus captis, victoreſque Æginam obſidione cingunt, in cuius vrbis opem Corinthij cum Epidauriis accurrunt, quibus victis, Æginetæ per deditionem recepti, dirutis vrbis muris, Athenienſium vectigales facti ſunt. Hinc victores Peloponneſi oram claſſe circumuecti, Tolmidâ duce, Lacedæmoniorum nauale incendunt; Chalcidem, Corinthiorum oppidum, occupant. Dum hæc in Græciâ geruntur, Megabarus Perſarum dux in Ægypto, Græcos ex vrbe Memphi eiectos, in Proſopi inſulâ concluſit, vbi auerſis alio fluctibus, Inſuláque magnâ ex parte continens factâ, pauci ex tanto Athenienſium exercitu relictâ in ſicco claſſe, peragratâ Lybiâ, Cyrenas peruenêre. His L. Athenienſium, & ſociorum naues VI. poſtquam in Ægyptum venerant, ſequenti anno, in auxilium miſſæ, Mendeſium, vnum ex Nili oſtiis, ingreſſæ, in apertum diſcrimen inciderunt: Perſico peditatu à terra, à tergo Phœ-

OLYMPIAD. LXXX.

Thucydid. l. 1 c. 2. Trogus lib. 3. Sabell. Ennead. 3. lib. 5.

nicum claſſe circumuentæ. Aliquæ mediâ trepidatione dilapſæ, in altum euaſêre, ceteræ in fluminis alueo, vel depreſſæ ſunt, vel flammis abſumptæ. Hunc exitum habuit audax illa, & temeraria nimium Athenienſium in Ægyptum profectio. Cetera quæ ad Peloponneſum vſque bellum in oris Grçciæ facta ſunt, paucis expedio.

Iſta fusè Plutarch. narrat in Pericle.

Non defuit animus genti ad magna natæ, poſt rem in Ægypto malè geſtam, reparandæ iacturæ causa, Pericles Xantippi filius, cum C. triremium claſſe in Peloponneſum miſſus eſt. Hic, Acheloi oſtia prçteruectus, Acarnaniam excurſionibus vaſtauit, Sicyonios profligauit, & in Cherſonneſo agrum colonis diuiſit, Eubœæ ciuitates aliquot deficientes ſubegit, popularémque in Samo ſtatum conſtituit. Sed cùm Samij prçſidium ab Athenienſibus impoſitum rebellantes oppreſſiſſent, Athenienſes cum LX. nauibus Samum petierunt, è quibus XVI. in Cariam miſſæ ſunt, partim ad impediendas Phœnicum triremes, partim in Chium, & Leſbum, ad accerſenda auxilia. Reliquæ XLIV. Pericle duce, aduerſus Samios triremes LXX. ex Mileto redeuntes, proſperè pugnauerunt. Quadraginta indè nauibus in ſupplementum ab vrbe miſſis, & XXV. è Leſbo & Chio in auxilium receptis, Samum Pericles ingreſſus, vrbem terra obſedit; mox audito Phœniciæ claſſis appulſu, cùm obuiam proceſſiſſet, & illâ prçlium recuſaſſet, Samios iterum in fidem recepit, dirutis vrbis mœnibus, nauibúſque traditis, & impoſitâ pecuniâ in impenſas belli. Bizantij Samiorum caſu territi, imperata ſe facturos polliciti ſunt.

OLYMPIAD. LXXXIV.

Victores Athenienſes, cùm eorum ciuitas multitudine laboraret, Coloniam Sybarim in Italiâ deduxerunt, Thurióſque colonos nominauerunt. Et hçc mari geſta ſunt ante Peloponneſiacum bellum, de quo Capite ſequenti.

CAPVT SEXTVM.

Bellum Peloponneſiacum maritimum inter Græcos.

VRBS Macedoniæ, quâ terrâ Ionio alluitur, à barbarorum rege condita, Epidamnum de illius nomine vocata eſt. Huius è filiâ nepos Dyrachus, portum vrbi adiiciens, Dyrachium nominari iuſſit. Ionium eius filium volunt ab Hercule interfectum, & in mare proiectum, Ionio pelago denominationem dediſſe. Epidamnum vrbem primi Phryges tenuêre, dein Taulantij, poſtea Liburni, quibus, per Corcyrenſes vrbe pulſis, Taulantij in ſuum ſolum reſtituti ſunt, ex quo facto creditum eſt, vrbem Grçcam fuiſſe à Corcyrenſibus Corinthiorum

rum colonis habitatam. Ceterum Epidamnos infeſtantibus barbaris, cùm illis Corcyræi auxilia denegaſſent, Corinthij dederunt, præſidiúmque ſuorum militum miſerunt in vrbem. Corcyræi coloniam ſuam Corinthiis deditam ægrè ferentes, Illyricis in ſocietatem aſſumptis, XL. nauium claſſe vrbem terrâ mariſque obſident. Contra Corinthiis Meſſeniis, Megarenſibus, Trœzeniis, & aliis ſociis iuncti, LXXV. nauium claſſe Epidamnum verſus nauigant, ducibus Ariſteo, Callicrate, & Timanore. Sed his pugnâ nauali in ſinu Ambracio ſuperatis, fratriſque nauibus XV. Epidamnum, obſidentibus ceſſit, trophæúmque à Corcyrenſibus in Leucymnâ promontorio ſtatutum, cæſo, aut capto Corinthiorum præſidio, quod paulo antea vrbis tutelæ commiſſum fuerat. Poſt hæc victores, Leucadiorum (qui & ipſi Corinthiorum coloni erant) terram populantur, Cyllenémque, Helienſium naualo, incendunt, his irati, quòd prò Corinthiis ad ſinum Ambracium contra ſe pugnauerant. Sequenti anno Corinthij validiſſimam claſſem inſtruunt, ex totâ Peloponneſo contractis auxiliis. Cuius bellici apparatus famâ territi Corcyrenſes, Athenas legatos mittunt, qui opem orarent, quod & ipſi Corinthij cùm feciſſent, Athenienſes naues X. Corcyrenſibus auxilio miſêre, ducibus Lacedæmonio Cimonis filio, Diotimo Serobichi, & Proteâ Epiclis: quibus mandatum eſt, vt cum Corinthiis nullam pugnam committerent, niſi aduerſus Corcyram nauigantibus. Corinthij Athenienſium ſocietate deſtituti, cum Helienſibus, Leucadiis, Megarenſibus, & Anactoriis in Corcyrenſes claſſem CL. nauium mouerunt, cui Xenoclides Eutydis filius cum quatuor collegis imperabat. Audito hoſtium aduentu, Corcyrenſes, Præfectis Mytiade, Eſimide & Euribato, CX. naues expediunt. Iſti ad intuitum hoſtilis exercitus, iuxta Chimerium promontorium, non longè ab eo loco in quo ſeſe mari Acheruſia palus exonerat, pugnam incipiunt, ſiniſtrum ipſi cornu dextrum Athenienſes tenebant, quibus Corinthij, oppoſiti erant, Corcyreis verò Megarenſes, & Ambracienſes: in medio claſſis vtriuſque ſocij pugnauêre. Et Atticæ quidem triremes, vti illis imperatum erat, prælio abſtinebant: ceterum vt aliquam ſociorum nauem laborantem proſpexerant, ſubito occurſu hoſtiles naues morabantur, aut ſocias ſeruabant. Initium fugæ à Megarenſibus fuit, quos cùm inſequuti fuiſſent Corcyrenſes, nauibus egreſſi, eorum caſtra diripuerunt. Verùm ex alio cornu meliore euentu Corinthij dimicantes, haud dubiè victoriam ſunt aſſequuti, merſiſque, aut deterſis quamplurimis hoſtium nauibus, earum ſcaphas remulco ad naues alligatas, in ſuam vſque ſtationem traxerunt, erectóque apud Sybotem in continenti trophæo, domum conceſſerunt, è cuius regione, Corcyrenſes

OLYMPIAD. LXXXV.
Thucyd. l. 1. c. 2.
Idem dicto lib. 5.
OLYMPIAD. LXXXVI.

cyrenſes ſibi quoque victoriam tribuentes, trophęum aliud in eadem terra ſtatuerunt. Corinthij viciſſe ſe prędicabant, quòd ad noctem vſque victores fuiſſent, ſuorúmq; naufragia, & cadauera recepiſſent, captiuorum non minus mille haberent, nauibus circiter LXX. depreſſis. Corcyrei quia cornu, in quo Megarenſes erant, fudiſſent, eorum caſtris incenſis, & quòd, die ſequenti Corinthij certamine, quod obrulerant, abſtinuiſſenr, quibus cedentibus, ipſi ſpolia per otium legiſſenr. Domum Corinthij nauigantes, Anactorium, quod ſibi cum Corcyrenſibus commune erat, intercipiunt. Inde in Achaiam tranſmittunt. Hic Corcyrenſium octingenti veniêre. Ducenti nobiliores in cuſtodiam miſſi ſunt. Athenienſes quoque in Atticam redierunt. Hęc fuit expeditio quæ in eos Peloponneſiacum bellum excitauit, quoniam contra Corinthios pro Corcyrenſibus ſtetiſſent. Quippe quod Corinthiorum inſtinctu, Potideatæ, Bottiei, & Chalcidenſes coniurati vno tempore ab Athenienſibus defecetunr, quibus & Perdicas Macedonum Rex ob ſocietatem ab illis cum fratre ſuo initam infenſus erat, & infeſti Lacedæmonij ob ſuperbiam, & gloriam gentis, ſub quâ tota Gręcia ttepidabar. In defectores, Calliæ Calliadis filio, ab Athenienſibus expediuntur naues XL. Contra eum Ariſteus Corinthiorum, & Peloponnenſium Dux, ad Iſthmum claſſem mouit, vicírque eâ parte quâ pugnabat, altero cotnu, quo Corcyreorum ſocij Potideenſes dimicabant, ab Athenienſibus fugato, qui poſt hanc pugnam trophęum vbi pugnatum erat ſtatuerunt, iuxta Olynthum. Inrer hæc Lacedæmonij bello Athenienſibus per legatum indicto, in Italiam, & Siciliam miſerunt, vt per eos, qui in partibus ſuis futuri eſſent, claſſis inſtrueretur, liberandæ Gręciæ ſpecioſum titulum, & popularem prętendentes. Et quia omnis Peloponneſus in Athenienſes tum rebellauit, Argiuis & Achæis exceptis, qui pari amicitiâ Lacedæmonios, & Athenienſes proſequebantur, bellum hoc Peloponneſiacum appellatum eſt. Fuerunt autem Peloponneſi præter Argiuos, & Achæos, & capita belli Lacedæmonij, Corinthij, Megarenſes, Sycionij, Pellenenſes, Helij, Ambraciotæ, & Leucadij; qui claſſes contra Athenienſes dederunt: reliqui verò, equitatum & peditatum; inter quos Bœotij fuerunr, Phocenſes, Locri, Leucadij, Anactórij, Patrenſes, Myceni, Meſſenij, Coronei, Metonenſes, Elei, & alij complures quorum geſta in mari & in inſulis deſcribenda putaui, omiſſis his quæ in continẽti longè à littoribus ſine claſſe memorabilia vetereſ exiſtimauerunt. Athenienſibus affuêre Chij, Leſbij, Plateenſes, Meſſenij, qui erant in Naupacto, Acarnanum plęrique, Corcyrenſes, Zacynthij, & in his Caria, quæ ad mare ſita eſt: Dores Caribus vicini, Iones, Helleſpontij, Thraces, & inſulæ quæcun-

OLYMPIAD. LXXXVII.

que

que ſupra Peloponneſum, & Cretam ad ortum iacent, Melo & Terâ exceptis. Ex his naues præbuêre Chij, Leſbij, & Corcyrenſes. Peloponneſij omnes ad indictum diem circa Iſthmum conuenêre, vnde Archidamo Lacedæmoniorum Rege ducente exercitum in Atticam mouerunt, quâ vaſtatâ in ſuas quiſque vrbes hybernaturus rediit. Sed iſti dum Atticam populantur, Atticæ naues C. ducibus Carcino Xenotimi filio, Proteâ Epiclis, & Socrate Antigenis in Peloponneſum curſum tenuerunt, nauibúſque Corcyrenſium L. auxiliaribus acceptis, in Elide cuncta vaſtant: miſiſque aliis XXX. nauibus, Cleopompo duce, Cliniæ filio, maritima hoſtium loca adorti, Thronium capiunt, Solióng; Corinthiorum oppidum expugnant, Aſtacóque vrbe, & Cephaleniâ inſulâ potiuntur. Cùm Athenas rediiſſent, buſtum vetere inſtituto iis publicè fecerunt, qui præſenti bello perierant, ad quorum memoriam laudandam, Pericles Xantippi filius delectus eſt. Is ſequente anno, cùm iterum Archidami ductu Peloponnenſes pari clade Atticum ſolum, quâ ſuperiore æſtate peruagarentur, C. triremibus inſtructus, Epidaurenſem agrum, Trœzeniam oram, Helladem, & Hermionidem depopulatus eſt. Domum inde claſſis reducta, cùm iam Atticæ finibus hoſtis exceſſiſſet. Lacedæmonij, tentata in itinere Zacyntho inſulâ, quæ iuxta Elidem eſt, agróque hoſtiliter violato, retrò vela verterunt: XX. Athenienſium naues Phormione duce Peloponneſum prætervectæ, circa Criſſeum ſinum ſibi ſtationem delegerunt, quod facere iuſſæ fuerant, ne qua hoſtium nauis Corinthum curſum tenderet, aut inde aliò abire poſſet. VI. aliæ in Cariam Lyciámque, ad pecuniam exigendam, profectæ, quarum dux Meleſander, in Lyciæ continentem ingreſſus, prælióque, à locorum incolis acceptus, cum magnâ ſuorum parte obtruncatus eſt. Potideatæ, cùm obſidionem diutius ferre non poſſent, Athenienſibus ſe permiſerunt. Tertio Peloponneſiaci belli anno, Lacedæmonij cum ſociis, omiſſâ expeditione Atticâ, bellum in Bœotiam transferunt. Cnemus Corinthiorum dux, in Criſſei ſinus anguſtiis, cum Phormione conflixit. Habebat Phormio, vt dixi, XX. naues, cum hoſtibus XLVII. eſſent. Valuit in eo conflictu plus virtus, quàm numerus: fuſi, fugatíque Peloponnenſes, XII. nauibus demerſis, Patras, & Dimen ſeſe turpi fugâ receperunt. Culpati ſunt nauium præfecti, quòd ſui tyrocinij immemores, veteranæ Athenienſium claſſi, claſſiarios rei maritimæ rudes obieciſſent. Decernuntur plures in ſupplementum naues, quâ famâ perculſus Phormio, Athenas cum nuncio victoriæ mittit qui populum doceret, maiore militum numero opus eſſe, ſi hoſtium conatibus iri obuiam velint. Viginti itaque aliæ naues Phormioni miſſæ, quibus iuſſus eſt in Cretam contra Cydoniatas traiicere. Deprędato

Thucydid. lib. 2. cap. 14. & 17.

OLYMPIAD. LXXXVIII.

D

dato Cretenſium ſolo, Molycrij promontorij partem, quà exeſa rupes ſtationem nauibus faciunt, Phormio tenuit, ad oſtium Criſſei ſinus, quà fretum ſeptem ſtadià non amplius patet. Hoſtes Chaicum, quod Molycrio ex aduerſo eſt, LXXVII. nauibus ſubière; nec iſti interim anguſtias egredi, aut illi occupare audebant; cùm Peloponnenſes ſuæ multitudini fidentes, formidine reiectâ, pugnam capeſſunt, inuadunt, fugant, ſuperant. Paucæ Athenienſium triremes, quæ ſequentes remorum iactatione prçuerterant, Naupactum adeptæ, obuerſis repentè proris, ſi pugnandum foret, ſeſe ad certamen expediebant. Harum vna, quæ ſegnius fugiebat, vbi in conſpectum ſuorum venit, paululum circumacta, Leucadiam triremem, quæ proximè ſequebatur, ex tranſuerſo inuecta, vehementi impulſu depreſſit: inopinatus caſus, Peloponnenſes iam Pæana canentes, mirum in modum perturbauit: qui tumultuosè portum petentes, inſcitià locorum, inciderunt in breuia. Athenienſes de portu Naupacteo ſoluentes, implicitas vorticibus, & inter ſe colluctantes hoſtium naues inuadunt ferocitèr. Tum qui vicerant, vincuntur. Vtrique ſuum ſtatuerunt trophæum; Athenienſes circa Naupactum, vnde hoſtem depulerant: Peloponnenſes, in Achaico promontorio, ob naues, quas ſub initium pugnæ circa littus oppreſſerant. Et æſtas illa per hçc exacta eſt. Poſtea Cnemus & Braſidas Peloponnenſium duces, Pyrerum, Megarenſibus id ſuadentibus, inopinato acceſſu occupare ſtatuunt, nec enim prçſidio vllo tenebatur, ſeu locorum, ſeu hominum. Ex Corintho nautæ pedibus ire iuſſi ſunt, cum ſingulis remis. Inde ex Nyſeâ, Megarenſium nauali, XL. nauibus in mare deductis, noctu Athenas verſùs tacito curſu contendunt. Ceterum neque ventus illis affuit, ipsíq; circa promontorium, quod Salaminem reſpicit, ſua ſponte commorati, tribus Athenienſium nauibus, quæ ibi ad Megarenſium incurſus fortè permanſerant, ex improuiſo oppreſſis, Salaminem curſum deflexêre; vnde nocturnâ flammâ ſignificatum eſt Athenienſibus, hoſtes aduentare. Continuò ad arma conclamatum, nauéſque in portum deductas voluntaria iuuentus conſcendit, quæ prçſidio ad Pyreæum relicto, Salaminem verſùs contendit. Peloponnenſes, vt Athenienſium claſſem occurrere ſenſerunt, viribus ſuis diffiſi, Nyſæam repetunt. Athenienſes verò Pyreæum portum, quem clauſtris muniunt, tutamen aduerſùs hoſtes. Quarto anno eiuſdem belli, Archidamus cum ſuis, vt ſçpè aliàs, Atticam vaſtat, Leſbóſque tota præter Metymnam in arma Peloponnenſium coniurat. Hìc claſſis Athenienſium tendit, Cleippide Hodinij filio duce, vindicatura perfidiam inſulanorum, Mityleneos eruptionem auſos bis in vrbem pellit, eóſque premit obſidione: dum interim Phormionis claſſis oram

Idem lib. 3. à cap. 8. ad cap. 13.

Laconiæ,

Laconiæ, OEniadúmque diripit. Sub principium anni quinti, Lacedæmonij cum ſociis Pauſaniæ Pliſtonactis filij ductu, qui adhuc pupillus erat, Atticam ingreſſi, quidquid ad id tempus fructicauerat, & prioribus expeditionibus fuerat intactum, ferro, igníque abſumpſerunt; vnde illis etiam rerum omnium penuria venit, quâ hoſtile ſolum deſerere coacti ſunt: cùm illis è Leſbo annona non veniret, Mityleneis per Athenienſes expugnatis, pleriſque capite damnatis, dirutis vrbis muris, nauibus ademptis, & totâ Inſulâ vectigali factâ. Sub idem tempus Platœenſes per diuturnam obſidionem macerati, vltrò ſe Lacedæmoniis dedêre; eorum CC. ad necem data, Athenienſes,qui vrbi pręſidio erant, in ſeruitutem redacti ſunt, Megarenſibus domo pulſis,vrbs integra conceſſa eſt,quam incolerent. Ceterum, vertente anno, à fundamentis tota diruta eſt, agérque publicatus. Sed dum hæc ad Plateas geruntur, Corcyrenſes domeſticâ ſeditione iactati, Peloponneſiacam claſſem,Atticámque, Corcyram vno penè tempore vocauêre: optimatibus ad Lacedæmonios, & Corinthios rem trahentibus, Plebeiis ad Athenienſes. Dimicatum erat ſępius in vrbe inter ordines vario euentu,poſtremò Nicoſtrati Athenienſium ducis auxilio, qui ex Naupacto cum XII. nauibus maturius affuit, optimatium opes fractæ: nec ita multò poſt L. è Peloponneſo naues, Alcidæ ductu, Corcyram appulerunt, cum quibus XII. Atticæ, & Corcyrenſes aliquot tumultuosè decertauerunt, inclinaſſétque iterum ad optimates fortuna, niſi LX. naues continuò ſubſequutæ eſſent,quas Eurymedon Pręfectus ex Atticâ celeri curſu Corcyram perducebat. Alcidas Atticarum triremium numerum veritus, occultè per Leucadium Iſthmum,nauibus in contrarium littus traductis, terreſtri itinere in Peloponneſum ſe recepit. Nobilium Corcyrenſium factione à Lacedæmoniis deſtitutâ, per omnes plebeios enſis euagatus eſt, Iunoníſque & Liberi patris templa, in quæ fugerant, eorum ſanguine maculata ſunt. Prima omnium vrbium Gręcarum Corcyra, ciuilibus diſcordiis concuſſa eſt.Poſt ſerpente malo, iiſdem aliæ quoque vrbes iactatæ ſunt. Plebeiorum factione firmatâ, Eurymedon Athenas cum claſſe rediit. Poſt iſtius exitum Corcyrenſes exules, qui medio tumultu dilapſi, mortem effugerant, captis muris, qui in continente erant, ſæpius prædam ex Inſulâ egêre: cúmque à Corinthiis, & Lacedęmoniis, auxilia impetrare non potuiſſent, propriis viribus freti, incenſis nauibus, quibus vſi fuerant, vt omni euadendi ſpe ademptâ, cogerentur, vel inuiti, Inſulam occupare, circa Hiſtonem montem extructo muro, vrbanam multitudinem aſſiduis incurſibus infeſtabant. Sed eos, Pylo rediens Eurymedon, victos Corcyrenſi populo necandos tradidit: à quo fœdè trucidati ſunt.

D 2 CAPVT

CAPVT SEPTIMVM.

Bellum Peleponneſiacum in Siciliâ, & in mari Siculo: eius cauſa, certamina, euentus aliáque huius belli.

Totum hoc caput è Thucydide eſt, lib. 3. & 4. E Trogo lib. 4. E Sabellic. Ennead. 3. lib. 6. 7. 8. & 9. Et è Thomâ Fazello rerum Sicular. 2. decadis, lib. 2.

HINC bellum in Siciliam tranſlatum: Catanenſes cùm Syracuſanos graues paterentur, diffiſi viribus ſuis, auxilium ab Athenienſibus petiêre: qui ſeu ſtudio maioris Imperij, ſeu metu factæ pridem à Syracuſanis claſſis, ne Lacedæmoniis illæ vires accederent, Lamponium ducem cum claſſe in Siciliam miſêre, vt ſub ſpecie ferendi Catanenſibus auxilij, tentarent Siciliæ imperium. Et quoniam prima initia frequentèr cæſis hoſtibus proſpera fuerant, maiore denuò claſſe, & robuſtiore exercitu, Lachete & Cariade ducibus, Siciliam petiuêre, aduocantibus Leontinis cognatis, qui à Syracuſanis bello premebantur, terræque, & maris vſu prohibebantur. Claſſis Attica, quæ c. nauium erat, Rhegium appellit, mox & aliis c. à Rheginis & Chalcidenſibus ſociis aucti Athenienſes, Æolias inſulas, Syracuſanis fauentes, inuadunt, Locros obſident, Locrenſium, qui & ipſi pro Syracuſanis ſtabant, naues capiunt, oppidúmque eorum Peripolion, vi intrant: quibus cùm Syracuſani opitulari conarentur, prælio nauali ab Athenienſibus, eorúmque fœderatis, ſuperantur: In quo, Chariade occiſo, Laches, penes quem vnum remanſerat claſſis poteſtas, Mylas oppidum ad deditionem impellit: Meſſanenſes quoque in Athenienſium fidem recepti ſunt. His actis, Laches Rhegium reuerſus eſt, VI. belli Peloponneſiaci anno, quo Demoſthenes Aluſtenis filius, & Procles Theodori, Atticis XXX. nauibus præfecti Peloponneſum tentarunt. Nicias quoque Niceratí filius, prępoſitus LX. triremibus Athenienſium, Melum inſulam imperium detractantem, in ſuas partes fruſtra cogere voluit. Bæoti interea, impetrato à Lacedæmoniis & Corinthiis auxilio, Eurylocho Lacedæmonio duce, Molytium, Athenienſium oppidum, capiunt. In Siciliâ Athenienſes ex Himerâ, vbi hybernabant, ſubito hoſtium incurſu, in naues compulſi, ad Æolias inſulas claſſem admouerunt, ibi Pythodorum Lachetis ſucceſſorem inuenerunt. Præceſſerat is, cum paucis nauibus, Sophoclis, & Eurymedontis LX. nauium claſſem expectaturus. Septimus belli annus incipiebat, & iam decem Syracuſanorum naues, cum totidem Locrenſium, Meſſanam occupauerant: iam Peloponnenſes, Agide duce, circum Athenas graſſabantur: & Eurymedon cum Sophocle

cle in Siciliam properans, tempeſtate pulſus in Lacanicam oram, Pylum oppidum vetuſtiſſimum, à Spartâ ſtadiis circiter XL. diſtans, opere tumultuario muniuerat: cùm Demoſthenes, cui mandatum erat, vt iis nauibus præeſſet, quæ circa Peloponneſum agerent, loci vſum ad Laconicos fines infeſtandos primus oſtendit, ad cuius preſidium cum V. nauibus relictus eſt. Huc reuocatis è Corcyrâ nauibus, Atticâque relictâ, Agis aduolat, pariterque in Demoſthenis auxilium per mare currunt LX. naues, ex Zacyntho reuocatæ: quæ cùm Lacedæmonios, qui Sphacteriam inſulam portui pretentam occupauerant, in pugnam allicere nequiuiſſent, poſtridie in eorum naues impetu facto, quinque detergunt: quibus potiri, cùm vacuas alias in altum trahere adorti eſſent, Lacedæmonij, à terrâ ad littus concurſantes, prohibuerunt; poſtea tamen obſeſſi, & inediâ laborantes, vel cęſi ſunt, vel captiui Athenas miſſi. Athenienſes lectis ſpoliis, Pylo melioribus munimentis cincto, Crommionis, Corinthiorum oppidi agrum, populati, Methonem, inter Epidaurum & Trœzenem ſitam, occupant, muróque circundunt, præſidióque ibi ad Trœzenios & Epidaurios infeſtandos impoſito, in Atticam curſum tenuerunt. In Siciliâ quoque Athenienſium claſſis, quæ Rhegij ad preſidium ſtabat, prælio cum Syracuſanis conſerto, vicit. Nec victor Athenienſis quieſcebat, ſed Syracuſanos Meſſanam ſe recipientes territando, & laceſſendo, Meſſanam vſque ſecundùm littus ſequutus eſt, vrbémque terrâ, maríque oppugnat. Poſt hęc Leontini, ſiue metu Athenienſium, ſiue tædio belli, pacem cum Syracuſanis, remiſſis Athenienſium auxiliis, fecerunt: probatis fœderibus per prefectos claſſis Athenienſium, qui in Sicilia erant. Verùm Senatus, populúſque Athenienſis, quorum fuerat ſtudium, Siciliam eâ claſſe ſibi quærere, vbi re infectâ eam rediiſſe vident, Pyrhodorum & Sophoclem, duos è ducibus, exilio, Eurymedontem ex iis tertium, pecuniâ mulctauerunt; imponentes, quòd Siciliam, quam ſubigere potuerant, pecuniâ corrupti, deſeruiſſent. Octauus belli Peloponneſiaci annus Leſbios exules primùm vidit, Antandrum occupantes, Idæámque ſyluam, oppido imminentem, abundantem materiâ, ad naualem fabricam aptiſſimâ; vt claſſe ibi inſtructâ Leſbum inſulam, vnde per Athenienſes eiecti fuerant, ex occaſione infeſtarent. Athenienſes maioribus intenti, LX. nauibus, Niciâ Nicerati filio duce, Cytheram inſulam Laconicæ oræ, Maleam verſus oppoſitam, ſubito appulſu inuadunt, Scandeámque, vrbem in eâ maritimam, facili oppugnatione tenent. Curſu deinde auerſi ad ea Inſulæ loca, quæ contra Maleæ promontorium iacent, Cythereos prælio fractos, deditóſque tranſtulerunt aliò. Mox preſidio Cytheris, & Scandeæ impoſito, circa Aſinam & Helos, in terram egreſſi,

 hoſtili

hoſtiliter cuncta proterunt. Inde Epidaurium agrum, Thyreámque diripiunt, incendúntque. Hæc Nicias cum ſuis. In Siciliâ Athenienſes Megaram proditione capiunt, Nyſſeámque, in quâ Lacedęmoniorum nauale erat. Sed Megaram Braſidas Lacedæmonius non multò poſt recepit. Sub idem tempus Demodocus, & Ariſtides, qui erant cum nauibus in Helleſponto, Mitylenæis exulibus prælio victis, Antandrum recepêre. Horum collega Lamachus, x. nauibus comitatus, cùm Calecem fluuium, qui Heracleenſem agrum præterfluit, temerè ingreſſus fuiſſet, impetu aquarum in mare ſeſe euoluentium, claſſem amiſit: ipſe cum ſuis pedeſtri itinere Chalcedonem ægrè peruenit. Hanc Athenienſium cladem, aliæ quoque ſequutæ ſunt. Victi in Bœotiâ pęnè omnes, cum duce Hippocrate, in templo Apollinis Delij, oppidóque eiuſdem nominis, interfecti ſunt. Iidem cùm prædandi ſtudio, Demoſthenis ſuaſu, in Sicyoniam terram deſcendiſſent, cum cęde multâ, in ſuas naues reiecti ſunt. In Thraciâ, Braſidæ, Amphipolitani Athenienſium coloni, deditionem fecerunt. Ciuitates quoque circa Athon ſitæ, in Peloponnenſium partes magnis ſtudiis iuerunt; inter eas, Tyſus, Cleone, Acroathos, Oloſicus. Biſaltica etiam gentes, Creſtonicæ, & Edonum aliquot. Toronam indè Braſidas proditione occupat: Lechitum vi, Scionem ciuibus aduocantibus. Iam octauus huius belli annus circumactus erat, cùm Athenis decretum eſt, vt armis Scione ad imperium retraheretur. Ad id naues expediebantur, cùm & Menda, ciuitas in Pallene, Erithreorum colonia, ad Lacedæmonios defecit. Claſſem ad hanc defectionem vlciſcendam alteram Athenienſes parant, quæ L. triremium erat, pręfectis Niciâ & Nicoſtrato: qui receptam Mendam diripiunt, authoribus defectionis ſupplicio affectis, ceteris ciuibus vita data eſt. Scione quoque, poſt aliquot dierum obſidionem, Athenienſibus permiſſa. Decimo Peloponneſiaci belli anno, Cleon Athenienſis, certior factus, Toronam modico præſidio teneri, agereque indè procul Braſidam cum copiis, in Colophoniorum portum, Toronæ propinquum, nauigauit, indè x. nauibus miſſis, quæ portum occuparent, & vrbem ipſam, ſi per occaſionem liceret, ipſe pedeſtri exercitu Toronam agreſſus, hoſtes in ſe vertens, occaſionem claſſiariis dedit, vrbis à portu occupandæ: oppidanorum captiuam multitudinem victor in ſeruitutem redegit. Hæc Cleon in Thracia: cùm Athenienſes pętextu vindicandorum Leontinorum, qui Syracuſanorum potentia premebantur, Pheacem Heraſiſtrati filium, cum duobus collegis pro legato in Italiam, & Siciliam mittunt. Is tentatis vtriuſque ſoli ciuitatibus, pauciſſimis in Athenienſium cauſam, & partes allectis, firmatis ſociis, Sicilia, Italiáque deceſſit, maius bellum, & memorabilius parans;

parans ; quod vt duraret, cum Lacedæmoniis fœdus fecerunt, quos iam inde à Cytheris, & Pylo amiſſis, pacis cupido inceſſerat, ad quam etiam propenſius Athenienſes inclinabant, duplici clade intra pauciſſimas dies affecti, ad Delium vnâ, alterâ ad Amphipolim, quibus à Lacedæmoniis terreſtribus prçliis victi fuerant. Corinthij ægrè ferentes quòd Anactorium, & loca, quæ bello amiſerant, non eſſent à ſe recepta, & quòd in ſocietate ineundâ, tantùm Lacedæmoniorum mentio, non ſociorum facta eſſet, velut Peloponneſi regnum Spartiatæ affectarent ; eos apud ceteros Peloponneſiacæ terræ populos criminari incipiunt, & inuitare, vt ſecum, & cum Argiuis ſocietatem inirent. Pauci ſe illis adiunxêre, inter eos Mantinei, qui Lacedæmoniis inuitis quædam in Arcadiâ tenebant ; in eos Lacedæmonij Parrhaſiis opem laturi, qui Mantineis obnoxij, domeſticâ ſeditione laborabant, exciſuri præterea murum, quem Mantinei in Cypſelis ſtruxerant, cùm vtrumque feciſſent, ſeſe domum recepêre. Indè cùm iſti ſocietatem cum Bœotiis iuraſſent, excluſis Athenienſibus, quod ex fœdere fieri non licebat, Athenienſes Alcibiadis Cliniæ filij, adhuc adoleſcentis perſuaſu, fœdus in centum annos cum Argiuis, Mantineis & Eleis percuſſerunt. Hinc belli renouatio inter Athenienſes & Lacedæmonios, in quo cum Lacedæmonij victores extitiſſent, Argiui ab Athenienſibus defecêre, mox & Mantinei, qui cum Lacedæmoniis fœdere facto in quinquaginta annos, in eo iſtud expreſſerunt : ne Athenienſium legatio, caduceatórve ab illis audiretur, niſi hi prius quidquid in Peloponneſo tenerent, dominis reſtituiſſent. In his conditionibus multiplicis pacis, pugníſque aliquot terreſtribus vndecimus, duodecimus, decimuſtertius, & decimuſquartus annus belli Peloponneſiaci conſumptus. Quæ dicturus ſum vſque ad vigeſimumquartum annum ab Athenienſibus & Lacedęmoniis, intra extráque Græciam, terrâ maríque geſta ſunt.. Ita tamen vt magis maritimis rebus ex propoſito meo, quàm aliis adhçream.

* * *

CAPVT

CAPVT OCTAVVM.

Belli Peleponneſiaci continuatio, vbi maximè maritima Syracuſanorum & Lacedæmoniorum contra Athenienſes certamina recenſentur.

Totum hoc caput ex iiſdem authoribus, quibus & præcedens excerptum eſt. Sed maximè è Thucydide lib. 5. 6. & 7.

SICILIA cauſa, origo, & theatrum omnium penè bellorum, quę ab hiſtoriæ natiuitate ad noſtra vſque tempora peruenerunt. Trinacria olim & Triquetra, à tribus promontoriis dicta eſt: Sicania, à Sicanis, vel indigenis, vel ab Hiſpania prognatis: Sicilia, à Siculis Liguriæ populis: Thracum, Armeniorum, Tuſcorum, Hiſpanorum, Ilienſium, Cretenſium, Ægyptiorum, Carthaginenſium, & iam belli Peloponneſiaci tempore Gręcorum etiam coloniis occupata, diſcors inter ſe, & ęmulatione virium accenſa, & fundatorum viribus innixa, & varietate populorum diuiſa, ob fertilitatem à ceteris exoptata, & petita; opportunitate quoque loci, quod Aſiam, Africámque, & Europam nauigantibus aperit, magis etiam quàm ſuum mare, diuerſis ęſtibus, motibúſque agitata eſt. Fauebant Eubæis, & Chalcidenſibus Leontini, & Catanenſes, quod illos ſuarum vrbium conditores haberent: ob eámque rationem, Corinthiis, Syracuſani: Trotili, & Hyblæi, qui poſtea Megarenſes appellati ſunt, Megarenſibus: Geloi & Agrigentini, Rhodiis, & Cretenſibus: Zancla, & Himera vrbes, Cumanis: Heraclea, Lacedæmoniis: aliæ ciuitates ab aliis populis erectæ ſunt: vnde ſingulis diſtincta ſtudia, ſeu parendi, ſeu dominandi: quæ ratio fuit, cur Sicilia ab ipſis initiis, incredibili tyrannorum pullulatione, ceteris Orbis regionibus feracior fuerit, cùm magnâ ex parte ſingulis vrbibus ſinguli imperauerint. Paucæ ciuitates liberæ ſuarum Rerumpublicarum, qualeſcunque eſſent, conſeruationi, & defenſioni ſtudebant. In hoc rerum ſtatu Inſula erat, cùm inter Segeſtanos, & Selinuntinos, ob quædam ſponſalia, & agrorum fines, diſcordia exorta eſt. Leontini Segeſtanis opem ferebant, populi ambo vetuſtiſſimâ cognatione Athenienſibus iuncti: quo tempore cùm fides Catanenſibus à Syracuſanis non ſeruaretur, Catanenſes legatos Athenas miſerant: iſti ſordidâ veſte, capillo, barbáque prolixis, & omni ſqualloris habitu ad miſericordiam commouendam curioſè parato, auxilia impetrauerant, ab Athenienſibus, qui ne occaſionem Siciliæ potiundæ, à tribus ciuitatibus inuitati, negligere viderentur, ſtatim legatos cum tribus nauibus in Siciliam

ire

ire iubent, & explorare, an ſatis Segeſtanorum res valerent in ſua deſideria. Segeſtani, quibus opes ad hoc bellum non erant, ne ob hanc cauſam Athenienſes à bello deſiſterent, commentum eiuſmodi repetiunt. Legatis Grecorum in fanum Veneris, quod Segeſtæ erat, adductis, ſacraria, phialas, trullas, thuribula, ceteraque alia Veneris donaria, ſacrarúmque veſtium ſupellectilem oſtentarunt. Quæ quoniam etant, vel aurea, vel argentea, multò impenſius pretium ferebant, quàm paruæ ciuitatis expectatio permitteret. Sunt qui ſcribant, frumenti quoque aceruos in horreis poſitos, argento & auro tectos, pro aureis oſtendiſſe. Priuatim præterea exceptis hoſpitio Trierarchis, & omnibus Phœnicum, & Grecorum circùm oppidis, corrogata pocula aurea, argenteáque pro ſuis exhibuerunt. Quorum omnium aſpectu decepti legati, vehementer obſtupuêre, Athenáſque reuerſi, Segeſtanorum opes ad ſumptus belli perferendos pluſquàm ſuffecturas, denunciant. Igitur CXXX. triremibus armatorum quinque millibus impletis, ducibus Niciâ Niceratí filio, Alcibiade Cliniæ, & Lamacho Xenophanis, Pyræò ſoluitur: ſequente claſſem magno Olcadum (onerariæ naues ſunt) numero, quibus commeatus, & tormenta, machinæque bellorum deuehebantur. Iſti, primò Corcyram deferuntur. Inde pererrato maris Ionij tractu, applicant Iapygiam, mox Italiæ oras legentes, à Tarentinis, Thuriiſq; benignè excepti, Crotonem, Locróſque petunt, & tandem prope Rhegium anchoras in mare demittunt. His cognitis, Syracuſani tres Dictatores creant, Hermocratem, Sicalium, & Heraclidem: qui ſtatim exercitus parant, ſociósque accipiunt, Himerenſes, Meſſanenſes, Selinuntinos, Geloos, Catanenſes, & populos Siculorum vrbes incolentes. Rhegium, dux vnus Athenienſium cuſtodiæ causâ permanſit, reliqui duo cum triremibus LX. Syracuſas nauigant, præmiſſis nauibus X. quæ magnum portum ingreſſæ, Leontinis, qui in vrbe erant, denunciarent, Athenienſes adeſſe, iniuriarum, quas illi à Syracuſanis accepiſſent, vltores. Interim Catinenſes Alcibiadis oratione commoti, Athenienſium ſocietatem recepêre, & ex Rhegio cetera copiarum eò accita ſunt, ibíque caſtra communita. Ceterum ad dicendam cauſam Athenas reuocatus Alcibiades, quod myſteria polluiſſet, & noctu fregiſſet Mercurij ſtatuas. Ille, ſiue calumniæ metu, ſiue intentati criminis ſibi conſcius, priuatâ naui vſus, ex Siciliâ in Italiam, mox indè in Peloponneſum exul abiit: vbi acceptâ à Lacedæmoniis fide, ex hoſte, in vrbem, & amicitiam receptus eſt. Quibus primùm conſuluit, vt Syracuſanis auxilium ferrent: Secundùm, vt Athenienſibus bellum mouerent: Tertiùm, vt Deceliam vrbem, quò nihil fieri poterat Athenienſibus infeſtius, mœnibus, & præſidio munirent. Lama-

Plut. in Alcibiade.

chus, & Nicias claſſe diuiſâ, Siciliæ vrbes, ad mare ſtantes circumeundo, nunc obſidionibus, nunc colloquio tentant, nouóque auxilio, & commeatu à ſuis accepto, Syracuſas delati, Thapſum, peninſulam vrbi propinquam, occupant, Epipolas muniunt. Cúmque ex vrbe in caſtra Athenienſium variæ eruptiones eſſent, Lamachus in conflictu cecidit. Solus itaque Nicias Athenienſium copiis, nanalibúſque imperabat, cùm Gylippus à Lacedæmoniis in Syracuſanorum opem miſſus, in Siciliam appellit, nauibúſque in terram apud Himeram ſubductis, terreſtri itinere Syracuſas versùs iter intendit. Præuerterat illius acceſſum Conſilus Corinthiacæ claſſis Præfectus, & ipſe à ſuis in Syracuſanorum auxilium miſſus, obſeſſorúmque animos ad tolerãdam obſidionem, firmauerat. His factum eſt, vt Athenienſium vires iam hoſtilibus inferiores eſſent; miſſæ itaque Niciæ naues x. cum c x x. talentis argenti, additíque illi collegæ duo in locum Alcibiadis, & Lamachi, Eurymedon, & Demoſthenes, quorum vltimo naues L x v. commiſſæ ſunt. Gylippi, Lacedęmoniæ claſſis præfecti; Conſili, Corinthiacæ; Hermocratis, Syracuſanæ, hortatubus, maris fortunam experiri Syracuſani decreuerunt. Stabant in maiori portu x x x v. naues bello inſtructæ, & aliquanto maior numerus in minori, vbi erant Syracuſanorum naualia. Sed anguſtiæ magni portus ab Athenienſibus circa Plemyrium infeſtabantur, eáque res impedimento futura videbatur, quò minus Syracuſanæ naues inter ſe coire poſſent. Gylippus vbi contractum circa portum certamen videt, atque Athenienſes nauali pugna occupatos, vacuum præſidiis Plemyrium, vno momento expugnat. Sed quantùm illi ſucceſſus felix, tantùm maritimum prælium Syracuſanis infelix fuit. Dum inuitis hoſtibus portum magnum intrant, dum celerant ad ſuas naues, quæ ibi in ſtatione erant, dùm tumultuosè aguntur, in internas triremes impacti, ordinem turbant, quo animaduerſo in hoſtem trepidantem, & turbatum, claſſis Attica decurrit, fugat, decémque naues Syracuſanas deprimit. Atque ita contigit, vt vno pręlio vtrique vicerint, victíque ſint. Trophæum erexerunt Athenienſes in littore circa caſtra, in Plemyrio verò hoſtes. Athenienſium clades maior fuit, ingens pecunia publica, & priuata, quæ cum omni ferè bellico apparatu in eum locum, velut in ęrarium, congeſta fuerat, ab hoſtibus capta eſt. Pręterea cùm anguſtias portus is locus teneret, Athenienſes ſine pugna, commeatus in ſua caſtra portare non poterant. Tum verò patefacto portu, Agatharchus ex Syracuſis cum x i i. nauibus progrediens, aliquot Athenienſium in alto adeptus oppreſſit, & in his vnam, quæ ſtipendium vehebat in caſtra: alterámque in ora Cauloniæ, materia ad naualem vſum onuſtam, cremauit. Tentarunt interim

Athenienſes

Athenienſes ligneam cathenam reſcindere, qua Syracuſani minorem portum concluſerant, oneraria vna turrita, ac loricata expugnationi admota. Verùm ſuo conatu fruſtrati, incepto abſtinuerunt. Succeſſu Syracuſanorum ceteræ vrbes Siciliæ, exceptis Agrigentinis, auxiliares illis factæ ſunt, victoriam ſequentes. Mari terráque acriter aliquandiu, incertáque fortuna dimicatum eſt. Cùm ſuadente Ariſtone Corinthio Pyrrichi filio, rei naualis peritiſſimo, Syracuſani nauium proras, & breuiores & depreſſiores conſtituunt, vt Athenienſium naues proris altioribus, longis, & infirmis, ob ídque inutilibus, ſuis validioribus terebrarent. Quibus cùm Athenienſes laceſſerent, arma vtrinque expediuntur. Iſti claſſem LXXX. nauium inſtruunt, onerarias ante triremes certo inter ſe ſpatio collocant, vt per ea interualla, ſi fortè ab hoſtibus propellerentur, triremibus curſus, & refugium eſſet. Naues iſtæ Syracuſanis nauibus celeritate, & numero ſuperiores erant. Nautæ prꝯterea rei nauticæ peritia, diſciplina, & arte prꝯſtantiores. At enim hæc omnia etſi ad victoriam in aperto mari non parui momenti eſſent, in anguſto tamen magni portus ſinu, vbi certamen commiſſum eſt, parum valuêre. Acceſſit ad hæc ars quoque Syracuſanorum, qui, dum Athenienſes ſe ad aciem paraſſe proſpectant, ipſi recuſantibus ſimiles, ad ſtationem ſe receperunt, rerum etiam venalium forum fingunt, quò nautæ ad cibos emendos confluunt, & alia ſimulachra detractantium pugnam. Qua ſimulatione decepti Athenienſes, omnia tuta arbitrati, ad prandium ſe conferunt. Syracuſani qui in ſuis triremibus latebant, in Athenienſes, nihil tale ſuſpicantes, procurrunt, qui ieiuno corpore, ægrè conſcenſis nauigiis, pugnam cum ſaturis & paratis incipiunt; Syracuſani eos, qui in tabulatis hoſtilis claſſis ſtabant, haſtis fodiunt, impellunt, præcipitant: fundis alios, alios ſagittis, ſaxíſque petunt: in pleraſque naues roſtris fortibus incurſant, atque per aduerſas proras, figunt, hæréntque: & iam gladiis rem gerunt, nauali bello in ſpeciem terreſtris pugnæ mutato. Multæ triremes hoſtium in fugam aguntur, aliæ gurgitibus hauriuntur, aliæ compagibus diſcuſſis inutiles redduntur. Plures Athenienſium eo bello capti, cꝯſi multi, hoſtibúſque terra & mari profligatis, Syracuſani trophæum in littore poſuerunt. Dum iſti in certam rerum ſuarum ſpem efferuntur, Demoſthenes & Eurymedon cum nauibus LXXIII. v. milibus militum, tribus milibus funditorum, & iaculatorum, repentè victoribus ápparent. Fuiſſet haud dubiè maior clades ab Athenienſibus accepta, niſi ſub initium pugnꝯ delphinis plumbeis, tranſtris alligatis, & cathenis nunc in ſublime raptis, nunc in ſubiectam hoſtium claſſem prꝯcipitatis, duæ Syracuſanorum triremes nouarum machinarum pondere fractæ, & fluctibus illiſæ

non fuiſſent,roſtráq; plurimarum, delphinorum cadentium impetu detrita. Iam Athenienſibus nauale,quo olim valebant, bellum, non placebat. Illis obſidio Syracuſarum placet, ſed cùm repulſi fuiſſent,& Demoſthenes cum Eurymedonte ſentiſſet, repetendas eſſe Athenas, contradixit Nicias, infamiam veritus,ne pecuniâ corrùptus, obſidione ceſſiſſe videretur. Cognitis hoſtium conſiliis Syracuſani audaciores, eorum caſtra vltrò terrâ obſidẽt, nauibúſque in latum ordinem deductis,fauces magni portus occupant, vndè timidos probris, & conuitiis ad pugnam irritare tentant. Interea Heraclides nobilitate inſignis adoleſcens, triremi, quâ ferebatur, alias prętergreſſus,in Athenienſes licentioſius inuehebatur. Quem hoſtilis nauis vna inſequuta, parum abfuit, quin retrò ad ſuos fugientem comprehenderet: feciſſétque niſi Poliuchus, Heraclidis auunculus, x. triremibus, quibus præerat, in altum delatus, periclitanti ſubueniſſet. Ceteri Syracuſani de Poliuchi ſalute ſolliciti, vno conſenſu, nauali certamine dimicare conſtituunt: triremes LXXVI. parant, militibus inſtruunt, atque ad prælium expediunt: terreſtres etiam copias in littore diſponunt, ne quà hoſtis euaderet. Athenienſes etſi conſternati animo, & iam tum ad fugam parati, vrgente tamen diſcrimine, LXXXVI. trirémes militibus complent. Subindè acies inſtruunt. Dextrum cornu Eurymedonti dàtur: cui à Syracuſanis Agatharchus Pretor opponitur. Alterum Athenienſium cornu Eutydemus duxit, contra quem Sicanus ſtabat. Medium agmen in Athenienſium acie Menandrus tenuit: in Syracuſanà, Pythes Corinthius. Signo dato,triremes aliquot Athenienſes versùs littus proceſsêre,quarum dux Eurymedon,cùm maiori nauium numero confideret, procul à ſuis ſenſim adnauigando, cornu Syracuſanorum circumuenire nitebatur. Quem vbi ab ordinibus & reliquo agmine ſatis progreſſum Syracuſani conſpexerunt,ſubito impetu contortis remis in eum aguntur,intráque ſinum ſuis prę-ſidiis munitum,cui Daſcon nomen,compellunt. Eurymedon à circumſtantibus hoſtibus in anguſto portu concluſus, in terram ſalutem quærere coactus, mortem cum ſuis inuenit, transfoſſus, & amiſſis nauibus, antequam littus teneret. Iſtius exitus per Athenienſium claſſem diffuſus, eorum aciem ad extremam vſque deſperationem concuſſit. Cui cùm accederet Syracuſanorum nihil remittentium ferocia, victi demum fugæ ſe laxarunt. Locorum inſcitiâ, & timore prudentiam excæcante, multæ fugientium naues, vel ſcopulis impegêre, vel ſyrtibus adhæſêre. Cùm autem relictis nauibus in terram veniſſent, vbi Gylippus cum copiis erat, Sicanus, Syracuſanorum Prætor, onerariam quandam vetuſtam, quam olcadem appellant, ſarmentis facibúſque, & tædis replet, iniectóque igne ad comburendas Athenienſium

nienſium triremes, in vadis, breuibus & limoſis locis fluitantès, fauente vento, & fluctibus, exponit. Sed cauti Athenienſes machinamentis ad ignem extinguendum adhibitis, hoc ſe, claſſémque ſuam periculo liberauerunt, Gylippo terreſtri certamine ſuperato. Athenienſium duo milia nauali pugnâ deſiderata, triremes XXII. hiſtorici produnt. Indè Syracuſani maius opus adorti ſunt, animo reputantes, qualis gloria ſuam ciuitatem maneret, non apud Græcos modò, qui euerſis Athenienſium opibus in libertatem aſſerebantur: ſed apud alias quoque gentes, quòd tantum exercitum, tantam claſſem, non ſuſtinuiſſent ſolùm, ſed penitus etiam deleuiſſent. Igitur, vt hoſtem magis obnoxium haberent, anguſtias magni portus, quæ ad octo fermè ſtadia patebant, triremium, onerariarúmq; cathenâ, demiſſis in fundum anchoris, quibus ſolidius vndis hærerent, occludunt. Nicias cùm videret in portu dimicandum eſſe, CX. naues ſagittariis, aliíſque propugnatoribus munit, certus in patriam redire, ſi vinceret, ſin minus, in ſociam aliquam vrbem terreſtri itinere, deſertâ claſſe, per Siciliam euadere. Iam proceſſerat ad cathenam, cùm à Syracuſanis atroci prælio ſuſcipitur. Nunquam ad id tempus alicubi gentium, quod memoriæ proditum ſit, infeſtioribus armis pugnatum eſt, quàm in ipſis anguſtiis, & intra portum. Rari erant diſcurſus, in tam arcto maris ſpatio pugnantibus. Hærebant itaque aduerſæ acies, erátque pugna illa, terreſtri & ſtatariæ pugnæ, quàm maritimæ ſimilior. Nam præter naturam loci, qui confertis agminibus & ordine denſato pugnare cogebat, Nicias antequam certamen inciperet, vt hoſtiles proras, quibus ſuæ naues terebantur, euitaret, ferreas manus plures in ſingulis triremibus diſpoſuit, quæ in aduerſas miſſæ, repetitum prorarum concurſum impedirent, tabulatis affixæ, & hoſtes cogentes, cominùs prçliari, naue, naui iunctâ. Sed Syracuſani proras & nauium ſuperiora coriis contraxerunt, vt in his, ob duritiem, & æqualitatem, nihil habens manus iniecta, quod apprehenderet, illicò laberetur. Verum cùm in certamine, plus Syracuſanorum virtus quàm ars, vel fortuna valeret, vltrò ipſi aduerſariis nauibus iungebantur, ſeſéque in eas immittebant, vagante per plurimas neces gladio. Tum magno fragore & ſtrage Atticæ naues in ſuam ſtationem compulſæ ſunt. Cúmque placeret Demoſtheni, LX. huc nauibus integris eruptionem poſterâ die per portum rentare, militibus, & nautis fortunam rei nauticæ iterum experiri negantibus, conſtituunt duces proximâ nocte per terram proficiſci. Hæc inter Syracuſani facto in Atticas naues impetu, modico certamine, partim ſua ſtatione abſtractas ſecum deduxerunt, partim cremauerunt. Inde ad opportuna loca inſidenda conuerſi, omnia moliuntur, vt hoſtium fugam impedirent. Eu-

Thucydid. & Diodor. hic lib. 13. ille 7. Goltzius in ſua Sicilia.

E 3 rymedon

rymedon navali prælio dimicans ceciderat. Demoſthenes, & Nicias ſuperſtites, omni claſſe amiſsâ, inſepultis eorum qui perierant cadaueribus, & vulneratis, inter lacrymas, hoſtium miſericordiæ relictis, per Siciliam fugiebant: & prior quidem, exercitu cæſo, aut Gylippo victori tradito, à captiuitate, gladio ſe, & voluntaria morte vindicauit. Nicias autem ne Demoſthenis quidem exemplo, vt ſibi conſuleret, admonitus, cladem ſuorum auxit dedecore captiuitatis. Alij vtrumque captiuum à Syracuſanis necatum, ſcribunt. Partâ tam memorabili victoriâ, ingentes arbores, ad Aſſinari ripas ſtantes, Syracuſani detruncant, ornántque captiuorum ſpoliis, duóque trophæa, ducum armis fulgentia, eodem in loco ponunt: ac ſubindè coronati omnes, cum equis etiam coronatis, hoſtium detonſis, captiuis præeuntibus, triumphum in vrbem duxerunt: huiúſque victoriæ diem, qui XXIV. Carnij menſis fuit (Metageitnionem Athenienſes, Maium Latini vocant) quotannis ſolemniter celebrandum decreuerunt.

Plut.o ch.in Nicia.

OLYMPIAD. XCII.

CAPVT NONVM.

Cetera belli Peloponneſiaci.

Ex iiſdem, qui ſupra authoribus, hoc quoque caput comparatum eſt, ſi illis Diodorum addideris, lib. 13. Plutarchum in Alcibiade, Lyſandro, & Euagorâ. Thucydidem lib 8. Et Xenophontem l. 2. rer. Græcar.

POSTQVAM hæc clades Athenis nunciata eſt, pauor ingens, & ſtupor ciuitatem inuaſit: Peloponneſiacis Siculos, nouos hoſtes, acceſſuros, neque quieturos, niſi Athenis deletis. Accedebat, quòd neque naues, neque exercitus, neque iuuentus, neq; pecunia ad bellum erat. Hoſtes Agide duce, OEtæorum regionem incurſant, à Theſſalis pecuniam extorquent, Eubœos & Leſbios in fidē recipiunt. Viginti omninò naues Athenienſes inter metum, & ſpem parauerant: iis, Alcamenes Lacedęmonius, ex Cenchreis, nauali Corinthiorum, profectus, occurrit, bis victus, vltimo etiam prælio interficitur. Sed Alcibiades adhuc Laco, Alcamenis necem, Chiorum, & Clazomeniorum defectione vindicauit, qui hucvſque pro Athenienſibus ſteterant. Et vt eſt fortunæ impetus tenax, iſtorum alienationem Mileſij ſequuti ſunt, Mileſiorum defectum, fœdus Lacedæmoniorum cum Tiſſapherne Darij Perſarum Regis, prætore. Cuius claſſis Lacedæmoniis, ſociíſque eorum iuncta, Teïum, Lebedum, & Eras Athenienſibus ademit. Sed aliquanto prius quàm hęc in orâ Ioniæ gererentur, XXVII. naues Athenienſium circa Leucadiam, Gylippi è Sicilia redeuntis claſſem ad Corinthiacum vſ-

que

que portum fugientem ſequutæ ſunt. Chiæ ad hæc naues ad Boloſſum fuſæ. Quò factum eſt, vt Chij iterum in imperium Athenienſium tranſirent, quorum M D. nauibus Atticis impoſiti, Miletum, mox Samum obſidione cinxerunt. Harum nauium VII. ad Symam ab Aſtyocho interceptæ ſunt. Alienato deinde à Lacedæmoniis Alcibiade, quòd Agidis Regis vxorem adulteraſſet, & Tiſſapherni Darij præfecto, mox etiam Athenienſibus, conciliato, claſsíque Prępoſito, Athenienſium vires reſurgebant, niſi quòd inter ſe de commutando Reipub. ſtatu diſcordes etant. Sed eos geminata cauſa ſociauit, Alcibiadis ſcilicet potentia, & hoſtium ad Pyreæum acceſſus; quibus factum eſt, vt omiſſo ciuili bello, naues tumultuosè complerent, vincerentúrque ob id ipſum, paulò ſupra Etethrienſem portum, ab Agiſandridâ hoſtilis claſſis Præfecto, fugati. Qui XXII. Atticis nauibus cum remige potitus, vbi pugnatum erat, trophæum fixit. Iſta, & Bizantinorum, Eubœorúmque defectio, Athenienſes à periculo ad concordiam reduxit, excidij certi, ſi diſſentire perſeueraſſent. Igitur antiquatâ Oligarchiâ, populo Reip. cura data eſt. Decretúmque, vt Alcibiades, quíque cum eo exulabant in ciuitatem reuocarentur. Sic conſociatis ciuium animis, Samo Thraſylus ſoluens, Leſbum venit. Hunc Mindarus Peloponneſiacæ claſſis dux fugiens, Leſbo ad lęuam relictâ, in Helleſpontum abiit, Sigæúmq; primò tenuit. Erant apud Seſtum XXII. Athenienſium naues, quæ vbi ex ignibus paſſim de ſpeculis circa littora fulgentibus, hoſtem adeſſe cognouerunt, Eleuntem priuſquam illuceſcetet petere ſtatuunt, vt patentiore pelago hoſtem euitarent. Et iam curſum in Cherſonneſum intenderant, cùm ſub lucem hoſtem in conſpectum habuêre. Tum fugam è veſtigio capeſſentes, in Lemnum pleræque incolumes effugerunt, quatuor poſtremæ in curſu ſunt circumuentæ: vna circa Proteſilai delubrum, cum ipſis propugnatoribus impacta, duæ vacuæ oppreſſæ, quæ reliqua fuit, ante Imbrum concremata eſt. Thraſylus, qui in Leſbo ad Ereſum ſtabat, audito hoſtium in Helleſpontum ingreſſu, relictâ Ereſi oppugnatione, ſuis celeri curſu ſuppetias iuit, fugientéſque ſuorum naues recipiens Peloponneſiacas duas oppreſſit. Mox quinque diebus in apparatu pugnæ conſumptis, cùm hoſte dimicauit. Legebat Attica claſſis Seſtianam oram, in cornua digeſta, cui Peloponnenſes ex Abydo, pugnandi ſtudio, obuiam pręceſsêre. Tum verò ſeſe ex aduerſo intuiti, ſine morâ naues in pugnam expediunt. Lacedęmonij ex ora Aſiæ ab Abydo ad Dardanum, LXVIII. nauium aciem explicuêre, quarum dextrum cornu Syracuſani tenebant, læuum Mindarus. Athenienſes ab Europâ inter Idacum & Atriana, cum LXXXVI. triremibus ex aduerſo ſtetêre. In ſiniſtro cornu Thraſylus procurabat, in dextero

tero Thraſybulus. Pulſum ab initio eſt dextrum Athenienſium cornu, à ſiniſtro Peloponnenſium, & ad terram compulſum, circa Canis ſepulcrum. Id Hecubæ Priami fuiſſe fama ferebatur, quæ iis in locis, Grçcorum iniuriâ, poſt euerſum Ilium occubuerit. Thraſylus diuersâ parte non ſolùm Syracuſanos fudit, ſed & Lacedæmonios, qui nuper vicerant, ad Pydij fluminis oſtia, & Abydum deiecit, nauibus XXII. ademptis. Ex Athenienſibus quoque XV. naues deſideratæ ſunt. Ea victoria victorum animos in ſpem futuri ſucceſſus erexit, quòd vinci deſiiſſent. Quarto poſt pugnam die, Athenienſes ex Seſto Cyzicum, quæ ad hoſtes defecerat, petierunt, eorúmque octo nauibus inter eundum circa Priapum obrutis, Cyzicenos ad imperium retrahunt. Mindarus Spartanorum Archithalaſſus receptis nauibus, quas amiſerat, ad Eleuntem, in Eubœam nauigauit. Impediuerat Alcibiades ne Phœnicum claſſis Peloponneſiacæ iungeretur, additum eſt illius gloriæ, vt & iiſdem ſubueniret contra Dorieum, & Mindarum, in Helleſponto pugnantibus, circa Abydum. Hoc prçlio amiſſas ſuorum naues, hoſtium vacuas XXX. in poteſtatem ſuam ſuſcepit. Mox ad Cyzicum Mindarum, & Pharnabarum proſternit, hunc fugat, illum occidit. Indè victrici claſſe vaſtat Aſiam, multis locis prçlia facit, vbique victor; recipit ciuitates, quæ defecerant, nonnullas capit, & imperio Athenienſium adiicit. Atque ita priſcâ nauali gloriâ vindicatâ, adiectâ etiam laude terreſtris belli, deſideratus ciuibus ſuis, Athenas reuertitur. His omnibus prçliis CC. naues hoſtium, & prçda ingens capta. Ad hunc redeuntis triumphum effuſa multitudo obuiam procedit, & vniuerſos quidem milites, præcipuè tamen Alcibiadem, miratur. Tantum in vno viro fuiſſe momenti, vt maximi Imperij ſubuerſi hoſtis, & rurſum recepti, conciliatus author fuerit, & vndè ſtetiſſet, eò ſe victoria transferret. Igitur omnibus humanis tantùm, verum etiam & diuinis eum honoribus Athenienſes decorant: certant ſecum ipſi, vtrum contumelioſius eum expulerint, an reuocauerint honoratius. Ipſos illi Deos gratulantes tulerunt obuiam, quorum execrationibus deuotus fuerat. Sic Alcibiades nunquam mediocribus, nec in offenſam, nec in fauorem ſuorum ſtudiis exceptus eſt. Dum hæc aguntur, à Lacedæmoniis Lyſander claſſi, bellóq; prçficitur, & in locum Tiſſaphernis Darius Rex filium ſuum Cyrum Ioniæ, Lydiæque prçpoſuit, qui Lacedæmonios auxiliis opibúſq; ad ſpem fortunæ prioris erexit. His lætus Lyſander, ſtipendióq; in menſem à Cyro accepto, ad mare reuerſus, LXXX. nauibus Epheſum proficiſcitur, cui cùm Alcibiades C. nauibus occurriſſet, hoſtíſque pugnam detractaret, vt Clazomeniis diſſidentibus pacem adferret, eóſque in Athenienſium ſocietatem contineret, in Cariam

Hic hiſtoria Thucydidis finem habet, non enim ſcripſit vltra ann. 21. Peloponneſiaci belli.
Trogus lib. 5.

Diodor. lib. 13.
Sabell. Enn. 3. l. 9.

Cariam tendit: relicto, qui claſſi imperaret, Antiocho, monitóque, ne pugnaret ſe abſente. Ille, profecto Alcibiade, mandatorum immemor, vel contemptor, cum duabus triremibus ad ipſas vſque proras nauium, quæ in Epheſino portu ſtabant, conuiciis hoſtem irritare cepit, quem ſubſequutus Lyſander, Athenienſium claſſem, ſine imperio, ſine conſilio temerè progreſſam, ſpargit, opprimit, tantáque cædes palantium fuit, vt plus vulneris eo prælio Athenienſes acceperint, quàm ſuperioribus dederant. Tanta ob id deſperatio Athenienſibus fuit, vt ipſi ex continenti, Alcibiadem ducem Conone duce commutarent: arbitrantes, victos ſe non fortuna belli, ſed fraude Imperatoris: apud quem plus prior offenſa valuiſſet, quàm recentia beneficia. Viciſſe autem eum priore bello, ideò tantùm, vt oſtenderet hoſtibus, quem ducem ſpreuiſſent, & vt carius eis ipſam victoriam venderet. Omnia enim credibilia in Alcibiade, vigor ingenij, & vitiorum amor, faciebat. Veritus itaque multitudinis impetum, denuò in voluntarium exilium proficiſcitur. Itaque Conon Alcibiadi ſuffectus, habens ante oculos, cui duci ſucceſſiſſet, claſſem maximâ induſtriâ comparat: ſed nauibus exercitus deerat, fortiſſimis quibúſque in Aſiæ populatione amiſſis. Armantur ſenes, & impuberes, & numerus ſine exercitus robore expletur. Sed non magnam bello moram ætas fecit. Imbelles, aut cæduntur paſſim, aut fugientes capiuntur: tantáque ſtrages, aut occiſorum, aut captiuorum fuit, vt Athenienſium deletum non Imperium, verumetiam nomen videretur. Cononem enim, Callicratidas ſucceſſor Lyſandro datus, alto mari fugatum, in Mitylenem compulit; iterúmque in ipſo portu victum, cetera nauium in terram ſubducere coëgit, & vrbi ſe, ſuóſque claudere. Diomedontem quoque in Cononis auxilium cum XII. nauibus properantem, captis, X. triremibus totum profligauit. Tot cladibus aliis ſuper alias venientibus, Athenienſes afflicti, ad extremam præterea redacti inopiam, conſumptâ militari ætate, peregrinis ciuitatem, ſeruis libertatem, damnatis impunitatem, dederunt. Eáque colluuione hominum, domini antea Græciæ, conſcripto exercitu, vix libertatem tuebantur. Iterum tamen fortunam maris experiendam decernunt. Tanta virtus animorum erat, vt cum paulò ante ſalutem deſperauerint, nunc non deſperent victoriam. Itaque totis velis ad Arginuſas contendunt, ante Leſbum in Maleæ conſpectu, ad quod promontorium Callicratidas, Theonico ad obſidionem Mytilenes relicto, cum CXX. nauium claſſe conceſſerat. Hic ab Hermone Megarenſi monitus, vt abſtineret prælio, quòd Attica claſſis CCL. triremium eſſet, cadendum eſſe dixit, aut vincendum. Dextrum cornu ductabat, ſiniſtrum Thraſon Thebanus, cum Bœotiis. Hunc contra Protomachus dextrum

Hoc accidit ann. 14. Peloponneſiaci belli ann. 2. OLYMPIAD. XCIII.

Athenienſium regebat, cui ſuccedebat Thraſylus, Thraſylo Lyſias, Lyſiæ Ariſtogones. Ad læuam Ariſtocrates erat, cum x v. nauibus, huic ſuccedere debebat cum totidem nauibus Diomedon, Diomedonti, Pericles. Vt claſſicum tubicines, iubentibus ducibus cecinêre, vt è Prætoriis vtrinque nauibus purpureum vexillum ſublatum eſt, quibus pugnandi licentia fiebat, Callicratidas certus perire ex oraculi monitu, Nauſij Prætoris triremem primo roſtrorum impulſu præcipitat in profundum, aliorum alas, tranſtra, gubernacula, remóſque frangit, poſtremo in carinam Periclis impactus, ferreíſque vndique manibus retentus, fortiter reſiſtendo, poſt varia data, acceptáque vulnera in mare præcipitatur. Peloponneſiaca acies, amiſſo duce, ſtatim inclinare cepit, fugámque in Chium, Phoceámque dirigere. Naues circiter L X X. in Athenienſium poteſtatem venêre. Theonicus, auditâ ſuorum clade, victores timens, Mytilenes expugnationem deſeruit, caſtríſque incenſis, terreſtri itinere Metymnam petiit. Conon, qui obſidebatur, hoſte liberatus, deductis repentè nauibus, obuiam ſuis proceſſit. Ibi poſt mutuam victorum ducum gratulationem, Athenienſes Samum ad hyberna profecti ſunt. Fuítque hic annus belli Peloponneſiaci x x v. Ceterum cùm multi Athenienſium eo prælio cecidiſſent, nauéſque x x v. periiſſent, claſsíſque duces naufragia ſuorum colligere, & humare cadauera neglexiſſent, Thraſylus, Calliades, Lyſias, Pericles, & Ariſtocrates vltimo ſupplicio affecti ſunt. Protomachus in pugnâ occubuerat. Ariſtogenes iudicium ſuorum voluntario exilio, pœnámque vitauit. Sub initium Veris, Cyro, & Epheſis poſcentibus Lyſandrum claſſis ducem, in Callicratidæ locum, Lyſander Dux Spartanorum factus, Rhodum vſque progreſſus eſt, Rhodo in Helleſpontum reuerſus, Lampſacum expugnauit, ac diripuit. Erant tunc Athenienſes in Eleunte, cùm Lampſaci expugnationis certi, ad Ægos amnem claſſem promouerunt. Eſt is Thraciæ fluuius, haud procul Lampſaco in Helleſpontum decurrens. Duces Athenienſium erant, Tydeus, Menander, & Adimantus. Quibus Alcibiades, qui in Cherſonneſo exulabat, ſiue Imperatoriæ diſciplinæ oſtentandæ gratia, ſiue charitate patriæ ductus, iunxit ſe, oſtendítque locum hunc neque à maris iactatione, neque ab hoſtium incurſionibus tutum, neque frumentationi idoneum, irent Seſtum ſecuriſſimum, & omni rerum copiâ abundantem portum. Neglexerunt ſalubre Alcibiadis conſilium duces, terráque vagantes, victum armis quærebant, cùm Lyſander totam eorum claſſem, & in eâ I I I. M. militum ſubito concurſu proſtrauit. Reliqua turba, vt ſuus quémque impetus tulit, terrâ euaſit: Conon mediâ trepidatione dilapſus, cum V I I I. nauibus in Cyprum ad Euagoram aufugit. Paralos nauis, Athenas

Aliqui volunt non Lyſandrum maris Præfectura à Spartanis donatum, ſed Araconem, cui Lyſander Legatus accederat: quoniam Lacedæmoniorum Legibus vetitum erat, ne quis maris Præfecturam ſecundò gereret.

Athenas acceptæ cladis nuncia, feſtinauit. Vtebantur eo nauigij genere Athenienſes, ad reos ex Prouinciis in vrbem deportandos. Ipſa Pyreęum noctu ingreſſa, tantam attulit trepidationem, vt totâ nocte à fletu, & lamentatione ceſſatum non ſit. Lyſandrum victrici claſſe affuturum pręſagiebant, nec eos ſua opinio fefellit. Affuit victor, Pyreæúmque inſedit, receptis, victoriæ feſtinatione, omnibus inſulis, vrbibúſque Ægei & Ionij maris, ſi Samum exceperis: miſſis Lacedæmona captiuis nauibus, in triumphi modum, floribus, & hoſtilibus armis decoratis. Tum demum Athenienſes, vrbe terrâ, maríque obſeſsâ, quæ ſola miſeris reſtabat, pacem petunt, impetrauerúntque, muro deiecto, versùs Pyreæum, nauibúſque, quæ reliquæ erant, hoſti traditis, qui vrbi rectores XXX. daret. In has leges traditam ſibi vrbem Lacedæmonij formandam Lyſandro tradiderunt. Rectores XXX. conſtituuntur, qui fiunt tyranni, cæſis ad nutum ciuibus. Fit igitur ex vrbe paſsim omnium fuga, repletúrque Gręcia Athenienſium exulibus, quod etiam ipſum auxilium miſeris eripitur: nam Lacedæmoniorum edicto, ciuitates, exules recipere prohibebantur. Omnes ſe Argos, & Thebas contulêre: vbi etiam non ſolùm tutum exilium egerunt, verum & ſpem recuperandæ patriæ receperunt. Subactâ autem Athenarum vrbe, Lyſander, muros, turres, Pyreæúmque modulantibus tibiis diruit. Naues, quæ in portu erant, ſibi conceſſas, coronatis ſociis, & tanquam in celebri pompâ ludentibus, ad tibiam ſimiliter cremari iuſſit. Poſthæc Samios ſubegit, ornamenta captarum nauium, aureas coronas, aliáque ampliſſima munera, quæ à ciuitatibus, & inſulis victor acceperat, pecuniámque argenteam ingentem Lacedæmonem miſit. Tum primùm argenteo numo vſos Spartiatas hiſtorici tradunt, cùm antea ferreo vterentur, & hoc tantùm ad publicas res, non autem ad priuatas. Lyſandro victori, certatim Græciæ vrbes exquiſitiſſimos honores decreuêre à quibuſdam aræ illi, vt Deo, erectæ, quod Gręcorum nulli antea contigerat, Peana eidem decantatum ſcribunt. Sic bellum Peloponneſiacum Anno, XXVII. captis Athenis, finitum eſt: quo etiam tempore, Darius Perſarum Rex, terras reliquit, & Dionyſius tyrannus Siculorum Principatu excidit.

* * *

Diodor. lib. 13. ait, duas naues Athenienſibus ad commercium tantùm relictas.

F 2 CAPVT

CAPVT DECIMVM.

Athenienſes maris dominium recipiunt. Variè inter ſe Græci pugnant, donec compenerentur, pacem ſuadente Perſarum Rege. Finis Imperij Græcorum.

Olympiad. XCIV. an. 2. *Trogus lib. 5.*

ERAT inter exules Athenienſium Thraſibulus, qui audendum aliquid pro patria, & pro ſalute communi etiam cum periculo ratus, adunatis exulibus, caſtellum Phylen, Atticorum finium, occupat: nec deerat quarundam ciuitatum tam crudeles Athenienſium caſus miſerantium fauor. Menias Thebanorum Princeps, Lyſias Syracuſanus orator, Thraſibuli auxilio ſtipendiis ſuis collectos milites mittunt. Vincuntur tyranni, qui ceteros Athenienſes ſuſpectos habentes, vrbe pellunt, auxiliáque à Lacedæmoniis petunt. In eo bello Critias, & Hippolochus, omnium tyrannorum ſæuiſſimi, cadunt. Ceteris Eleuſinam emigrare iuſſis, viri decem ſubſtituti ſunt, qui Remp. regerent. Pauſanias Rex, Lacedæmone contra Athenienſes mittitur, ſed is exulis populi miſericordiâ motus, patriam ciuibus reſtituit. Quibus rebus cùm pax ſtatuta eſſet, indignati tyranni ſe pulſos vrbe fuiſſe, bellum renouant, verum illi ſpe recipiendæ dominationis, cùm ad colloquium cum Athenienſibus veniſſent, trucidantur. Atque ita per multa membra ciuitas diuiſa, ſecundo poſt captiuitatem anno, in vnum tandem corpus redigitur: & ne qua diſſenſio ex anteactis naſceretur, omnes iureiurando obſtringuntur, diſcordiarum obliuionem fore. Interea Thebani, Corinthiíque ad Lacedæmonios mittunt, qui ex manubiis portionem prædæ communis belli, periculíque peterent: quibus negatis, non quidem apertè bellum aduerſus Lacedæmonios decernunt, ſed tacitis animis tantam iram concipiunt, vt ſubeſſe bellum intelligi poſſet. Lacedæmonij, ſociorum querelis neglectis, more ingenij humani, quò plura habent, eò ampliora cupientes, non contenti acceſſione Athenienſium opum, vires ſibi duplicatas, totius Aſiæ Imperium affectare ceperunt. Iam Cyro, contra Artaxerxem, qui Dario ſucceſſerat, auxilia dederant, iam Hercylidem ducem in hanc militiam elegerant, iam Tiſſaphernem, alterum è Prætoribus Perſarum, corruperant, cùm Conon Athenienſis, qui in Cypro exulabat, ab Artaxerxe in Tiſſaphernis locum, iuſſus eſt claſſi præeſſe. His cognitis Lacedæmonij à rege Ægypti Hercymonem in

Idem lib. 6.

in auxilium naualis belli per legatos petunt, à quo c. triremes, & ſexcentum millia modiorum frumenti miſſa; à ceteris quoque ſociis ingentia auxilia contracta ſunt. Sed tanto exercitui, & contra tantum ducem, qualis Conon erat, dignus Imperator deſiderabatur. Itaque poſtulantibus ſociis Ageſilaus Lacedæmoniorum Rex Dux bello legitur. Diu Lacedæmonij, an eum ſummæ rei pręponerent, deliberauerunt, propter reſponſum oraculi Delphici, quo illis Imperij finis denunciabatur, cùm regium claudicaſſet imperium: erat enim claudus Ageſilaus. Ad poſtremum ſtatuerunt, melius eſſe inceſſu Regem, quàm Imperio regnum claudicare. Ageſilaus & Conon magni duces, veluti tempeſtas quædam, vt ſigna mouerunt, obuia quæque proſternunt. Hic in orâ Lacedæmonis, ille in Aſiâ. Lyſander, ab Ageſilao in Aſiam proficiſcente, dux patriæ relictus, ingentem claſſem ſummis viribus inſtruit, fortunam belli tentaturus. Necnon & ipſe Conon, nunc primùm cum hoſtium exercitu concurſurus, magnâ curâ ſuos ordinat. Summa igitur non tam ducum in eo pręlio, quàm militum æmulatio fuit. Nam ipſe dux Conon, non tam Perſis, quàm patriæ ſtudebat, & ſicuti afflictis Athenienſium rebus author amiſſæ dominationis fuerat, ſic volebat idem haberi redditæ: patriámque vincendo recipere, quam victus amiſerat. Lyſander verò pręter coniunctionem Ageſilai, etiam virtutum æmulator erat, contendebátque, ne à rebus geſtis eius, & glorię ſplendore decederet, néve tot bellis, ac ſæculis quæſitum Imperium, breuiſſimi momenti culpa ſubuerteret. Circa Gnidum claſſes congrediuntur, maximis viribus; in hoc prælio Petiarchus, qui triremi Laconum imperabat, fortiter pugnando cecidit, victi Lacedæmonij fugam capeſſunt, L. triremibus in poteſtate Cononis relictis, qui Laconiæ fines claſſe populatus, Athenas profectus, miro ciuitatis ſtudio ſuſceptus eſt. At ille incendio, & ruinis ciuitatis commotus, lacrymas, & ſuſpiria dedit, cùm ipſe aurum Perſicum, & manubias Laconum ad reparandas Athenas porrigeret. Fuítque illud fortunæ ludibrium memorabile; vt eadem vrbs, quæ olim Perſarum manu deflagrauerat, eorumdem captiuorum manibus & gaza fuerit reſtituta: & mox à Lacedæmoniis exciſa, Lacedæmoniorum ſpoliis auróque Perſarum ſtipendiario reſarta, vnde non modò antiquum decus & formam receperit, ſed & ab excidio nobilior, & ſplendidior ſurrexerit. Sic maris Imperium à Spartanis turſus ad Athenienſes rediit. Sequuti ſunt Athenienſium victoriam Ionij, Helleſpontiíque: Thebani, Corinthiíque & Argiui profeſſis odiis contra Lacedæmonios arma ſumpſerunt. Rhodij quoque, eiectâ Peloponneſiorum claſſe, à Lacedæmoniis defecêre. Cononémque cum omni claſſe intra vrbem receperunt.

Xenophon lib. 3. & 4. Diodor. lib. 14. Plut. in Artaxerx.

Vbi Lacedæmoniorum claſſem, quâ donatum à rege Ægyptiorum frumentum vehebatur, defectionis ignaram, & in portum confidenter ingreſſam, ceperunt, vrbémque frumento repleuêre. Horum deditionem Chij, Niſiçi, Tij, Mitylenæi, Epheſij, Erythreíque ſequuti ſunt. Hinc varia bella exarſerunt, nondum deletis in totum Lacedæmoniis, Arcadicum, Bœoticum, Thebanum, Lacedæmonium primum & ſecundum, & Tegeaticum; nomina à populis contra Spartanos pugnantibus, aut ab ipſis Lacedæmoniis, aliis populis bellum inferentibus deducta. In Thebanorum auxilia Athenienſes LX. triremes Timothei ductu miſerant, ad Peloponneſiacam oram vaſtandam: huic ſe pari nauium numero Nicolochus, haud procul Corcyrâ obiiciens, ingenti clade affectus eſt. Iſtius ignominiam cùm vindicare vellet Mnaſippus, & ipſe alteri Lacedæmoniorum claſſi Præfectus, ſuo dedecore, & ruinâ auxit, ad eandem Corcyram victus & cæſus nauali prælio ab Athenienſium duce Steſicleo. Poſtea cùm Spodriades, Cleombroto Lacedæmoniorum Rege impellente, Pyreæum occupare tentaſſ.t, indignabundi Athenienſes vim ſibi inter inducias illatam, inter N.xum & Parum cum Pollide Lacedæmoniorum nauarcho conflixerunt. Et Pollis quidem laceratis nauibus, quibus ſiniſtrum hoſtium cornu conſtabat, Cedonem Athenienſem, qui huic præerat, ſuâ manu confodit. Aduolauit in opem ſuorum Chabrias, dextero in cornu pugnans, totóque impetu in Lacedæmonios inuectus, latè ſtragem fugámque fecit, cadaueribúſque ſuorum fluctibus innatantium collectis (memor, duces qui ad Arginuſas vicerant, quia ſuos ſepelire neglexiſſent, capite mulctatos) omnia humari iuſſit. Poſthęc Athenienſes Duce Timotheo Cononis filio ad Leucadem nauali prælio Lacedæmonios vincunt: naues à Dionyſio Siciliæ tyranno Spartanis miſſas prope Corcyram fugant, earúmque IX. capiunt, venditíſque captiuis, LX. talenta colligunt: Toronam, & Potidæam, terreſtribus & naualibus copiis cinctas, o:cupant. Cùm autem terrà vario euentu inter Athenienſes & Lacedæmonios, ceteróſque Gręcos dimicatum eſſet, Gręci inter ſe pacem fecerunt, exceptis Lacedæmoniis, quibus contra Meſſanenſes inimicitiæ immortales erant. Quo tempore Tachus rex Ægypti cum Artaxerxe Perſarum Rege bellum geſturus, terreſtrium copiarum imperium mandauit Ageſilao regi Spartæ, maritimarum verò, Chabriæ Athenienſi. Hęc inter Ageſilaus, & Artaxerxes moriuntur. Artaxerxis Regnum Ochus ſuſcipit.

Hoc euenit anno vltimo.

OLYMPIAD. C.

Xenophon lib vlt. Diodor. lib 15. Sigonius in tractatu, cui titulus. Athenienſium tempora.

OLYMPIAD. CI.

OLYMPIAD. CIV.

CAPVT

CAPVT VNDECIMVM.

Imperium Macedonum, Maritima eorumdem: vſque ad Perſeum, ſub quo Macedonia Prouincia populi Romani facta eſt.

MACEDONIA antea Æmonia, & Emathia nominata, cingitur versùs Septentrionem Mœſiæ, & Dalmatiæ montibus: ab occaſu mari Adriatico, & Ionio, ab ortu Ægeo abluitur: meridianam oram Epiroticæ gentes, & Grçciæ terminant. Sed poſtea virtute Regum, & gentis induſtriâ, ſubactis primò finitimis, mox aliis nationibus, Imperium vſque ad terminos Orientis prolatum eſt. Poſt bellum Troianum illa pars, quæ Pœonia, mox Pannonia, hodie Sclauia dicitur, à Telegono regnata eſt. Ex alio latere in Europâ, Europus regnum tenuit. Sed & Caranus, cùm magnâ multitudine Græcorum, reſponſo oraculi iuſſus ſedes quærere, oſtendentibus capris, caprarum gregem ſequutus, ad Edyſſam, Macedoniæ vrbem venit, quam à capris Ægeam, populum Ægeadas vocauit. Hic regibus Macedoniæ pulſis, in locum omnium ſolus ſucceſſit, primúſque adunatis gentibus variorum populorum, veluti vnum corpus Macedoniæ fecit. Ex eo poſt variam Regum ſucceſſionem Philippus deſcendit, Magni Alexandri pater. Is à fratre Alexandro obſes Thebanis datus, prima pueritiæ rudimenta in vrbe ſeueritatis antiquæ, & in domo Epaminondæ ſummi & philoſophi, & Imperatoris depoſuit. Poſtea vocatus ad regnum, non contentus ſummouere bella, vltro etiam quietos laceſſiuit. Theſſalos ſubegit, à quibus, ſicut & à Thebanis, contra Phocenſes, * qui templum Apollinis Delphici occupauerant, & ſpoliauerant, dux eligitur. Quibus terreſtri pugnâ ſuperatis, incredibile eſt, quantam ea res apud omnes nationes Philippo gloriam dedit. Illum vindicem ſacrilegij, illum vltorem religionum, ſolum, qui piacula exigeret, extitiſſe dignum. At ille ne à victis ſacrilegij ſcelere vinceretur, ciuitates, quarum paulò ante dux fuerat, quæ ſub auſpiciis eius militauerant, quæ gratulatæ, ſibi, & victoriam nactæ fuerant, hoſtiliter vexatas diripit, non ædibus ſacris, non Penatibus publicis, priuatíſque parcit, Indè veluti rebus egregiæ geſtis, in Cappadociam traiicit, vbi bello pari perfidiâ geſto, captíſque per dolum, & occiſis finitimis Regibus, vniuerſam Prouinciam

Trogus lib. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. & 14.

** Hoc bellum, ob id, ſacrum appellatum eſt, durauit annos nouem. Incepit anno ſecundo* OLYMPIAD. CVI.

Sigonius Athenienſ temp. Diodor. hic lib. 16 & 17.

uineiam Imperio Macedoniæ coniungit. Auraria in Theſſaliâ, argenti metalla in Thraciâ, occupat. Pyraticam quoque exercet, mercatores obuios ſpoliat, prędáque per fas, & nefas quæſitâ, cæſíſque, & ſpoliatis duobus Thraciæ Regibus, ſub ſpecie pacis, Thermopylarum anguſtiis potitur, dataque Phocenſibus fide, per Deorum ſimulacra, & ſacras ędes furit, parcere neſcius etiam inſenſibilibus. Hinc Dardanos expugnat, terrâ, marique Byzantium obſidet, in quâ obſidione exhauſtis, quos parauerat theſauris, iterum pecuniam de pyraticâ mutuatur. Captis itaque CLX. nauibus mercatorum, in Scythas profectus, eos aſtu vincit. Vbi Scythiâ rediit, diu diſſimulatum bellum Athenienſibus infert. Prælio commiſſo, cùm Athenienſes longè maiori militum numero pręſtarent, aſſiduis bellis induratâ Macedonum virtute vincuntur. Hic dies vniuerſæ Gręciæ & gloriam dominationis, & vetuſtiſſimam libertatem finiit. Sed neque gloriatus eſt Philippus, nec Regem ſe Græciæ, ſed ducem appellari iuſſit. Quod illi nomen totius Gręciæ, apud Corinthum ab eo conuocatæ, conſenſu, conceſſum eſt, aduerſus Perſas, in quos initio ſequentis veris tres duces pręmiſit in Aſiam: Parmenionem, Amyntam, & Attalum. Ipſe dum ſe expeditioni parat, inter feſta & conuiuia cæſus eſt à Pauſaniâ, ex nobilibus Macedoniæ. Huic Alexander ſucceſſit, diſſimilis patri: aperta vi bella tractans, palam fuſis hoſtibus gaudens, amicis gratus, & benefactor, miſericors victis, & fraudis neſcius. Quibus Orbis imperij iacta à patre fundamenta, conſummauit. Cùm Gręci illum in locum patris, ſibi Ducem elegiſſent, publicíſque comitiis Imperium in Perſas commiſſum eſſet, Helleſponto claſſe tranſuecto, Miletóque expugnata, naues omnes in Gręciam remiſit, victóque ad Granicum amnem Dario, hęſit ad Tyrum Syriæ vrbem. Ceterum antequam ad obſidionem Tyri deſcendam, iſtud minimè omittendum duxi, Alexandrum cùm è claſſe Aſiam primò conſpexiſſet, duodecim aras Diis duodecim in ipſis nauibus ſtatuiſſe, hoſtiáſque mactaſſe bello victoriam petens, priuſquam vlla triremis littore excederet: mox in continentem delatum, iaculum, velut in hoſtilem terram ieciſſe, armatúmque de naui, tripudianti ſimilem, proſiluiſſe: rurſúmque hoſtias cædi iuſſiſſe, precatum, ne ſe Regem illæ terræ inuitæ acciperent. Quem morem ſacrificandi, & denunciandi per iaculi vibrationem belli, à Romanis poſtea vſurpatum nouimus. Iam ad alia redeo. Amyntas ab Alexandro ad Darium Perſarum Regem transfugerat, Perſicis opibus ad Pyrhamum fractis, cum fortunâ fidem mutandam ratus, ex fugâ Tripolim delatus, in Cyprum cum quatuor milibus militum tranſmiſit, & ex Cypro in Ægyptum, conſilio, eius terræ per occaſionem occupandæ. Illi Ægyptij coniuncti, Perſica

OLYMPIAD. CXI.

ca pręſidia in vrbem Memphim cogunt. Sed illa, eruptione facta, Amyntam cum Ægyptiis, ad vnum occidunt. Is exitus perduellis fuit. Parte alia Ariſtò Macedonicæ claſſis pręfectus, ad Helleſpontum nauali pręlio Perſas vincit. Iam tota Syria, iam Phœnice quoque, excepta Tyro, Macedonum erant: habebátq; Rex caſtra in continenti, à quo vrbem anguſtum fretum dirimit. Vrbs claritate & magnitudine ante omnes vrbes Syriæ, Phœnicéſque memorabilis, facilius ſocietatem Alexandri accepturа videbatur, quàm imperium. Coronam igitur auream legati domum afferebant, commeatúſque largè, & hoſpitaliter ex oppido adduxerant. Ille dona, vt ab amicis, accipi iuſſit, benignéque legatos alloquutus; Herculi, quem illi colerent, ſacrificare velle ſe dixit: Macedones credere ab illo Deo ipſos genus ducere. Legati reſpondent, eſſe templum Herculis extra vrbem, in eà ſede, quam Palætyron ipſi vocant: ibi Regem ſacrum Deo ritè facturum. Non tenuit iram Alexander, ſeque in eam vel intraturum dixit, vel oppugnaturum. Vrbem à continenti quatuor ſtadiorum fretum dirimebat, Africo maximè obiectum, crebros ex alto fluctus euoluens: nec accipiendo operi, quo Macedones terræ inſulam iungere parabant, quicquam magis, quàm ille ventus obſtabat. Quippe vix leni, & tranquillo mari moles agi poſſunt. Africus verò prima quæque congeſta pulſu illiſa mari ſubruit, nec vlla tam firma moles eſt, quam non excidant vndæ per nexus operum manantes, & vbi acrior flatus exiſtit, ſummi operis faſtigio ſuperfuſæ. Pręter hanc difficultatem, haud minor alia erat: muros, turréſque vrbis præaltum mare ambiebat. Non tormenta niſi è nauibus procul excuſſa emitti, non ſcalæ mœnibus applicari poterant: pręceps in ſalum murus pedeſtre interceperat iter. Naues nec habebat Rex, & ſi habuiſſet, pendentes & inſtabiles miſſilibus arceri poterant. Igitur bello decreto, per muros, turréſq; tormenta diſponunt, arma iunioribus diuidunt, opificéſque, quorum copia vrbs abundabat, in officinis diſtribuunt: omnia belli apparatu ſtrepunt. Ferreæ quoque manus, quas harpagonas vocant, & alia tuendis vrbibus excogitata, pręparabantur. Vis magna ſaxorum Macedonibus erat, Tyro vetere prębente: materies è Libano monte ratibus & turribus faciendis vehebatur. Iámque fundo maris in altitudinem montis opus excreuerat, nondum tamen aquæ faſtigium æquabat: & quò longius moles agebatur à littore, hòc magis quidquid ingerebatur, præaltum abſorbebat mare. Cùm Tyrij paruis nauigiis admotis, nondum commiſſum vrbi opus circuire ceperunt, & miſſilibus eos, qui pro opere ſtabant, inceſſere; deſcendere etiam in littus, & ſaxa, materiámque geſtantes obtruncare. Alexander ne ſegniter vni vrbi aſſidere videretur, moli continuandæ Perdic-

OLYMPIAD. CXII.

Q. Curt. lib. 4.

cam, Craterúmque præfecit: ipſe cum expedita manu Arabiam petiit. Inter hęc Tyrij nauem magnitudine eximia, ſaxis arenáque à puppi oneratam, ita vt multùm prora emineret, bitumine ac ſulphure illitam, remis concitauerunt: & cùm magnam vim venti vela quoque concepiſſent, celeriter ad molem ſucceſſit. Tunc prorâ eius accensâ, remiges deſiliêre in ſcaphas, quæ ad hoc ipſum pręparatæ ſequebantur. Nauis autem igne concepto, latius fundere incendium cepit, quod priuſquam poſſet occurri, turres, & cetera opera, quæ in capite molis erexerat Alexander, comprehendit. At qui deſilierant in parua nauigia, faces, & quidquid alendo igni aptum erat, in ardentem nauim ingerunt. Iámque non modò Macedonum turres, ſed etiam ſumma tabulata conceperant ignem, cùm ij, qui in turribus erant, partim haurirentur incendio, partim armis omiſſis, in mare ſe immitterent. At Tyrij, qui capere eos quàm occidere mallent, natantium manus ſtipitibus ſaxíſque lacerabant, donec debilitati, impunè nauigiis excipi poſſent. Nec incendio ſolum opera conſumpta, ſed fortè eodem die vehementior ventus totum ex profundo mare illiſit in molem, crebríſque fluctibus compages operis verberatæ ſe laxauêre, ſaxáque interinfluens vnda medium opus rupit, tantæque molis vix vlla veſtigia inuenit Arabia rediens Alexander. Tum noui operis molem orſus, in aduerſum ventum non latere, ſed recta fronte direxit. Latitudinem quoque aggeri adiecit, vt turres in medio erectæ, procul teli iactu abeſſent. Totas autem arbores cum ingentibus ramis in altum Macedones iaciebant, deinde ſaxis onerabant: rurſúſque cumulo eo tum alias arbores iniiciebant, tum humus aggerebatur: ſuper quæ alia ſtrue ſaxorum, arborúmq; cumulata, velut quodam nexu, continens opus iunxerant. Tyrij procul hoſtium conſpectu ſubibant aquas, occultóque lapſu ad molem vſque penetrabant, falcibus palmites arborum eminentium ad ſe trahentes, quæ vbi ſequutæ erant, pleraque ſecum in profundum dabant: deinde totum opus, quod ſtipitibus fuerat innixum, fundamento lapſo ſequebatur. Ægro animi Alexandro, & vtrum perſeueraret an abiret, ſatis incerto, claſſis Cypro aduenit: eodémque tempore Cleander cum Græcis militibus in Aſiam nuper aduectus. Centum & octoginta nauium claſſem in duo diuidit cornua. Læuum Pythagoras Rex Cypriorum cum Cratero tuebatur, Alexandrum in dextro quinqueremis regia vehebat. Nec Tyrij quanquam claſſem habebant, auſi nauale inire certamen, triremes ſuas ante ipſa mœnia oppoſuerunt, in quas Rex inuectus, omnes demerſit. Poſterâ die claſſe ad mœnia admota, vndique tormentis, & maximè arietum pulſu muros quatit: quos Tyrij raptim obſtructis ſaxis, refecerunt. Sed vndique vis mali vrgebat. Moles intra teli iactum

erat,

erat, claſſis mœnia circuibat: terreſtri ſimul, naualíque clade premebantur. Quippe binas quadriremes Macedones ita inter ſe iunxerant, vt proræ cohęrerent, puppes interuallo, quantum capere poterant, diſtarent. Hoc puppium interuallum, antennis aſſeribúſque validis deligatis, ſupérque eos pontibus ſtratis, qui milites ſuſtinerent, impleuerant. Sic inſtructas quadriremes in vrbem agebant. Inde miſſilia in propugnantes ingerebantur tutò, quia proris miles tegebatur. Media nox erat, cùm claſſem (ſicuti dictum eſt) paratam, circuire vrbem Rex iubet. Iámque naues vrbi vndique admouebantur, cùm tempeſtas connexas quadriremes lacerare cepit, ruere tabulata, & cum ingenti fragore ſecum in profundum milites trahere. Tandem remis pertinacius euerberatum mare, veluti eripientibus nauigia claſſicis, ceſſit, appulſáque ſunt littori lacerata pleráque. Iiſdem diebus cùm Carthaginenſium legati obſeſſis excuſaſſent auxilia, non tamen defecere animis Tyrij, quanquam ab ingenti ſpe deſtituti eſſent: ſed coniuges, liberóſque deuehendos Carthaginem tradiderunt: fortius quidquid accideret laturi, ſi cariſſimam ſui partem extra communis periculi ſortem habuiſſent. Efficacior omni arte neceſſitas, non vſitata modò prę́ſidia, ſed etiam noua adinuenit. Namque ad implicanda nauigia, quæ muros ſubibant, validis aſſeribus coruos, & ferreas manus cum vncis, & falcibus illigauerant: vt cùm tormento aſſeres promouiſſent, ſubitò laxatis funibus iniicerent. Vnci quoque & falces ex iiſdem aſſeribus dependentes, aut propugnatores, aut ipſa nauigia lacerabant. Clypeos verò æneos multo igne torrebant, quos repletos feruida arena, cœnóque decocto è muris ſubitò deuoluebant: nec vlla peſtis magis timebatur. Quippe vbi loricam corpúſque, feruens arena penetrauerat, nec vllà vi excuti poterat, & quidquid attigerat perurebat: iacientéſque arma, laceratis omnibus, quibus protegi poterant, vulneribus multi patebant. Erant & illis hamatæ cuſpides ferreæ in ſummis perticis fixæ, quæ ſi in clypeos incidiſſent, vnco retentæ, aut hoſtes ſine clypeis pugnare cogebant, aut cum ipſis in profundum labi. Corui verò, & ferreæ manus tormentis emiſſæ, pleroſque rapiebant. Hìc Rex fatigatus, ſtatuerat ſoluta obſidione, Ægyptum petere. Cùm fortè bellua inuſitatæ magnitudinis ſuper ipſos fluctus dorſo eminens, ad molem, quam Macedones iecerant, ingens corpus applicuit, diuerberatíſque fluctibus alleuans ſemet vtrinque conſpecta eſt. Deinde à capite molis rurſus altọ ſe immerſit, ac modò ſuper vndas eminens magnâ ſui parte, modò ſuperfuſis fluctibus condita, haud procul munimentis vrbis emerſit. Vtriſque lætus fuit belluæ aſpectus: Macedones, iter iaciendo operi monſtraſſe eam augurabantur: Tyrij, Neptunum, occupati maris vindicem, arri-

puiſſe belluam, ac molem breui ruituram: latíque omine eo, ad epulas dilapſi, onerauêre ſe vino, quo graues, orto Sole nauigia conſcendunt redimita coronis, floribúſque, adeò victoriæ non omen modò, ſed etiam gratulationem perceperant. Fortè Rex claſſem in diuerſam partem agi iuſſerat, triginta minoribus nauigiis relictis in littore: è quibus Tyrij duobus captis, cetera ingenti terruerant metu: donec ſuorum clamore audito, Alexander littori claſſem, à quo fremitus acciderant, admouit. Prima è Macedonum nauibus quinqueremis, velocitate inter ceteras eminens, occurrit: quam vt conſpexêre Tyrij, duæ è diuerſo in latera eius inuectæ ſunt, in quarum alteram quinqueremis alia concitata, & ipſa roſtro iacta eſt, & illam inuicem tenuit. Iámque ea quæ non cohærebat, libero impetu euecta, in aliud quinqueremis latus inuehebatur, cùm opportunitate mirâ triremis è claſſe Alexandri in eam ipſam, quæ quinqueremi imminebat, tantâ vi impulſa eſt, vt Tyrius gubernator in mare excuteretur è puppi. Plures deinde Macedonum naues ſuperueniunt, & Rex quoque aderat. Cùm Tyrij inhibentes remis, ægrè euellunt nauem quæ hęrebat, portúmque omnia ſimul nauigia repetunt. Confeſtim Rex inſequutus, portum quidem intrare non potuit, cùm procul è muris miſſibilibus ſummoueretur: naues autem omnes, aut demerſit, aut cepit. Biduo deinde ad quietem dato militibus, iuſſíſque, & claſſem, & machinas pariter admouere, vt vtrinque territis inſtaret, ipſe in altiſſimam turrim aſcendit, ingenti animo, periculo maiore. Quippe regio inſigni, & armis fulgentibus conſpicuus, vnus pręcipuè telis petebatur, & digna prorſus ſpectacula edidit. Multos è muris propugnatores haſtâ transfixit, quoſdam etiam cominus gladio clypeóque impulſos, præcipitauit. Quippe turris è qua dimicabat, muris hoſtium propemodum cohærebat, tabulatis nauium impoſita. Iámque crebris arietibus ſaxorum compage laxatâ, munimenta defecerant, & claſſis intrauerat portum, & quidam Macedonum in terras hoſtium deſertas euaſerant: cùm Tyrij tot malis victi, etiam fato vincuntur. Alexander exceptis iis, qui in templa confugerant, omnes interfici, ignémque tectis iniici iubet. Pueri virgineſq; templa compleuerant: viri in veſtibulo ſuarum ædium ſtabant, parata ſæuientibus turba. Multis tamen ſaluti fuerunt Sidonij, qui intra Macedonum præſidia erant. Hi vrbem quidem inter victores intrauerant, ſed cognationis cum Tyriis memores (vtramque vrbem Agenorem condidiſſe credebant) multos Tyriorum etiam protegentes, ad ſua perduxêre nauigia, quibus occultati, Sidona deuecti ſunt. XV. Milia hoc furtò ſæuitiæ ſubducta ſunt. Tyrus ſeptimo menſe, quàm oppugnari cœpta erat, capta eſt. Vrbs & vetuſtate originis, & crebrâ fortunæ varietate, ad memoriam

riam poſteritatis inſignis. Diu mare non vicinum modò, ſed & quodcunque claſſes eius adierunt, ditionis ſuæ fecit. Coloniæ eius penè toto Orbe diffuſæ ſunt. Carthago, in Africâ: in Bœotia, Thebæ: Gades, ad Oceanum. Victor Alexander, Epheſtione Phœnicis aram prętereuehi iuſſo, ad vrbem Gazam cum omnibus copiis venit. Vbi Amphoterum, & Egelochum accepit C L X. nauium claſſe Inſulas omnes inter Achaiam atq; Aſiam in ſuam ditionem redegiſſe. Eoſdem captâ Chio, X I I. Perſarum naues cùm ſuo milite & remige cepiſſe. Triginta præterea pyraticos lembos, I I I. M. capriuorum remigum adiecíſſe claſſi ſuæ. Ariſtonicum quoque Methymnæ tyrannum, eorum ignarum, quæ ad Chium acta erant, pyraticâ claſſe inſtructum, velut in amicum portum ingreſſum, cum ſuis cathenis detineri. Captâ Gazâ, Rex Ægyptum adire feſtinans, Amyntam cum X. triremibus in Macedoniam, ad inquiſitionem nouorum militum, miſit. Nàmque præliis etiam ſecundis atterebantur copiæ, deuictarúmque gentium militi, minor quàm domeſtico fides habebatur. Ægyptij Perſarum opibus offenſi, Alexandrum læti ſuſcipiunt, apud quos inter Mareotim paludem, & mare, L X X X. ſtadiorum vrbem condidit, eámque à ſuo nomine Alexandriam nominauit: in quam finitimis vrbibus commigrare iuſſis, nouam coloniam magnâ multitudine impleuit. Æſchilum Rhodium Ægypto prętecit, clauſtra Nili fluminis Polemonem tueri iubet, X X X. triremes ad hoc datæ. Deinde Amphoterus claſſis Prętectus ad liberandam Cretam miſſus, ante omnia mare à pyraticis claſſibus vendicare iuſſus eſt. Ipſe ad Euphratem iter direxit. Victus ab Alexandro Darius, ſuorum verò perfidiâ cæſus, Macedonibus regna dereliquit, vltimus antiqui illius Medorum & Perſarum Imperij Imperator. Poſt Perſas, Hircanos Alexander ſubegit, Mardos, Cedroſios, Paropamiſadas, Scythas, Arios, Indóſque ad Gangem vſque, tum ad Hypalim fluuium aras X I I. Diis, quinquaginta cubitorum ſingulas, excitauit, expeditionis ſuæ poſteris monumentum. Inde ex Indiâ rediens ad flumen Aceſinem caſtra locat. Iam in aquâ claſſis, quam ædificari iuſſerat, ſtabat, mille nauigiis aditurus Oceanum, Niceámq; & Bucephalon oppidum condiderat. Iam ſecundo amne defluens, in eum locum peruenerat, in quo Hydaſpes amnis Aceſini committitur: cùm Sobij X L. millia peditum Alexandro opponunt. Hos amne ſuperato, in fugam Rex compulit, incluſóſque mœnibus expugnat. Ipſi ſe in vrbe ſuâ, igne tectis ſubiecto, cremauerunt. Alexander nauigio oppidi arcem circumuectus, penè fluctibus obrutus eſt. Tria totius Indiæ præter Gangem maxima flumina munimento arcis applicant vndas, Indus, Aceſines, & Hydaſpis, aquarum concurſu vortices cientia. Ereptus naufragio, aris pro numero

Diodor Sicul. l. 17. Q. Curtius lib. 9. Trogus lib. 12.

fluminum poſitis, ſacrificióque facto, in regionem Oxidracarum proceſſit, à quibus, cùm in oppugnatione vrbis vulneratus eſſet, ſeptem diebus curato vulnere, necdum obductâ cicatrice, famam mortis ſuæ, quæ apud barbaros inualuerat, extincturus, ſtatui in medio duorum nauigiorum iunctorum tabernaculum ſuum iuſſit, ex quo ſe oſtenderet periiſſe credentibus: conſpectúſque ab incolis, ſpem hoſtium falſo nuncio conceptam inhibuit. Secundo deinde Indi amne defluxit, aliquantum interualli à cetera claſſe præcipiens, ne quies corpori inualido neceſſaria, pulſu remorum impediretur. Hinc in Pathaliam gentem peruentum eſt, vtráque claſſis proceſſerat, cùm gubernatores agnoſcere ipſos auram maris, & haud procul videri ſibi Oceanum adeſſe, indicant Regi. Lætus ille, hortari nauticos cepit, incumberent remis, adeſſe finem omnium votis expetitum. Sine vllo marris diſcrimine, ſine ſanguine Orbem terræ ab illis capi. Nec Naturam quidem longius poſſe procedere. Breui incognita, niſi immortalibus, eſſe viſuros. Itaque ingenti alacritate nautici remigant. Tertio iam die mixtum flumini ſubibat mare, leni adhuc æſtu confundente diſpares vndas. Tum in inſulam medio anni ſitam, claſſem applicant. Tertia fermè hora erat, cùm ſtatâ vice Oceanus exæſtuans retro flumen vrgere cepit. Ignota vulgo freti natura erat, monſtráque & iræ Deûm indicia cernere videbantur. Iámque leuatis nauigiis, & totâ claſſe diſperſâ, qui in inſulam deſilierant ad naues trepidi recurrunt. Collidi inter ſe naues, abſtergeríque inuicem remi, & alij aliorum nauigia vrgere ceperunt. Subito nouus metus, & priſtino maior terror incutitur, reciprocare cepit mare, magno tractu aquis in ſuum fretum recurrentibus, reddebátque terras paulò antè profundo ſalo merſas. Igitur deſtituta nauigia alia præcipitantur in proras, alia in latera procumbunt. Strati erant campi auulſarum tabularum, remorúmque fragmentis. Miles nec egredi in terram, nec in naues ſubſiſtere audebat: identidem præſentibus grauiora quæ ſequerentur expectans. Rex nauigia lacerata refici, & euerſa fluctibus erigi iubet, paratóſque eſſe, & intentos, cùm rurſus mare terras inundaſſet. Sequutus eſt æſtus, leuari naues ceperunt, mox totis campis inundans mare claſſem impulit. Plauſus militum, nauticorúmque inſperatam ſalutem celebrantium littoribus ripíſque reſonabat. Vnde tantum rediiſſet ſubitò mare, quò pridiè refugiſſet, quænam eſſet eius elementi natura, modò diſcors, modò imperio temporum obnoxia, mirabundi requirebant. Rex, cùm ex eo quod acciderat coniectaret, poſt Solis ortum ſtatum tempus eſſe, mediâ nocte, vt æſtum occuparet, cum paucis nauigiis ſecundo amne defluxit: euectúſque os eius, cccc. ſtadia proceſſit in mare. Tandem voti ſui compos, præſidibus & maris,

maris, & locqrum Diis ſacrificio facto ad claſſem rediit. Hinc aduerſum flumen ſubiit claſſis, & altero die appulſa eſt ad mare. Hic vrbes pleraſque condidit, intérque eas Barcen. Nearcho atque Oneſicrito, nauticæ rei peritis, imperauit, vt validiſſimas nauium deducerent in Oceanum, progreſsíque, quoad tutò poſſent, naturam illius noſcerent. Vel eodem Indo, vel Euphrate ſubire eos poſſe, cùm reuerti ad ſe vellent. Ferunt Nearchum poſtea *Plut. in Alexand.*
Arabiam, Æthiopiam, Lybiámque emenſum, intet Herculeas columnas nauigaſſe, pérque mediterraneum mate rediiſſe in Macedoniam. Iam mitigatâ hyeme, & nauibus, quæ inutiles videbantur concrematis, in vltimâ Indi fluminis Inſulâ aras Alexander ſtatuerat; iam eam, velut curru circa metam acto, Imperij ſui terminum, velociſſimâ triremi circumdederat: iam libauerat Oceano, aureáq; pocula coniecerat in mare: iam illi aram Tethydíque erexerat, felicem in patriam reditum precatus: iam amicos littoralibus Indiæ præfecerat: cùm Babyloniam redire placuit per terras. Ab vltimis littoribus Oceani Babyloniam reuertenti, nunciatur: legatos Carthaginenſium, cæterarúmque Africæ ciuitatum, Hiſpaniarum quoque, Siciliæ, Galliæ, Sardiniæ, nonnullarum etiam vrbium ex Italiâ, eius aduentum Babyloniæ opperiri. Hac igitur ex causâ Babyloniam feſtinauit, vbi Ann. primo
inter conuiuium veneno petitus, extinctus eſt, annos triginta natus, OLYMPIAD.
non virtute hoſtili, ſed ſuorum inſidiis cæſus. Expectauêre CXIV.
eum fata, dum Oriente perdomito, aditóque Oceano, quidquid *Curt. lib. 12.*
mortalitas capiebat, impleret. Huic Regi ducíque ſucceſſor quærebatur. *Trogus lib. 13.* *Diodor. l. 17. & 18.*
Sed maior moles erat, quàm vt vnus ſubire eam poſſet. Caſtrorum, exercitus, & rerum cura Perdicæ aſſignatur, qui ſimul vt remoueret æmulos, & munus Imperij beneficij ſui faceret, inter Principes Prouincias diuidit. Ptolomæo, Ægyptus, & Africa: Laomedonti, Syriâ cum Phœnice data eſt. Lyciam cum Pamphylia, & maiote parte Phrygiæ obtinere iuſſus eſt Antigonus. In Cariam Caſſander, Menander in Lydiam miſſi. Phrygiam minorem Helleſponto adiunctam, Leonati Prouinciam eſſe voluit. Cappadocia Eumeni cum Paphlagoniâ ceſſit. Pithon Mediam, Lyſimachus Thraciam, appoſitáſque Thraciæ Ponticas gentes obtinere iuſſi. Qui Indiæ, quíque Bactris, & Sogdianis, ceteríſque aut Oceani, aut Rubri maris accolis præerant, quibus quiſque finibus habuiſſet, iiſdem retinendi ius factum eſt. Hæc diuiſio, cùm veluti fatale munus ſingulis contigiſſet, ita magna incrementorum materia plurimis fuit. Siquidem non magno poſt tempore, quaſi regna non Præfecturas diuiſiſſent. Reges ex Præfectis facti, magnas opes non ſibi tantùm parauerunt, verùm & poſteris reliquerunt. Dum hæc in Oriente aguntur, in Græciâ Athenienſes, & Ætoli bellum, quod iam viuo Alexandro

dro mouerant, ſummis viribus inſtruebant. Cauſæ belli erat, quòd reuerſus ab India Alexander, epiſtolas in Græciam ſcripſerat, quibus omnium ciuitatum exules, præter cædis damnatos, reſtituebantur. Quæ recitatæ, pręſente Græcia vniuersâ, in mercatu Olympiaco, magnos motus fecerant: quòd plurimi non legibus pulſi patriâ, ſed per factionem Principum fuerant, verentibus iiſdem Principibus, ne reuocati, potentiores in Rep. fierent. Palam igitur iam tunc multæ ciuitates libertatem bello vendicandam fremebant. Principes tamen omnium Athenienſes, & Ætoli fuêre. Quod cùm nunciatum eſſet Alexandro, mille naues longas ſociis imperauerat, quibus ipſe in occidente bellum gereret: excurſuſque cum validâ manu fuerat ad Athenas delendas. Igitur Athenienſes contracto XXX. milia militum exercitu, & CC. nauibus, bellum cum Antipatro, cui Græcia ſorte prouenerat, gerunt: eúmque detrectantem prælium, & Heracleæ vrbis mœnibus tuentem ſe, obſidione cingunt. In eius auxilium aduolans Leonatus, cui Helleſpontus cum Phrygiâ minore commiſſa erat, occiditur. Antipater exercitu Leonati recepto, cùm par hoſtibus etiam prelio videretur, ſolutus obſidione, in Macedoniam conceſſit; inde obſeſſas Athenas hac conditione recepit, ſi ſublatâ Democratiâ, Oligarchiam inſtituerēt, ac Remp. penes eos ponerent, qui cenſum duum milium drachmarum haberent, quorum numerus nouem milium eſt inuentus, & pręſidium Macedonum in Munichia acciperent. Antipatro fatis functo, Macedones in duas factiones abierunt, vna Caſſandrum, altera Polyperconta ſequebatur, optimates quoque Athenienſium cum Caſſandro, populares cum altero ſentiebant. Poſtea à Demetrio Antigoni filio Athenæ Caſſandri dominatu liberatæ ſunt, libertáſque Athenienſibus reddita. Huic Caſſandro Macedonia, & Gręcia parebat, Aridæo Alexandri Magni fratre Macedoniæ Rege, cum Eurydice vxore, Olympiade Alexandri eiuſdem matre, coniuge Roxane, filio Hercule cum Herculis matre Arſine, cæſis. Ceciderant quoq; è ſucceſſoribus Alexandri, Polypercon, Craterus, Perdicas, & Eumenes, reliqui aut Antigoni, cui Caria cum Pamphylia obuenerat, aut Ptolomæi, cui Ægyptus & Africa, partes ſequebantur. Antigonus propè Byzantium, Clito Polypercontis claſſi Præfecto nauali certamine profligato, receptúſque à Demetrio filio Athenis, eumdem contra Ptolomæum in Cyprum miſit. Vbi non longè à Salamine prælium commiſſum eſt, ſigno pugnæ à Demetrio ſuis dato, quod erat, clypeus inauratus ſuper Prętoriam ſeptiremem, in quâ ille pugnabat, eleuatus. Ptolomæus dextrum hoſtium cornu, in quo Hegeſippus Halicarnaſſeus, & Pliſtias Cous imperabant, profligauit. Demetrius verò in læuo cornu pugnans XLVII. tum ſeptire

OLYMPIAD. CXVIII.
Diodor. lib. 19.
Trogus l. 14. & 15.

Hic Clitus paulò ante pro Macedonibus pugnans, iuxta Echinadas Inſulas Ætionem Athenienſium Nauarchum gemino pralio vicerat: & Nicanorem Antigoni claſſi prapoſitum in Helleſponto ſuperatum occiderat.

ſeptiremibus, tum ſexremibus, quinqueremibus, & quadriremibus ſeptus, fuſo, fugatóque hoſtium cornu dextro, Ptolomęum, Citium ſe recipere coëgit. Facto etiam Salaminio in portu certamine, per Menætium, Prętectum Menelai, Ptolomæi fratris, claſſem ſubegit. In hac duplici nauali pugnâ captæ naues c. in quibus erant militum VIII. M. Ex longis cum ipſis hominibus XL. corruptæ ſunt. Laceratæ è Demetrianis XX. Antigonus de filij victoriâ certior factus, tum primùm diadema ſibi impoſuit, ſeque, & filium Reges nominari iuſſit. Hunc æmulati Ptolomæus, Seleucus, Lyſimachus, & Caſſander, ſatraparum nominibus exoſis, & excuſſis, Reges appellari voluerunt. Huius honoris ornamentis tandiu abſtinuerant, quandiu Alexandro iuſtus hæres fuit. Demetrius victor, quindecimrerem contexuit, Plinius XXX. remium eam fuiſſe prodidit, machinámque quæ ab euentu, vrbium expugnatrix eſt dicta, & ob id ille Poliporthos, id eſt, vrbium populator appellatus. Hac machinâ * Rhodum primùm oppugnauit: vocatus ab Athenienſibus, Caſſandrum ad Thermopylas vſque perſequutus eſt. His geſtis, in Iſthmico Græciæ conuentu obtinuit, vt quemadmodum Philippus, & Alexander, ſic ille totius Gręciæ dux declararetur. Per hæc Demetrius accepit, Ptolomæum, Seleucum, ceteróſque Reges aduenatis copiis appropinquare: eâ acie periit Antigonus Demetrij pater, filius fugâ ſaluti conſuluit. Ceterum cùm illi vrbem ſuam pro refugio negauiſſent, Cherſoneſo claſſe vaſtata, Athenas in deditionem accepit, Lacedæmonios vicit, Macedoniæ regnum obtinuit, Alexandro Caſſandri filio obtruncato, Beotios ſubegit, Thraciam inuaſit, Thebíſque potitus, Pyrrho Epirotarum regi, qui Macedoniæ partem occupauerat, bellum indixit. Pyrrho Seleucus, Lyſimachus & Ptolomæus auxilia mittunt. Ptolomæi claſſis Gręciæ oras metu & trepidationibus implet, Macedones ad Pyrrhum deficiunt, Demetrius acerbiorem motum minimè expectandum exiſtimans, depoſitis inſignibus regiis, pullâ chlamyde amictus, paucis comitatus, in Caſſandriam vrbem profugit. Hinc Thebas venit, in Aſiam deinde tranſmiſit, mox in Phrygiam, Ciliciámque, vbi captus à Seleuco, vagus, & exul obiit, Antigono filio relicto, cui Demetrius iunior in Macedoniæ regno ſucceſſit, huic Antigonus Doſo, Doſoni Philippus, Philippo Perſeus, quo à Romanis victo, Macedonia ex regno, Prouincia facta eſt.

* *
*

** addidit & catapultas, nouum inuentum, quibus trabeales ſagittæ excutiebantur: fecit & vallum ligneum ferratis trabibus in mare defixis, quibus circunducta claſsis à Rhodiorum incurſibus libera eſſet.*

OLYMPIAD. CXXIII.

Trogus lib. 17. & 18. Diodor. lib. 20. & vltimo, nam reliquorum librorum huius autboris pauciſsima fragmenta extant, quæ in librorum numerum referri non debent.

CAPVT DVODECIMVM.

Carthaginienſium & Syracuſanorum maritima, vſque ad bellum Punicum.

FLORENTE Macedonum Regno, florebant Syracuſani & Carthaginienſes, putabantúrq; Alexandri Magni viribus pares, ſi in eos ille arma ſua promouiſſet. De Syracuſanis, & aliis Siciliæ incolis, quia iam ante aliqua memorauimus, ad eorum originem & pugnas victoriáſque de Athenienſibus partas pertinentia, nihil hîc dicam, bella quæ ſequuta ſunt Athenienſium cladem in Siciliâ acceptam, memoraturus, vbi de origine Carthaginienſium eorúmque geſtis, pauca præfatus fuero. *Trogus lib. 18.* Eliſſa Tyriorum Regis filia, Sychæo coniuge à Pygmalione cæſo, fratricidæ iram fugiens, in Cyprum primò delata, mox in Africam, empto loco, quantum corium bouis tegere poſſet, eo in tenuiſſimas partes ſecato, magnam latè regionem occupauit, vnde poſtea ei loco Byrſæ nomen fuit. Confluentibus deinde vicinis, qui ſpe lucri venalia multa hoſpitibus inferebant, ſedéſque ibi ſtatuentibus, ex frequentiâ hominum velut inſtar ciuitatis effectum eſt. Vticenſium quoque legati, dona, vt conſanguineis attulerunt, nam & ipſi Tyriorum coloni erant: hortatique ſunt, vt vrbem conderent, vbi ſedes ſortiti eſſent. Sed & Afros detinendi aduenas amor cepit. Itaque conſentientibus omnibus, Carthago conditur, ſtatuto annuo vectigali pro ſolo vrbis. Cùm ſucceſſu rerum florentes Carthaginis opes eſſent, Hiarbas Mauritanorum Rex, aut bellum, aut nuptias Eliſſæ denunciat, illa memor prioris viri, quem vnicè dilexerat, ituram ſe ad virum, Hiarbæ legatis reſpondet, vitámq; gladio finiuit. Condita eſt Carthago ante Romam, annos LXXII. Poſtea variis diſcordiarum caſibus agitata, ad externa bella perſpexit: cúmque Carthaginienſes in Siciliâ diu infeliciter dimicaſſent, tranſlato in Sardiniam bello, amiſsâ maiore exercitus parte, graui prælio victi ſunt. Propter quòd ducem ſuum Machæum, cuius auſpiciis & Siciliæ partem domuerant, & aduerſus Afros magnas res geſſerant, exulare iuſſerunt. Sed mox ille caſtris ante Carthaginem admotis, punitis exilij ſui authoribus, vrbem capit. Nec multo pòſt tempore affectati regni accuſatus, & obtruncatus eſt. Ceterum longè antè Machæum, potentia gentis in immenſum creuerat,

Digitized by Google

rat, & Terillo tyranno Himera Siciliæ ciuitate pulſo, Hamilcar, in eius auxilium, cum CC. nauibus longis, CCC. onerariis, Carthagine ſoluerat: in quâ claſſe gentes Phœnicum, Pœnorum, Iberorum, Lygiorum, Eliſycorum, Sardorum, & Cymiorum ſub Hamilcare erant.

Diodor. Sicul. l. 11. Goltzij Sicilia. Fazell. rer. Sicular. Decad. 2. lib. 1.

Omnis hic exercitus à Gelone Siculorum rege cum ipſo Duce cęſus eſt.

OLYMPIAD. LXXV.

Neque ob id tamen Carthaginienſibus animus defuit, reparato exercitu in Siciliam irruunt, vbi nauali prelio ab Hieronis claſſe ſuperantur; quæ victoriam ſequuta, Tyrrhenos, incurſionibus, & deprędationibus mare Sicilienſe vexantes, fregit, Æthaliam Liguſtici maris Inſulam depopulata, Tyrrhenam otam deprædata eſt, Cyrnum Inſulam, quæ poſtea Corſica nuncupata, inuaſit: poſtremò Æthalia Inſula vi capta, prę da & captiuis onuſta, Syracuſas rediit. Poſtea Athenienſibus in Sicilia deletis, Segeſtani, qui Athenienſium partes contra Syracuſanos ſequuti erant, opem Carthaginienſium contra victores implorant.

OLYMPIAD. XCII.

Diodor. lib. 13. Trogus lib. 18.

His Annibal Hamilcaris nepos, qui cum Gelone apud Himeram infeliciter dimicans ceciderat, cum claſſe mittitur: captis Selinuntio & Himera, Carthaginem repetit, victori Senatus populúſque Carthaginienſis gratulabundus obuiam factus eſt. Poſt iſtius diſceſſum, Hermocrates Syracuſanæ claſſis prefectus, vtrámque vrbem dirutam, iis, qui patriæ ruinis ſuperſtites exulabant, reſtituendam tradidit, quod ſtatim illi fecerunt. Annibal iterum cum Himilcone Hannonis filio claſſi præficitur, iniuriam à Syracuſano Hermocrate ſuſceptam vindicaturus. Pręcurſoriæ triremes XL. ad littus occupandum, quo deſcenſus eſſet, ſubſequentibus nauibus, à Carthaginienſibus in Siciliam ire iuſſæ: iis Syracuſanorum totidem circa Erycem occurrunt, XV. Phœnicum triremes eliſæ, fluctibúſque oppreſſæ ſunt, ceteræ Carthaginienſium, prętentu noctis, fuga elapſæ. Annibal reliquis copiis in Siciliam traiectis, dum Acragantem obſidione premit, peſte opprimitur.

OLYMPIAD. XCIV.

Diodor. lib. 14. Varias Himilconis nauales pugnas cum Syracuſanis recenſet.

Himilco poſt varias victorias, quibus Annibalis mortem vltus eſt, morbo inualeſcente, penè omnibus militibus peſtilentia conſumptis, Carthaginem reuerſus, ſibi mortem conſciuit: dolens aëris intemperie, & quaſi pugnantibus Diis, Siciliam ſibi ereptam. Illi Macheus, de quo ſupra, Macheò, Mago ſucceſſit, qui Pænorum Ducum primus militarem diſciplinam inſtituit.

OLYMPIAD. XCVII.

Diodor. lib. 15. Trogus lib. 19. & 20. Fazellus rer. Sicul, Decad. 2. lib. 3.

Magoni, poſt ſubactas, quæ Africæ vicinæ erant, Inſulas, Haſdrubal & Hamilcar, per veſtigia paternæ virtutis ſucceſſores decurrunt. In Sardinia Haſdrubal grauiter vulneratus, imperio Hamilcari fratri tradito, interiit, cuius mortem tum luctus ciuitatis, tum & dictaturæ vndecim, & triumphi quatuor inſignem fecêre: hoſtibus quoque creuêre animi, veluti cum duce Pœnorum vires concidiſſent. Itaque Siciliæ populis propter aſſiduas Carthaginienſium iniurias, ad Leonidam

fratrem Regis Spartanorum concurrentibus, graue bellum natum, in quo diu,& variâ victoriâ, terrâ, maríque prçliatum fuit. Tandem eo bello Hamilcar occiditur, relictis Himilcone, Hannone, & Giſcone filiis. E quibus Himilco exercitui à Carthaginienſibus in Siciliâ prçficitur: qui cùm maritimo, terreſtríque prçlio Dionyſium viciſſet, repentè peſtilentis ſideris vi exercitum amiſit. Poſtremò pullatus cùm Carthaginem intraſſet, mortem ſibi conſciuit. Dionyſius pulſis Siciliâ Carthaginienſibus, periculoſam deſidiam ſuorum ratus, copias in Italiam traiecit, primus quinqueremes extruxit, naualéque, iuxta Syracuſas, circa quod CLX. ædificia ſtabant, armamentis, & machinis maritimis reficiendis, ſeruandíſque: compingendis etiam, & ſartiendis nauibus. Prima illi militia fuit aduerſus Græcos, qui proxima Italici maris littora tenebant. Quibus deuictis, finitimos quoſque aggreditur, Locrorum, & Rhegiorum ciuitates expugnat, iunctúſque Gallis Senonibus, qui ante menſes aliquot Romam incenderant, Italiam totam occupare deſtinat: cùm ab Hannone Carthaginienſium duce,in Siciliam reuocatur, patrio ſolo expulſurus hoſtem. Hannone proditionis conuicto, vltimóque ſupplicio affecto,Dionyſius ob ſuperbiam & acerbos mores, ad poſtremum inſidiis ſuorum necatur. Illius filius,& fortunæ, & imperij & nominis hçres fuit. Siciliâ primò pulſus,in Italiam profugus, à ſociis Locrenſibus ſuſceptus eſt: mox cùm ibi per ſex annos regnaſſet, conſpiratione Locrorum ciuitate pulſus in Siciliam rediit. Ibi Syracuſas,ſecuris omnibus, poſt lõgam pacem,per conditionẽ,recepit,interfecto Dione,cuius induſtriâ & virtute & victus antea nauali prælio propè Leontium,& pulſus Siciliâ fuerat. Interea Dionyſius Syracuſis receptis,cùm grauior eſſet, crudeliórque in dies ciuitati à Syracuſanis Timoleonte Corinthio in opem aduocato, nouâ coniuratione prouocatur, Icetâ authore, qui Leontinorum Princeps erat: actúſque in exilium, Corinthum profectus eſt, vbi pannoſus, & ſquallidus conſenuit. Cùm autem Timoleon Syracuſanam arcem Corinthiorum prçſidio muniuiſſet, iratus Icetes,cum Magone Carthaginienſis claſſis Prçfecto, CL. triremibus portum occupat. Sed Mago veritus reconciliationem, timénſque ne inter Corinthios, & Siculos deluſus amicitiæ prætextu,periret,Carthaginem repetiit. Poſt iſtius diſceſſum, victor Timoleon, receptis Syracuſis, eam exhauſtam ciuibus, nouis Corinthiorum colonis impleuit, totámque penè Siciliam ad antiquam libertatem, necatis tyrannis, aut fugatis, vocauit. Carthaginienſes, cadauere Magonis, qui ſibi vim intulerat,in crucem ſublato,ex Afris, Gallis,Hiſpanis,& Liguribus ad LXX. M. exercitu comparato, CC. triremibus inſtructis,& M. nauibus frumento,machinis,curribus, rerúmque ceterarum copiâ onuſtis

OLYMPIAD. CIII.

OLYMPIAD. CIX.

Diodor. lib. 16. Trogus lib. 21. Plut. in Timoleonte & Dione.

onuſtis, Annibalem atque Bomilcarem in Siciliam mittunt, ad Græcos omnes inde propulſandos. Sed iis cum toto exercitu cę-ſis fugatíſque per Timoleontem, in eorum locum ſuffectus eſt Giſco Hannonis frater. Qui cùm in Inſulam deſcendiſſet, ex mandato Carthanienſium, quos fœlix Timoleontis ſucceſſus turbabat, pacem cum Timoleonte facit, iſtis, quæ ſequuntur, conditionibus. Vt omnes Grecæ vrbes in Sicilià liberæ eſſent. Vt Lycus fluuius (Platanis hodie dicitur) Carthaginienſium prouinciæ ad occidentem terminus eſſet. Ne Carthaginienſes in poſterum tyrannis ſuppetias ferrent. Denique, vt Carthaginienſes, qui Syracuſas cum tota familia migrare vellent, admitterentur. Mortuo Timoleonte, Agatocles cùm Imperium Syracuſanorum affectaſſet, Prętor à Murgantinis, apud quos exulabat, eligitur, mox etiam dux creatur. In eo bello, & vrbem Leontinorum capit, & Syracuſas obſidet, quas, Hamilcar dux Pœnorum imploratus, defendit. Ita vno & eodem tempore Syracuſæ & ab hoſte ciuili amore defenſæ,& à ciue hoſtili odio impugnatæ ſunt. Sed Hamilcare conciliato, non modò Agatocli in vrbem reditus permiſſus eſt, verùm etiam & Syracuſis Prætor conſtituitur. Mors Hamilcaris aduerſus Pœnos occaſionem mouendi belli Agatocli dedit. Prima igitur illi cum Hamilcare Giſconis filio prælij congreſſio fuit: & primò quidem Carthaginienſium claſſis portum magnum Syracuſanum ingreſſa, fœdè inde abire compulſa eſt. Carthaginienſes in portus egreſſu, nauem Athenienſium vnam capiunt, nautarúmque manus ſecant. Inde cùm Meſſanam tenderent, non longè à Catanâ ſuborta repente tempeſtate, naufragium patiuntur: multæque naues à militibus Agathoclis intercipiuntur. Reparata claſſe Hamilcar in agro Geloo caſtrametatus, Agatoclem, congredi anſum, bis prętio vicit. Victores Pœni, cùm Syracuſas obſidione cinxiſſent, & Agatocles ſe, nec viribus parem, neque ad obſidionem ferendam inſtructum, videret, ſuper hæc, à ſociis crudelitate eius offenſis deſertus eſſet, bellum in Africam tranſtulit: mira prorſus audacia, vt quibus in ſolo vrbis ſuæ par non erat, eorum vrbi bellum inferret: & qui ſua tueri non poterat, impugnaret aliena, victúſque victoribus inſultaret. Expoſito in littore Africo exercitu, vniuerſas naues incendi iubet, vt omnes ſcirent auxilio fugæ ablato, aut vincendum, aut moriendum eſſe. Statímque Hannonem Pœnorum ducem obuium factum, cum exercitu cædit. Caſtra deinde quinto lapide à Carthagine ſtatuit. His Pœnorum malis deletus in Sicilia cum Imperatore exercitus, velut quidam ærumnarum cumulus acceſſit. Hoc ita accidiſſe hiſtorici produnt. Agatocles rerum in Africa ſucceſſu lætus, duas triremes cum Nearcho pręfecto Syracuſas expediuit, qui fortunatiſſimum victoriæ curſum ciuibus nunciaret.

Diodor. l. 19. & 20. Trogus lib. 22. 23. & 24. Goltz. in ſua Sicil.

OLYMPIAD. CXVII.

Fazell. rer. Sicul. Decad. 2. l. 4. c. 2.

nunciaret. Hic quinto die è Libya cum militibus coronatis, & Pæana canentibus, noctu in Syracuſanum portum applicuit. Hamilcaris excubiæ, vt triremes inexpectatas vident, in eas protinus irruunt. Fama duarum triremium aduentus tota vrbe ſparſa, ciues lætos, & audentiores ad portum euocauit. Syracuſani vbi ſocios cum hoſtibus dimicantes cernunt, naues ingreſſi, fortiter pugnando, periculo coronatas duas illas triremes eripiunt, ſubducúntque in portum. Mox etiam terreſtri pugna hoſtes fugant. Cúmque totis viribus oppugnationem Hamilcar tentaret, à Syracuſanis captus, vinctúſque, in vrbem ducitur, tractúſq; per plateas interficitur à plebe. Accedebat huic cladi multorum Africæ regum in partes Siculorum tranſitus, & crebræ maritimarum vrbium deditiones. Cùm Agatocles, audita Syracuſarum obſidione, benè geſtis in Africa rebus, tradito Archagato filio exercitu, in Siciliam recurrit. Nam poſt occiſum Hamilcarem Giſconis filium, nouus eò à Pœnis miſſus exercitus erat. Statim igitur primo aduentu eius, omnes Siciliæ vrbes auditis rebus, quas in Africa geſſerat, certatim ſe ei tradunt: atque ita pulſis à Sicilia Pœnis, totius Inſulæ imperium occupauit. In Africam reuerſus, ſeditione militum, quibus ſtipendia debebantur, excipitur: quos cùm fugeret, Syracuſas iiſdem nauibus petens, quibus nuper è Sicilia redierat, milites eius, pactione cum hoſtibus factâ, interfectis ſui regis filiis, Carthaginienſibus ſe tradidêre. Poſt hęc Pœni ad perſequendas belli reliquias, duces in Siciliam miſerunt, cum quibus Agatocles pacem æquis conditionibus fecit. Pacificatus, exemplum Dionyſij ſequutus, qui multas Italiæ ciuitates ſubegerat, in Italiam transfretauit. Sed eum nepos eius, qui Siciliæ regnum occupauerat, & morbus in Siciliam reuocarunt, vbi poſtmodò fatum abſoluit. Eo tempore & Pyrrhus aduerſus Romanos bellum gerebat, qui imploratus à Siculis contra Carthaginienſes, cum Syracuſas veniſſet, multáſque ciuitates ſubegiſſet, Rex Siciliæ ſicut Epiri appellabatur. Conſerto deinde cum Carthaginienſibus prælio, victor ab Italicis ſociis accitus, in Italiam tranſfretauit. Quoniam tamen è Sicilia abibat, pro victo fugere viſus eſt: ac propterea ſocij ab eo defecerunt; ſic imperium Siciliæ tam citò amiſit, quàm facilè quęſierat. Sed nec in Italia meliore felicitate vſus, in Epirum reuertitur. Admirabilis vtriuſque rei caſus in exemplum fuit. Nam ſicut antè ſecunda fortuna rebus ſupra vota fluentibus, Italiæ, Siciliæque Imperium, & tot de Romanis victorias attraxerat: ita nunc diuersâ, velut in oſtentationem fragilitatis humanæ, deſtruens, quæ cumulauerat, Sicilienſi ruinæ naufragium maris, & fœdam aduerſus Romanos pugnam, turpémque ab Italia diſceſſum, adiecit. Poſt perfectionem Pyrrhi à Sicilia, magiſtratus Hiero creatur, cuius tanta moderatio fuit,

Margin notes: Olympiad. CXVIII. — Olympiad. CXXVII.

fuit, vt conſentiente omnium ciuitatum fauore, dux aduerſus Carthaginienſes primùm, mox Rex crearetur.

CAPVT DECIMVMTERTIVM.

Bellum Punicum primum maritimum inter Romanos & Carthaginienſes, propter Siciliam geſtum.

Florus lib. 1.

VICTOR Italiæ Romanus, cùm à terrâ fretum vſque veniſſet, more ignis, qui obuias populatus incendio ſyluas, interueniente flumine abrumpitur, pauliſper ſubſtitit. Mox cùm videret opulentiſſimam in proximo Inſulam, quodammodò Italiæ ſuæ abſciſſam, quatenus terrâ non poſſet, bello iungendam decreuit. Nec occaſio defuit, Mamertinis fœderatis, qui ab Hierone Siciliæ rege obſidebantur, opem implorantibus, déque Pœnis, ad quos paulò antè confugerant, conquerentibus. Affectabat enim vt Romanus, ita Pœnus Siciliam, & eodem tempore paribus vterque votis, ac viribus Imperium Orbis agitabat. Igitur ſpecie quadam ſocios iuuandi, re autem ſollicitante prædâ, quanquam territaret nouitas rei, terreſtris populus oſtendit, nihil intereſſe virtutis, equis, an nauibus: terrâ, an mari dimicaretur. Appio Claudio Conſule, primùm mare ingreſſus eſt, nam quòd L. Valerium claſſis præfectum oppreſſum à Tarentinis quindecim ante annos legimus, leuis pugna fuit, & quaſi præludium naualis belli. Appius acceptâ claſſe, è ſociorum nauibus nautiſque compactâ, ſine morâ Hieronem vincit, tantâ celeritate, vt victum ſe ille fateretur antequam hoſtem videret.

OLYMPIAD. CXXIX. Anno Vrbis conditæ CDXXCIX.

Inde pace cum Hierone, & Syracuſanis factâ, iuratáque ſocietate, idem populus Romanus, C. Duillio Cornelióque Coſſ. etiam mari congredi auſus eſt. C. quinqueremium, triremium LXX. Romana claſſis erat. Sed quinqueremium ædificatio perquàm difficilis fuit, quòd nemo eiuſmodi nauigiis per id tempus in Italiâ vteretur. Nam Appius Claudius, qui Caudex à caudicibus, quibus naues compinguntur, cognominatus eſt, cùm primùm Meſſanam copias traducere tentaret, non ſolùm armatam nullam nauim habebat, ſed ne paulò quidem longiorem, & ne lembum vllum: Tarentinorum, Locrenſium, & Neapolitanorum nauibus vſus, cùm exercitum in Siciliam tranſportaret, Romanis ad hunc diem nondum ad maritima prælia intentis, & proinde omni nauigiorum genere exarmatis. Erant tunc temporis circa fretum Siciliæ plurima Carthaginienſium nauigia, ex

Anno Vrbis CDXCIII.

Polybius lib. 1.

Seneca de breuit. vita.

iis

iis vna quinqueremis, cùm longius à ceteris vagaretur, caſu fracta, ad manus Romanorum venit. Ad eius ſpeciem quinqueremes ędificatæ. Dum claſſis paratur, multitudo omnis ad remigium exercebatur ad hunc modum. Subſelliis in arena per ordines diſpoſitis, remiges inſidentes ad vocem pręcipientis, qui in medio eorum erat, omnes vnà protendere brachia, ac reducere, remóſque per arenam mouere pariter docebantur: ad illius vocem ſimul omnes incipiebant, ſimul deſinebant. Per hunc modum nauigandi artem edocti, perfectis nauibus, mare ingreſſi, poſt paucos dies circa Italiam nauigantes, verum in vndis periculum fecêre. Dum Romani audaciam ab experientia ſumunt, Cn. Cornelius Conſul, claſſis prępoſitus, cum XVII. nauibus Meſſanam profectus, paratis, quæ ad vſum neceſſaria erant, propius Liparas cùm nauigaret, à Boode quodam, qui ab Annibale Pœnorum Duce miſſus fuerat, interceptus, & captus eſt. Victor Annibal, cùm accepiſſet Romanorum claſſem intra LX. diem, quàm ſylua cæſa fuerat, in anchoris ſtetiſſe, eandémque circa oras Italiæ remigare, noſcendi illius deſiderio, delectis nauibus L. Italiam petit. Vbi cùm in claſſem hoſtium benè inſtructam paratámq; incidiſſet, inopinâ vi oppreſſus, nauibus multis amiſſis, cum paucis ſuorum fugit. C. Duillius audito collegæ caſu, claſſe ſuſcepta, quia naues tardæ, & moueri difficiles, ſingulis quibuſque munimenta quædam aptat, quæ coruos appellauit. Ea fuit machina huiuſmodi. Lignea columna proris inerat longitudinis vlnarum quatuor, latitudinis palmorum trium: in faſtigio rota erat, cui tabulæ inhærentes ſcalas conficiebant, quarum latitudo erat pedes quatuor, longitudo ſex vlnæ. Foramen tabulati per longitudinem erat ſcalæ, duorum priorum cubitorum ſpacium columnam circundans. Habebat autem & tabulatum vtrinque prolixum latus, & profunditatem vſque ad genu demiſſam. Extrema pars ligni ferro tegebatur præacuto, inſtar mallei. Igitur ſimulac nauis hoſtium aduentabat, laxato fune, ſcalæ demittebantur, ferrum, pondere, ac vi ligni, ſuper hoſtium nauium delapſum figebatur. Si aduerſa prora erat, bini milites per ſcalas deſcendebant: ſi verò obliqua erat hoſtium nauis, in eam ex tota pariter naui deſiliebatur. Facto eiuſmodi apparatu circa Mylas, inter Phalacrum promontorium, & Heliconis fluminis oſtium in naues Carthaginienſium CXXX. inuehitur. Dux eorum erat Annibal, ſeptiremi vectus, quæ olim Pyrrhi Epirotarum Regis fuerat. Corui in ſingulis Romanarum nauium proris eminentes, ancipites Pœnorum animos ad rei nouitatem aliquandiu tenuêre. Tandem quidquid id foret, re contempta, infeſtis ſignis in hoſtes feruntur. Implicitis iam ac ſimul colligatis nauibus, militibúſque Romanis ex ſuis in hoſtium nauigia


per

per machinas prorumpentibus, Carthaginienſes plerique trucidati: multi captiui, L. naues captæ, inter quas Annibalis nauis fuit. Hic ſaluti ſuæ conſulens, in ſcapham proſiluit. Prælij fama memorabilis, cùm illas celeres, volucreſque hoſtium naues, hæ graues, tardæque comprehenderent. Longè illis plus nauticæ artis, detorquere remos, & ludificari fugâ roſtra. Sed iniectæ ferreæ manus, machinæque ante certamen multum ab hoſtibus deriſæ, aut neglectæ, velut in ſolido pugnare coëgerunt, vnde Romanis victoria, & Duillio primùm naualis triumphus conceſſus eſt: illíque perpetuus honos ob id habitus, vt reuertenti à cœnâ, tibicine canente, funale præferretur. Hoc ſibi ipſi tamen attribuiſſe Duillium manifeſtè prodidit Cato, apud Ciceronem, ſic loquens. *C. Duillium M. F. qui Pœnos primus claſſe deuicerat, redeuntem à cœna ſenem ſæpe vidi puer. Delectabatur crebro funali, & tibicine, quæ ſibi, nullo exemplo, priuatus ſumpſerat: tantam licentiam dabat gloria.* Cui ſuffragatur & Florus. *Duillius victor ad Liparas & fugata hoſtium claſſe primum illum maritimum egit triumphum: cuius, quod gaudium fuit: Cùm Duillius Imperator non contentus vnius diei triumpho, per vitam omnem, vbi à cœna rediret, prælucere ſibi funalia, & præcinere ſibi tibias iuſſit, quaſi quotidie triumpharet.*

Eadem narrant, Frontinus, Zonaras, Solinus, Aurelius Victor, Eutropius l. 1. 2. & 3. Cicero in Catone, Ozorius, Plinius lib. 34. Valer. Maximus lib. 3. cap. 6. Goltzius & Sigon. in Faſtis, Fazell. rer. Sicular. Decad. 2. l. 4. c. 3. Sabellic. Ennead. 4. lib. 9. Ex iiſdem authoribus, & ſequentia ſunt.

Eidem columna erecta in foro, cui ſuperpoſita fuit eius ſtatua, quæ tempore Plinij hiſtorici extabat: quod nemini antea Romæ factum fuiſſe, niſi C. Mænio Conſuli, cui Ann. Vrb. C. CCCCXVI. ſex triremibus Antiatibus ereptis, earum roſtra in ſuggeſtu fori fixerat, vbi & ſtatuam habuit poſtea, & columnam in foro, an & ipſa roſtrata fuerit, nullus, quod ſciam, prodidit. Formam columnæ & ſtatuæ Duillij noſtro ſæculo è ruderibus Capitolinis verſus Forum erutarum, & in ipſum Capitolium tranſlatarum, excudit Romæ Antonius Lafrerus, Ann. Salu. 1575. cum inſcriptione antiqua & mutila ex parte, baſi eius inſciſa in hunc modum.

Plin. lib. 34. c. 5.



Annibal

Annibal Carthaginem reuerſus, reparatâ claſſe in Sardiniam mittitur, victúſque iterum à Romanis, amiſsâ claſſe, redux in patriam crucifixus eſt. Creati Romæ Coſſ. C.Sulpitius & Aul. Attilius. Attilio cùm claſſis imperium obueniſſet, inter Helico-nem, & Tinethum, Siciliæ flumina, maritimo certamine dimi-catum eſt, dubiâ inter Carthaginienſes & Romanos victoriâ. Hinc cupido Romanos inceſſit, belli in Africam transferendi. Huic expeditioni Conſules M. Attilius Regulus, & L.Manlius Volſo pręfuerunt. Quadripartito claſſem omnem diuidunt. In primam ſcilicet, ſecundam, tertiam & quartam claſſem, in qui-bus ſupra CXL. M. hominum erant: ſingulis quibuſque nauibus CCC. remiges, claſſiarij milites CXX. Carthaginienſes, duntaxat aptis ad nauale bellum hominibus claſſem refertam habebant, quorum omnis multitudo erat ſupra CL. M. hominum. Duas ſexremes, in quibus Attilius, & Manlius vehebantur, prima & ſe-cunda claſſis ab vtroque cornu nauibus per ordinem diſpoſitis ſequebantur. Per hunc modum protractis, dillatatíſque aciebus, duo trianguli latera reſultabant. His tertiam claſſem quaſi ba-ſim pari ratione coniunxerant, itavt tres acies, ſic diſpoſitæ, ple-nam trianguli figuram perficerent. Sequebantur naues equis, & equitibus onuſtæ. Poſt quarta claſſis, quæ Triariorum erat. Car-thaginienſium duces, & ipſi in quatuor partes copias diuiſêre. Ij Hanno & Amilcar erant. Pręliatum eſt ante Heracleam, dubio dudum euentu, & niſi corui iniecti, prælij terreſtris imaginem prębuiſſent, haud dubiè ſuperiores Carthaginienſes extitiſſent, quibus ars erat celeritate ambiendi, eludendíque hoſtium naues. Vt collatæ vires, Romani, virtute & robore vicerunt. Superatus Amilcar, fugam arripit, quem ſequutus eſt Hanno. L. naues cum viris captæ, depreſſæ LXIV. Conſules inſtauratis, quos cepe-rant, nauibus, claſsíque ſuæ adiunctis, in Libyam nauigant, ap-pulſi ad Mercurij promontorium, littora populantur, Aſpidam vrbem expugnant, obſident Carthaginem: ſed cum duo duces non ita neceſſarij iudicarentur, oppugnandæ vrbi relictus eſt à Senatu Attilius, cum XL. nauibus, XV. M. peditum, equitibus quingentis. Manlius Romam reuertitur, triumphum tertius Ro-manorum naualem egit, nam poſt Duillium, C.Attilius Conſul, victo maritimo conflictu Annibale ſeniore iuxta Sardiniam, an-no pręcedente triumphauerat de Pœnis VIII. Kalend. Februarij. Victi Carthaginienſes, tum ad auxilia externa conuerſi, Xantip-po Lacedæmonio duce militiæ peritiſſimo, terreſtri prælio Ro-manos vincunt, & M.Attilium Regulum Coſ. viuum capiunt. Senatus populúſque Rom. vbi pręter ſpem profligatum in Afri-câ exercitum, captúmque Conſulem, ac reliquas copias in vrbe Aſpidâ obſideri nunciatum eſt, M.Æmilium, & Seruium Ful-

Annibalem hunc nauali prælio vi-ctum à C. Attilio, Sigonius in Faſtis refert. Eúmque Attilium naua-lem triumphum egiſſe.

Ann. Vrbis conditæ, CDXCVII.

uium Coſſ. principio Veris in Africam cum nauibus CCCL. traiicere iubet. Iſti,non longè à Mercurij promontorio paratum, & expectantem hoſtem habuêre obuiam. Commiſsâ pugna, Coſſ. CXIV. naues vel oppreſſerunt, vel ceperunt, cæſis Carthaginienſium XV. M. Dehinc facto ad Aſpidam vrbem itinere, ſuſceptâ, quæ ibi obſidebatur, Romanâ iuuentute, paucis diebus in Africâ commorati, Siciliam repetentes, cùm non procul à Camerinâ vrbe conſtitiſſent, ſæuitiâ ventorum, & pelagi, vix è tantâ claſſe LXXX. naues reliquias habuêre. Carthaginienſes, cognitis iis quæ Romanis acciderant, Aſdrubalem cum omni veterano exercitu, nouóque inſuper delectu habito, elephantis XL. roſtratis nauibus CC. in Siciliam mittunt. Conſules interim Romam reuerſi, quamuis lacerâ, & exigua claſſe rediiſſent, quia tamen contra Pœnos mari vicerant, nauale triumphum ſequenti anno duxerunt, quo A. Aquilius & C. Cornelius creati Coſſ.

CDXCIX. Vrb.condit. Anno. cum iis qui ex naufragio ſuperfuerant, & quinqueremibus CCC. contra Aſdrubalem nauigare iuſſi ſunt. Panormo capta, Romam

Ann.Vrb. D. reuerſi, ſucceſſores habuerunt duos Caios, Seruilium & Sempronium. Iſti ſuſcepta claſſe, primùm in Siciliam, poſtea in Africam traiiciunt: vbi cum ad Mirmicem Lotophagorum Inſulam (hodie Gerborum nominatam) perueniſſent, ſyrtibus & arenis impliciti, non niſi euacuatis nauibus, abiectíſq; in mare rebus etiam neceſſariis,incolumes eſſe potuerunt. Nec ob id laſſata fortuna inſectari miſeros deſtitit, damnum damno ſequente, procellis acti, ſupra CXL. naues amiſerunt. Hac clade populus Romanus affectus, à mari abſtinendum, & LXX. ſolùm nauibus ad onera deuehenda deinceps vti decreuit. Paratis itaque duntaxat pedeſtribus copiis, L.Cecilius,& C.Curius Coſſ.nauibus LX. importandi frumenti, & tranſportandi militis gratia, in Siciliam transfretarunt. Quo facto accidit, Carthaginenſium rem denuò ſuperiorem eſſe: quippe qui & mari ſine æmulo imperabant, ſublatâ Romanâ claſſe: & in pedeſtribus copiis magnam ſpem ſitam habebant,ob elephantorum multitudinem, quæ magnum Romanis terrorem incutiebat. Itavt per biennium cum Carthaginienſibus decertare non auderent. Quamobrem Romani pauore exercitus, & Ducum, cognito, parandæ claſſi rurſus magno

Ann. DIII. ſtudio incubuerunt. Erat is annus huius belli XIV. quo C. Attilius, & L.Manlius Coſſ. cum CC. nauibus Siciliam petiêre, quæ præter Drepanum & Lilybæum tota Romanorum erat, vel Hieronis,quem ſocium,& amicum habebant. Iam Annibal Amilcaris filius,Lilybetanum, quem tenebat, portum, Romanis ceſſerat, iam Drepanum ad Adherbalem nauigauerat, & Carthaginienſium Sen.quid ſui in vrbe ab hoſtibus obſeſsâ faciebant ſcire mirum in modum cupiebat. Rhodius quidam, cui Annibal nomen,

nomen, deducta inſigni celeritate in mare triremi, Carthagine ſoluens, Æguſam Inſulam (quæ Fauognana eſt hodie) primo vento applicat. Nactus poſtridie fauentem auram, tantâ velocitate plenis velis Lilybeum proficiſcitur; vt ſpectante Romanâ claſſe, quæ portum obſeruabat, eumdem ingreſſus, per otium etiam in quo ſtatu obſeſſorum res eſſent, diligenter ſpeculatus ſit. Conſules tantam viri audaciam admirati, decem triremes ex totâ claſſe delectas, in ipſis portus faucibus, quæ redeuntem interciperent, ex induſtria locant: ceteræ naues ad vtramque proximæ paludis partem, extenſis remis, eiuſdem reditum expectabant. At Rhodius non per noctem, neque ex abdito, ſed palàm medio die, per inſtructas & paratas hoſtium naues, audacia ſua, ſimul & nauigij celeritate fretus, prætervectus eſt. Nec euaſiſſe, nauémque & ſuos, qui in ea erant, ſeruaſſe, contentus, vbi paulùm hoſtes præteriit, conuersâ prorâ, ſubſequentes prouocauit: nemine pugnam tentare auſo. Rhodius vnicâ rate, quaſi triumphatis Romanis, Carthaginem rediit, & Senatui, quæ in obſeſsâ vrbe cognouerat, & viderat, retulit: id quod & poſtea ſæpius fecit. Atque ita magnum emolumentum rebus Carthaginienſium attulit, dum illis, & quæ obſeſſis neceſſaria eſſent ſignificauit, & ea obſeſſis detulit. Ea ludificatio, ad ingenium etiam Romanos prouocauit, compulítque militari opere portus ingreſſum obſtruere: eóque, onerarias aliquot naues ſabulo onuſtas maris fundo graui pondere ſuperiecto, depreſsêre. Quæ omnia cùm ſæpè tentata, hinc ipſa vadi altitudo abſorbendo, hinc vndarum impetu diffundendo, illuſiſſet: tandem ex vnâ faucium parte agger conſtitit: in quo Romani excubantes, paulò poſt quadriremem Carthaginienſium nihilo ſegniorem priori triremi, quæ magno impetu Rhodiam imitata, ex Æguſa proruperat, intercepêrunt. Quâ ſubinde vſi, aduentum Rhodiæ expectabant. Illa caſu per noctem adueniens, ſolita velocitate portum ingreditur, ſed dum redire feſtinat, ex improuiſo capta quadriremis in illam inuehitur. Rhodius, pernicitatem nauis admiratus, vbi eam diligenter perſpexit, & quadriremem Carthaginienſium à Romanis captam agnouit, deſperatâ fugâ congredi cum hoſtibus cogitur. Expugnata triremi, eáque quadriremi iuncta, facilè deinceps Romani hoſtiles naues ab eo portu prohibuerunt. Iam P. Claudius Conſulatum inierat, prioribúſque Coſſ. Romam reuerſis, apud Lilybæum exercitui præerat. Cùm illi placuit Drepanum versùs contra Adherbalem nauigare. Vt primùm appropinquare inter ſe claſſes ceperunt, ſignis è Prætoriis nauibus ab vtraque parte ſublatis, inuicem concurrentibus hoſtibus, pugna committitur. Carthaginienſium naues velociores, remiges peritiores erant, æquoríque diſcurrere aſſueti, & inſequi, & eludere, dum

Hunc Claudium, Faſti Publium: Hiſtorici, Appium pronominant.

Ann. DIV.

premebantur, docti. Romanis, proximum quod tenebant, littus nocumento erat. Siquidem in arctum coactis, nec inſultare, nec refugere, dum opus erat, concedebatur. Conſul igitur cùm rem in deterius labi cerneret, nauibus partim fractis, partim ſubmerſis, primus cum XXX. nauibus fugit: reliquæ omnes tres & nonaginta in hoſtium manus venêre. Adherbal magnam iis rebus geſtis laudem apud Carthaginienſes meruit. P. verò, vel vt aliis placet, Appius Claudius, quòd rem Romanam ſummum in diſcrimen adduxiſſet, ſumma cum ignominia Conſulatu decidit, abdicare imperium iuſſus. Romani reparata claſſe, nouóque facto ſupplemento, L. Iunium alterum Conſulem in Siciliam proficiſci imperant. CXX. roſtratarum pręter onerarias, & quas frumentationis cauſa ducebant, claſſis erat. Adherbal præfectum Carthalonem cum XXX. nauibus, eum mox ſequuturus, in Romanos, qui portum Lilybetanum ſeruabant, nauigare iubet. Imilchon interim è Lilybæo eruptione facta, hoſtes inuadit: ita Romani terra ſimul, & mari preſſi. L. Iunius non auſus congredi, in importuoſam oram naues coniecit, tutus, vt credebat, loci difficultate: cùm procella ingens inſurgere cepit, & ad naufragium Romanorum claſſem impellere, totámque gurgitibus abſorbere. His Romani naufragiis excepti, nuper ingenti clade apud Drepanum nauali prælio affecti, tunc verò omninò amiſsâ claſſe, iterum decedere mare cenſuerunt, eiúſque dominium Carthaginienſibus relinquere, terráque, quidquid ante acquiſiuerant, tutari, nec Lilybæi obſidionem ideò relinquere, ſed ei incumbere L. Iunium, qui ex naufragio ibi peruenerat. Contra Carthaginienſibus animi, creſcere, & in Italiam bellum transferre, Amilcare Barca claſſi Præfecto. Erat autem annus huius belli XVIII. quo vaſtatis Locrorum & Brutiorum agris, Amilcar inter Rhegium & Panormum, Siculas vrbes, caſtrametatur: mox Erycem capit. Cùm variis pręliis Romani cum hoſtibus eo loci per biennium dimicaſſent, viderέntque bellum in longum trahî, ſimul Amilcaris iniurias vlciſci, & bellum ad finem perducere cupientes, tertiò inſtaurandam claſſem, & maritimi conflictus fortunam tentandam decreuerunt: CC. quinqueremes, inſtar eius Rhodiæ, quam apud Lilybæum captam ſupra oſtendimus, parauerunt, iiſque L. Lutatium Coſ. pręficiunt. In Siciliam delatus, primò aduentu Drepani portum, ceteróſque, qui circa Lilybęum erant, occupat. Anno, & Barcas, obſeſſo apud Erycem Amilcare, commeatum & ſubſidia deuehebant: iis ad Æguſam inſulam fit obuiam Lutatius, confligitur, vincunt Romani, L. nauibus hoſtium ſubmerſis, LXX. captis. Conſul poſt prælium cum omni claſſe Lilybęum reuerſus, prædam & captiuorum corpora, inter ſuos milites diuiſit. Victi Carthaginienſes, amiſsâ claſſe, & hoſtibus

Q. Lutatium C. fil. C. nepotem tabula Capitolina nominant Coſ. An. V. DXII. *cum Aulo Manlio.*

hoſtibus vndique mare tenentibus, cùm ſuis nec ſubminiſtrare commeatum, nec auxilia ferre poſſent. Amilcari, qui Erycem defendebat, poteſtatem faciunt, quidquid illi de Rep. viſum eſſet, ſtatuendi. Legatos is, qui de fœdere cum Lutatio agerent, miſit, eiuſmodi conditionibus. Conſul, Amilcarem in fœdus ſuſcepit. Amicitiam eſſe Romanis Carthaginienſibúſque, ſi id populo Romano videatur. Excedere prorſus omni Siciliâ Carthaginienſes, neque poſthac Hieroni bellum inferre, neque contra Syracuſanos, Syracuſanorúmve ſocios mouere arma. Captiuos omnes reddere. Talenta argenti Euboica duo millia & ducenta Romanis per annos viginti, pendere. Has conditiones Pop. Rom. comprobare nolens, ob id X. viros in Siciliam legatos miſit, qui, dictis conditionibus, has addiderunt: vt non ſolùm Sicilia Carthaginienſes excederent, ſed etiam omnibus Inſulis, quæ inter Siciliam atque Italiam mediæ ſunt. Per hunc modum primo bello Punico finis impoſitus eſt, quod durauit annos XXIV. Cepítque omnis Sicilia Romano parere Imperio, præter Syracuſas vrbem, & eius ditionis nonnullas ciuitates, quæ Hieronem regem agnoſcebant. Facta igitur Sicilia, omnium prima, Rom. Prouincia, Sen. Æmilium Prętorem in ea conſtituit, atque à Prętoribus deinde per multa tempora gubernata eſt. Lutatius Romam reuerſus, naualem egit triumphum. Poſt eum Prætor Lutatij, inuſitato antea more triumphauit, is erat Q. Valerius, quia pugna nauali imperauerat claſſi, Conſule Lutatio è vulnere claudo, & in lecto iacente. Hoc iſtius virtuti datum fuit: illius verò gloriæ, quòd eius auſpiciis parta eſſet victoria, quæ tanti emolumenti fuit, pulſis tota Sicilia Carthaginienſibus, iiſdémque tributariis factis, vt Romani in honorem Lutatij Conſulis argenteum numum cudi iuſſerint, in quo, quinqueremis, quernea, ſiue ciuicæ coronæ, includitur, indicium ſeruatos ciues ope, & virtute Lutatij victoris. Poſtea, pace terra, maríque parta, templum Iani Romæ iterùm clauſum eſt.

Liuius l. 21. & 26. Velleius. Iornand. Solin. in cap. de Sicilia. Goltz. in Sicilia.

Vide numum apud Goltz. in Faſtis, an. 512. Et apud Vrſinum in gente Lutatia.

CAPVT DECIMVMQVARTVM.

Bellum Punicum ſecundum maritimum.

VICTOS Carthaginienſes, domi ſeditio militaris excepit, & niſi Romani fœderati ſuccurriſſent, magnum vrbis nomen extinxiſſet. Sardinia Inſula, auxilij munus, Romanis ceſſit. Hoc ægrè ferre Hamilcar Barcas, dux bello, quod in Sicilia nuper geſtum erat, notiſſimus. Cauſæ itaque ſecundi belli Punici,

Hoc Caput deſumptũ eſt è Polyb. l. 3. Plut. in Scipione, Flaminio, & Annibale. Liuio, Plin. l. 34. Feſto 13. Eutrop. 4. Floro, Vell. Appian in Iberica & Italica Annib. exped. & bello Lyb.

nici, Carthaginienſium è Sicilia expulſio, tributi impoſitio, Sardiniæ occupatio à Romanis, & infenſus victoribus Hamilcaris animus, qui ciuili bello ſedato, ductáque colonia in Hiſpaniam, & noua Carthagine ibi condita, quæ poſtea ſedes, & quaſi Regia Imperatorum Carthaginienſium fuit, Hannibalem filium nonum tunc annum agentem, ad aras Iouis immortale in Romanos odium iurare coëgit. Illi defuncto, ſucceſſit Haſdrubal qui plures vrbes in Hiſpaniâ cepit, pluréſq; gẽtes prælio magis, quàm bello contudit. In interfecti locum venit Annibal, iuramenti memor, & gloriæ cupidus. Hic capta Sagunto, Gallis auxiliaribus, cùm in Italiam duxiſſet exercitum, apud Trebiam, Scipionem vicit; ad Traſimenum, Flaminium; ad Aufidi ripas, Æmilium. Interim Cneus Scipio in Hiſpania mari bella tractabat, ſpeculatoriis ſociorum Maſſilienſium nauibus, Himilconem, cum Punica claſſe, ad oſtium Iberi fluminis, ſtare denunciantibus, obuiam procedit. In Himilconis auxilium conſcenſis nauibus feſtinat Haſdrubal, ſed reciprocante fluctu, turbata Pœnorum claſſis, facilem victoriam Romanis præbuit. Captæ naues xx. tandémque maris Imperium paulatim à Carthaginienſibus ad Romanos tranſiit. Victi, ſcientes quantum momenti ad omnia, æquoris dominium referret, lxx. naues parant. Hæ in Sardiniam, deinde Piſas in Italia delatæ, vti cum Annibalis exercitu iungerentur. Sed viſa cxx. quinqueremium Romanarum claſſe, confeſtìm Sardiniam, deinde Carthaginem redierunt. Cn. Seruilius. qui Romanæ claſſi præerat, veluti fugientes diu ſequutus, vbi euaſerunt, claſſem Lilybæo appulit. Hinc non longè poſt ad Cercinetarum Inſulam nauigauit, acceptáque ab incolis pecunia, ne vaſtitudinem faceret, iter conuertit, captáque inter nauigandum Coſſyra inſula, oppidóque per præſidium firmato, Lilybæum reuerſus eſt. Hæc inter, Senatus, cognitâ Cn. Scipionis apud Iberum amnem nauali victoria, neceſſarium iudicauit, bellum in Hiſpania perſequi, terra, maríque hoſtes infeſtare. Quamobrem Romani paratis extemplò viginti longis nauibus, P. Scipionem, prorogato poſt Conſulatum imperio, in Hiſpaniam mittunt, vt vna cum Cn. Scipione fratre iunctis viribus, quæ viderentur è Rep. tractaret. Superatis, quæ circa Iberum habitabant nationibus, adunatis copiis, Haſdrubalem fugant, plures vrbes in littore, medio in mari Baleares Inſulas occupant. Mox Hierone in Sicilia vita functo, cùm eius regno Carthaginienſes inſidiarentur, Marcellum Patres in Inſulam miſerunt, qui & in ea antiquam iam poteſtatem tutaretur, & in Melita Inſula nouum à Sempronio præſidium impoſitum recrearet, recenti milite, & annona. Hieronis ſucceſſor Hieronymus, conſpiratione ſublatus, totam Inſulam Romanis aperuit, Syracuſanorum Rex vltimus.

Anno Vrbis conditæ DXXXV.

P Scipionem, & Cn. Seruilium nauali prælio viciſſe, indicant numi dicto anno cuſi, à Goltzio in ſuis Faſtis relati, in quibus ſuper quinqueremi corona laurea ſculpta eſt.

Liuius Decad. 3. lib. 1.

mus. Enim Syracuſanis Prætoribus fœdus cum Romanis ab Hierone factum ſpernentibus, quod iam Hieronymus ruperat, iurata cum Annibale ſocietate, Marcellus vrbem terra, maríque obſidet. Terra ab Hexapylo, mari ab Acradina, qua orientem ac meridiem vrbs reſpicit. Appius quidem Prætor precedente anno in Siciliam miſſus, vt prouinciam, quæ Populi Romani erat, gubernaret, terreſtres copias Hexapylo admouit: Marcellus verò, huius anni Prętor, claſſem LX. quinqueremium omnifariam omnium telorum armorúmque genere inſtructiſſimam, Acradinæ littori. Hoc belli apparatu, proculdubiò primo impetu Syracuſas expugnaſſet, niſi Archimedes, qui intra vrbem erat, omnia Romanorum conſilia, omnes machinationes leui momento confregiſſet. Is enim non ſolùm quidquid machinarum, ac armorum Marcellus, vel à terra, vel à mari ad oppugnandam vrbem parabat, fruſtrabatur: ſed & multa etiam monſtra, ac mirabilia quædam opera ad terrendos hoſtes faciebat: quibus Marcellus ab vrbis oppugnatione, atque ab omni armorum vſu abſtinere compulſus eſt. Siquidem in terreſtres copias extruxit à ſummo vrbis vſque ad imum, murum per inæquales ductum colles, quem omni tormentorum genere inſtruxit: inter quæ, quoddam eo ſeculo & ante incognitum machinarum genus diſpoſuerat, quo in hoſtilia caſtra varia genera miſſilium, & immenſæ magnitudinis ſaxa incredibili fragore, & celeritate torquebat: ita vt nunquam fruſtra inciderent, neque euitari poſſent, contra hoſtes, quacunquè vrbem impugnare tentarent, leui motu contorta.

Fazell. rer. Sicul. Dec. 2. l. 3. Goltz in ſua Sicil. 2. Polyb. l. 8. Plut. in Marcello.

Anno Vrbis conditæ DXL.

Par verò pelago miſeris fortuna carinis,
Námque vbi ſe propius tectis, vrbíque tulére,
Quà portus muri pacatas applicat vndas,
Improuiſa nouo peſtis conterruit aſtu.
Trabs fabrè teres, atque eraſis vndique nodis
Nauali ſimilis malo, præfixa gerebat
Vnca tela manus: ea celſo ex aggere muri
Bellantes curui rapiebat in aëra ferri
Vnguibus, & mediam reuocata ferebat in vrbem.
Non ſolos vis illa viros! quin ſæpè triremem
Belligeræ rapuêre trabes, cùm deſuper actum
Incuterent puppi chalybem, morſúſque tenaces:
Qui ſimul affixo vicina in robora ferro
Suſtulerant ſublimè ratem (miſerabile viſu)
Per ſubitum rursùs laxatis arte cathenis
Tanta præcipitem reddebant mole profundo,
Vt totam haurirent vndæ cum milite puppem.
His ſuper inſidiis anguſta foramina murus

Silius Italic. belli Punici lib. 14.

Arte cauata dabat, per quæ diffundere tela
Tutum erat oppoſito mittentibus aggere valli.
Nec ſine fraude labos, arctâ ne rurſus eodem
Spicula ab hoſte viâ vicibus contorta redirent.
Calliditas Graja, atque aſtus pollentior armis,
Marcellum tantáſque minas, terráque, marique
Arcebat, ſtabátque ingens ad mœnia bellum.

Addit Silius pugnam naualem inter Himilconem & Marcellum, fugientemque Pœnum ducem, ait, in Lybiam exiguo nauigio vectum. Sed quia de hac re hiſtorici tacent, ego quoque tacui. Præcipuè cùm in tabulis Capitolinis nullum triumphum naualem Marcelli inuenerim.

Marcellus itaque cùm omnes ſuos conatus irritos videret, ceſſata oppugnatione, obſidionem continuauit, fame ſubigere tentans, quos vi non poterat. Appium pedeſtribus, T. Otacilium naualibus copiis duces relinquens, cum tertia exercitus parte, ad recipienda proxima oppida, quæ Carthaginienſibus fauebant, proficiſcitur. Eloro maritimo oppido, ac Herbeſſo per deditionem potitur: vi captam Megaram ad Syracuſanorum terrorem funditus dirruit. Dum hęc circa Syracuſas geruntur, Himilco Carthaginienſium dux, qui ad Pachynum cum claſſe concederat, legatos ab Hippocrate Syracuſanorum Prætore habuit, vt quàm celerrimè Carthaginem peteret, maioréſque equitum & peditum copias, inde comparatas, in Siciliam deueheret. Ille recuperandæ Siciliæ cupidus, Carthaginem rediit, habitóque delectu ad Heracleam (quæ hodie Minoa eſt) Siciliæ, exercitum expoſuit, primóque impetu Agrigentum occupat. Marcellus fuſo circa Accillas Hippocrate, Siciliam penè totam à Carthaginienſibus ad Rom. fidem reduxit. Inde Syracuſas rediit: iam in portu erat Bomilcar, Carthagine miſſus, cum triremibus LV. qui Romanæ claſſis, quæ in eundem locum aduentabat, famâ territus, cùm ea duplo maior Punica claſſe diceretur, in altum euectus, Carthaginem abiit. Neque ob id tamen animi Himilconi defuerunt, Margantiam, in quam magnam vim frumenti, & commeatuum, Romani conuexerant, interfecto per proditionem ciuium Romanorum pręſidio, cepit. Ea fraude, & defectionis impunitate, aliorum quoque ciuium variis in vrbibus animi ſollicitati, pręſidio, vel expulſo, vel necato, ad Pœnos inclinabant. Ennenſes ea perfidia conuicti, à L. Pinario, præſidij Romani pręfecto, trucidati, Siculos ſibi tam ſeuera vltione metuentes, ad Punicam amicitiam penè totos alienum ſupplicium conuertit. Imminebat Dianæ dies feſtus, iuxtáque Galeagram, humilem murum Marcellus conſpiciens, ciuibus die ſacro coronatis, potis, & nihil eiuſmodi metuentibus, ibi ſcalas admouere per noctem ſuos iubet, qui Epipolas, pulſo hoſtili pręſidio, ſtatim occupant. Cúmque ex eo loco, veluti è faſtigio montis, reliqua pars Syracuſanæ vrbis iacens cerneretur, Tycham, & Neapolim, depręandas militibus Marcellus conceſſit: Acradinam, & Inſulam, quæ etiam partes vrbis erant, ternis caſtris circumſedit. Nec mora,

Liuius Decad 3. lib 4. & 5.

mora, prodente Merico, Inſula recepta, Acradina quoque libertatem & ſalutem incolis pacta; deditionem fecit, tertio ab obſidione anno. Captis Syracuſis, & Archimede contra ducis imperium trucidato, veluti, ſi in vnius vrbis expugnatione tota Sicilia debellata foret, omnes ferè ciuitates per legatos in Romanorum poteſtatem tranſiuerunt, factáque eſt iam Sicilia integra Pop. Rom. Prouincia. Marcellus in patriam reuerſus, pridie quàm vrbem ingrederetur, de Pœnis Sicilia pulſis, in mōte Albano triumphauit, inde ouans, multam præ ſe prędam in vrbem detulit.

Ann. Vrbis conditæ, DXLII.

Eā æſtate Cn. & P. Scipiones, à mercenariis Celtiberis deſerti, cum toto penè milite ceciderunt. In eorum locum Publij filius, eodem cum patre prænomine, miſſus eſt, annos XXIV. natus: hic expugnata in Hiſpano littore Carthagine noua, Haſdrubalem Annibalis fratrem fundit, Pœnóſque Hiſpania fugat, anno XIV. ſecundi belli Punici: indè Romam reuertitur, L. Lentulo & Manlio Acidino cum exercitu ad Hiſpaniæ prçſidium relictis. Eo tempore, quo hæc à Scipione geſta ſunt, L. Domitius, XXX. nauium claſſe, commeatum ſubuehebat M. Liuio, Tarentinæ arcis præfecto, quam Annibal obſidebat. Is fortè Rhegio oppido profectus, ad Sacriportum, XV. M. paſſuum à Tarento Democratem Tarentinum cum pari nauium numero obuium habuit. Confeſtim pugna ſequuta eſt. Poſtremùm Domitio cadente, Romana claſſis diſiecta eſt. Pars oppreſſa, reliqua quæ in terram euaſit, Turinis & Metapontinis prędæ fuit.

Liuius lib. 6. Decad. 3.

Valerius Læuinus, qui reliquias belli in Sicilia tractabat, ea pacata, cum C. nauium claſſe in Africam tranſuectus, in Clupeenſem agrum deſcenſione facta, cùm in naues recederet, Punica cum claſſe, LXXX. nauium, confligere coactus eſt. Proſperè congreſſus, duodeviginti nauibus captis, ceteram in alto multitudinem diſpulit. Atque ita victor Lilybæum repetiit.

Liu. Dec. 3. l. 7. & 8
Polyb. l. 10. & 11.

An. V. cond. DXLVIII.

Interim Scipioni Romam reuerſo, & Coſ. facto, Sicilia Prouincia ex decreto Senatus eidem data eſt, additúmque, vt ſi è Rep. videretur, in Africam tranſmitteret, cum XXX. roſtratis nauibus. Plures enim illi concedi Fabius æmulator Scipionis, impediuerat, paucitate nauium in Africam transfretandi facultatem adimente. Quod cùm animaduertiſſet Scipio, dari ſibi poteſtatem petiit, voluntarios tum milites, tum remiges comparandi; quo à Sen. conceſſo, incredibile dictu eſt, quanto omnium Italiæ populorum ſtudio ad eam expeditionem adiutus ſit. Cærites frumentum ſociis naualibus, commeatúmque omnis generis, dederunt: Populonienſes, ferrum: Tarquinienſes, lintea in vela: Volaterrani, armamenta nauium, & frumentum. Aretini, XXX. M. ſcutorum, galeas totidem, pila, gæſa, haſtas longas L. M. ſecures, rutra, falces, alucolos, molas, quantùm ad XL. naues longas opus erat: triti-

Appianus belli Libyci, cap. 2.

In numis à Goltzio relatis in Faſtis, ann. 548. in naui Scipio recipitur à muliere, gubernaculum nauis, & ſpicas tenente. Siculorum gratum in aduentum Scipionis animum hi numi indicatur. Spica enim ſicut, & tria crura Siciliæ ſunt ſymbolum.

ci CXX. M. mediorum in viaticum decurionum, remigúmque contulêre: Peruſini, Cluſini, Ruſellani, abietem ad fabricandas naues,& frumenti magnum numerum. Vmbriæ populi, Nurſinique, & Reatini,& Amiterni,Sabinúſque omnis ager, milites: Marſi, Peligni, Marrucinique voluntarij nomina in claſſem tradiderunt: Camertes, cùm æquo fœdere cum Romanis eſſent, cohortem armatam DC. hominum miſerunt. XXX. nauium carinæ, XX. quinqueremes, X. quadriremes cùm eſſent poſitæ, Scipio ita inſtitit operi, vt die XLV. quàm ex ſyluis detracta materia erat, naues inſtructæ, armatæque in aquam deductæ ſint. Profectus eſt in Siciliam XXX. nauibus longis, voluntariorum ferè VII. M. in naues impoſitis. Parte alia Adherbal, Gaditanos qui vrbem, Inſulámque Romanis prodere decreuerant, quinqueremi impoſitos, Carthaginem ad ſupplicium deuehebat,ipſe cum triremibus VIII. modico interuallo ſequebatur. Iam fretum intrabat quinqueremis, cùm C.Lælius & ipſe in quinqueremi è portu Carteiæ, ſequentibus triremibus VII. euectus, in Adherbalem, & eius triremes inuehitur: quinqueremem ſatis credens deprehenſam rapido in freto, in aduerſum æſtum reciprocari non poſſe. Hîc noua pugna, non arte,armis,aut virtute certabatur, æſtus arbitrium moderandi naues ademerat, vna natura freti, totius certaminis potens, turbabat claſſes,quas nunc in ſeſe collidebat, nunc in hoſtes, remigio inutili & contrariis vorticibus intortis, nunc lateribus, nunc proris, aut puppibus. Prælium diu anceps, eadem fortuna, quæ pugnam incoauerat, tandem finiit. Quinqueremis enim Romana, hoc ſolo quòd tenacior, & validior eſſet, duas hoſtium triremes ſuo robore ſupreſſit: tertiæ remos etiam deterſit, ceteráſque, quas indempta eſt, mulctaſſet, niſi cum reliquis v. nauibus. Adherbal velis in Africam tranſmiſiſſet. At Mago Annibalis & Adherbalis frater, ex minori inſula Balearium, cum XXX. roſtratis nauibus, onerariíſque plurimis, peditum XII. M. equitum II. M. in Italiam deportauit, improuiſóque in Liguriam appulſu, Genuam, nullis tum munitam prçſidiis, diripit, prçdáque Sauonæ, Alpino oppido, depoſita, Gallis & Liguribus iunctus, contra M. Valerium Leuinum ad Aretium terra procedebat, relicta ad tuendam oram maritimam claſſe, ſi Scipio militem in Liguriam exponere tentaſſet, loco præſidium. Erátque bellum in Liguria, cùm LXXX. Punicæ naues Annibali in Italiam commeatum portantes, circa Sardiniam à C.Octauio, Inſulæ Prętore, intercipiuntur. Scipio interim Lilybęo ſoluens, cum Lucio fratre dexterum cornu tenebat, læuum C.Lælius, præfectus claſſis onerarias in medio accepit. In ſingulis nauibus vnum lumen, ne nocte à claſſe errarent: in roſtratis lumina duo: in naue Prætoria tria. Dum anchoræ

Liu.Dec 3. lib.9. Appian. belli Libyci, cap 3.
Ann. Vrbis DXLIX.

choræ leuantur, Scipio de Prętoria naue ſilentio facto, magna voce, Deos, Deáſque inuocauit, vt populo Rom. benè eſſet. Poſt preces cruda exta victimæ cęſa in mare proiecit, tubáq; ſignum profectionis dedit, deinde ad promontorium Pulchri, quod in Africa eſt, militem expoſuit. Cæſo Hannone, Vticam oppugnat, mox & Timetam, XII. M. paſſuum à Carthagine diſtantem. Hinc Punicam claſſem ad Vticam tendentem intuitus, confeſtim ſignum pugnæ erigi iubet, ne ſuæ naues improuiſo hoſtium acceſſu opprimerentur. Hîc quantùm in re ſubita prouideri potuit, quaterno onerariarum ordine claſſem pręmuniuit. Stabant pręſidiariæ, ita inter ſe nexæ, vt ſpeculatoriis nauibus ſpatia relinquerent, ad impetum in hoſtem faciendum, & ad vim, cùm opus eſſet, declinandam, habilem darent receptum. Quæ in fronte conſtitutæ ſunt, antennis tenaci nexu alligatis, ſublimem pontem habuere, vndè vis telorum ingens in hoſtem coniecta eſt. Magnum ibi certamen, ad poſtremum pontibus vi ſolutis, ſex onerariæ ab hoſtibus in altum abductæ ſunt. Id maius Pœnis fuit, quàm pro re gaudium, quod inter claſſes diuerſas, vna pugna proſperè ceſſiſſet. Cùm autem ſuam vrbem Carthaginienſes obſidione premi à Scipione cernerent, terrore compulſi, legatos ad Annibalem miſerunt, nunciantes, vt ex Italia in patriæ defenſionem exercitum adduceret; quod cùm faceret, Cn. Seruilius Coſ. haud dubius, quin pacatæ Italiæ gloria penes ſe eſſet, D L.
Annibalem in Africam cum claſſe ſequutus eſt. Quod vbi Romæ vulgatum eſt, primò cenſuerunt Patres, vt Prętor ſcriberet Conſuli, Senatum æquum cenſere, in Italiam reuerti eum. Deinde cùm Prætor ſpreturum eum literas ſuas diceret, Dictator ad idipſum creatus eſt P. Sulpicius, qui pro iure maioris imperij, Conſulem in Italiam reuocauit. Tum ex Sardinia ab Lentulo Prętore C. onerariæ naues cum commeatu, & XX. roſtratis pręſidiariis in Africam tranſmiſerunt, fauente flatu. Cn. Octauio CC. onerariis, XXX. longis nauibus in Siciliam traiicienti, non eadem fortuna fuit. In conſpectu Africæ proſperè vectum, primò deſtituit ventus: dein violentus ſurgens turbauit, ac paſsim naues diſiecit: tandem ipſe roſtratis per aduerſos fluctus ingenti remigum labore enixus, Apollinis promontorium tenuit. Onerariarum pars maxima ad Ægimurum, reliqua propè Carthaginem delata, ab Haſdrubale penè tota collecta eſt. Tito Claudio DLI.
Neroni Conſuli cùm Africa obueniſſet, decretum eſt, vt L. nauium claſſe, omnes quinqueremes in Africam traiiceret, paríque imperio cum Scipione Imperator eſſet. Verum tranſmiſſo in Africam Annibale, & à Scipione ſuperato, miſſi Romam Carthaginienſium legati, qui de pace tractarent, Neronis tranſuectionem impediuerunt. Senatus decreuit, vt P. Scipio ex X. le-

gatorum ſententia, pacem cum populo Carthaginienſi, quibus legibus ei videretur, faceret. Ita dimiſſi ab Roma Carthaginienſium legati, cùm in Africam veniſſent ad Scipionem, iis conditionibus pacem habuerunt. Vt liberi ſuis legibus Carthaginienſes viuerent; quas vrbes, quoſque agros, quibúſque finibus antè bellum tenuiſſent, tenerent. Perfugas, & fugitiuos, & captiuos omnes, & naues roſtratas, pręter decem triremes, traderent, elephantóſque, quos haberent domitos; neque domarent alios. Bellum neque in Africa, neque extra Africam, iniuſſu populi Rom. gererent. Maſſaniſſæ res redderent, fœdúſque cum eo facerent. X. M. talentum argenti deſcripta, penſionibus æquis, in annos L. ſoluerent. Obſides C. arbitratu Scipionis darent. Sic pace terra, maríque parta, Scipio exercitu in naues impoſito, in Siciliam ad Lilybęum applicuit. Indè per lætam Italiam effuſis vrbanis, & agreſtibus obſidentibus vias Romam peruenit. Clariſſimo omnium triumpho vrbem inuectus, primus omnium Romanorum à deuictæ gentis nomine, denominatus eſt, atque Africanus appellatus. Cuius exemplo, poſteritas cognomina de victoriis familiis ſuis fecit. Ceterum antequam Scipio Africa excederet, L. omnis generis naues in altum abductas, in Carthaginis conſpectu cremauit. Id incendium tam lugubre Pœnis fuit, quàm ſi tum Carthago tota deflagraſſet. Transfugas idem Latini nominis ſecuri percuſſit. Romanos verò ſuſtulit in crucem, vt perfidos, & ſuæ patriæ proditores. Sic ſecundum bellum Punicum ad exitum à Romanis perductum eſt, anno XVII. ab eo, quo bellum in Hiſpania, Annibalis ductu, incepit.

DLII. *Liu Decad. 3 l. 10. Appian. bello Libyc c. 5. 6. Polyb. lib. 15.*

CAPVT DECIMVMQVINTVM.

Bella maritima Punicum tertium præcedentia, Jllyricum, Macedonicum primum, Syriacum, Creticum, & Macedonicum ſecundum.

POST Carthaginem vinci nemini puduit: ſequutæ ſunt ſtatim Africam, gentes, Macedonia, Græcia, Syria, ceteráque omnia, quaſi quodam æſtu, & torrente fortunæ. Sed primi omnium Macedones, affectator quondam Imperij populus. Ante tamen Romani Illyrium tentauerant, partémque maximæ Prouinciæ tenuerant, ab Illyriis offenſi, qui ſæpè in Italiam nauigantes, maritimas oras infeſtauerant, & è Phœnice Epiri vrbe cum claſſe, ceu piratæ, diuiſi, Italici generis mercatores, alios deprædati

Florus l. 2. c. 7.

Polyb. lib. 2.

Anno Vrbis cond. DXXIV. DXXV.

dati erant, alios occiderant, alios captiuos abduxerant. Legati, C. & L. Coruncani, ad Teucam Reginam miſſi, cùm fruſtra de illatis ſibi iniuriis diſſeruiſſent, & Lucius, liberius, quàm audax mulier ferre poſſet, verba feciſſet, iuſſi ſatellites redeuntem ad ſuos legatum obtruncare. Romani, fama tanti facinoris in vrbem perlatâ, extemplò ad belli apparatum intenti eſſe, milites ſcribere, claſſem ædificare, nihil denique prætermittere, quod ad vltionem tanti facinoris pertineret. At Regina adueniente Vere, longè plures quàm antea lembos in Græciam mittit. Eorum pars Corcyram nauigat, alij Dyrrhachienſium portum petunt: & dum ſe aquæ & commeatus gratiâ, eo proficiſci ſimulant, conſilium capiendæ vrbis ineunt. Dyrrhachienſes ſecuri, & nihil prorſus ſuſpicantes, intrare vrbem inermes permittunt. At illi vrbem ingreſſi, nudatis, quos in aquariis vrceis abſconditos geſtauerant, gladiis, cuſtodes portæ necant, partémque mœniorum occupant. Ciues animo forti pugnantes, tandem Illyriis ex vrbe eiectis, vrbem & patrios Lares conſeruauêre. Duces Illyriorum, ſolutis extemplò nauibus, in altum profecti, & cum iis, quos nauigare Corcyram diximus, coniuncti, omnes ſimul maturato itinere obſidere vrbem aggrediuntur. Corcyrenſes inſperato malo circunuenti, legatos ad Achæos, Ætolos, & Dyrrhachienſes, ſubſidium implorantes, ire iubent. Ij, caſum Corcyrenſium miſerati, Corcyram magnâ claſſe nauigant, ſperantes ſeſe primo aduentu obſidionem barbarorum ſoluturos. At Illyrij VII. cataphractis nauibus, quæ aliis tectæ dicuntur, ab Acarnanibus, cum quibus ſocietatem inierant, acceptis, Achæis obuiam procedunt: nec longè ab Inſulis, quas Paxos appellant, eos nacti, ineunt prælium. Acarnanes, & naues Achæorum, quæ aduerſus eos pugnabant, æquales erant in certamine, atque integræ in congreſſibus permanebant, prçterquàm quòd viri ex ipſis pugnantes, hinc pauci, indè plures vulnerabantur. Illyrij verò quaternis ſimul lembis connexis naues hoſtium implicabant, & vndique circundatas impediebant. Tum itaque aduerſariorum naues in conflictu perfoſſæ, & ligatæ affligabantur, adhærentibus illarum roſtris Illyriorum lembis. Hinc in eas cum impetu proſilientes, facilè ob multitudinem ſuperabant. Per hunc modum quatuor Achæorum quadriremes ab Illyriis captæ, quinqueremis vna ſubmerſa, cum omnibus qui intus erant. Acarnanes, vt victoriam ab hoſtis partibus proſpexêre, freti celeritate nauium, vertentes terga, domum incolumes remigrarunt. Corcyrenſes omni ſpe deſtituti, permisêre ſe Illyriis, præſidiúmque eorum, & ducem præſidij Demetrium Pharium, intra vrbem accepêre. Paulò poſt Cn. Fuluius Coſ. cum claſſe CC. nauium Corcyram venit. Huic ſe Demetrius cum vrbe tradidit, Illyriorum

rum

rum Reginæ iram timens, cuius gratiâ per ęmulorum calumnias excidiſſe ſe amicorum litteris nouerat. Romani, Corcyrenſibus in amicitiam receptis, Demetrio reliquorum gerendorum Duce vſi, in Apolloniam nauigant. Eodem tempore A.Poſthumius, alter Conſulum, cum terreſtribus copiis Brunduſio transfretabat, quâ receptâ, Dyrrhachio quoq; ad alia loca Illyrij vela vertunt, x x. hoſtium lembis potiti, Teucam Reginam, pacem petentem, iſtis conditionibus audiuerunt. Vt Illyrio omni excederet, paucis oppidis exceptis. Vt nauigare ei deinceps vltra vrbem Lyſſam non liceret, niſi cum duobus lembis, iiſque inermibus. Tum primùm de Illyriis Fuluius naualem egit triumphum. Legatis Coruncanis occiſis à Teuca, Pop.Romanus ſtatuas erexit. Poſtquam nouâ Prouinciâ Conſules exceſſerunt, Demetrius Pharius, Macedonum amicitiâ fretus, oppida Illyrij quæ nuper ditioni Romanorum ſubiecta erant, expugnauit, Illyriorum Rex poſt Teucam, terminóſque in fœdere nominatos tranſgreſſus, pleraſque Cycladum diripuit.

Huius triumphi nummus extat apud Goltzium in Faſtis acti ann. 525. Plin. lib 34. c. 6. Polyb. lib. 5.

Ann. Vrbis DXXXIV.

Quæ vbi Romani intellexerunt, L.Æmilium in Illyrium cum exercitu miſère. Illyrium applicitus, Dimalam obſidet. Quâ intra ſeptem dierum ſpatium vi captâ, adeò animos hoſtium fregit, vt repentè ex omnibus Illyricis ciuitatibus legati aduenerint, ſeſe fidei Romanorum dedentes. Quibus in amicitiam receptis, exercitum verſus Pharum mouet, vbi Demetrius morabatur. Intra ſyluam vrbi propinquam de nocte militem locat. Ipſe orto iam die cum x x. nauibus palàm propinquum vrbi portum ingreditur. Illyrij naues hoſtium conſpicati, denſo agmine procurrunt ad portum, totámque vrbem ciuibus euacuant. Tum Romani è ſyluâ, in quâ latebant, erumpentes, Illyrios cædunt; pauci ſe intra vrbem receperunt, reliqui in deſerta Inſulæ profugère. Demetrius ad lembos, quos fugæ gratiâ, ſi quid tale accideret, parauerat, clàm perlatus, ad Philippum Macedoniæ Regem profectus eſt, ibíque conſenuit. Hinc bellum Macedonicum fluxit, cœptum aduerſùs Philippum, annis decem, antequam Scipio de Africâ triumpharet. Hic Lacedæmoniis & Ætolis leges dederat, ſtudióque Alexandri æmulationis incenſus, cùm iterato prælio victos ab Annibale Romanos didiciſſet, apertè hoſtem ſe iis profeſſus, naues, quibus in Italiam traiiceret, fabricare cepit. Legatum deindè ad Annibalem, iungendæ ſocietatis gratiâ, cum epiſtolis mittit.

Polyb. l. 16. Trogus lib. 29 & 30. Liuius Decad. 4. l. 2.

DLIII.

Poſtea verò cùm Romanis nunciatum eſſet, Philippum in Italiam copias traiecturum, Leuinum Prętorem cum inſtructis nauibus ad prohibẽdum tranſitum mandat. Poſt hunc P.Sulpitius Attalo Regi iunctus, aduerſus Philippum mouit. Ambo ex Niceâ Oreum petierunt. Ea prima vrbium Eubœæ ad læuum occurrebat, Euripum Euboicum ex Demetriaco ſinu petentibus. Rex à terrâ vrbem expugnare

Sabell. Ennead. 5. lib. 5. & 6.

gnare eſt adortus, & Romani à mari hoſtem premebant: iámque Attalus ex compoſito auerſâ parte ferociter inſtans, oppidanorum in ſe oculos verterat, cùm Plator Regis pręfectus à mari Romanos in vrbem accepit. Oreenſes ſubito metu perculſi, fugientes in arcem, plerique cæſi ſunt. Macedonum præſidium, Platore id petente, incolume eſt dimiſſum. Sulpitius pręſenti ſucceſſu elatus, Chalcydem oppugnare conſtituit, eóque claſſe admotâ, infeſtam ſtationem intuitus, montium propinquitate ſubitis ventorum flatibus ſæpius concitatos fluctus in fretum depellentibus, omiſſo oppugnandi conſilio, ad Locridis emporium tranſmiſit. Nec Macedo multò poſt ſuis auxilio terreſtri itinere affuit. Eſt enim Chalcis, etſi in Inſula ſita, adeò tamen arcto interſciſſa ſinu, vt ponte continenti iungatur, terráque aditum faciliorem habet, quàm mari, adeò proxima eſt Bœotiæ, vnde olim terræ motu diuulſam ferunt: vt Cyprum à Syriâ, Siciliam ab Italiâ, Beſbicum à Bithyniâ, Leucoſiam à Syrenum promontorio. Vehementiores terræ motus nunc diuidentes, vt hîc; nunc Inſulas continenti iungentes. Sic Antiſſa, olim Inſula, Leſbo commiſſa eſt, Zephynum Halicarnaſſo, Etuſa Mindo, Dromiſcos Mileto. Sed & coniunctionis iſtius alia cauſa poteſt eſſe, ęſtus maris arenas vehens, & paulatim aggeribus immiſſis, terreſtre iter in Inſulas faciens. Verùm de iis ſatis, nunc ad rem. Philippus hoſtibus ad Heracleam pulſis, parum abfuit, quin Attalum opprimeret. Nec ita multò poſt Attalus, cùm Pruſias Bithyniæ Rex ſui regni fines ingreſſus diceretur, Ætolico bello omiſſo, in Aſiam traiecit: Sulpitius quoque cum XXV. nauibus Æginam ſe recepit. Macedo, Corinthum primo, indè, per ipſas ferè hoſtium ſtationes, Chalcidem nauigauit: mox Abydum terrâ, maríque obſedit. Ad obſidionem impediendam Attalus cum Rhodiis venit. Philippus, cùm de nauali pręlio diſpoſuiſſet, ad Inſulam proximam, ſpectator futurus, lembo applicuit. In claſſe illius L. cataphractæ, lembi CL. erant. Hoſtium verò claſſis armatas naues habebat LXV. biremes IX. triremes III. Facto pugnæ naualis initio, Attalus octiremem vndis demerſit, Prætoriam Philippi nauem decuremem cepit, cum Democrate nauarcho, Dinacrotis quoque, qui ſibi pugnabat, nauem, ab hoſte circumuentam liberauit. Qui verò pro Philippo dimicabant, nauem Dionyſodori, cum toto claſſis, quæ ſequebatur, cornu, laceſſunt, lacerant, frangunt. Rhodiorum nauibus lembi concurrentes, ſuſtinuerunt pugnam: Rhodia vna, amiſſo roſtro, cum viris merſa. Philippus, qui in Inſula erat, conflictu maritimo diuulſum à ſuis Attalum proſpiciens, IV. quinqueremibus, III. triremibus, multis lembis inſiliens, eum nauibus excluſum, ſcapham, quâ fugiebat, ad terram appellere coëgit: huius nauibus, & ſpoliis potitus Macedo-

Polybius lib. 16.

num Rex, cùm penè vinceretur, Attalo fugato vicit. Dionyſodotus reliquas fugientis Regis naues collegit, quibus dato ſigno congregatis, ſecurè in Aſiam adnauigat. Rhodij, qui cum Macedonibus infeliciter pugnauerant, in Chion Inſulam ſe recepêre. Sequenti die reparatis nauigiis Rhodij ad Dionyſodorum, quaſi victorem, quia plures hoſtes cecidiſſent, legatos miſerunt, ſi expediret, iterum cum Macedonibus pugnaturos ſe indicantes. Addebãt animos xx. naues à P. Sulpitio, qui in Greciâ erat, Athenienſibus ſociis miſſæ, Claudio Centimalo duce. Sed & Macedo eadem virtute, quâ Attalum, Rhodióſque tulerat, Romanorum bellum tulit, iuſſóque Philocle Atticum agrum populari, claſſe Heraclidi traditâ, quam ad Maroneam duceret, ipſe terreſtri itinere profectus, eam vrbem primo impetu cepit. Ænum præterea, Doriſcúmque: mox Thraciæ Cherſonneſum ingreſſus, Eleuntem, Alopeconeſum, Callipolin, Maditon, & Abydon, cuius ciues, velut furore correpti, cùm obſidionem fortiter toleraſſent, mutuis telis concurrentes inter ſe cecidêre. Hanc cladem vltus eſt Claudius, Rhodiæ claſſi iunctus, vt Atticos fines tueretur; hic factus certior, Chalcidem ſegniter à Macedonico præſidio cuſtodiri, eò noctu profectus, vrbem occupat, cædes in omnem ſexum euagata eſt. Iratus Philippus, Demetriade, relictâ, hoſtem in Inſulâ quærit, quo non reperto, Athenas contendit. Athenienſes Attali preſidio freti, citra Dipylon, extra vrbem, aciem inſtruunt: eâ contemptâ, Philippus pauciſſimis turmis ſubſequentibus in aduerſam hoſtium aciem ferociter inuehitur. Ibi pecudum more Athenienſes diſiecti cecidiſſent, vrbémque victori reliquiſſent, niſi Romani è Piræeo ad vrbis & ciuium cuſtodiam properaſſent. Interim Sulpitius Macedoniam populabatur, quò cùm aduolaſſet Philippus, terreſtri prælio ſuperatur. In mari L. Apuſtius Romanæ claſſis Præfectus, circa Scylleum agri Hermionici, cum Attalo Rege coniunctus, erectis in Romanorum partes Athenienſibus, Andrum Inſulam vi capit: præda Attalo data, ornamenta vrbis Romani ſuſtulerunt. Inde in Eubœam delatus, Oreum oppugnat. Apuſtius, quia hiems appetebat, xxx. ibi nauibus ad præſidium relictis, Corcyram ſe recepit: Attalus &
DLIII. Rhodij diuerſi domum abierunt. Sequenti anno, Aulus Iulius Appulus cùm in Macedoniam veniſſet, nihil memorabile fecit.
DLV. Huic, T. Quintius Flaminius ſucceſſit, euocatus ab Attalo, qui legatos Romam miſerat, denunciantes, vti ſuo præſidio Romani tutum ſe domi præberent aduerſus Antiochum, qui Pergami fines cum exercitu ingreſſus erat: vel ſibi permitterent, omiſſo Macedonico bello, cum claſſe, & omnibus copiis domum abire, vt preſens ſua defenderet. Flaminius, cùm in Macedoniam ve-
Trogus lib. 30. *Plut. in Flaminio.* niſſet, Philippum prelio fregit. Victus, pace à Conſule petitâ,

nomen

nomen quidem Regium: ſed omnibus Thraciæ vrbibus, velut regni membris, extra terminos antiquæ poſſeſſionis amiſſis, ſolam Macedoniam retinuit. Offenſi tamen Ætoli, quòd non ex arbitrio eorum, Macedonia quoque adempta Regi foret, & data ſibi in præmium belli, legatos ad Antiochum mittunt, qui eum adulatione magnitudinis, in Romana bella, ſpe ſocietatis impellerent. Debellato terrâ Philippo, & Eubœâ à L. Titi Quintij Flaminij fratre claſſis præfecto, poſt nauale prȩlium recepta, T. Quintius poſt prorogatum in Macedoniâ imperium, donec ſucceſſor mitteretur, Romæ triumphauit. Mortuo inter hæc Ptolomeo Philopatre, Rege Ægypti, contemptáque paruuli filij eius ætate, qui in ſpem etiam Regni relictus, præda domeſticis erat: dictus Antiochus Rex Syriæ, occupare Ægyptum ſtatuit. Itaque Phœnicem, ceteráſque Syriæ quidem, ſed iuris Ægyptij ciuitates, cùm inuaſiſſet, legatos ad eum Senatus mittit, qui denunciarent ei, abſtineret à Regno Ægypti, poſtremis Patris precibus fidei ſuæ traditi. Quibus ſpretis, interiecto tempore, alia legatio ſuperuenit, quæ omiſsâ pupilli perſonâ, ciuitates iure belli factas Pop. Rom. in integrum reſtitui iubebat. Abnuenti, bellum denunciatur, quod ab Antiocho Antiochinum, à Syriâ ſubactâ, Syriacum appellatum eſt. Eodem tempore & Nabis tyrannus multas Grȩciæ ciuitates ſuæ ditionis fecerat. Igitur Senatus, ne eodem tempore duplici bello Romanæ vires detinerentur, ſcripſit T. Quintio Flaminio, qui adhuc in Macedoniâ erat, ſi ei videatur, ſicut Macedoniam à Philippo, ita Grȩciam à Nabide liberaret. Ob quam cauſam, prorogatum illi eſt imperium. Nec mora, ad Eurotæ ripas Nabide victo, & pace, qualem Flaminius voluit, illi datâ, Romani totis viribus ad bellum contra Antiochum mouerunt. Terribile quippe Antiochi bellum Annibalis nomen faciebat, quem æmuli eius occultis mandatis, cum Antiocho iniſſe ſocietatem apud Populum Rom. criminabantur. Itaque Sen. ad ſpeculandos actus Annibalis, legatum in Africam, Seruilium mittit, eíque tacitis mandatis prȩcipit, vt ſi poſſet, eum per ȩmulos eius interficeret, metúque inuiſi nominis, tandem Romanos liberaret. Sed res Annibalem non diu latuit, virum ad proſpicienda, cauendáque pericula peritum. Igitur cùm totâ die in oculis Principum, legatíque Romani, in foro Carthaginienſium obuerſatus in ſupremum fuiſſet, appropinquante veſpere, equum conſcendit, & rus vrbanum, quod propè littus habebat, ignaris ſeruis, iuſsíſque ad portam diuertentem opperiri, contendit. Habebat ibi naues cum remigibus, occulto ſinu littoris abſconditas. Erat etiam grandis pecunia in eo agro prȩparata, vt cùm res exegiſſet, nec facultas fugam, nec inopia moraretur. Lectâ itaque ſeruorum iuuentute, quorum copiam Italicorum captiuorum

Liuius Decad. 4. lib 2 3. & 4.

DLIX.

Trogus hiſtor. l 31. Plut in Annibale.

numerus augebat, nauem conſcendit, curſúmque ad Antiochum dirigit, à quo, velut Deorum munus, tantis animis exceptus eſt, vt non tam de bello, quàm de præmiis victoriæ cogitaret. Sed Annibal, cui nota Romana virtus erat, negabat opprimi Romanos, niſi in Italiâ poſſe. Romani, iis auditis ad Antiochum legatos misêre, qui ſub ſpecie legationis, Regis apparatum ſpecularentur, & Annibalem, aut Romanis mitigarent, aut aſſiduo colloquio

DLXI. ſuſpectum inuiſúmque Regi facerent. Igitur legati cùm Epheſi conueniſſent ad Antiochum, mandata ei Sen. tradunt. Dum reſponſum expectant, omnibus diebus aſſidui cum Annibale fuerunt. His colloquiis Antiochus, reconciliatam cum Romanis gratiam exiſtimans, nihil ad Annibalem, ſicut ſolebat, referre, expertémque totius conſilij, velut hoſtem, proditorémque ſuum, odiſſe cepit. Quæ res tantum apparatum belli, ceſſante Imperatoriâ arte, corrupit. Senatus mandata fuerant, vt contentus eſſet terminis Aſiæ, ne Romanis ingrediendi in Aſiam neceſſitatem imponeret. Ille non accipere, ſed inferre bellum, ſe ſtatuiſſe reſpondit. Cùm poſtea frequenter conſilium de bello habuiſſet, conſilium Annibalis de tranſportando in Italiam bello, Regi quidem placebat, author tamen diſplicebat, ne victoriæ gloria, Annibalis, non ſua eſſet. Sententiæ quoque Syrorum, contra Carthaginienſium Imperatoris opinionem erant, non vtilitatem cogitantes, ſed metuentes, ne probato conſilio, primum locum gratiæ apud Regem Annibal obtineret. Inter has moras

DLXII. *Liu. Dec. 4. lib. 6. Florus lib. 2. c. 7.* M. Acilius Coſ. in Macedoniâ, & Græciâ copias parabat, quibus in Theſſaliam traductis, primâ belli congreſſione ad Thermopylas Antiochum fugat, caſtráque ditia inter ſuos partitur. Cùm in Aſiam victus veniſſet, pœnitere neglecti conſilij cepit, reuocatóque in amicitiam Annibale, omnia ex ſententia eius agere velle ſe dicit. Interim nunciatur ei, Cn. Liuium Romanæ claſſis ducem, cum LXXX. roſtratis nauibus, in bellum nauale à Senatu miſſum, aduentare: quæ res illi reſtituendæ fortunæ ſpem dedit. Itaque priuſquam ſociæ ciuitates ad hoſtes deficerent, decernere nauali prælio ſtatuit, ſperans, cladem in Græciâ acceptam, nouâ poſſe victoriâ aboleri: Annibali igitur traditâ claſſe prælium committitur: Sed nec Africani milites, Romanis, neque naues eorum pares roſtratis nauibus fuêre: minor tamen clades ducis ſolertiâ fuit. Romam nondum opinio victoriæ venerat, & idcircò in Coſſ. creandis ſuſpenſa ciuitas erat. Sed aduerſus Annibalem ducem, quis melior, quàm Africani frater crearetur, cùm vincere Pœnos opus Scipionum eſſet? Creatur igitur Con-

DLXIII. *Appian. belli Syriaci, cap. 3. & 4.* ſul L. Scipio, eíque datur legatus frater Africanus: vt intelligeret Antiochus, non maiorem fiduciam ſe in Annibale victo, quàm Romanos, in victore Scipione, habere. Traiicientibus exercitum

in

n Aſiam Scipionibus, iam vtrobique profligatum bellum nunciatur, victúmque Antiochum terreſtri, Annibalem nauali bello inuenerunt. Nam & Liuius, inter Coricum & Ciſſontem, maritimo prælio Polixenidam Antiochi ducem vicerat, qui nuper * Piſiſtratum Rhodiæ claſſis præfectum circa Samum Inſulam incautum oppreſſerat. Primo igitur Scipionum aduentu, legatos pacem petentes Antiochus ad eos mittit. Leges pacis dicuntur, vt Aſia Romanis cederet, contentus Syriæ Regno eſſet, naues vniuerſas, captiuos, & transfugas redderet, ſumptúmque omnem belli, Romanis reſtitueret. Quæ cùm nunciata Antiocho eſſent, nondum ita ſe victum eſſe reſpondit, vt ſpoliari ſe Regno pateretur, bellíque ea irritamenta, non pacis blandimenta eſſe. Hinc
bellum renouatum. Ingreſſi Aſiam Romani, poſtquam Ilio ex- .DLXIV.
ceſſêre, cum Antiocho commiſſo prælio, victor Scipio, petenti pacem, nihil ad ſuperiores conditiones addidit, quamuis & L. Æmilius claſſis præfectus, ad Gereſtium nauali prælio Polixenidam claſſis Regiæ præfectum, viciſſet, & XLII. nauibus eo certamine amiſſis, Antiochus poſſeſſionem maris omiſiſſet. Hoc anno Q. Fabius Labeo Prætor, qui Æmilio ſucceſſerat, claſſem ſortitus, ne ociosam Prouinciam habuiſſe videretur, in Cretam traiecit, Italici generis captiuos, qui ibi detineri dicebantur, bello repetiturus: quod cùm feciſſet, triumphus illi naualis à Senatu decretus eſt, maximo fauore, nam & eum hoſtem non vidiſſe hiſtorici affirmant, & captiuos ſine prælio redditos. Ceterum cùm ab Antiocho victo, Annibalem Romani, inter ceteras conditiones pacis, ſibi tradi depoſcerent, admonitus à Rege Annibal, ad Pruſiam Bithyniæ regem fugit. Hic cùm ab Eumene terreſtri bello victus eſſet, prœliúmque in mare tranſtuliſſet, nouo commento, author victoriæ fuit. Non Liuij, Romanæ claſſis Præfecti artem ſequutus eſt, quâ amphoris ignitis, perticis alligatis, multas Polixenidæ naues nuper vſſerat, flammas in hoſtes torquens; ſed ſerpentibus in fictiles lagenas coniectis, medióque prœlio in naues hoſtium miſſis. Id primùm Ponticis ridiculum viſum, fictilibus dimicare, qui ferro nequeant. Sed vbi ruptis fictilibus, ſerpentibus repleri naues cepêre, ancipiti periculo circumuenti, hoſti victoriam ceſſêre. Quæ vbi Romæ nunciata ſunt, miſſi à Sen. legati, qui vtrunque Regem in pacem cogerent, Annibalémque depoſcerent. Sed Annibal, re cognitâ, ſumpto veneno, legationem voluntariâ morte prœuenit. Ætoli, Ambraciotæ, & Cephalenij, qui Antiochum ad Romana bella impulerant, eo victo, ſoli aduerſus Romanos, & auxilia deſtituti, & viribus impares remanſerant: Nec multo poſt, terreſtri & Nauali prælio à
M. Fuluio Nobiliore victi, libertatem, quam illibatam aduerſus DLXV.
dominationem Athenienſium, & Spartanorum, retinuerant, amiſêre.

** aliqui Pauſiſtratum nominant.*

Liuius lib. 7. & 8. Decad. 4. Florus lib. 2. c. 8. Huius triumphi nota in nummis huius anni apud Goltzium, prora quadrigas currum trahentibus calcata. Et apud Vrſinum in gete Fabia. Appian. belli Syriaci cap. 3.

Alij hoc factum non à Liuio, ſed à Rhodijs volunt, qui ſub Æmilio, inter Myoneſum, & Coricum promontorium pugnauêre: contis binis à prora prominentibus, è illis ferreis multum conceptum ignem præ ſe ferentibus, Eudami Rhodeorum nauarchi inuentum, quo hoſtilia nauigia conflagrarent.

Trogus lib. 32.

Conditiones pacis fuêre. Traderent naues longas cum earum armamentis, neque plures, quàm decem actuarias haberent, neque nauigarent vltra Sarpedonem promontorium.

Huius naualis victoriæ indicium eſt in numo argenteo Goltzij in Faſtis ann. 566. relato. In quo ab vna parte vultus lauru coronatus cum iis literis M. Fuluius M.F. Nobilior. Ab altera, victoriæ monumentum ſcribis in clypeo, qui trophæi partem facit, in quo præter caſsidem & thoracem, gubernaculum nauis, prora & anchora ſunt, conſueta in numis antiquis victoriæ maritimæ nota. Trogus lib. 33. Plutarc in Paulo Feſtus lib. 13. Plinius lib. 34. Liu. Dec. 5. l. 5.

ſère. Interim Philippus, Macedoniæ Rex, moritur, relicto magni belli apparatu, aduerſus Romanos, iterum, ſi vixiſſet, pugnaturus: quibus armis, theſaurìſque inflatus filius Perſeus, oblitus fortunæ paternæ, veterem Alexandri gloriam conſiderare ſuos iubebat. Sed terreſtri prelio ab Æmilio Paulo Conſule victum, fugatúmque, Cn. Octauius Pretor, è mandato Conſulis, in Samothraciam perſequutus eſt, eúmque cum duobus filiis, Alexandro & Philippo, ad Conſulem duxit. Ita, cùm in ditionem Romanorum Macedonia ceſsiſſet, magiſtratibus per ſingulas ciuitates conſtitutis, libera facta eſt: legéſque, quibus per multa ſecula vſa eſt, à Paulo accepit. Hic, dirutis aliquot Epiri ciuitatibus, Regiâ naue ingentis magnitudinis, quam XVI. verſus remorum ordines agebant, ornatâ Macedonicis ſpoliis, paucos poſt dies, aduerſo Tiberi, ad vrbem ſubuectus eſt, ſequente cum totâ claſſe Cn. Octauio, cui naualis triumphus decretus eſt, cùm neque maritimo prælio viciſſet, neque captiuos vllos, aut ſpolia detuliſſet. In triumpho Æmilij, actus eſt ante currum cum filiis Perſeus. Multa contra Ligures iis annis geſta ſunt, ſed quia, nulla certamina naualia apud hiſtoricos inuenio, breuitatis ſtudio, bellum

DXXCV. Liguſticum omiſi. Nam quòd multos nauales triumphos de Liguribus, in tabulis Capitolinis, & Faſtis Conſularibus, inuenio, datos eos, eodem fauore, quo Cn. Octauio crediderim, ne Proconſules, Proprætoréſve nihil egiſſe in Prouinciis ſuis viderentur: ſępè enim, vt iam antea memini, ne hoſte quidem viſo, duces Romanorum triumphauerunt. Sic quaſi induſtriâ vrbi Romæ orbis Imperium agglutinante Fortunâ, Siciliæ bellum Africanum excepit, Africanum Illyricum, hunc Macedonicum, iſtum Syriacum, quod & Demetrius, ſucceſſor Antiochi, adiuuit, & Attali teſtamentum, quo Pop. Romanum hæredem ſcripſerat, & Iudæorum à Demetrio defectio: ſuggerentibus ſeſe cauſis: vt Africa, mox Europa, deinde Aſia Romanorum eſſet. Sub hoc tempore, Romæ Laribus Permarinis ædes dedicata eſt, quæ à Lucio Æmilio Regillo, profligata Antiochi claſſe, cui Polixenidas præerat, vota fuerat.

Huius naualis triumphi meminère tabulæ Capitolinæ, & numi à Goltzio in Faſtis an. 586. relati.

* * *

CAPVT

CAPVT DECIMVMSEXTVM.

Bellum Punicum vltimum maritimum.

NONDVM in totum Carthaginienſes exciderant, placuit fato, reluctantes perire. In tantùm poſt ſecundum bellum Punicum vrbs ciuibus & opulentiâ creuerat, vt ipſam Romam ferre non poſſet æqualem ſibi. Igitur Roma ad florentis vrbis excidium intenta, Maſſiniſſæ fauit, qui Carthaginienſium terras deprædatus fuerat, & Vticenſes, poſt Carthaginienſium gloriam in Lybiâ primos, in fidem recepit, iuuitque vtroſque armis ſuis, contra Carthaginienſes. Sed iſti à Maſſiniſsâ victi, Romana auxilia cum Coſſ. M.Manlio & L.Marcio antè ſua mœnia cernentes, excuſare bellum, quod contra Maſſiniſſam geſſerant, apud Coſſ.cepêre, Haſdrubalem belli authorem offerre, cæteros participes conſilij vltimo ſupplicio afficere, dare obſides fidei CCC. nobiles pueros Carthaginienſes, arma omnia, quibus vrbs, & viri, aduerſus oppugnantes defendi poterant, cum nauibus quæ in portu erant tradere, ſatisfactum Romanæ libidini credentes; cùm L.Martius Cenſorinus ab inermibus dedi vrbem Romanis iuſſit, & aliò migrare, placere Senatui Pop. Rom. Carthaginem totam ſolo æquari. Tum Carthaginienſes in furorem verſi, ſine armis, ſine nauibus ferre obſidionem, & cum ſuis Penatibus perire decernunt. Mittunt ad Haſdrubalem, qui cum exercitu extra vrbem erat, vt, quem nuper, vt belli incitamentum, Romanis obtulerant, is publicæ iniuriæ oblitus, tutari patriam vellet. Intra vrbem alter Haſdrubal Maſſiniſſæ nepos imperabat. In extremum itaque bellum ciuitate conuerſâ, ſerui omnes libertate donantur. Omnia opificia, negotiáque ſacra, & prophana in præſentem belli vſum vertuntur. Omnis ſexus & ætas in medium operari, frumento & labore per partes diuiſo. Centum clypei ſingulis diebus fiebant, trecenti enſes, mille catapultæ, ſagittæ, lanceæ, & iacula quinquaginta. Mulieres quoque memorabili exemplo, cannabis & lini inopiam, raſis capitibus, ſuis capillis leuauerunt. Erat Carthago velut in Cherſoneſo ſita, cuius ceruix à mediterraneo aſſurgens, XXV. ſtadiorum latitudine patebat, longiore indè tractu diſcurrebat inter ſtagnum & mare. Cherſoneſum ſimplex murus per interiectos ſcopulos muniebat. Circa collum, arx Byrſa, quà meridiem vrbs ſpectat, triplici murorum ſerie munita, XXX. cubitorum altitudine, turribus in quaterna

Appian. à cap 8. belli Lybici, ad finem.

DCIV.

na tecta aſſurgentibus, xxx. pedes in profundum demiſſis, uqibus infra fornices ſtabant ad ſtabulationem ccc. elephantorum. Supra equiria, IV. M. equorum capacia. In tertio tabulato domicilia circa muros erant, recipiendis xx. M. peditum, equitum IV. M. apta. Erat angulus ſecundum ligulam ad portum extenſus, naturâ magis, quàm opere munitus, & ex ſtagno, quod nauigabatur, exitus in mare anguſto ſinu, quem ferreæ cathenæ claudebant. Interius inſula in medio ſita, & ipſa non mediocribus à ſtagno ſcopulis diſtincta. Iis naualia interiecta, ccc. nauibus excipiendis idonea, domibus ſuperimpoſitis, quibus armamenta nauium ſeruarentur. Erat & præfecti naualis domus eminentiore loco ſita, vndè vniuerſam latè claſſem, ſi qua in portu erat, latè deſpiceret, hoſtilem, aut amicam in alto nauigantem: cùm tamen nec ipſa, nec naualia ingredientibus in portum cerni poſſent, obiecto duplici muro, per quos diſiunctos ad extremum, naualia proſpici non poterant, niſi ab iis, qui longius in portum promouiſſent. Talis fuit Carthago, cùm Coſſ. admotis copiis, Martius à mari, Manlius à terrâ illam obſedêre. Erumpentibus in Manlium Carthaginienſibus, niſi Scipio, tum tribunus militum, ſuſtinuiſſet furentium impetum, Manlij caſtra Carthaginienſes tenuiſſent. Martius putreſcente per æſtatem ſtagni limo, in altum deducere claſſem coactus eſt, ibíque anchoras figere. Vento autem à terrâ ſpirante, obſeſſi, ſcaphas ſarmentis plenas, eáſque ex improuiſo incenſas, in Romanorum naues plenis velis immisêre, quo artificio penè tota Rom. claſſis deflagrauit.

DCV. Anno ſequente, cum L. Mancino claſſis Prefecto, Calpurnius Piſo contra Carthaginem miſſus, Hippargetem vrbem, medio tractu inter Carthaginem & Vticam, cùm obſidione vallaſſet, geminato prælio nauali victus, Vticam in hyberna conceſſit. Hæc Romæ nunciata, ciuitatem turbauerunt: Scipioni Ædilitatem petenti, Conſulatus datur, illi quamuis per ætatem non liceret, & Conſulatus & Africa extra ſortem data eſt. Huic

Prefectum claſsis L. Hoſtilium Mancinum indicat numus in Faſtis ann. 608. relatus, in quo quadriremis ſculpta eſt.

DCVI. quoque prenomen Publij fuit, omen fauſtum, quòd iam P. Scipioni Carthago, & Africani cognomen ceſſiſſet. Vticam cùm perueniſſet, receptis nauibus, & Mancino claſſis Prefecto Romam dimiſſo, ante vrbem ſtetit, commeatúmque excluſurus, ſtagni fauces aggere occluſit, magnis ſaxorum molibus pelago obiectis, ne opus vndarum alluuione ſolueretur. Ridebant primùm Scipionis conatus hoſtes, velut incaſsùm inexhauſtum aggrederetur opus: verùm vbi rem illi procedere animaduerſum eſt, metu perculſi, & ipſi alium exitum portus occultiſſimè ſibi effodiunt, neceſſitate acuente induſtriam. Foſsâ factâ, immiſſum in eam derepentè mare, antiquam nauigationem oppugnatis aperuit. Multæ ad hęc naues ex vetere materiâ ſurrexerunt, triremes

remes L. quinqueremes aliquot, & omnis generis diuerſa nauigia. Portu nouo patefacto, tantùm terroris claſſis ex improuiſo foras egreſſa ſtationariis Romanorum nauibus iniecit, vt ſi continuò in prælium itum eſſet, momento temporis Pœni potuerint hoſtium claſſem debellare. Sed Carthaginem capi in fatis erat; loco pugnæ, tumultuoſo nauium circumactu contenti Carthaginienſes, in portum, vndè exierant, ſeſe receperunt. Triduum indè Romanis datum, ad naues prælio expediendas. Tum verò acris vtrinquè dimicatio fuit, Pœnis de Patriæ ſalute certantibus, Romanis pro victoriâ, & prędâ. Primò quidem leuia Pœnorum nauigia triremibus immixta, ſubito incurſu & recurſu Romanas naues moueri difficiles turbauerunt. Inclinante deinde die, cùm Carthaginienſes poſtridie dimicaturi, in portum redirent, minoribus nauigiis illius fauces inſidentibus, magnam earum partem portu excluſam, in aggerem, quem Romani ad ſtagnum pelago obiecerant, inuitas auerterunt. Ibi pugnâ iterum contractâ, Romanam claſſem ad multam noctem detinuerunt. Demùm numero, & loco impares, fugam capeſſunt, prǽter paucas, quas Romanus inſtans intercepit, ceteræ incolumes portum tenuerunt. Scipio poſtridie vrbem circa Cothonem aggreſſus, aliquantulum muri bellicis machinis diſturbauit. Neque Carthaginienſes, cùm ancipiti vndiquè periculo premęrentur, ab eruptione abſtinuerunt. Noctu plerique funibus alligati, vadatímque per altos fluctus, alij etiam nantes, extinctis facibus, Romanorum operibus ſilentio inſinuati, repentè flammis excitatis, machinas inuadunt: ſed iſti, ignis coruſcatione, inermes agniti, obtruncati ſunt. Nec multò poſt Cothonis muro capto, in angiportis prælio commiſſo, mox vrbe tribus in locis incensâ, ſex continuis diebus Carthago per partes ad victorem venit. Qui Byrſam ſe receperant, pacti ſalutem, traditis transfugis, arcem dederunt. Haſdrubalis vxor, cùm maritum vidiſſet à Scipione vitam impetraſſe, igne in templum Æſculapij iniecto, cum filiis cremata eſt. Sic Carthago vrbs clariſſima, & vna omnium in terris Romani imperij æmula, anno DCC. quàm condita fuerat, Olympiadis CLVIII. anno vltimo, Romæ conditæ anno DCVI. concidit, exemplum fragilitatis humanæ, quæ lapidibus etiam, & vrbibus mortem dicit. Hanc ædificare denuò Romani languente virtute, æmulatione demptâ, voluerunt: C. Gracchus Tribunus plebis, cùm eò loci coloniam miſiſſet, fundamentis vrbis à lupis de nocte ſubtractis, prǽſagio infauſto Senatus motus, differri conditionem iuſſit. Cæſar Dictator coloniam, vrbe multitudine laborante, deducere quoque cogitauerat, morte præuentus, ſucceſſor Auguſtus patris adoptiui conſilium ſequutus, Carthaginem tandem iuſſit reſurgere, & Romanis colonis habitari.

CAPVT DECIMVMSEPTIMVM.

Bellum Achaicum maritimum, Balearicum, Sardoum, Cilicum, ſiue Piraticum primum, Mithridaticum, Sertorianum, Creticum ſecundum, Piraticum ſecundum, tertium, & quartum.

Trogus lib. 34.

EXCIDIVM Carthaginis euerſio Corinthi ſequuta eſt, in hunc maximè modum. Soli ex Græciâ Achæi nimis potentes Romanis videbantur. Námque licet per ciuitates veluti per membra diuiſi eſſent, vnum tamen corpus, & vnum imperium habebant, ſingularúmque vrbium pericula mutuis periculis propulſabant. Miſſi legati cum mandatis Sen. vt ſeruatâ omnibus libertate, Achæorum corpus diſſoluerent, ſinguláſque vrbes proprij iuris facerent, quo facilius ad obſequia cogerentur. Legati omnium ciuitatum principibus euocatis Corinthum, cùm legationem ſuam aperuiſſent, exortâ ſeditione inter tumultus ægrè incolumes Romam fugerunt. Indè bellum quod Achaicum vocatum eſt: ad quod peragendum L. Mummius Coſ. miſſus. In Iſthmo Cenchreum & Lecheum promontoria, vtróque mari imminentia ſanguine Achaico maduiſſe, virendémque colorem rubro commutaſſe hiſtorici produnt, nullus tamen de maritimo conflictu meminit, quod factum fuiſſe, in eóque Mummium victorem extitiſſe, indicat numus argenteus apud Goltzium, in cuius parte vultus videtur ipſius Mummij, coronâ laureâ crines circumdante, cum hoc nomine, ACHAICVS: Ex alterâ verò parte congeries eſt, & quaſi aceruus in trophæi maritimi modum, fractarum puppium, gubernaculorum, & anchorarum, ſuper quæ corona eſt, victoriæ hæc, illa naualis pugnæ notæ, cum his literis L. MVMMIVS, EX S.C. victis igitur terrâ, maríque Achæis, Corinthus diruitur, populus ſub coronâ venditur. Sunt & Thebæ in Bœotiâ, & Chalcis, publico decreto præcinente tubâ exciſæ, quia pro Achæis in Romanos arma induiſſent: vt his exemplis, metus nouarum rerum ceteris ciuitatibus imponeretur. Cecidit & Numantia in Hiſpaniâ, anno XIV. poſt dirutam Carthaginem. Nec ob id Baleares corrumpere maria ceſſabant, aſcendêre etiam inconditas rates, & prætemauigantes ſubindè inopinato impetu terruêre. Cùm venientem ab alto Romanam claſſem proſpexiſſent, auſi etiam concurrere, prædam putantes, & primò conflictu ingenti lapidum,

DCVII. (margin, beside "ſequia cogerentur")

In Faſtis anni DCVIII. (margin, beside "genteus apud Goltzium")

DCXXI. (margin, beside "niâ, anno XIV.")

DCXXX. (margin, beside "corrumpere maria")

Strabo lib. 13. Florus, Sigonius in Faſt. illius anni.

dum, ſaxorúmque nimbo claſſem operuêre. Poſtquam cominus ventum eſt, expertíque roſtra, & pila venientia, pecudum in morem clamore ſublato, petierunt fugâ littus, dilapsíque in proximos tumulos, quærendi fuerunt, vt vincerentur. Q. Metelli Macedonici filij auſpicio res geſta, Balearici, ei cognomen attribuit. Alter Metellus, M. prænomine rebellantibus Sardis, iiſque pręlio nauali contuſis, Romæ quoque triumphauit. Quo anno & tertius Metellus, Caij prænomine, de Thracibus etiam triumphum egit. Gens Metellorum victoriis ferax: nam & non multò poſt Q. Metellus à Numidis deuictis, Numidicus cognominatus eſt. Poſt hos M. Antonius Proprætore pelago perſequutis, victíſque latronibus Cilicibus, quia vili ſanguine ſuperauerat, ouans vrbem ingreſſus eſt. Creſcebat interim Mithridates, & victis, qui antea inuicti fuerant, Scythis, Pontóque, Cappadociâ, Paphlagoniâ, & Galatiâ occupatis, iam ſe parem Romanæ magnitudini credebat. Miſſi à Romanis ad eum legati, qui Paphlagoniam in antiquum ſtatum reſtitui poſcerent. Mox inter Mithridatem & Nicomedem Bithyniæ Regem, pro Cappadociâ bellum exortum eſt, auxilium Nicomedi ferentibus Romanis: Mithridati verò Rex Armeniæ Tigranes. Primò congreſſu fuſi cum Nicomede Romani, Phrygiáque, & Myſia, præda victoris fuêre. Laodicenſes Q. Oppium Prætorem tradidêre cathenis oneratum. Triumphatúſque eſt Manius Aquilius, cauſa belli, Pergamum aſino vectus, tubâ præcinente. Hinc per vniuerſas Aſiæ ciuitates edicto Mithridatis Romani omnes trucidati: non aræ, non ſtatuæ, non templa, tutata ſunt fugiêntes. Soli Rhodij Romanos protexêre, inter quos & L. Caſſius fuit, Proconſule in Aſiâ. Iſti venientem ad obſidionem ſuæ vrbis cum claſſe Mithridatem, eductis è portu nauibus hoſtiliter exceperunt. Sed cum Regia claſſis paucas Rhodias includere cogitaret, Rhodij eo animaduerſo in vrbem ſeſe recepêre. Poſt paulò ſucceſſu eruptionum aliquot inflati, prælium nauale tentant, duce Damagorâ. Neque tum illis fortuna defuit, nam & fortiter diu Mithridatis quinqueremem veluti obſeſſam tenuêre, captámque triremem, aliarum quoque, quas fregerant, prędam in portum ſuum deduxerunt. Fauit & poſtridie ventus audacibus, claſſémque hoſtilem violenti flatu contra ipſa vrbis mœnia impegit, è quâ naues aliquot Rhodij cepêre, alios fundo merſêre, alias iniectâ face cremauerunt, CCCC. captiuis in vrbem adductis. Putabatur & Iſis obſeſſis fauiſſe: nam cùm ingens machina in ſpeciem peraltæ turris, iunctis duabus triremibus à Mithridate, earum tabulatis erecta eſſet, admotáque mœnibus, iuxta Iſidis templum, vomerétque in Rhodiorum perniciem, telorum omne genus, ex improuiſo nullo hoſte ruinam inferente, ſuo pondere collapſa eſt. Quo facto,

Sigonius in Faſtos Rom. anni DCXL.

Naualis iſtius triumphi imaginem in Faſtis huius anni apud Goltz. in nummo argenteo videbis. In antica parte Neptunus: in poſtica Imp. ſtat in curru triumphali cum fuſcina.

DCLI.

Iul. Obſequens in epitom. 68.

Trog lib. 37. & 38.

Appian de bello Mithridat.

cto, Mithritades omiſsâ expugnatione, Pataram receſſit. Nec ita multo poſt Delum per Archelaum cepit, nauéſque ibi ſacras ad duo millia: pecuniam quoque ſacram, quâ Critias in fauorem Regis ad dominatum Athenarum poſtea peruenit. Achæi, Lacedæmonij, Bœoti, Mithridatis iuſſa facturos polliciti ſunt. In Eubœâ verò alter è Ducibus Regis Metrophanes, à Brutio, qui è Macedoniâ in Magneſiorum auxilium veniebat, nauali prælio victus, fugatúſque eſt. Hic Brutius Surra, legatus Sentij, Macedoniæ Prętoris, erat. Sylla interea cum exercitu ad Mithridaticum bellum profectus eſt. Mithridates ſociis Pop. Romani Regibus ex Bithyniâ, & Paphlagoniâ pulſis, Pergami conſederat, eius filius, & ipſe Mithridates dictus, Pontum cum Boſphoro obtinebat. Alter, Ariarates nomine, Thraciam; & Macedoniam cum ingenti exercitu ſubegerat. Archelaus dux latè mari imperitans, Cycladas in ditionem trahebat. Cythera intra Maleam promontorium, cum ipsâ Eubœâ iam illius erat: etiam ab Athenis in Theſſaliam vſque omnes maritimæ gentes à Romanis alienatæ erant. Brutius quoque nuper caſtris exutus, victori ceſſerat. Is ſtatus erat in Aſiâ, & totâ Gręciâ, cùm Sylla ad bellum

DCLXVI. venit. Hic ad Cephiſum amnem, qui Bœotiam alluit, Archelaum ſuperauit, ſtatuítque tropheum, Marti, Veneri, & Victoriæ inſcriptum. Hinc in Dorilaum alterum Mithridatis Præfectum, quà Cephiſo Melas miſcetur, inuectus, pari fortunâ, quâ antè, pugnauit: collectíſque inutilibus armis, machiníſque, in loco pugnæ & hoſtium caſtris inuentis, & in aceruum coniectis, igne manu propriâ immiſſo, Diis inferis, Martíque de iis ſpoliis ſacrificium fecit. Tum fœlix creditus Sylla, ſub triſti fortunâ domi vapulabat, hoſtis Populi Rom. iudicatus, euerſa domus, bona fiſco applicata, miſsiúſque in eius locum Conſul Valerius Flaccus, qui bellum Mithridaticum tractaret. Flacco à Fimbriâ Prætore interfecto, Imperio iniuſſu Senatus accepto, parricida in Mithridatis filium caſtra mouet, victúmque acie, Pergamum, deinde Pythanem, Mitylenem poſtea, tandem Aſiam ingreſſus, Ilium vſque proſequitur. Ilienſibus ſe in poteſtate Syllæ eſſe nunciantibus, cùm per amicitiam Fimbria vrbem intraſſet, cuncta cædibus repleuit, templúmque Mineruæ, cum iis, qui eo, velut in aſilum, confugerant, concremari iuſſit. Omnis vrbs ſolo adæquata eſt, poſt excidium Gręcorum, à colonis ſuis Romanis, MD. anno. Sub idem tempus Mithridates reputans quantas clades à Romanis accepiſſet, iſtis conditionibus à Syllâ pacem accepit. Vt Archelai exercitus traderetur, captiui redderentur, transfugæ in ſuas ſedes reſtituerentur, præſidia deducerentur ex vrbibus, quas Populus Rom. tenuiſſet. Poſtremò, ſi Mithridates paterni Regni finibus contentus eſſe poſſet, futurum, vt Romana arma vlterius

non

non progrederentur. Addit Plutarchus, iniunctum Mithridati, vt II. M. talentorum cum LXX. nauium claſſe traderet: vt Aſiâ, Pamphiliâ, Bithyniâ, Nicomediâ, Cappadociâ cederet. Ita Mithridaticum bellum ad tempus ſopitum eſt. Poſt hęc Sylla exercitum à Fimbria popoſcit, coëgitque eum ſibi manum inferre. Tum adunatis viribus ad bellum ciuile Romam profectus eſt. Dum Romani mutuis vulneribus teruntur, L.Murena in Aſiâ à Syllâ relictus, materiam triumphi quærens, Comanam, omnium vrbium opulentiſſimam, quæ Mithridati patebant, obſedit: accurrit è Boſphorano bello Mithridates, victóq; à Murenâ, iiſdem, quibus antea conditionibus, in amicitiâ populi Romani manſit. Id bellum omnium leuiſſimum, ſecundum Mithridaticum dictum eſt. Tertij cauſa fuit, ingreſſio eiuſdem in Cappadociam, querente Ariobarzane ſua Regna vaſtari. Mithridates, vt Romanis reſiſteret, cum Sertorio, qui Hiſpanias occupauerat, fœdus ſanxit, coniurante vtroque in excidium Romanorum ab Oriente ad Occidentem. Nurſia Sabinorum vrbs, Sertorij patria fuit, hic variis bellis exercitatus, Syllæ crudelitatem fugiens, excluſus armis Iberiâ, in quam è Lybiâ vela fecerat, cum Cilicibus piratis, omnia per id tempus latrocinio fœdantibus, ſocietatem iniit: quorum auxilio fretus, Pityuſam Inſulam, mediam inter Hiſpaniam & Africam, eiecto Mannij pręſidio, armis domuit, tenuítque. Multæ vrbes maritimæ, multæ Inſulæ deprædatæ, multi quæſtuoſo latrocinij commercio allecti, cum piratis in Romanos arma ſumpſerunt. Poſtremò, eò res proceſſit, vt latronum quidam auratis nauium rudentibus vterentur, & purpureis velis, remóſque, æris loco, argento pręmunirent. Naues mille & amplius ſceleratis erant, XL. vrbes in ditionem habebant, ſtationes multas in portubus, & naualia præſidia: duo Romani Prętores ab iis capti, Sextilius, & Belinus, Caius quoque Iulius Cęſar, tum adoleſcens, dum ſtudij cauſâ Rhodum nauigaret: P. etiam Clodius, & M. Antonij, viri triumphalis, filia. Tam fœdum latrocinium, quidquid pelagi à Gadibus in Syriam excurrit, & Helleſpontum, longè latéque infeſtabat. Nec Sertorius diu Pityuſam tenuit, quin, nauali pręlio à C.Annio, non tam hoſtium, quàm pelagi ſæuitiâ victus, plures dies, quia vbique infenſas terras habebat, mari euagatus, poſtremò Inſulis aquarum indigis, applicuit. Inde in exteram Iberiæ oram tranſgreſſus, quà Bethis fluuius Oceano infunditur, in quoſdam nautas incidit, qui, vt ipſi memorabant, ex Atlantici maris Inſulis, quas Fortunatas vocant, nuper venerant. Hæ tum duæ numero, paruo inter ſe ſpatio diſtare credebantur, X. M. ſtadiorum à Lybiâ remotæ. Imbres illic rari, benigni venti, ſuaues, & roriferi, ſolum pingue, nec arari tantùm idoneum, ſed ſuo genio fructuum variorum ferax,

In Sylla.

DLXXII.

Cic pro leg. Manil.

Eutropius. Saluſtius lib. 1. Plut. in Sertorio.

DLXXIII.

ocioſæ multitudini alimenta præbens. Hæc cùm illi prędicarent, & quia apud barbaros quoque percrebuerat fides, ibi Elyſios campos eſſe, & beatorum domicilia, ab Homero decantata, incredibilis cupiditas Sertorium cepit, ad ea loca penetrandi, vt à bellorum curâ amotus, ibi quietam vitam ageret. Ceterum cùm famâ accepiſſet, Cilices in Mauruſiorum terram traieciſſe, omiſſo quietis propoſito, quia à Cilicibus deſtitutus fuerat, Mauruſiis ſe auxiliatem obtulit. Pacato Mauruſiorum ſtatu, à Luſitanis per legatos accerſitus, in Iberiam rediit, vicítque circa Mellariam, quæ contra Africam in extremâ Hiſpaniâ eſt, primo nauali prælio Cottam, mox & Phidiam Prętorem, cum II. M. Romanorum interfecit: Metellum, Aquiliúmque, à Metello miſſum, profligauit. Et niſi Lucullus qui Mithridaticum bellum animo deſtinauerat, veritus, ne Pompeius Romam reuerſus, fauore plebis Pontum Prouinciam indipiſceretur, Pompeio in ſtipendia militum pecuniam mitti curaſſet, actum erat de Romanis iu Hiſpaniâ. Iam inter Sertorium & Mithridatem ſocietas erat, cùm Romanorum ducum proditione, Sertorius in conuiuio à Perpennâ necatur. Sic eum vinci placuit, qui armis, & bello palàm vinci non poterat. Mithridates, inſcius Sertorium periiſſe, Ioui Militari, de more gentis, album equum ſacrificat, Neptunóque ſacrum currum in mari proiicit: indè in Paphlagoniam mouet, Bithyniam, M. Cottâ Prætore cedente, inuadit, quem ſequutus in Chalcydem, III. M. Romanorum circa vrbis mœnia cæſis, fractâ cathenâ ferreâ, quâ portus Chalcidicus claudebatur, LX. Rom. naues combuſſit, prçter x. roſtratas, quas in auxilium Romanorum Cyziceni armauerant. Hinc Cyzicum terrâ, maríque adoritur. Mari, turre duabus quinqueremibus impoſitâ; & mœnibus admotâ, vndè miles in vrbem deſiliret. Deturbati Regij milites oppidanorum virtute, ſolutâ obſidione Mithridates Parum tranſmiſit, præmiſſo exercitu, qui Lampſacum procederet.

DCLXXX. Hunc inſequutus L. Lucullus, ad Granicum amnem magnâ ſtrage afflixit. Dein cùm repentè nunciatum eſſet, XIII. quinqueremes regias Lemnum petere, ac circa Chium conſpectas, in altum ſubitò euectus, Iſidorum claſſis Pręfectum primo congreſſu obtruncauit, captáque Prætoriâ naui, alias non ſine graui certamine, ad Achęorum portum, quo ſe trepidè receperant, expugnauit. Captus in iis eſt Martius, qui à Sertorio miſſus fuerat ad Regem. Mithridates, multiplici clade oppreſſus, x. M. lectorum hominum cum L. nauibus circa Lampſacum relictis, cum Varo, qui & ipſe à Sertorio venerat, Alexandro Paphlagone, & Dionyſio Eunucho ducibus, in Pontum nauigauit, veritus ne à Lucullo interciperetur. Eum abeuntem, tam fœda tempeſtas adorta eſt, vt XL. nauibus obrutis, ipſe penè naufragus coactus ſit ex Regiâ naui,

Cicero pro Archia. Flor. lib. 3. cap. 5. Appian. belli Mithridatici capp. 8. 9. 10. & 11. Plut. in Lucullo, ait, eum Mithridatem nauali prælio ad Lectum viciſſe, profligaſſe Neoptolemum ad Tenedum, poſt & Mitilenaorum claſſem fregiſſe.

naui, ſæuitiâ maris victâ, in myoparonem piraticum deſilire, quo
in Heraclæam præter ſpem omnium delatus eſt. Lucullus terrâ,
maríque victoriam adeptus, triremem è more, lauru tectam, in-
dicium naualis victoriæ, Romam miſit, cum litteris, continenti-
bus ea, quæ contra Mithridatem geſſerat. Hinc in Bithyniam pro-
fectus eſt, deindè in Pontum, cúmque variâ fortunâ pugnaret,
Romam reuocatur. Ex quo Mithridates elatior, victis Romanis
ducibus, Fabio, & Triario, Cappadociam, quam nuper amiſerat,
inuaſit. Interim contra Cretenſes, qui Regi fauebant, re mari DCXXCVI.
malè geſtâ per M. Antonium triumuiri patrem, & captiuis Ro- *Florus lib. 3. c. 7.*
manis antennis per ignominiam religatis, & velut in triumphum
Cretam adductis, Romani ad bellum Creticum Q. Metellum
Proconſulem mandauerunt. Hic fractis Cretenſium maritimis
viribus, totam Inſulam igni, ferróque vaſtauit. Laſthenem &
Panarem Cydonios duces, mari vicit. Cnoſum, Lyctum, Eri-
thream, & ipſam, vt Græci dicunt, vrbium matrem Cydonem,
vi cepit, Inſuláque triennio pacatâ, Cretici cognomen meruit.
Nondum per M. Antonium primo bello Piratico prædones ce- DCLI.
ciderant, qui aliquando claſſe victus, captiua ſuorum corpora re-
ligata velis ac funibus pendere vidit, Cretámque abduci. Se- DCLXXIX.
cundum illis bellum à Romanis per P. Seruilium indictum eſt, is *Florus lib. 3. c. 6.*
graui, & martiâ claſſe, leues & fugaces myoparones turbauit,
mox & ſuperauit: neque contentus eo mari ſummouiſſe, vali-
diſſimas eorum vrbes, & diutinâ prędâ abundantes, Phaſelim, &
Olympum, euertit, Iſaurónque ipſam, arcem Ciliciæ, vndè illi
Iſaurici dænominatio. Tertium L. Metellus confecit, victo ma- DCXXCIII.
ritimo conflictu Pergamenone archipiratâ, qui in C. Verris Præ-
turâ, totas Siciliæ oras, prædis, & cædibus vaſtauerat, Romanám-
que claſſem fregerat. Hic à Metello Prætore Siciliâ pulſus eſt.
Subindè nouo exemplo, gratiâ Cottæ Coſ. & Cethegi factio- DCXXCV.
ne, in Senatu curationem infinitam nactus oræ maritimæ, Sici-
liam, & Prouincias omnes depopulatus eſt, victus à piratis, di-
gnitatem infinitam, & nulli antea conceſſam, morte ſuâ finiit,
prędo potius, quàm ciuis. Poſt iſtius obitum, Aulus Gabinius *App. bell. Mithr. c. 12. Plut. in Pompeio. Velleius l. 2. Epitom. 95. Occo in numiſmatis Pompey.*
rogationem tulit ad populum, vt maris imperium Pompeio de-
mandaretur, quàm longè, latéque patet, à Gaditano freto ad Sy-
riam, & Pamphyliam: & rurſus ab Ægypto, Lybiáque ad Hel-
leſpontum, ipſéque ad piraticum bellum conficiendum x v. ſibi
ex Senatorio ordine viros legeret, quibus ſuo arbitrio, Legato-
rum nomine, vteretur, ſumerétque ſibi tantùm pecuniæ ex ærario, quantùm ad alendam claſſem ſatis videretur. Quod cùm
Patribus ad tantam potentiam frementibus, per Populum Pom-
peius obtinuiſſet, claſſem, & commeatum omnium ſpe celerius,
comparat. Instructis nauib. CCLXX. Prouincias, ne quà hoſti

Florus lib.3.cap.6. Plut.in Pompeio. Appian.de bello Mithrid.

pateret effugium, ita inter Legatos diuidit: Iberiæ oram vſque ad Herculis columnas Tyberio Neroni, & Manlio Torquato tuendam tribuit. Gallicum mare, & Liguſticum, M.Pompeio. Lybicum, Sardoum, & Corſicum cum interiectis Inſulis, Lentulus Marcellinus, & P.Atilius obtinuerunt. Italiæ oram, L.Gellius, & Cn.Lentulus. Siculum, & Ionium, in Acarnaniam vſque Plotius, & Terentius Varro. Peloponneſi, Atticæ, Eubœæ, Theſſaliæ, & Macedoniç Pelago prępoſitus eſt L.Cinna. Æ̨gum cum Inſulis, & Helleſponto, L.Cullio ceſſit. Bythiniam, Thraciam, & Propontidem cum Boſphoro, P.Piſo tueri eſt iuſſus. Lyciam, Pamphyliam, Cyprum, Phœnicem, Metellus Nepos. Singulis certus eſt nauium numerus attributus. Sic quartum bellum, & vltimum, contra Piratas diſtributum eſt. Pompeius cum LX. lectis nauibus Tyrrheno mari, Libyco, Sardoo, Siculóque prius luſtratis, quod quadraginta dierum ſpatio effecit, Ionium emenſus, Athenas claſſem appulit. Athenis digreſſus in Ciliciam curſum tetendit; multis obiter piratarum ſupliciter deditis, Coroceſium indè ſe recepit, & alia Tauri munitiora loca, quæ cum vxoribus & liberis, omníque bellico apparatu piratæ inſederant. Ij vno nauali prælio fracti, quod ſub Pompeij acceſſum commiſſum fuerat, ſe & ſuos victori permiſerunt. Solencium in vrbem, à Tigrane Armeniæ Rege penè in ſolitúdinem redactam, piratarum partem Pompeius miſit, & ab iſtâ Coloniâ, vrbs illa poſtea Pompeiopolis appellata eſt. Quatuor menſium interuallo totum hoc bellum abſolutum eſt, dubium maiore ducis virtute, an felicitate. CCC. hoſtiles naues in hac expeditione captæ, materia ingens ad claſſem conficiendam parata, tradita, & cremata eſt.

DCXXCVI. (beside "tus eſt nauium numerus attributus")

DCXXCVII. *Dio lib.36.*

Ob id, bellum Mithridaticum Pompeio ex Plebiſcito datum eſt, adiecto omnium copiarum imperio, quæ in Aſiâ eſſent. Is in Galatiam profectus, à Lucullo exercitum accepit, qui Romam reuerſus, inter alia triumphalis pompæ, roſtratarum nauium ſimulachra CX. pręferri iuſſit, maritimæ victoriæ indicia. Dum inter luxus & delicias Lucullus viuit, Pompeius hoſtem Cappadociâ exuit, ad Euphratem prælio fugat, Tigrani pacem dicit, Syriam, Ciliciámque Pop.Romano addidit, Mithridatémque, amicitiam eius petentem, ad voluntariam necem cogit. Tandem Pharnace Mithridatis filio in Boſphori Regno, ob deſertum patrem conſtituto, relictâ Tigrani Armeniâ, Ariobarzani Cappadociâ, Antiocho Seleuciâ, à Senatu Populóque Romano extra vrbem exceptus eſt, hoſtium captis nauibus DCC. in portum præmiſſis. Inter alia triumphi, innumeri currus roſtris nauium onuſti, præcedentibus piratis, captiuis licet, nullâ tamen onuſtis cathenâ, vnoquoque liberè ambulante, in patriâ veſte. Sequebantur in tabulis pictæ triremes, hoſti bello ademptæ, inter quas, roſtratæ

Aliqui veras naues fuiſſe putant, cum roſtris æreis, tum primum Romæ viſis: quod abſurdum eſt. Quis enim currus, ferendo roſtratam nauem. Triumphauit autem L.Lucullus triennio tardius, quàm debuerat. M.Cicer. C.Antonio Coſſ. Ann. Vrb.DCXC. inimicorum calumniis impèditus: quod notauit Sigonius in Faſtis huius anni.

DCXCII. (beside "bantur in tabulis pictæ triremes")

roſtratæ erant DCCC. Triumphauit autem per biduum III. & pridie Kal.Octob. contentus vno triumpho, tot bellis finitis, & Magni cognomine, quod iam antea à Sulla adeptus fuerat: cum hoc titulo:

Cn. Pompeius Magnus Jmp. bello XXX. *annorum confecto, fuſis, fugatis, occiſis, in deditionem acceptis hominum Vicies ſemel Centenis* LXXXIII. *Depreſsis, aut captis nauibus* DCCCLXVI. *Oppidis, caſtellis* MDXXXVIII. *in fidem acceptis. Terris à Mæoti lacu ad Rubrum mare ſubactis, Votum merito Mineruæ, hoc breuiarium eius ab Oriente.*

Ora maritimâ à prædonibus liberatâ, Jmperio maris P. Romano reſtituto. Aſiâ, Ponto, Armeniâ, Paphlagoniâ, Cappadociâ, Ciliciâ, Syriâ, Scythis, Iudæis, Albanis, Jberiâ, Inſulâ Cretâ, Baſternis, & ſuper hæc, de Regibus Mithridate, & Tigrane.

CAPVT DECIMVMOCTAVVM.

Geſta Julij Cæſaris in mari contra Gallos, & Britannos: eiuſdem & Pompeij bella ciuilia maritima, aliáque poſt Pompeij cædem, in Ægypti, Africæ, & Hiſpaniæ oris.

POMPEIO ſocer erat Iulius Cæſar, hic poſt Con- DCXCV.
ſulatum Gallias ſortitus, vſus gentis diſcordiâ, dum vni parti fauet, ſociorum, & hoſtium victor, terreſtribus prœliis reſiſtentes ad Oceanum vſque maritimo prælio perſequutus, fractis Heluetiis, fuſóque Arioiuiſto, & Belgis cæſis, D. Bruto adoleſcente claſſi, Gallicíſque nauibus, quas è Pictonibus, Santonis, reliquíſque DCXVII.
pacatis regionibus conuenire iuſſerat, Præfecto, aduerſus Venetos Armoricæ inferioris populos, contra Britanniam Inſulam ad Oceanum ſitos, bellum mouit. Coniurauerant in Romanos, & Romanorum ſocios, Heduos, Sequanóſque Veneti, Oſiſini, Lexobij, Nannetes, Ambiliates, Morini, Diablitres, & Menapij, libertatem empturi morte, aut amiſſuri. Erant Venetorum oppida velut in peninſulis quibuſdam ac promontoriis, quæ duodecima quaque horâ, maris æſtu omnia reſtagnante, in inſularum ſpeciem mediis fluctibus eminebant, atque ob eam rem, neque pedibus, quòd aquæ prohiberent: neque nauibus, ob vadoſum ſtagnum, aditu facilia. Ceterum ſic quoque victâ locorum difficultate, vbi ad hoſtem aggeribus peruentum erat, paratis ad id nauibus, vrbis obſeſſæ incolæ cum liberis & coniugibus in aliud

Cæſar lib. 3. belli Gallici.
Dio. Plutarch.
* *ceux de Vannes en Bretagne.*

oppidum migrabant, rurſúſque in aliud, ſi obſidionibus vrgerentur. Romanorum claſſis in importuoſo littore hærebat, an experiretur Oceanum, dubia. Venetorum naues fabrefactæ ex robore, carinâ planiore, ad omnem ſæuientis pelagi iniuriam validæ erant, clauis ferreis codicibus ſuffixis, anchoríſque de ferreis etiam, vel aluteis cathenis pro funibus dependulis. CCXX. naues erant, quibus roſtris & turribus, propter robur & altitudinem puppium, noceri non poterat. Vna erat magno vſui res à Romanis præparata, Pictonibus & Santonibus Cæſari indicantibus, falces præacutæ, inſertæ longuriis non abſimili formâ muralium falcium. Iis cùm funes, qui antennas ad malos diſtinebant, comprehenſi, adductíque eſſent, nauigio remis incitato, perrumpebantur, quibus abſciſſis, antennæ neceſſariò concidebant, vt cùm Gallicis nauibus ſpes omnis in velis, armamentíſque conſiſteret, iis ereptis, omnis vſus nauium vno tempore eriperetur. Reliquum certamen poſitum erat in virtute, quâ tum maximè Romani claruerunt, in conſpectu Cæſaris pugnantes, qui cum terreſtribus copiis de littore proſpectabat. Vndè victoria alio caſu etiam adiuta eſt. Vento ceſſante, ſubitò tanta malacia, & tranquillitas extitit, vt Venetorum naues, quæ ſine remis erant, moueri non poſſent; quæ res ad negotium perficiendum maximè fuit opportuna. Paucæ euasêre, ſingulis expugnatis, quibus ſcortea vela erant, vt vis ventorum ſuſtineretur. Hoc prælio bellum Venetorum totiúſque oræ maritimæ confectum eſt. Sociorum plerique per legatos deditionem fecêre. Morinos, & Menapios Oceani quoque accolas, paluſtria loca, & profundæ
DCXCVIII. ſyluæ Cæſari eripuerunt. Hinc auxiliaribus, quos nuper vicerat, Gallis, victor, Sueuos delet. Indè in Britanniam cum exercitu traiicere ſtatuit, quæ Venetis auxilia miſerat. Noui belli fama ad Britannos delata, multas eius Inſulæ ciuitates adeò percutit, vt legatos ad Cæſarem miſerint, qui Pop. Romani amicitiam peterent, obſidéſque pollicerentur. Ij benignè auditi, monitíque, vt fidem præſtarent, domum dimiſſi ſunt. Interea Morini, qui ad id tempus inuicti fuerant, vltrò obſidibus datis, in Romanam fidem venerunt. Præmiſerat Cæſar cum vnâ naui longâ C. Voluſenum in Britanniam, qui rebus diligenter exploratis, ad ſe rediret: is quinto die quàm à Cæſare diſceſſerat, in Galliam reuerſus, ordine exponit, quæ ipſe de Inſulæ, & Inſulanorum ſtatu comperiſſet. Paratis nauibus quæ ſatis eſſent ad duas legiones tranſuehendas, idoneam ad traiiciendum tempeſtatem Cæſar nactus, intra paucas oras Britanniam attigit. Inſederant Inſulani colles ad teli iactum pelago prominentes, denſo armatorum agmine, quod Cæſar conſpicatus, tandiu in anchoris ſtetit, quò ad equites, qui onerariis vehebantur, affuiſſent. Mutato deinde conſilio,

conſilio, ne in primo egreſſu hoſtibus pateret miles, Inſulam circunuectus, ad c. M. paſſuum plano littore naues conſtituit. Nec hoſtes interim in otio fuêre, ſed equitibus, & eſſedariis ad occurrendum prçmiſſis, cetera multitudo non multò poſt ſubſidio fuit. Diu in littore certatum eſt, Romanis egredi annitentibus, contra prohibentibus Inſulanis, atque ad naues vſque occurſantibus. Aquilâ tamen in littus à ſignifero expoſitâ, pars militum pudore magis, quàm quòd tutò id fieret, nauibus egreſſa, hoſtem paululùm ſummouit. Tenuit aliquandiu dubium certamen, quoad aliis ſuper alios in littus euadentibus, facto agmine hoſtes pulſi ſunt, qui vbi ſeſe ex fugâ in tutum receperunt, continuò ad Cæſarem legatos mittunt pacem orantes. Ille veniam petentibus dedit, obſidéſque recepit. Naues, quæ equites Romanos vehebant, duodeviginti numero, in Inſulæ conſpectu tempeſtate correptæ, poſt longam in alto iactationem, egrè Gallicam ripam tenuerunt. Maior indè vis Oceani, plenâ Lunâ ſentiri cœpta eſt, quæ Gallicas naues, quibus exercitus fuerat tranſmiſſus, cum onerariis adorta, in maximum diſcrimen adduxit. Decumanus æſtus longas naues, quæ ſubductæ fuerant, fluctibus compleuit. Onerariæ, quæ in anchoris erant, in conſpectu exercitus penè totæ perierunt, reliquæ inuicem colliſæ, ſuis armamentis nudatæ ſunt. Ea clades magnam Cæſarianis perturbationem attulit; nam neque materia reficiendis, neque commeatus ad hyemandum aderant. Inſulanorum Principes, qui pacem à Cçſare popoſcerant, eâ difficultate animaduersâ, rati facilè euenturum, vt Rom. Imperator, vinceretur, iterum arma capeſſunt, fuſis, fugatíſque, pax reddita eſt. Sexcentis onerariis nauibus, longis XXXII. per hyemen partim refectis, partim recenti materiâ fabrefactis, Cæſar è Galliâ ab Iccio portu in Treuiros proficiſcitur: quibus pacatis, Britanniam rebellantẽ repetiit, & Q. Atrio circa claſſem relicto ad hoſtes contendit. Tertio die, ei ab Atrio literæ redduntur, quibus ſignificabatur, ſubitâ maris tempeſtate, totam claſſem fœdè laceratam: quapropter iuſſis legionibus conſiſtere, ad naues reuerſus, ingentem opificum manum adhibuit, vt quàm celerrimè naues reficerentur, quæ de claſſe ſupererant. Scripſit & ad Labienum, qui * Iccio portui præerat, vt quamplurimas vndiquè cogeret, nouáſque inſtitueret. Maiore indè prçſidio caſtris & nauibus impoſito, ad hoſtes bello perſequendos reuertitur. Conuenerant interim maiores hoſtium copiæ quàm antea in vnum: ſumma Imperij erat penes Caſſiuellaunum, cuius Regnum à maritimis ciuitatibus Thameſis fluuius dirimebat. Fuerat hic diu hoſtis ceterorum Inſulanorum, qui mare accollunt, tum verò vt communem libertatem tuerentur, ſocia inter ſe arma compulerant. Vterque populus, qui mare,

DCXCIX.

* *Gallicè* Calais.

N 2 quique

quíque Inſulæ mediterranea incolebat, putabatur ex Galliâ in ea loca profectus. Caſſiuellaunus variis prœliis contuſus, datis obſidibus pactus eſt, vt Britannia Pop. Romani vectigalis eſſet.
DCC. Poſtremò in Gallias, quæ defecerant, reuerſus Cæſar, cæſo In-
DCCI. duciomaro, victis vltra Rhenum Sycambris, capto Vercingentorige, omníque penè Galliâ pacatâ, cùm prohiberetur Romam cum exercitu venire, & abſens Conſulatum peteret, illíque ſucceſſor datus eſſet L. Domitius, qui Gallias adminiſtraret, neſcius cedere, Rubicone tranſmiſſo, Pompeio repugnare non auſo, Italiâ præſidiis confirmatâ, Petreio & Afranio, Pompeij legatis, in Hiſpaniâ victis, recepto Brunduſio, iuſsíſque nauibus eò vndiq; contrahi, in Sardiniam Q. Valerium legatum cum legione vna, Aſinium Pollionem cum tribus in Siciliam tranſmittere iuſſit, aduerſus Catonem, qui tum in Siciliâ Pompei partes ſequutus, longas naues veteres reficiebat, nouas ciuitatibus imperabat. Hic viſo Pollione, omiſsâ, quam parabat, claſſe, Corcyram ad Pompeium ſe recepit.

Cæſar lib. 1. belli ciuilis. Appian. belli quoque ciuilis, lib. 2. cap. 6. 7.

DCCIV. In Lybiam Cæſar cùm adhuc in Hiſpania eſſet, Curionem miſerat, aduerſus Attilium Varum, & Iubam Mauritaniæ Regem, cum duabus legionibus, & nauibus longis XII. Sed hæ duæ legiones cum Curione à Iubâ, & Varo poſtpaulò ad Bagradam fluuium in totum cæſæ ſunt. Cæſari contra Petreium proficiſcenti, ſoli omnium Maſſilienſes portas clauſerant, recepto Domitio, cum VII. actuariis nauibus, quas, in Siciliâ, & Sardiniâ à priuatis coactas, ſeruis, libertis, & colonis ſuis compleuerat. Huic ſumma belli adminiſtrãdi à Maſſilienſibus permiſſa eſt. Quibus cognitis Cæſar, legiones tres ad oppugnationem vrbis adducit, nauéſque longas XII. ex Arelate, vbi intra trigeſimum diem, à quo materia cæſa eſt, extructæ erant: iiſque D. Brutum præfecit, pedeſtribus verò copiis C. Trebonium. Erat Maſſilienſibus nauium numero Brutus inferior, ſed delectos ex omnibus legionibus fortiſſimos viros, Cæſar ei claſſi attribuerat. Ij manus ferreas, atque harpagones parauerant, magnóque numero pilorum, tragularum, telorúmque omnis generis ſeſe inſtruxerant.

Lucan. lib. 3.

Et iam turrigeram Bruti comitata carinam
Venerat in fluctus Rhodani cum gurgite claſsis,
Stœchados arua tenens: nec non & Graia iuuentus
Omne ſuum fatis voluit committere robur,
Grandæuóſque ſenes miſtis armauit ephebis.
Accepit non ſola viros, quæ ſtabat in vndis
Claſsis, & emeritas repetunt naualibus alnos.
Vt matutinos ſpargens ſuper æquora Phœbus
Fregit aquis radios, & liber nubibus æther,
Et poſito Boream, pacémque tenentibus Auſtris,
Seruatum bello iacuit mare: mouit ab omni

Quiſque

Quiſque ſuam ſtatione ratem, paribúſque lacertis
Cæſaris hinc puppes, hinc Graio remige claſsis
Tollitur: impulſæ tonſis tremuêre carinæ,
Crebráque ſublimes conuellunt verbera puppes.
Cornua Romanæ claſsis, validæque triremes,
Quáſque quater ſurgens extructi remigis ordo
Commouet, & plures quæ mergunt æquora pinus,
Multiplices cinxêre rates. Hoc robur aperto
Oppoſitum pelago: lunatâ claſſe recedunt,
Ordine contentæ gemino creuiſſe Liburnæ.
Celſior at cunctis Bruti Prætoria puppis
Verberibus ſenis agitur, molémque profundo
Inuehit, & ſummis longè petit æquora remis.
Vt tantum medij fuerat maris, vtraque claſsis
Quod ſemel excuſsis poſſet tranſcurrere tonſis
Occupat, innumeræ miſcentur in æthere voces,
Remorúmque ſonus premitur clamore: nec vllæ
Audiri potuêre tubæ. Tunc cęrula verrunt,
Atque in tranſtra cadunt, & remis pectora pulſant.
Vt primùm roſtris crepuerunt obuia roſtra:
In puppim rediêre rates, emiſſáque tela
Aëra texerunt, vacuo labentia Ponto.
Tum quoque diductis extendunt cornua proris,
Diuerſæque rates laxatâ claſſe receptæ,
Vt quoties æſtus Zephyris Euríſque repugnat,
Huc abeunt fluctus, illuc mare: ſic vbi puppes
Sulcato varios duxerunt gurgite tractus,
Quod tulit illa ratis remis, hoc reppulit æquor.
Sed Graiis habiles pugnámque capeſſere pinus,
Et tentare fugam, nec longo frangere gyro
Curſum, nec tardè flectenti cedere clauo.
At Romana ratis ſtabilem præbere carinam
Certior, & terræ ſimilem bellantibus vſum.
Hic quęcumque ratis tentauit robora Bruti,
Ictu victa ſuo, percuſſa, & capta cohæſit.
Aſt alias manicęque ligant, teretéſque cathenæ,
Séque tenent remis: tecto ſtetit æquore bellum.
Iam non excuſſi torquentur pila lacertis,
Nec longinqua cadunt iaculato vulnera ferro,
Miſcentúrque manus: nauali plurima bello
Enſis agit: ſtat quiſque ſuæ de robore puppis
Pronus in aduerſos ictus, multíque perempti
In ratibus cecidêre ſuis. Cruor altus in vndis
Spumat, & obducti concreto ſanguine fluctus.

N 3 *Iámque*

Iámque omni fuſis nudato milite telis
Inuenit arma furor: remum contorſit in hoſtem
Alter: at hi totum validis apluſtre lacertis,
Auulſáſque rotant excuſſo remige ſedes.
In pugnam fregêre rates: ſidentia paſſim
Corpora cæſa tenent, ſpoliántque cadauera ferro.
Multi inopes teli, iaculum lethale reuulſum
Vulneribus traxêre ſuis, & viſcera læuâ
Oppreſſêre manu, validos dum præbeat ictus
Sanguis, & hoſtilem cùm torſerit, exeat, haſtam.
Nulla tamen plures hoc edidit æquore clades,
Quam pelago diuerſa lues: nam pinguibus ignis
Affixus tedis, & tecto ſulphure viuax
Spargitur, at faciles præbere alimenta carinæ,
Nunc pice, nunc liquidâ rapuêre incendia cerâ.
Nec flammas ſuperant vndæ, ſparsíſque per æquor
Iam ratibus, fragmenta ferus ſibi vendicat ignis.
Hic recipit fluctus, extinguat vt æquore flammam:
Hi ne mergantur, tabulis ardentibus hærent.
Mille modos inter lethi, mors vna timori eſt,
Qua cepêre mori: Nec ceſſat naufraga virtus:
Tela legunt deiecta mari, ratibúſque miniſtrant,
Incertáſque manus ictu languente per vndas
Exercent. Nunc rara datur ſi copia ferri,
Vtuntur pelago, ſæuus complectitur hoſtem
Hoſtis, & implicitis gaudent ſubſidere membris,
Mergentéſque mori, & vitam deponere in vndis.
Inclinant iam fata ducum: nec iam amplius anceps
Belli caſus erat. Graiæ pars maxima claſſis
Mergitur: aſt aliæ mutato remige puppes
Victores vexêre ſuos: naualia paucæ
Præcipiti tenuêre fugâ. Quis in vrbe parentum
Fletus erat? quantus matrum per littora planctus?
Coniux ſæpè ſui, confuſis vultibus vndâ,
Credidit ora viri, Romanum amplexa cadauer,
Accenſíſque rogis miſeri de corpore trunco
Certauêre patres. At Brutus in æquore victor
Primus Cæſareis pelagi decus addidit armis

Cæſar lib.2.belli ciuilis. Neque ob id tamen victis virtus periit, qui ex pugnâ in vrbem conceſſerant, terreſtrem obſidionem validè ſuſtinuerunt, dimicatúmq; eſt iterum in mari, auctâ Maſſilienſium claſſe, L.Naſidio cum XVI.nauibus à Pompeio Maſſiliam miſſo, ſed & Brutus priori claſſi alias adiecerat. Spectabatur naualis pugna ex vrbe, & Romanorum caſtris. Maſſilienſes, multò ferocius, quàm Naſidiani,

ſidiani, prelium ingreſſi, atrox certamen intulerunt. Et Naſidius vbi duas Maſſilienſes naues fortuito concurſu circa ſigniferam Bruti nauem afflictas vidit, confeſtim pugnâ exceſſit, ſi pugnam auſus fuiſſet, procul dubio victor extiturus. Nec Maſſilienſes ſociorum auxiliis deſtituti, diu Romanos tulerunt. Quinque eorum naues depreſſæ, quatuor captæ, ceteræ diſiectæ, aliæ aliò fugâ deferuntur. Tenuit nihilominus obſidio, vbíque à terrâ oppugnata, ęgrè Romanis ceſſit. Dum Maſſilia obſidetur à Bruto, & Hiſpania ſub iugum Cæſaris venit: à Cæſare, Dolabella & C. Antonius, iuſſi occupare fauces maris Adriatici: cúmque ille Illyrico, hic Corcyræo littore caſtra poſuiſſent, iam maria latè tenente Pompeio, repente caſtra, legatus Pompeij Octauius, & Libo ingentibus copiis claſſicorum, inuadunt. Deditionem fames extorſit Antonio. Miſſæ quoque à Baſilo in Antonij auxilium rates, quales inopia nauium fecerat, nouâ Pompeianorum Cilicum arte, actis ſub mari funibus, captæ, quaſi per indaginem. Duas tamen æſtus explicuit: vna, quæ Opiterginos ferebat, in vadis hęſit, memorandúmque poſteris exemplum dedit: quippe vix mille iuuenum manus, circumfuſi vndique exercitus, per totum diem tela ſuſtinuit, & cùm exitum virtus non haberet, tamen, ne in deditionem veniret, hortante Tribuno Vulteio, mutuis ictibus in ſe cucurrit. *Florus lib. 4.*

-----Stabat deuota iuuentus *Lucan. lib. 4.*
Damnatâ iam luce ferox, ſecuráque pugnæ,
Permiſſo ſibi ſine manus; nullíque tumultus
Excuſſêre viris mentes ad ſumma paratas,
Innumeráſque ſimul paſſi terráque, maríque,
Suſtinuêre manus: tanta eſt fiducia mortis.
Vtque ſatis bello viſum eſt fluxiſſe cruoris,
Verſus ab hoſte furor. Primus dux ipſe carinæ
Vulteius, iugulo poſcens iam fata retecto,
Ecquis, ait, iuuenum eſt, cuius ſit dextra cruore
Digna meo, certáque fide per vulnera noſtra
Teſtetur ſe velle mori? nec plura loquuto,
Viſcera non vnus iamdudum tranſigit enſis.
Collaudat cunctos, ſed eum, cui vulnera prima
Debebat, grato moriens interficit ictu.
Concurrunt alij, totúmque in partibus vnis
Bellorum fecêre nefas. Tic mutua paſſi
Fata cadunt iuuenes, nimiúmque in morte virorum
Mors virtutis habet, pariterſternúntque, cadúntque
Vulnere lethali, nec quemquam dextra feſellit,
Cùm feriat moriente manu: nec vulnus adactis
Debetur gladiis, percuſſum eſt pectore ferrum,

Et iugulis preſſere manum. Tum ſorte cruentâ
Fratribus incurrunt fratres, gratúſque parenti
Haud trepidante tamen toto cum pondere dextrâ
Exegêre enſes, pietas ferientibus vna
Non repetiſſe fuit. Iam latis viſcera lapſa
Semianimes traxêre foris, multúmque cruoris
Infudêre mari: deſpectam cernere lucem,
Victoréſque ſuos vultu ſpectare ſuperbo,
Et mortem ſentire iuuat. Iam ſtrage cruentâ
Conſpicitur cumulata ratis, buſtiſque remittunt
Corpora victores, Ducibus mirantibus, vlli
Eſſe ducem tanti, nullam maiore loquuta eſt
Ore ratem, totum diſcurrens fama per orbem.

Cæſar Romam ex Hiſpaniâ reuerſus, proximis Comitiis Con-
DCCV. ſulem ſe cum P.Seruilio creauit, cùm antea à M.Lepido Prętore Dictator nominatus, Dictaturam tantùm per XI. dies exercuiſſet. Inde Brundusium contendit, mox Epirum, in Pharſaliam tandem Macedoniæ tranſmiſit. Pompeius interim annuum ſpatium ad firmandas partes nactus, ex Aſiâ, Cycladibus Inſulis, Corcyrâ, Athenis, Ponto, Bithyniâ, Syriâ, Ciliciâ, Phœnice, & Ægypto, claſſem DC. nauium conflauerat: inſederat maritima oppida naualibus pręſidiis, & pelagus, quod Italiam & Macedoniam interiacet, vt Cęſarem à Macedoniæ traiectu arceret, pręfecerátque Aſiaticis nauibus D. Lælium, C. Triarium Syriacis, C. Caſſium Rhodiis, C.Marcellum, & Cn.Pompeium Lyburnicis, Tribonium & Octauium Libonem Achaicis. Cæſar poſt ſuum in Macedoniam appulſum, ſequenti nocte naues Brunduſium remiſit, quarum XXX. Bibulus, qui cum claſſe erat Corcyræ, ſubito incurſu cepit, captas cum ipſis nautis flammâ peruſſit.
Cęſar lib.3.belli ciuilis. Poſtquam autem victus Pompeius, è Pharſaliâ Leſbum fugiſſet, applicitúſque in Ægyptum interfectus eſſet: D.Lælius Pompeij legatus neſcius Pharſalicæ cladis, cum claſſe Brunduſium venit, Inſulámque portui obiectam tenuit. Similiter Vatinius, qui pro Cæſare Brunduſio præerat, tectis, inſtructíſque ſcaphis, elicuit naues Lælianas, atq; ex iis longius productam vnam quinqueremem, & minores duas in anguſtiis portus cepit: Lælius tamen inde expelli non potuit. Iiſdem temporibus Caſſius cum claſſe Syrorum, Phœnicum, & Cilicum in Siciliam venit: & cùm eſſet Cæſaris claſſis in duas diuiſa partes, & dimidiæ parti præeſſet P.Sulpitius Prętor Vibone ad fretum: dimidiæ, M.Pomponius ad Meſſanam, prius Caſſius ad Meſſanam aduolauit, quàm Pomponius de eius aduentu cognoſceret, perturbatúmque eum nactus, nullis cuſtodiis, neque ordinibus certis, magno vento & ſecundo completas onerarias naues tædâ, & pice, & ſtupâ, reli-

quíſque

quiſq; rebus, quæ ſunt aptę ad incendia, in Pomponianam claſſem immiſit, atque omnes naues incendit x x x v. & niſi de Cęſaris Pharſalicâ victoriâ nunciatum victis eſſet, Meſſana amiſſa Cæſari foret. Caſſius victor, inde ad Sulpitianam claſſem profectus eſt Vibonem, ſecundúmque nactus ventum onerarias naues circiter x l. ad incendium pręparatas immiſit. & flammâ ab vtroque cornu comprehensâ, naues ſunt combuſtæ Sulpitij v. cúmque ignis magnitudine venti latius ſerperet, milites, qui ex veteribus Cæſaris legionibus erant, relicti pręſidio nauibus, ignominiam non tulerunt: ſed ſuâ ſponte naues conſcenderunt, & à terrâ ſoluerunt, impetúque facto in Caſſianam claſſem, quinqueremes duas, in quibus erat Caſſius, ceperunt: ſed Caſſius exceptus ſcaphâ, refugit. Pręterea duæ ſunt deprehenſæ triremes: neque tamen ante Caſſius ea loca deſeruit, quàm de Pompeij fugâ comperiſſet. Hunc Cęſar in Aſiam tranſmittens, cum decem Rhodiis nauibus paulò poſt hanc pugnam obuiam habuit. A Scipione, & Catone, qui claſſi circa Dyrrachium præerat, in Lybiam ad Pharnacem mittebatur, vt ad reparandum bellum regem adhortaretur. Cæſar præmiſſis copiis penè ſolus erat, hoſtem tamen validiorem non ſolùm non refugit, ſed cominus tendens ad deditionem hortatus eſt, deditúmque ac ſupplicem recepit. Nec ipſe multò poſt in Aſiâ fuit. Vbi compertum habuit Pompeium in Cypro viſum, ſuſpicatus quod erat, in Ægyptum eum nauigaſſe, Ægyptum petiit, Rhodiis nauibus, quas à Caſſio acceperat, & paucis Aſiaticis vſus. Vt in terram venit Pompeij caput ſibi oblatum cum lacrymis vidit, templúmque Indignationis in eam ripam, ad quam Pompeius cęſus fuerat, ſtatuit. Mox conuerſus ad Regum diſcordiam componendam, ſtupratâ Cleopatrâ; indignati ſcelus Photinus, & Achillas, qui Ptolomæo fauebant, iidem percuſſores Pompeij, incluſum cum Ptolomæo in regiâ Alexandriæ Cæſarem obſident. Cęſar obiectis hoſti cohortibus ſubitam vim repulit, fuítque duplex pugna, circa Cæſarem vna; altera in portu, in eos commiſſa, qui ad occupandam ex improuiſo claſſem ab Achillâ accerſebantur, ſtatímque incenſis hoſtium nauibus, Pharum Cęſar occupat. Inſula erat Alexandriæ obiecta, ponteque continenti annexa: hîc deprehenſus, quia multò potentiores Ægyptij erant, ex Cypro, Rhodo, Ciliciâ, & Cretâ, auxilia accerſit. Interim partem vrbis, quam retinere in animo habebat, aduersùs hoſtium impetum militari opere muniuit. Photinum obtruncat: cęditur & Achillas, belli incitator, à Ganimede, in quem imperium Ægyptiacarum copiarum transfertur. Erant in hoc ſtatu res Ægypti, cùm legio vna, quæ Cęſari ſubſidio veniebat, Euri flatu portum tenere non potuit: ſed ad littus Africæ paulò ſupra Alexandriam impulſa,

Victoriæ huius maritimę Græcum numiſma extat 23. in ordine apud Goltzium in Iulio Cæſare: in quo poſt Iulium Cęſarem in prora nauis P. Sulpitius ſtat, cum ſignis militaribus, coronatus.

App. lib. 2 bell. ciu. cap. 12. & 13. Plut. in Cæſare.

Hirt. l. 1. bel. Alex. Appian. belli ciuilis, lib. 2. c. 13. Ioſephus hiſt. Iud. Dio. Suetonius.

in ſiccâ, & aridâ regione conſedit. De hoc Cęſar certior factus, ſtatuit, cum iis nauibus quæ in portu ſtabant, aquam illis importare. Occultè itaque naues ingreſſus, Cherroneſum annauigauit, vt inde naues aquarentur. Illius nauigatione ex captiuis cognitâ, Alexandrini in ſpem rei bene gerendæ adducti, quia Romanus in nauibus milites non haberet, ſuas celeriter conſcendunt: cum iis Cæſar, etſi inuitus, in pugnam deſcendit, vicítque egregiè, hoſtium nauibus partim captis, partim etiam diſiectis. Eâ clade Alexandrini non modò non fracti ſunt, ſed paucis diebus veteres naues quæ in publicis naualibus aſſeruabantur, incredibili celeritate reficiunt, claſſem inſtruunt duûm & viginti quadriremium, quinqueremium etiam nonnullarum: adiiciunt & minora nauigia, fuítque horum multò maior numerus. Cęſari naues erant XXXIV. qui audito hoſtium apparatu, continuò & ipſe claſſem ad pręlium expedit. Concurritur vtrinque ferociter, ſed tanta fuit Cęſarianorum virtus, & in primis Rhodiorum, vt neque fiducia, neque nauium numerus Alexandrinis profuerit. Fuſi,fugatíque, decem quadriremibus amiſſis, trepidi ſe in vrbem recepêre. Expugnatus eſt deinde Phari vicus, multâque contentione ſexcenti Pharitarum capti, præda militibus data. Nec multo poſt acre prælium circa Inſulam committitur, cui pugnæ, tres ſunt cohortes adhibitæ: & iam Romani multâ vi ex ponte in littus erupetant, cùm oppidani ex tranſuerſo inuecti, hoſtem è mole ponti oppoſitâ, quam Cæſariani inuaſerant, ſubitâ vi deturbant: alij ad pontem confugiunt, alij ad naues, quicunque in littore inuenti ſunt, obtruncantur. Cęſar quandiu potuit ex ponte ſuos adhortatus eſt, vbi fugam ſiſti non poſſe vidit, proximam nauim repetit; verùm eâ impeditâ, vrgentéque hoſte, in mare deſiluit, ducentíſque paſſibus ad proximam nauim annatauit, lęuâ manu elatâ, quâ compreſſos habuit libellos, paludamentum mordicus trahens, ne ſpolio potiretur hoſtis. Nec multi deinceps dies interceſſerunt, cùm reddito Alexandrinis à Cęſare Ptolomæo, quò pax eſſet, Mithridates Pergamenus, à principio eius belli ad accerſenda auxilia miſſus à Cæſare, ingentem ſecum ex Lyciâ trahens exercitum, ex improuiſo Peluſium occupat. Interim Alexandrini, Cæſaris commeatum, quod mari ſupportabatur, intercipere ſtatuerunt. Itaque expeditis nauigiis, locis idoneis ad Canopum in ſtatione diſpoſitis, inſidiabantur Romanis commeatibus. Quod vbi Cęſari nunciatum eſt, claſſem iubet expediri. Præficitur Tiberius Nero. Proficiſcuntur in eâ claſſe Rhodiæ naues, atque in iis Euphranor, ſine quo nulla vnquam dimicatio maritima parum etiam feliciter confecta erat. Contraria fortuna tum Euphranorem perſequuta eſt. Nam cùm ad Canopum ventum eſſet, inſtructáque

Hanc maritimam victoriam denotat numus Gręcus apud Goltzium, in Iulio. 15. ordine. In quo ab vnâ parte Iulij effigies cum iis litt. Γ. ΚΑΙΣΑΡ. ΑΥΤΟΚ. ΑΡΧΙΕΡ. ΜΕΓ. *id eſt*, C. Cæſar Imp. Pontifex Maximus: *Ab alterâ, Victoria in ſeptiremi ſtans, Aquilam Romanam militarem lauru coronat. Circum, hæ litteræ.* ΑΛΕΞΑΝΔΡΕΩΝ. ΚΟΙΝΟΝ. *Hoc eſt*, Communitas Alexandrinorum. *Ex quo intelligitur, hoc numiſma ab Alexandrinis cuſum, in gratiam victoris.*

ſtructáque vtrinquè claſſis conflixiſſet, & ſuâ conſuetudine Euphranor primus prœlium commiſiſſet, & illinc triremem hoſtium perforaſſet, ac demerſiſſet, proximam longius inſequutus, ſubſequentibus nullis, ab Alexandrinis circumuentus eſt, periitque ſolus cum triremi ſuâ toties victrice. Tandem prælio terreſtri fugato Ptolomæo, & depreſsâ, in quâ fugiebat, ſcaphâ, aquis obruto, Cæſar Alexandriam recepit, Reginámque Ægypti Cleopatram conſtituit. Hæc inter Vatinius eius legatus cum claſſe in Illyricum profectus, maritimiſque ciuitatibus in deditionem acceptis, quæ M. Octauio ſe tradiderant, Octauium oppugnantem Epidaurum terrâ, maríque, aduentu ſuo diſcedere ab oppugnatione coëgit. Octauius, cùm Vatinium claſſem magnâ ex parte actuariis nauibus confectam habere cognouiſſet, confiſus ſuâ claſſe, ſubſtitit ad Inſulam Thauridem, quâ regione Vatinius inſequens nauigabat. Ordine & nauibus valentior claſſis Octauiana, paratior militum animis Vatiniana. Primus Vatinius ſuâ quinqueremi in quadtiremem Octauij impetum fecit, fortiſſiméque contra illo nauigánte, naues aduerſæ roſtris concurrunt, adeò vehementer, vt quadriremis Octauiana roſtro diſcuſſo, ligno contineretur. Committitur acriter multis locis prælium, concurritúrque ad duces maximè: nam cùm ſuo quiſque auxilium ferret, magnum cominus in anguſto mari prælium factum eſt: quantóque coniunctis nauibus confligendi poteſtas dabatur, tantò ſuperiores erant Vatiniani, qui admirandâ virtute ex ſuis nauibus in hoſtium naues tranſire non dubitabant, & dimicatione æquatâ, longè ſuperiores virtute, rem feliciter gerebant. Deprimitur ipſius Octauij quadriremis, multæ præterea capiuntur, aut roſtris perforantur mergendæ. Propugnatores Octauiani partim in nauibus iugulantur, partim in mare præcipitantur. Ipſe Octauius ſe in ſcapham confert, in quâ plures cùm confugerent, depreſsâ ſcaphâ vulneratus, tum adnatat ad ſuum myoparonem. Eo receptus, cùm prælium nox dirimeret, tempeſtate magnâ velis profugit: ſequuntur hunc naues nonnullæ, quas caſus ab illo periculo vindicauerat: at Vatinius re benè geſtâ, receptui cecinit, ſuíſque omnibus incolumibus, in eum ſe portum victor recepit, quo claſſis Octauiana ad dimicandum proceſſerat: Capta eo prœlio pentiremis I. triremes II. * dicrotæ VIII. complurésque aliæ minores. Iam Cæſar à M. Antonio magiſtro equitum Dictator nominatus, Dictaturam cum Tribuniciâ poteſtate in decennium acceperat, cùm adhuc Alexandriæ eſſet: lætus hoc honore, in Pharnacem Boſphori Regem mouit. Fuſo, necatóque Pharnace, eius Regnum Mithridatem Pergamenum, cuius opera bello Alexandrino fuerat vſus, habere iuſſit. Sextâ deinde legione comitatus, in Italiam omnium opinione celerius

DCCVI. (margin, beside "Tandem prælio terreſtri")

* *Biremes ſunt, Iulio Polluci, l. I.*

DCCVII. (margin, beside "Sextâ deinde legione")

celerius reuertitur: hinc in Africam traiicit, ſtetítque ad Adrumetum; in cuius vrbis obſidione, xxx. equites Galli, duo Maurorum equitum milia trucidarunt, aut fugauerunt, vno conflictu. Victor, ab Adrumeto digreſſus, Lepti voluntaria deditione

Hirtius, de bello Africano. Florus lib. 4. c. 2.

potitur. Varus audito Cæſaris aduentu ad Leptim, cum vniuerſâ claſſe fugit, occupatâ in itinere hoſtis quinqueremi, eum perſequutus Cæſar, recuperata, quam amiſerat, quinqueremi, cum omnibus ſuis * epibatis, etiam hoſtium triremem cum remigibus, & hoſtibus cxxx. cepit: mox & Varum vltrà ſequutus, reliquum eius claſſis incendit. Hic Varus nuper cum Didio nauali prælio conflixerat, iuxta Herculis columnas. Sed acrius fuit cum ipſo mari, quàm inter ſe nauibus bellum. Siquidem veluti furorem ciuium caſtigaret Oceanus, vtramque claſſem, paucis nauibus exceptis naufragio cecidit. Poſt hæc Cæſar Scipione ad Tapſum Africæ oppidum victo, Catone voluntariâ morte apud Vticam extincto; coactis Iubâ, & Petreio mutuis vulneribus inter ſe concurrere, & ſimul mori, interfecto ab exercitu Fauſto Syllâ: Scipione, qui cum paucis nauibus Hiſpaniam petebat, poſt nauale prœlium à Siccio ad Hipponem circunuento, mox & coacto ſe ipſum ferro traiicere, ſéque poſt vulnus de puppi in altos fluctus dare: Numidiâ in Prouinciæ formam redactâ, in Italiam victore exercitu reducto, quater vno menſe triumphauit. Ptimum triumphum, atque omnium clariſſimum, Gallicum egit. Sequentem, Alexandrinum. Ponticum, tertium. Nouiſſimum, Africanum.

** Id eſt, vectoribus, ἀπὸ τοῦ ἐπιβαίνειν, à conſcendendo. Vnde & naues tranſuehendis vectoribus accommodata, epibades ab Vlp. vocantur, l. 1. §. igitur. D. de exerc. act.*

Appian. belli ciuilis, lib. 2. c. 14. Liuius. Dio. Hirtius. Velleius.

DCCVIII.

Oppius de bello Hiſpalienſi. Appian. bell. ciu. lib. 2. cap. 15. Velleius. Plutarc. Suetonius. Et Goltzius nouiſſimè in Iulio Cæſare in antiq. numiſm.

Paucis menſibus per hęc, & alia gaudia circumactis, ad Hiſpalienſe bellum Cæſar profectus eſt. Duo Pompeij filij opibus ſuarum partium in Africâ profligatis, in Hiſpaniis erant. Quorum Cn. medio Africani belli ardore ex Vticâ elapſus, exercitum penè inuictum ad bellum inſtruxerat. Cùm Cæſat in Hiſpaniâ eſſet, Cordubam, Hiſpalim, Mundámque in poteſtatem ſuam redegit. Ante hanc vrbem, cùm hoſtes ingenti clade affeciſſet, Sextus Pompeius minor fratrum, accepto aduerſæ pugnæ nuncio, ſilentio noctis elapſus eſt. Cneus maior natu, ſaucius cum L. equitibus exceſſit acie, Crateiámque profugit. Hic cùm parum ſibi tutus locus videretur, ad naues deſcendens, quas in hunc eaſum paratas habuit, cùm anchorarium funem celerius amputaret, ſibi pedem conſauciauit. Didius qui Gadis erat, à Cęſare claſſi prępoſitus, abeuntem ſequutus, quarto die, cùm fortè aquatum in littus, & dux, & nautæ exiuiſſent, improuiſo acceſſu naues, quæ in ſtatione erant, occupauit. Eâ clade affectus Pompeius, vulneribus impedientibus longiorem fugam, in proximâ ſpeluncâ, in qua latebat, interfectus eſt. Eius caput Cæſari delatum eſt, cùm iam Gadis proceſſiſſet: qui totâ prouinciâ receptâ, Romam reuerſus, bellis ciuilibus confectis, nouiſſimè

nouiſſimè de Hiſpaniâ triumphauit. Acceſsêre & alij exquiſitiſſimi honores, quibus inuidiam patriciorum prouocauit, mortémque ſibi Cæſar conciuit: in Senatu, à Bruto, Caſſio, & aliis DCCIX.
coniuratis pluribus vulneribus confoſſus. Huic prænomen Imperatoris primùm datum eſt, cùm antea ducibus Romanis agnomen eſſet; ſúbque eo primùm Conſules honorarij creati ſunt, totâ Rep. vnius regimini attributâ, retentâ libertatis ſpecie, ne in totum antiquus vrbis ſtatus videretur immutatus. Præter Dictaturam, Goltz. in Iulio.
Currus illi ſtatutus Ioui conſecratus, ſimulacrum etiam, cuius pedibus orbis terrarum ſubiectus erat, cum hoc titulo: SEMIDEO. Quem titulum eradi poſtea iuſſit. Nihil autem conſpiratores efficacius mouit, quàm quòd inter fercula Africani triumphi, Petrei, Catonis, ipſiúſque Scipionis, aliorúmque primi nominis Romanorum ciuium, qui eo bello contra Cæſarem militauerant, imagines traductæ ſint. Extructa eidem templa, vnum CÆSARI, ET CLEMENTIÆ, vtriuſque ſimulacro in eadem ara commiſſis dextris ſtante: Alterum PARENTI PATRIÆ EX S. C. Decretúmque, vt ludis, ſacrificiis, etiam intra vrbem, quandocunque vellet, veſte triumphali vteretur; lauream geſtaret, lictores laureatos ſemper haberet, ſella curuli & eburnea ſederet, vt omnium Magiſtratuum poteſtas apud eum eſſet, illius auſpiciis cuncta gererentur, vt victoriarum eius dies quotannis celebrarentur, data & Tribunicia poteſtas, cenſoriáque, aráque erecta. PARENTI PATRIÆ BENE MERITO.

CAPVT DECIMVMNONVM.

Ciuilia Romanorum bella in mari, & oris maritimis, à cæde Iulij Cæſaris, ad exceſſum Auguſti.

OCTAVIVS ex auunculi teſtamento in Iuliam familiam, & Cæſaris nomen accitus, veteranos ſimul in ſuum & Reip. auxilium contraxit, bellúmque authoritate Sen. cum Coſſ. Hirtio, & Panſâ, in Antonium mouit. Appian. bell.ciu. l.3. Sueton. Dio. Vell. Plut. in Ant.
Hoc bello cùm Hirtius in acie, Panſáque poſt DCCX.
ex vulnere periiſſent, optimatum ſectâ deſertâ, cum Antonio, & Lepido ſocietatem iniuit, vt interfectores patris de medio tolleret, Conſúlque cum Q. Pedio ſuffectus, & Imperator prænominatus, DCCXI.
mox abdicato ſponte Conſulatu, Philippenſi acie cum Antonio victor, cæſis Caſſio & Bruto, L. Antonio, M. Antonij DCCXII.
Triumuiri fratre, apud Peruſiam Etruriæ, in deditionem acce-

Velleius lib. 2. Dio lib. 46. Appian. lib. 4. bell. ciu. à c. 8. ad vlt. Goltz. in Iulio Caſ. & iis quæ poſt Iulij cædem acciderunt.

pto, interfectis per proſcriptionem nobilioribus Romanis, fœminiſque, cum triumphali veſte in vrbem equo inuectus eſt. Ceterum non eadem Cæſaris Antoniíque legatis in mari fortuna fuit: nam Dolabella, qui contra Brutum, & Caſſium armauerat, Antiochenis, & Laodicenſibus, qui Cæſaris rebus fauebant, in fidem receptis, dum è Laodiceâ, cum legato L. Figulo, ingentíq; claſſe à Rhodiis, Lyciis, Pamphiliis, Cilicibúſque mercede conductis, Aradum traiicere parat, Caſſio è Paleſtinâ reuertẽti, obuiam cùm exercitu factus, naualíque prælio ſuperatus, Laodiceam refugere coactus eſt. Vbi à Caſſio obſeſſus aliquandiu, ſępiúſque à terrâ oppugnatus, alióque pręlio nauali ſemel, atq; iterum commiſſo, primo quidem dubio Marte, altero infeliciter: tandem obſtructis à Lucio Statio Murco, qui claſſi Caſſianæ præerat, portûs faucibus, nec minus arctè à terrâ, à Caſſio circumſeſſus, ſubuectione rerum neceſſariarum vtrinque interclusus, propriis manibus concidit: idémque M. Octauius Dolabellæ legatus, & Marſus fecêre. Poſt hæc Caſſius cum Bruto collectis in Aſiâ copiis, cùm Rhodij auxilia recuſaſſent, eos bello petiit. Pugnatum eſt ad Gnidum, ibíque Rhodij quinque nauibus amiſſis, pluribus corruptis, victi in Inſulam ſe receperunt. Quo ſucceſſu, Caſſius elatus, Rhodum cum LXXX. nauium claſſe petiit. Hic quoque ſub primum eius appulſum infeliciter à Rhodiis dimicatur. Oppugnati deindè terrâ, maríque, in Caſſij poteſtatem vęnêre. Affertur interim Cleopatram cum ingenti nauium apparatu ex Ægypto ad Antonium & Cæſarem traiicere: ad hanc intercipiendam expeditus eſt Murcus, cum legione vnâ, & LX. cataphractis nauibus, vt ex Tænaro Laconiæ in prętereuntem impetum faceret. Verùm Murcus poſtquam intellexit Cleopatram, vi tempeſtatis non ſine naufragio in Lybiam eſſe reiectam, ne tantâ cum claſſe inutilis eſſet, traiecto mari Ionio, Inſulam, Brunduſio obiectam, occupare feſtinauit: tranſitum in Macedoniam, & commeatuum ſubuectionem, Antonio, Cęſaríque interclusurus. Antonius autem Brunduſij conſiſtebat, bello ſimul & nauigationi neceſſaria comparans, interim & cum Murco naualibus ſubindè pręliis, turritis nauibus ob id extructis, contendens. Quibus cum parum proficeret, Cæſarem ex Siciliâ accerſit, vt cum claſſe Brunduſium veniret. Gerebat ille per id tempus bellum terrâ, maríque cum Sexto Pompeio. Is, poſt fratris interitum in Iberiâ, à Iulio Cæſare neglectus, primò ignotus, piraticam cum paucis exercuit. Mox circa Hiſpanias contractis infelicis belli reliquiis, cùm inſuper ergaſtula armaſſet, Siciliam, Sardiniámque habebat, formidabilis Iberiæ, & claſſis à Iulio miſſæ victor, Carinâ, qui huic claſſi præerat, fugato: contempto etiam Aſinio Pollione, qui Carinæ ſucceſſor in eum miſſus erat.

Hanc pugnam indicant nummi apud Goltzium in Iulio, pag. 23. in quibus Caſſij, & Seruilij legati nomina cum roſtr. Rhodiorum inſigni. De P. Seruilio Caſca, C. Caſſij legato Claſſiario, *nummi meminerunt apud Vrſinum in familia, Seruilia: in quibus acroſtolium eſt, aliáque rei maritimę benè geſtæ ſymbola.*

Carinam claſſis præfectum oſtendit nummus ęreus apud Goltzium, p. 184. in Faſtis anni DCCX. *in quo turrita nauis, cum nomine,* C. ALBII CARINÆ.

Interfecto

Interfecto Iulio ab exilio reuocatus, Maſſiliam conceſſit, exitum ciuilis belli expectans, quod inter Antonium & Brutum ortum fuerat. Ceterum, cùm M. Bruto Macedoniam, C. Caſſio Syriam, & bellum aduerſus Dolabellam Senatus decerneret, Sext. Pompeius claſſi & oræ maritimæ, adminiſtrandæque rei naualis pręfectus eſt. Itaque nauibus repetitis, quas in Hiſpaniâ reliquerat, aliiſque comparatis, diu ſine vllâ certâ manſione mari prædatus, Meſſanam oppidum in Siciliâ, deindè totam Inſulam ſub imperium ſuum miſit: A. Pompeio Bithynico Pretore occiſo, Q. Saluidienum Octauianæ claſſis præfectum nauali prælio vicit, inter Rhegium & Siciliam. Erat Saluidienus in reparandâ claſſe occupatus, cùm Octauius Cæſar, qui circa Rhegium omnia ad bellum comparabat, ab Antonio Brunduſium accerſitus eſt. Murcus, audito Cæſaris acceſſu, Brunduſio aliquantùm abſceſſit, hoſtilium nauium curſum obſeruaturus. Sed Antonius & Cæſar ſecundas tempeſtates nacti, copias in Macedoniam traiecêre. Additus eſt interea Murco Domitius Ænobarbus, & ipſe Caſſianarum partium, pari nauium numero: conflatâque cxxx. nauium claſſe. duo pręfecti totum mare, quod inter Italiam & Macedoniam interiacet, multò infeſtius quàm antea reddiderunt, reliquum pelagi à Sext. Pompeio tenebatur. Dum bello Philippenſi Brutus & Caſſius pereunt, in Ionio mari naues onerariæ, quæ duce Domitio Caluinio, cum triremibus aliquot, duas legiones, è quibus altera Martia, & Prætoriam x. M. cohortem, aláſque equitum iv. atque aliam ſelectorum militum multitudinem à Brunduſio Cæſari vehebant, à Murco & Ænobarbo, cum cxxx. nauibus occurrentibus, partim captæ, partim igne, ſagittis iaculóque conſumptæ, partim diſſipatæ, & in fugam diſiectæ: aliquæ, poſt quinque dierum obſidionem, abſumptis omnibus alimentis, in littus euaſerunt. Caluinius claſſis pręfectus cum vnâ naui Brunduſium profugit. Accuſabatur Cleopatra, Regiis opibus Caſſium iuuiſſe, eam Antonius, in Ciliciam, in qua poſt Philippenſe bellum abſolutum, morabatur, ad dicendam cauſam euocauit. Illa pelagus emenſa, quod inter Ciliciam & Ægyptum latè patet, regiâ naui aureâ, Cydnum amnem ingreſſa eſt. Vela purpurea erant, auro rigentia, argentei remi, qui ad fiſtulæ, tibiæque modulos agebantur: ipſa ſub tentorio aurato ſedebat, cultu Veneris: duo vtrinque pueri in Cupidinum ſpeciem figurati: puellæ inſigni formâ, Nereidum & Gratiarum habitu, nauis gubernaculo & rudentibus incumbebant: Ancillæ ignoto habitu ſuauiſſimos odores circà ripas adolebant. Concurſum eſt vndiquè ad hoc ſpectaculum, adeò vt Antonius penè ſolus in tribunali ſit relictus. Vt illa ad Antonium venit, non modò veniam facie meruit, ſed & Antonij amorem, quem ſuâ formâ inescatam,

Prefectum claſsis, & victorem maritimo prælio Ænobarbum indicant nummi apud Vrſinum in gente Domitia, in quibus trophæum triremi impoſitum eſt.

Iſtius nauis figura in æreo nummo videtur cum hoc titulo: M. Octauio Q. fil. Prætori Antonij. L. Gellio. L. fil. Poplicola. *Ab altera verò parte vultus Cleopatræ cum prora, & inſcriptione iſta:* Reginæ Regum filiorum Regum Cleopatræ.

eſcatum, in Ægyptum veluti captiuum & triumphatum duxit: Romanis, qui cum Antonio erant exclamantibus, veniſſe Venerem, quæ Bacchum raperet. Cùm in deliciis Antonius hyemaret, ex Italiâ affertur, Fuluiam eius vxorem & L. fratrem primum in vrbe cum Octauio diſſidentes, mox foris armis victos, Italiâ deceſſiſſe, diuersâque terrarum plagâ Labienum, omnem Syriam ab Euphrate ad Ioniam occupaſſe: quo nuntio commotus, velut longâ experrectus ebrietate, in Phœnicem tranſiit. Indè cùm Ioniæ oram legeret, Peruſiam captam, Luciúmque fratrem à Cæſare poſt deditionem benignè ſuſceptum audiuit. Mox Athenas progreſſus, Iuliam matrem ibi recepit, à Sexto Pompeio, ad quem illa ex Italiâ fugerat, cum aliquot triremibus miſſam. Obrulit ad hęc Pompeius ſocietatem ſuam, ſi bellum Octauio eſſet illaturus. Illi gratias egit Antonius, ſéque eo, ſi armis dimicandum eſſet, vt ſocio vſurum, reſpondit. Si Octauius in fide & ſocietate perſtaret, daturum ſe operam, vt Pompeium illi conciliaret. Dum hinc Antonius, illinc Octauius militem legunt, commodùm, nunciatur Fuluiam Antonij coniugem Sycione deceſſiſſe. Face itaque belli iam exardeſcentis per mortem Fuluiæ extinctâ, non prius ab amicis, & militibus vtriuſque ceſſatum eſt, quàm Cęſar & Antonius depoſitis armis in gratiam redirent. Quæ pax vti aliquo arctiori vinculo affinitatis confirmaretur, Octauia Cæſaris ſoror, Marcelli vidua, Antonio in matrimonium datur: factâque tertiâ imperij diuiſione, conuenit: vt Cęſar Sardiniam, Dalmatiam, Italiam, & Gallias obtineret: reliquas verò trans Ionium mare Prouincias, Antonius. Et Sex. Pompeio publico hoſte declarato, bellum contra ipſum Cæſar ſuſcepit, Parthicum verò Antonius. Pompeius auditâ Cæſaris & Antonij reconciliatione, Italiæ oras & littora per ſuos duces crebris populationibus infeſtabat, occupatâque Siciliâ, Corſicâ, & Sardiniâ, totâ Italiâ frumentationes excludebat: ſi aggredi Italiam auſus fuiſſet, haud dubiè victor exiturus, nam & armis pollentior erat, & gratior Senatui Populóque Rom. & claſſibus potens: ſed iuueni imperito, placebat arcere bellum, non inferre: licet illi acceſſiſſet Murcus, poſt Philippenſe bellum, cum claſſe LXXX. nauium: & Ænobarbus faueret, cuius Ionij maris imperium erat: neque Cæſare, neque Antonio dimicare auſis, quandiu bellum fuit. Accedebat & fauor Antonij, cui matrem Pompeius reddiderat, auxiliáque in Cæſarem pollicitus fuerat, pro quo denique Menodorus Pompeij legatus, contra Cæſarianos in Sardoo littore feliciter dimicauerat. Itaque compulſi Cæſar & Antonius populari ſeditione, cùm fames ingrueret, ad pacem cum Pompeio reſpexêre. Baias profecti, inſtituto apud Miſenum promontorium cum Pompeio colloquio, ipſis quidem in continenti conſiſtentibus,

App. l. 5. bell. ciu.

ſiſtentibus, Pompeio verò ex aduerſo, in aggere circunfluo, in hoc ipſum aggeſto, præſente hinc vniuerſo exercitu, illinc totà claſſe; conuenit inter eos, vt Pompeius Siciliam, Sardiniam & Achaiam per quinquennium haberet, maria à piratis liberaret, commeatum in vrbem mitteret, prçſidia ex omnibus Italiæ locis deduceret: Antonius viciſſim & Cæſar proſcriptos, reſtitutà quartà bonorum parte, reciperent. Iis ita compoſitis, cùm Pompeius in naui ſuâ Cæſarem & Antonium exciperet, * Menodorus Pompeij legatus, ad aurem ſui Imperatoris inſuſurrauit, placerétve ſibi, demptis emulis imperium orbis occupare, facilè ſe anchoras ſucciſurum, Cæſarémque & Antonium, nihil inſidiarum ſuſpicantes, occiſurum. Hoc, inquit, Sextus, factum eſſe debuit, priuſquàm conſultum, vel à me petitum, apud quem data fides omni imperio potior eſt. His tranſactis, Pompeius in Siciliam, Cæſar & Antonius Romam reuerſi ſunt. Paulò poſt DCCXV.
Antonius, cum Octauiâ coniuge in Aſiam diſceſſit, victis iam à P. Ventidio eius legato, Parthis. Interea creſcente in dies & claſſe, & famâ Pompeij, quódque is pacem, quam ex conditione acceperat non præſtaret: & mare latrociniis vexaret, arctiſq; commeatibus ſubueniret Italiæ. Initium bello Menodorus, Pompeij libertus, claſiſque præfectus fecit: is, cùm in dies vilior ob ſuperbiam haberetur, & quia Helenum Cæſaris libertum, captum, à ſe, remiſerat, contumeliam vlturus, tranſitionem cum Cæſare paciſcitur: claſſem Pompeij prodit, Sardiniam & Corſicam cum tribus legionibus Cæſari tradit. Hunc Cæſar in amicitiam receptum, ingenuitati aſſerit, & in Equitum cenſum adſcribit, Caluiſióque legatum eſſe iubet. Pompeius fugitiuum ſuum à Cæſare repoſcit, negatur. Hinc diſcordia. Cæſar Q. Caluiſium conſularem claſſi, Q. Cornificium terreſtribus copiis præfecit. Pompeius Caluiſio & Menodoro, Menecratem, alterum libertum, cum validâ claſſe oppoſuit. Hi inter Cumas & Enariam Inſulam prælio congreſſi ſunt. Prçtoriis nauibus ex aduerſo inuectis, ligatiſque nauibus harpagonum iactu, Menecrates poſt varios conatus grauiter vulneratur, & ob id prælio inutilis, vbi nauim ab hoſte ſemicaptam vidit, in mari periturus deſiluit: ita eſt in ſiniſtro cornu à Pompeianis pugnatum. Dextro latere, ab alterâ parte Caluiſius Cæſaris legatus, nonnullas hoſtium naues fregit, fugientéſque Peloponneſum versùs eſt inſequutus. Demochares Menecratis collibertus, Caluiſium intuitus, in altum abeuntem, ſuorúmque fugam infeſto prementem curſu, ceteras eius naues ex improuiſo adortus ſubitâ vi diſiicit; pleræque in ſcopulos & ſaxa, metu, temerè obtruduntur, viriſque in littus euadentibus, iniectâ flammâ Cæſarianam claſſem incendit. Pellitur mox Demochares, Caluiſij reditu. Eodem tempore & claſſis,

* *Hunc alij* Menam *nominant, libertum Pompeij, cui plurima tribuebat.*

cum quâ Cornificius ex Rauennâ Octauij iuſſu Tarentum petebat, iuxta Scyllæum grauiſſimâ tempeſtate diſiectą & afflicta, ab Apollophane etiam, quem è Meſſanâ Pompeius immiſerat, vario incurſu lacerata eſt. Ob eam cladem Pompeius Cęſari impotenter inſultans, Neptuníque ſe filium iactitans, numos cudi iuſſit, in cuius parte effictus erat ipſe, cum tridente & delphino, nominéque, NEPTVNI. ſubaudito ſcilicet altero nomine, quod paſſim apud Græcos intelligitur, FILIVS, ſeu FILIO.

Vrſinus in gente Nyſidia.

Velleius lib. 2.

Cęruleo quoque paludamento pro purpureo vtebatur, quod cæruleus color maris ſit, palámque Neptuni & Salaciæ ſacris operabatur. Ex hoc Italiam nouis incurſionibus vaſtat: Apollophanem in Africam claſſe præmittit, quem Menodorus inſequutus, magnâ clade caſtigatum repreſſit.

DCCXVII.

Sueton. in Auguſt. cap. 6.
Appian belli ciu. lib. 5. c. 11. 12. & 13.
Florus lib. 4. c. 8.
Golt. in Auguſt. vita, e numis ant.
Fazell. rer. Sicul. Dec. 2. lib 5. c. 2.

Cæſar acceptis ab Antonio ex nouo fœdere CXX. nauibus, bello Siculo ferocius incumbit. Primùm M. Vipſanium Agrippam Caluiſij loco claſſi præfecit: naues indè & exercitum in procinctu ſtantem, patrio more luſtrauit, extructis ita in littore aris, vt vndis alluerentur. Multitudo omnis circumfuſa cum ſilentio affuit: Sacerdotes deinde naui confidentes ſacra peragunt, térque exercitum circumuecti ſunt, purgamina deferentes, Ducibus vna cum Sacerdotibus adnauigantibus: poſtremò diuiſis hoſtiis, ſiue purgaminibus, ſiue februis, partem vnam in fluctus proiiciunt, alteram altaribus impoſitam adolent. Eſtque id purificationis genus adhibitum, placandi Neptuni ergò, ne naufragium inferret, contra, placidos fluctus ingredientibus mare ſummitteret, obliuiſceretúrque iniuriam ſibi nuper ab Auguſto latam, ferculo detracto, quod ſibi Circenſi pompâ deferebatur. Ex Puteolis claſſis profecta in Siciliam curſum tenuit. Pompeius circa Lilybæum Lepido, qui ex Africâ accerſebatur, Plinium oppoſuit, reliquam Inſulæ oram prę ſidiis firmauit: validiſſimus nauium apparatus ad Meſſanam conſtitit. Lepidus ſub id tempus cum M. onerariis nauibus, LXXX. longis, ex Lybiâ ad id bellum profectus eſt. Erant illi XII. legiones, & cum iis ingens copia machinarum & annonæ. Acceſſit & Auguſto Taurus, ab Antonio ex fœdere cum CXXX. nauibus miſſus. Is Tarento digreſſus, vt cum Octauio ſe iungeret, eodem reuectus eſt, aduerſâ tempeſtate: Lepidus verò vehementiſſimo Auſtri flatu, aliquot nauibus amiſſis, Lilybæum tenuit. Eadem vi ventorum Octauius XXXII. grandiores naues, Liburnicas aliquot, circa Siciliam amiſit: diſtuliſſétque, recenti clade perculſus, bellum in ſequentem annum, niſi populus fame adactus, eum compuliſſet ad reparandam claſſem. Menodorus eadem leuitate, quâ prius ad Cæſarem tranſierat, militiam ſuam apud eundem parum honoratam, vt pote, qui legatus Caluiſio fuiſſet, indignè ferens, veniámque ſibi apud Pompeium

paratam

paratam confiſus, cum VII. nauibus ad eundem paulò ante hanc Cæſaris cladem confugerat: is laceratam furente Africo, circa Veliam & Palinuri promontorium Cæſaris claſſem diripuit, vel incendit. Totum Siciliæ littus inter Tyndaridem & Mylas Pompeianis tenebatur armis. Octauius ratus ibi Pompeium eſſe, inſtructâ, armatáque iterum claſſe, Agrippam eò cum parte copiarum transfretare, & hoſtem prælio laceſſere iubet. Ipſe ex Strongyle Hipponium reuerſus, cum tribus legionibus ad Tauri claſſem proficiſcitur, erátque cum eo Meſſala, qui nondum in Siciliam tranſmiſerat. Agrippæ ad Mylas Demochares occurrit. Vtrinquè ſplendiſſimus nauium apparatus, turribus à prorâ & puppi prominentibus, concurſúmque eſt ab vtraque parte intrepidè. Erant Pompeio agiliores naues, & viri rei maritimæ longa conſuetudine aſſueti. Contra grauiores Agrippæ, & ob id conſertâ pugna firmiores. Quò contigit, vt ex aduerſo concurrentium impulſu Pompeianarum complures corruptæ ſint. Erátque Agrippa haud dubiè ſuperior, cùm Pompeius ſuis ſignum receptui dedit.. Perſequutus eſt Agrippa fugientes, egiſſétque eorum naues in breuia & ſcopulos, ſequendi ſtudio, niſi admonitus fuiſſet ab amicis, ne remerario curſu fœdaret victoriam. Inhibuit dux impetum, retróque ad Strongylem abiit: XXX. nauibus ex hoſtili claſſe aut captis, aut depreſſis. Sub idem tempus Octauius è Leucopetrâ, extremo Italiæ promontorio, cum alterâ exercitus parte, in Siciliam tranſmiſit: Taurominióque excluſus, vltra OEnobolam fluuium, claſſem applicuit; metabarúrque in iis locis caſtra, cùm Pompeius ex improuiſo affuit, Cæſar tribus legionibus, quingentis equitibus, leuis armaturæ mille circiter, ex auxiliaribus bis totidem numero, Cornificio datis, vt bellum cum hoſte terrâ gereret, naues repetit, in alto, ſi copia fieret, dimicaturus. Dextrum cornu Tirinio datum, ſiniſtrum Carcio. Ipſe leui lembo claſſem circummeans, adhortabatur ſuos ad pugnam: mox Prætoriam nauem ingreſſus, quod in magno periculo fieri ſolitum erat, ſigna Prætoriana ſublata condidit, ne hoſtis ſciret, quâ naui dimicaret. Amiſsâ claſſe, Octauius occultè cum vno ſeruo ad Meſſalam confugit. Pauci ad Cornificium fragilibus lembis, vel nando, peruenerunt. Interea & Papias Pompeij legatus, IV. legionum ſupplementum, quod M. Lepido ex Africâ veniebat, adortus, partim captis, partim demerſis nauibus afflixit: & ſi qui natando in littus euaſerant, eos Tiſienus Gallus, Siculæ oræ Præfectus à Pompeio, vt hoſtem terrâ prohiberet, confecit. Cæſar tandem collectis vndique copiis, Lepido ſe iunxit: ambóque Meſſanam obſidione premunt. Statilium Taurum, vt à commeatibus Pompeium tellure excluderet, cum II. legionibus præmiſit. Sed Lepidus à Cæſare alie-

natus, quod non vt collega, ſed vt legatus pareret, pacta occulta cum Pompeio fecit. Verùm Cæſar, neque tempus illud vlciſcendi, neque cum eo poſtulandi eſſe exiſtimans, diſſimulauit: eiúſque actiones ac conſilia obſeruari iuſſit, ne quod facinus auderet. Quóque maturius ſe ab infidâ, dubiáque eius ſocietate liberaret, petenti Pompeio, vt prælio nauali dimicaretur, lubenter annuit. Explicatâ itaque ad Naulochos vtráque acie, CCC. vtrinque nauibus congrediuntur. Tum verò ad vſum pugnæ turres, propugnacula, harpagones, & falces *ab Agrippâ inuentæ, multum momenti attulerunt ad victoriam. Stabant in arenâ terreſtres copiæ de euentu pugnæ ſollicitæ, nutu & clamoribus ſuis fauentes. Et iam in longum proceſſerat certamen, cùm Agrippa pleraſque Pompeianarum nauium defeciſſe intuitus, ſummâ vi connixus, hoſtem in fugam vertit. XVII. quæ fugam præoccupauerant, in pelagus celeri curſu deferuntur. Ceteræ ad vnam ab Agrippâ interclusæ, aut captæ, aut incenſæ, aut depreſſæ ſunt. Vota in littore, & in claſſe à Cæſarianis, Diis maritimis ſoluta, hymníque in eorum laudes cantati. Contra apud Pompeianos, planctus, vlulatus, & lacrymæ fuerunt. Pompeius Meſſanam trepidè profugit, oblitus terreſtris exercitus, qui ſecundùm eam pugnam in Octauij fidem conceſſit. Tres Octauij naues ſuppreſſæ perierunt. Tantâ mole belli penitus in Siculo mari iuuenis oppreſſus eſt. Perditis rebus Aſiam velis petit, pacátiorem Antonium ratus, ob Iuliam matrem à ſe olim ſeruatam: venturus ibi in hoſtium manus, & cathenas; & quod miſerrimum eſt fortibus viris, etiam ſub percuſſore moriturus. Quippè modò CCC. nauium dominus, cum VI. aut VII. fugiebat, extincto Prętoriæ nauis lumine, in vili amiculo, pauens, atque reſpectans, & tamen non metuens, ne periret. Mileti interfectus eſt, dubium Antonio, id iubente. Mirum, tres Pompeios, tribus Mundi partibus cæſos, & ſepultos: patrem in Africâ, filium Cn. in Europâ, Sext. in Aſiâ. Eodem anno Cæſar Lepido ſibi vindicante Siciliam, bellum intulit. Hic victus, & ab exercitu ſuo relictus, abrogato triumuiratus honore, à Cęſare veniam impetrauit, vtque Pont. Maximus, priuatam vitam Romæ ageret. Hoc bello Siculo contra Pompeium, tum primùm claſſiariorum & iuuentutis Romanæ penuriâ, cùm antea ad ſtipendium liberi remiges venirent, ſeruitia, poſtquam manumiſſa, ad remos applicata ſunt: quibus libertas pro ſtipendio fuit, & manumiſſionis donum, remigandi pœna. Ea in portu Iulio apud Baias, immiſſo in Lucrinum & Auernum lacum mari, iubente Auguſto, ad remigium totâ hyeme ſederunt, factura experimentum exercitij in alto, poſtquam ver appeteret: docuerúntque poſteros, remigum artem in ſupplicium & pœnam venire poſſe, ſeruis,

** Non in totum, nam & antea harpagonum vſus: ſed cùm haſtilia lignea eſſent, & ſecuribus facilè præciderentur, primus ne id eueniret haſtile ferreum quinque cubitorum, pro ligneo fieri iuſſit. Victoriam Agrippæ denotat nummus in Faſtis Goltzij ad annum vrbe* DCCXVI. *In quo eſt effigies Agrippæ cum corona roſtratâ, & iſtis litteris,* M. AGRIPPA. L. F. PRÆF. ORÆ MARITIMÆ ET CLASSIS. *Ab alterâ, Neptunus coronatus, ſiniſtrâ delphinum, dextrâ fuſcinam gerit, pede ſiniſtro, veluti victor, fractam nauis proram calcans. Puto tamen melius hunc nummum ad Actiaca victoria monumentum trahi poſſe: quamuis vtrunque hiſtoricis placeat. Oroſius lib.6. & 7. Suet. in Aug. c.16.*

uis, & ſceleratis munus. Reſtabat Antonius, ſocius Imperij, quod conſortem ferre neſcit: vincendus erat, vt ſolus Auguſtus regnaret. Cauſæ, vel prætextus belli, nimius Antonij in Cleopatram amor, quo amaſiæ * Imperij Romani Regna conceſſerat: Octauiæ eiuſdem coniugis, Auguſti ſororis, aſpernatio. Sed iuſtiores erant Antonij in Auguſtum querelæ, quòd ſolus Auguſtus, contra pactum, Siciliâ potiretur: quòd à ſe miſſas ad bellum Siculum naues retineret: quòd Triumuirum Lepidum omni authoritate priuaſſet, ſe inconſulto: quòd deniq; nullos agros militibus ſuis in Italiâ diſtribuiſſet. Erat tum Antonius in Armeniâ, vnde iniuriis ab Auguſto acceptis incitatus, Canidium ad mare cum XVI. legionibus miſit: ipſe cum Cleopatrâ Epheſum proceſſit, vbi omnes maritimas copias coire imperauit. DCCC. naues erant: quarum CC. Cleopatra inſtruxit: talentorum ad hæc XX. M. dedit, & commeatum, quantum vniuerſo exercitui ſatis eſſet. Interim Antonius Romam miſit, qui Octauiam domo pellerent. Illa Antonij liberis comitata, præter vnum, qui cum patre erat, mœſta in priuatam domum tranſiit. Hinc Sen. Conſultum, quo bellum in Cleopatram indicitur, Antoniúſque iubetur, Imperium deponere. Cæſar ipſo Veris initio, occupatâ, quæ nullis Antonij prçſidiis tenebatur, Corcyrâ, in Epirum cum exercitu traiecit. Eius claſſis Præfectus M. Agrippa, Methone expugnatâ, in conſpectu Antonianæ claſſis, Leucadem Inſulam tenuit. Patras, vbi Antonius hyemauerat, victo nauali prælio L. Naſidio, vi cepit. Corinthum expugnauit. Et iam circa Actium Ambraciæ promontorium vtrinque claſſes proceſſerant, cùm Domitius Æнobarbus paruam nauiculam ingreſſus, ad Octauium transfugit: ad quem Antonius, Cleopatrâ etiam inuitâ, impedimenta, ſeruos, & omnes neceſſitudines remiſit. Defecerunt & ab Antonio, Amyntas, & Deiotarus. Reliqui fidi Antonianis partibus, inter quos, P. Canidius Craſſus, terreſtrem pugnam ſuadebant. Cæſaris militem, ſocióſque nauales, ob bellum, quod recens contra Sex. Pompeium geſſerant, exercitatiſſimos eſſe, armamentis & remigio inſtructiſſimos. Sed conſilium ſalutare authoritate Cleopatræ ſpretum eſt: Occæcante mortalium animos fortunâ, & conſilia corrumpente, cùm illi placet iraſci, & ſæuire. L. Metius ſpeculator ab Antonio prçmiſſus, captus, & ad Cæſarem deductus eſt, pérque caſtra, & naues circunductus, cùm omnia iubente Cæſare diligenter luſtraſſet, ad Antonium remiſſus eſt. Tantâ Cæſaris fiduciâ percuſſus Antonius, tum primùm de victoriâ dubitare cepit. Et iam aduenerat ſupremi diſcriminis dies: cùm Cæſar CCL. nauium claſſem à triremibus in ſenos remorum ordines agilem, & inſtrumento nautico armatam, legionibus octo, & quinque co-

Plut. in Antonio. Appian. lib. 5. bell. ciu. c. 1. 2. 3. & 4. Goltz. ad numiſm. Iulij & Auguſti.

** Edixerat enim prçconis voce, in foro Alexandriæ, ſolemni conuentu, Cleopatram Ægypti, Cœloſyriæ, Cypri, & Africæ totius Reginam, cum Cęſarione D. Iulij ex Regina filio. Alexandrum verò, & Ptolomæum, quos ipſe, è Cleopatra ſuſceperat: hunc, Phœnices, Syriæ, & Ciliciæ: illum Mediæ, & Armeniæ Reges.*

DCCXXII.

App. l. 6. bell. ciu. cap. 2.

Florus lib. 4. c. 11. Velleius lib. 2.

hortibus impoſitis, inſtruxerat. Dextrum cornu M.Lurio, ſiniſtrum Aruntio commiſerat, pręfectóque vniuerſo certamini Agrippâ, ipſe, ei ſe parti ſeruauerat, in quam à fortunâ vocaretur. Antonius autem CLX. nauium claſſem habebat, à quaternis in denos remorum ordines: adhæc turribus à prorâ, & à puppi inſtructam: itavt in mari veluti è muris pugnaretur. Dextrum cornu Antonius cum L. Gellio Poplicolâ, ſiniſtrum C.Cælius Caldus, mediam aciem M. Octauius, & M. Iuſteius regebant. Iſtud mali ominis fuit, quòd vela in naues ſuas Antonius ad omnem caſum expedita collocari iuſſerat, tanquam tacitâ diuinatione ad fugam, non ad pugnam ſe pararet. Hæc claſſis intra ſinus Ambracij fauces in procinctu ſtabat: eæ, quatuor in Auſtrum ſtadiis patebant: pręcingebantur ab ortu promontorio, Apollinis Actij templo eâ tempeſtate nobili. Hìc cùm diu conſtitiſſent Antoniani, ſęuóque imbri, & grandinioſâ procellâ exagitarentur: demùm vbi lenita eſt vis venti, vix tandem ſuperatis faucibus naues in altum moliebantur, vt mole ſuâ ſegnes, ita & à ſociis naualibus claudas, & malè agitatas. Ipſa quoq; Cleopatra, cuius Prætoria cui nomen Antonias, purpureis velis inſignis erat, cogere agmen viſa eſt. Cæſar verò poſtquàm nihil, aut minimum promoueri ab Antonianis conſpexit, in altum prouectus, quantâ poteſt celeritate cornua diducit. Agrippam autem æquâ fronte ad pugnam procedere iubet: ſic fore ſperans, vt immobiles Antonij naues multitudine, & agilitate ſuarum circundaret, aut ab ordinibus diuelleret, aut certè deterſis à latere remis mutilaret. Quod vbi vidit Antonius, veritus ne circunueniretur, & ipſe à ſiniſtro cornu mouere cepit. Poſtquàm concurri cœptum eſt, viſa res eſt vrbium oppugnationi quàm ſimillima. Antoniani namque ob altitudinem nauium, quâ Cæſarianas ſuperabant, grauiores, ac pondere ipſo libratiores ictus ſupernè ex turribus, & propugnaculis mittebant: contrà Cęſariani vana pleráque, vt pote ſupino iactu, tela in altum iacientes. Sed cùm Cęſar inſtaret, & remiges, militéſque ad pugnam accenderet, mox porrigente ad circundandos hoſtes dextrum cornu Agrippâ, ſimiliter & Poblicola promouere, & extendere coactus, à mediâ acie diuulſus eſt: Aruntióque qui ſiniſtrum Cæſarianorum cornu regebat, acerrimè vbique occurrente, iam totis ſimul claſſibus ab omni parte certamen fuit, & neutro adhuc inclinabat victoria, quando Cleopatra cum LX. nauibus fugam occupare viſa. Hanc poſtquàm Antonius fugientem aſpexit, ſublatis & ipſe partim dolonibus (id veli nomen eſt) proditor, deſertórq; ſuorum, ſequutus eſt: ventóque vſus ſecundo, Peloponneſum verſus, quò Regina pręceſſerat, curſum intendit: eámque aſſequutus, & ab eadem exceptus, ſeu præ pudore, ſeu mentis, conſiliíque ob res perditas

Cum eadem eſſet ab vtraque parte nauium forma. tum primùm repertum, quò dignoſcerentur inter ſe, diuerſis coloribus eminentes à puppe & prora turres pingere. Sed quis Antonianarum quis Cęſarianarum color nemo, quod ſciã prodidit. Diuerſum fuiſſe conſtat, quod Agrippa ex turrium coloribus fugam Antonij cognouerit. Sed & ex altitudine nauium, eminentiores enim ipſis Cæſarianis erant. Turritarum autem nauium figura extat in nummo L.Paſſieni apud Goltz. in Faſtis, Ann. V.C. DCCXLIX.

perditas inops, in proram ſe condidit: vbi mœſto per triduum ſilentio obtorpuit, donec naues Tænarum appuliſſent. Antoniani ab Imperatore ſuo tam turpi fugâ deſerti, in mortem tamen deſperatâ victoriâ dimicabant: quos Agrippa igne nauibus iniecto, & paſſim furente, tandèm domuit. Cæſar perculſos quidem, neque interim à prçlio abſtinentes, blandis vocibus mulcebat, fugiſſe Antonium, pro quo dimicarent, nolle ſe eorum mortem, cùm & pater patriæ, & conſeruator ciuium eſſet, ſcire ſe, eos nihil peccaſſe, qui pro deſertore pugnarent? Illi ſummiſſis armis, cùm nihil à victore peterent, vltrò veniam, & vitam, & beneuolentiam meruerunt per virtutem, & obtinuerunt. Cçſar eo prælio Antonianorum quinque millia: naues c c c. cepit. Antonio, cùm Tænari in ſtatione eſſet, cladem à ſuis acceptam, Cæſarem diſiectâ, profligatâque claſſe, ipſius maris imperio potiri, nunciatur. Ceterum x ix. legiones, x. m. equitum, quibus Canidius Craſſus præerat, incolumes fidem non mutaſſe: & iam ſeptimum diem ad eius imperium paratos omnes obdurare. Tum demùm Antonius errorem ſuum, & turpiſſimam fugam agnoſcens, ſurdas aliquandiu ad omnia ſolatia aures, obſtinatúmque ſilentium tenebat: recordatus, quanta decora, quas victorias vnius diei clàdes euerterat. Cæſar non multò poſt, Canidio ad Antonium properante, deſtitutos ducibus milites in fidem recepit: Apollini Actio triremes, nauéſque, vſque ad x. remigiorum ordines, captiuas conſecrauit: templóque ampliori illi conſtrui iuſſo, ludos quoque Scenicos, & Circenſes, ac ſacrum quinquennale, quod Actium dictum eſt, inſtituit: oppidúmque vbi caſtra ſua habuerat, çdificari iuſſit, & Nicopolim à victoriâ appellauit. In foro autem, alij volunt, in litore, inter roſtra captiuarum nauium, Eutychi & Niconis aſini, ſtatuas æneas collocauit: ob id, quòd ad naues ſuas properans, fauſto omine Eutichum, hoc eſt, benè fortunatum, aſino Niconi, id eſt, victori, inſidentem habuiſſet obuiam: pronoſticon victoriæ, quæ fœlices ſequitur: Poſtea M. Agrippam cum veteranis in Italiam miſit, ne qui noui motus inualeſcerent. Ipſe Athenas, indè Samum profectus eſt; néve per hyemem, quæ tum atrox erat, tempeſtatibus circa Peloponneſum ſæuientibus, conflictaretur, naues per Iſthmum ad Schçnuntem (patet ea ceruix v. m. paſſuum) plauſtris transferri iubet, vt Aſiæ, Syriçque circuitu Ægyptum peteret. Antonius interim Tænaro ſoluens, Cleopatram in Ægyptum præmiſit, ne clade Actiacâ populus rebellaret: ipſe cùm in Lybiâ defeciſſe exercitum ad Cæſarem audiuiſſet, militéſque, quos in Syriâ habebat, exemplum reliquorum ſequutos, Alexandriam petiit: vbi Cleopatram inuenit ingens opus agredientem. Siquidem ab Ægypto ad Erithreum mare, per c c c. ſtadiorum longitudinem,

naues

nautes traducere parabat, imminentem ſeruitutem vitatura, & meliori loco, incognita, cum maximis opibus victura. Sed pluribus nauibus ab Arabibus, qui Petram incolunt, latrocinio captis, & vehiculis, quibus deferebantur, incendio conſumptis, à propoſito deſtitit, munimentis portuum intenta, & certa in Regno ſuo, aut vincere, aut mori. Iam aderat Cæſar, pérque Cornelium Gallum eiecto Antonij pręſidio, Parętonium occupauerat. Ibi cum exercitu & claſſe Antonius properat, Gallus portu cathenis demerſis munito, vt Antonianam claſſem ad portus fauces vidit, tractis & adductis per machinas latentes ferreis cathenis, iiſque hamatis, oſtium portus primò clauſit: &, vt cathenæ hàc illàc variè, & per obliquum ſparſæ iacebant, ita adductæ, modò ſingulas, modò plures, ſuſpenſas à prorâ naues in puppim mittebant: deindè remiſſas, & ab hamis dependulas, veluti è muro cadentes, ſubitâ vi vndis affligebant, itavt in latera cadentes haurirentur fluctu, aut ſaltem exarmarentur. In eas colliſas, turbatáſque, ínque nautas trepidantes Gallus impetum faciens, facilè hoſtes proſtrauit: vbi agglutinante miſerias miſeriis fortuna, Antonio nunciatur, in dominationem Cæſaris Peluſium veniſſe. Poſterâ die congregatis quæ ſupererant nauibus, relictâ Parætonij obſidione, Alexandriam Antonius repetiit, ſperans ſe claſſem Cæſaris, militémque longo itinere & tædio maris fatigatum facilè oppreſſurum. Et iam Pharum claſſe tenebat, cùm terreſtres copias hoſtis aggreſſus in fugam dat. Hac victoriâ elatus, iterum pugnam infert; fugato exercitu, claſéque voluntariâ deditione in imperium Cæſaris deductâ, tum deſperans Antonius, gladio per viſcera adacto vitam finiit, Cleopatra verò aſpidis morſu. Ordinatâ Ægypti Prouinciâ, Gallóque huic præpoſito, Cæſar in Syriam proficiſcitur, hinc Aſiam ordinat, Românque reuerſus, nullo exemplo, ſed ex S. C. Valerium Meſſalam Conſulem vota facientem audiuit! quòd Dij fauſto illius reditu, felici belli euentu, maturâ ex hoſtibus victoriâ, Rempublicam ſeruaſſent. Pace terrâ, maríque ſic partâ, Ianus clauſus eſt.

Peluſij capti monumentum extat apud Occonem, ann. 723. Trophæum nauale.

Eutropius lib. 7. Marcellin in Iuliano.

DCCXXIV.

CAPVT

CAPVT VIGESIMVM.

Compendioſa narratio rerum à Romanis in mari & littoribus geſtarum, ab exceſſu Auguſti, vſque ad mortem Conſtantini Magni.

MONARCHIA ab Auguſto ſtabilitâ, ampliato Romano orbe, pacatíſque terris, & Iano iterum ab eodem clauſo: nulla aut pauciſſima bella maritima Romanis vſque ad Conſtantinum, vel illata ſunt, vel ab iis in alias gentes mota: ideóque illa in hoc compendium ita conieci, vt vix vnum caput conficiant, quæ per tria ſæcula mari à Romanis geſta ſunt, materiei penuriâ. Imperatoribus ſcilicet pro libito iubentibus, & honoribus ſatiatis, quæ vltrò illis à S. P. Q. R. congerebantur, Tribunitiâ etiam, & Pontificiâ dignitate donatis, quæ poteſtates maximæ in vrbe erant. Sic itaque cùm illis non eſſet, quod ſperari vltra quàm quòd habebant poſſet, omnibus penè pax & quies placuit, pauciſſimis bellis interrupta, ſi ciuilia dempſeris. Conſulibus quoque & Prætoribus, quibus Prouinciæ mandatæ erant, non iam vt ante, querelas & hoſtem quærentibus, cùm à tempore Auguſti, ſolis Impp. & Cęſaribus triumphus permitteretur, pro quo honore patriciæ familiæ bella quondam gerebant. Iam autem honore triumphi Romanis ciuibus denegato, & ſolis ornamentis triumphalibus illis conceſſis, qui hoſtes profligauerant, & lentè ſimul bella poſtea tractata ſunt, & rarò quæſita, imò etiam ſine ſanguine per Conſules extincta, ad regimen Prouinciæ, quibus imperabant, & ad ius Prouincialibus reddendum, ſingulis magiſtratibus conuerſis: contemptæque bellorum cauſæ, ne auerſa fortuna ducibus ignominiam afferret, & mortem: proſpera verò leues honores, & fumoſas ſine curribus imagines. Præterea ſi motus imminerent, plerúmque per ſe bella tractabant Principes, diffiſi ducibus, quib. armatus exercitus inuadendi Imperij audaciam faceret. Placuit igitur pax Imperatoribus, P. Q. R. Ianíque templum rariſſimè apertum eſt. Sub Tiberio Germanicus Batauorum Inſulam cepit, Sicambros domuit, Bructeróſque nauali prælio in oſtio Amiſiæ fluminis profligauit: inuentis nauibus ambiguis, inter longam, & rotundam, hoc eſt, inter bellicam & onerariam, faſtigiatis & acuminatis proris, ſecandis fluctibus, adhibitis à prora & puppi gu-

Sig. in Faſtis, ann. DCCXXIX.

DCCLIX. *Tacit. Annal. l. 2. Strabo Geogr. l. 7.*

Q bernacu

bernaculis, ita vt conuerſis quo vellet remis, facilè naues vorticibus,& flexuoſis canalibus extricarentur. Hinc inuectus Oceano, claſſem tempeſtate amiſit. Multæ naues abreptæ, & vorticibus deuoratæ. Plures,apud Inſulas longius ſitas eiectæ: miſſæ aliæ quibus ſcrutarentur Inſulæ. Collectæ eâ curâ pleræque: vt quis è longinquo reuenerat, miracula narrabat, vim turbinum, & inauditas volucres, monſtra maris, ambiguas hominum figuras, & belluarum portentoſas formas: viſa,ſiue metu credita. Tiberio ſucceſſit Caligula. Hic in Galliam profectus,primo acceſſu Bellini Britanniæ Regis filium à patre pulſum in deditionem accepit: mox deficiente bellorum materiâ,Rheno tumultuosè ſuperato,Germanorum quoſdam, quos occultè velut in inſidiis latitare iuſſerat, tanquam bello captos retraxit in caſtra, ſuſpenſis eorum ſpoliis in trophæorum ſpeciem,in ſyluâ quam ad hoc ipſum adornauit, velut ibi loci res geſta eſſet. Copiis indè ad Oceanum productis,machinas & baliſtas in extremo littore diſpoſuit, ignarâ multitudine quod rei inchoaretur. Indè, velut Oceano victo, repentè edicit, vt miles conchas legeret, ea vera eſſe ſpolia Oceani, his ſinus & galeas complerent, eas Capitolio, Palatióque deberi exuuias. Non minus inutiliter, & ventosè mediterraneo mari illuſit. Nam Baiarum medium interuallum, & Puteolanas moles, trium millium, & DC. ferè paſſuum ponte coniunxit, contractis vndique onerariis nauibus, & ordine duplici ad anchoras collocatis, ſuperiectóque aggere terreno, ac directo in Appiæ viæ formam, quo quadrigario habitu, curriculóque biiugi commearet. Sic cùm bellica occupatio defuit, ceteri quoque Principes,operibus inutilibus,ſed facientibus ad famam,ſtuduerunt,dum cauſæ quæruntur, cur hoc, vel illud tentatum, aut factum ſit. Vtiliora Claudius perfecit, imitatione Druſi patris, qui trans Rhenum foſſas noui & immenſi operis effecerat, quæ nunc adhuc Druſinæ vocantur: nam portum Oſtienſem, quem Iulius Cęſar incoatum ob difficultates omiſerat, perfecit, retudítque ſaxeis molibus, aquas nauibus aduerſas, & intutam ſtationem reddentes, additò ante portum aggere ſaxeo, quo ventorum fluctuúmque vis frangeretur. Cui & alium portum interiorem ſuperaddidit Traianus, parte Tiberis in foſſam educta, immixtáque pelago. Horum orthographiam iuxta antiqua veſtigia accuratiſſimè delineauit Stephanus du Perach, Romæ, Claudij Ducheti formis Salu.an.1581. Idem foſsâ ingenti cauatâ, per XI. Annorum ſpatium XXX. M. operariorum, montibus exciſis Fucinum lacum in Lirim amnem perduxit. Nunc ad maritima bella redeo. Nulla ad Othonem vſque geſta ſunt, à Tiberij morte. Primùm iſte Narbonenſem Galliam aggredi ſtatuit, partibus ſuis claſſe fidâ. Addiderat claſſi vrbanas cohortes, & pleroſque

Idem cap. 19.

In Traiani numo portus Oſtienſis videtur, formâ octangulâ, variis ædificiis ornatus, vt tabernis mercium, armamentariis, catbena ferrea præcluſus: in cuius medio nauis imperatoria, aliaque triremes.

Tacit. hiſt. l. 1. & 2.

roſque è Prętorianis. Curam nauium Oſcus libertus retinebat. Claudius parte Britanniæ viſa & recepta triumphauit, intérque ſpolia naualem coronam faſtigio Palatinæ domus iuxta ciuicam fixit. Achaia, atque Aſia falsò exterritæ, velut Nero aduentaret, pluribus viuere eum credentibus. Pſeudo-Nero ſeruus è Ponto, ſiue, vt alij tradidêre libertinus ex Italiâ, citharæ & cantus peritus, adiunctis deſertoribus mare ingreſſus, ac vi tempeſtatum Scythinum Inſulam detruſus, mancipia armauit, ſpoliatis negotiatoribus. Gliſcentem in dies famam ſors diſcuſſit. Galatiam ac Pamphyliam Prouincias, Calpurnio Aſprenati Galba permiſerat regendas. Datæ è claſſe Miſenenſi duæ triremes ad proſequendum falſum Neronem, cum quibus Scithinum tenuit. Nec defuêre qui trierarchos nomine Neronis accirent. Is in mœſtitiam compoſitus, & fidem ſuorum quondam militum inuocans, vt eum in Syriâ, aut in Ægypto ſiſterent, orabat. Tierarchi nutantes, ſeu dolo, alloquendos ſibi milites, & paratis omnium animis reuerſuros firmauerunt. Sed Aſprenati cuncta ex fide nunciata, cuius cohortatione expugnata nauis, & interfectus eſt, quiſquis ille erat. Imminebat interim Narbonenſi Prouinciæ, in verba Vitellij adactæ, claſſis Othonis, occurſauêre Vitelliani, nec mora prelio, victor Otho. Decimo Pacario in Inſulâ Corſicâ procuratore necato, Corſica, mox Sardinia victricem claſſem ſequuta eſt. Victo demùm Othone apud Bebriacum, in Italiâ, Vitellius Imperium occupauit, & quia Imperator ſine ęmulo eſſe non poterat, è Iudęâ Veſpaſianus mouit. Iam Anicetus Polemonis libertus, idémque Regis Ponti nauibus Prȩfectus, Vitellij nomine Trapezuntem occupauerat: claſſi quoque faces intulerat, vacuo mari illudens, quia lectiſſimas liburnicarum, omnémque militem Mucianus Byzantium adegerat. Quin & barbari contemptius vagabantur, fabricatis repentè nauibus, quas cameras vocant, arctis lateribus, latâ aluo, ſine vinculo ęris aut ferri connexæ, & tumido mari, prout fluctus attollitur, ſummis nauium tabulis adauctis, donec in modum tecti clauderentur. Sic inter vndas voluuntur, pari vtrinque prorâ, & mutabili remigio, quandò hinc, vel inde appellere indiſcretum & innoxium eſt. Contra hunc Virdius Geminus à Veſpaſiano miſſus, qui effectis repentè liburnicis, aſſequitur Anicetum in oſtio fluminis Cohibi, proditúmque à Rege Sedochezorum, captiuum abduxit. Veſpaſiano quoque Bataui fauêre, Claudio Ciuili & Cannefate ducibus, ij Vitellij claſſem XXIV. nauium, quæ in oſtio Rheni erat, cum claſſiariis oppreſsêre, Romanúmque prȩſidium Sitâ Inſulâ expulerunt. Lucilius Baſſus claſſis Rauennatis prȩfectus, haud multò poſt, in partes Veſpaſiani tranſiit. Fabius Valens, & ipſe Vitellianus, è ſinu Piſano, ſęuitiâ maris in Herculis Monęci portum

Idem hiſt. lib. 3. Suet. in Vitell. c. 15.

Q 2 depulſus,

Huius victoriæ monumenta extant apud Occonem an. IIMXXVIII. Neptuuus dextrâ tridentem, ſiniſtrâ delphinum tenens, cum roſtro nauis. Idem acroſtolium dextrâ oſtentans, haſtam ſiniſtrâ innixus. Victoria quoque proræ nauis inſiſtens, & lauream coronam porrigens.
Sabellic. Enn. 7. lib. 4. poſt Dionem.

depulſus, inde Stœchadas, Maſſilienſium Inſulas, defertur: vbi à Valerio Paullino, qui Foroiulienſem Coloniam, clauſtráque maris pro Veſpaſiano tuebatur, liburnicæ miſſæ, eum oppreſſerunt. Capto Valente, cuncta ad victorem conuerſa. Miſenenſis claſſis ad eum defecit. Hiſpania quoque, Gallia & Germania. Vnde Vitellij cædes. Poſt plures annos Traianus Parthico bello ſolutiles naues, quas antea ad Niſibim comparauerat, per Cardinum montem in Euphtatem pertraxit, non ſine ingenti barbarorum certamine, claſſéque ad Diabenem peruenit. Idem Anconitanum portum conſtruxit, vt in ipſius Traiani arcu Anconæ legitur:

IMP. CÆSARI DIVI NERVÆ F. NERVÆ
TRAIANO OPT. AVG. GERMANICO DACICO
PONT. MAX. TR. POT. XVIII. IMP. VIII.
COS. VI. P. P. PROVIDENTISSIMO PRINCIPI
SENATVS P. Q. R. QVOD ACCESSVM
ITALIÆ HOC ETIAM ADDITO EX PECVNIA
SVA PORTV TVTIOREM NAVIGANTIBVS
REDDIDERIT.

Portus iſtius figura in nùmis eius extat, opus hemiſphęricum, porticibus latis, columnis pluribus, in cuius medio arcus triumphalis, & in faſtigio bigæ & trophæa. Tutiorem reddunt portum duæ cathenæ, vtrimque lapidibus infixæ, & ad fauces eius firmatæ, in cuius medio variæ naues, pętoriæ, celoces, phaſeli. In vndis Neptunus muſco coronatus, dextrâ gubernaculum tenens, lęuâ delphino innixus. Poſt multas ſequentium Imperatorum cædes, Gallienus Cleodamum & Athenęum Byzantinos, inſtaurandis maritimis vrbibus, muniendíſque pręfecit. Scythæ per Euxinum nauigantes, Iſtrum ingreſſi, multa grauia in ſolo Romano fecerant, nauibúſque fabricatis, cuncta in Heracleinſi agro euerterant. Hos Venerianus, Gallieni claſſis pręfectus, nauali pręlio vicit, in ipſo Ponto. Neque ob id attriti ſunt Scythæ, qui alio nomine Gothi appellantur: duobus nauium millibus bellum reparant: cum iis circa Martinopolim in inferiore Mœſiâ, ad oſtium Danubij, ſub Claudio Imp. qui Gallieno ſucceſſit, dimicatum eſt, captæ multæ Gothorum naues, ſupreſſæ aliæ, infinitus hoſtium numerus cęſus. Pari fœlicitate à Byzantinis haud multo poſt in victos pręliatum eſt, in ipſo vrbis Byzantinæ conſpectu: mox & in orâ Creticâ, Cypriáque. Claudius ad Senatum ſcripſit, iis pręliis ſe, CCCXXX. hoſtium millia deleuiſſe, duóque millia nauium alto mari depreſſiſſe. Poſt hos Diocletianus Imp. nauali pręlio Francos vicit, idémque Maximianus fecit, poſtquam * Geſorigiam (Morinorum in Galliis nauale,

Trebell. Pollio.

Huius victoriæ monumentum extat apud Occonem, in numo æreo: in quo vultus, & nomen Gallieni Imp ab altera parte Hippopotamus, cum iſtis litteris: NEPTVNO CONS. AVG. hoc eſt, Conſeruatori Auguſti.
Trebell. Pollio.
Lazius de gentium migrat. lib. 10.

** Geſoriacum Cæſaris, hodie Calais.*

nauale, quà propius littori noſtro Britanniæ accedunt) defixis in portum trabibus, ingeſtíſque ſaxis clauſit, & expugnauit. Hunc contra Carauſius, qui cùm apud Bononiam, per tractum Belgicæ, & Armoricæ, pacandum mare accepiſſet, quod Franci & Saxones infeſtabant, cùm ingenti claſſe ſurrexit, inuictúſque maritimis prælijs conſentiente etiam Maximiano, Britannias occupatas retinuit. Tandem Conſtantino Magno rerum potiente, vltimum Imperatorem Romulum Roma habuit, quæ ab illo Romulo à lupâ nutrito, ante mille annos originem ſumpſerat. Priſcum quidem nomen vrbi Imperióque permanſit, ſed antiqua maieſtas, & dominatio non fuit, ciuitate Conſtantinopolitanâ, quæ & Nouâ Româ, in quâ Imperatorum ſedes poſtea fuit, omnem Imperij gloriam ſibi vindicante. Contra in antiquâ illâ vrbe, totius Orbis, tum cogniti, regnatrice, per abſentiam Principum, primùm deformitas, mox ſolitudo, deſolatio tandem & captiuitas: variis populis velut ad prædam accurrentibus, & inuadentibus deſtitutam propugnatore. Diuiſo demùm, & quaſi lacerato in diuerſas partes Imperio, fractæ Romanorum vires, & paulatim occupatæ à pluribus nationibus Prouinciæ, eodem penè modò, quo ante diuiſionem Imperij, Reipublicæ, aut Imperatori accreuerant. Et Conſtantinus quidem vrbi Byzantinæ nomen ſuum tradidit, poſt victum ante eius vrbis mœnia claſſicâ pugnâ ad Helleſponti anguſtias, Licinium, & Abanto Licinianæ claſſis pręfecto tempeſtate fracto. Et hæc maximè mihi viſa ſunt ad tenorem hiſtoriæ, ab orbe condito ad Conſtantini Imperium, relatu digna. Sed & alia ad hiſtoriam pertinent, veluti Coloniarum maritimarum & vrbium fundatio, regionum quoque maritimarum per Romanos occupatio, magiſtratuum claſſicorum, & officiorum enarratio, aliáque eiuſmodi, quæ ad cognitionem antiqui orbis maritimi attinere ipſe exiſtimaui, antequam ad ſecundum librum deſcenderem, in quo geſta omnium populorum in mari dicturus ſum, à Conſtantino Magno ad mea tempora. Et primò quidem de Prouinciis maritimis à Romanis occupatis, tractabo: tum & reliqua, quo breuiori ſermone potero, ne tędium pariat longior narratio.

* *
*

Panegyric. Maximiani.

Eutropius lib. 9.

Præfecturam maritimam Carauſij, indicat eius nummus argenteus apud Occonem, in quo Prætoria triremis inſculpta eſt, cum hoc titulo: FELICITAS AVGVSTI.

Zozimus hiſt. l. 2.

CAPVT VIGESIMVMPRIMVM.

Quomodo, quando, & quibus conditionibus Inſulæ & Regiones maritimæ Prouinciæ Pop. Romani factæ ſint, durante Republica.

Ex Sigonio de antiquo iure Prouinciarum.

PROVINCIA eſt, quam Populus Romanus ante armis deuictam, aut quocunque modo in poteſtatem redactam, magiſtratui ſuo adminiſtrandam ſubiecit. Prima omnium poſt Italiam domitam, confectóque primo bello Punico,

SICILIA. SICILIA Populi Rom. Prouincia facta eſt, poſt Vrbem conditam D. annis: neq; tamen tota Romanorum fuit, ſed tãtùm pars ea, quam Carthaginienſes tenuerant. Huius adminiſtrandæ cauſâ quotannis Prętor cum Quæſtore miſſus eſt. Reliqua pars Siciliæ, quæ Hieronis erat, eo mortuo, Syracuſis à Marcello captis, Pœnis à M. Valerio Leuino Conſule totâ Siciliâ pulſis, priori Prouinciæ acceſſit, circa annum Vrbis Conditæ DLX. vetúſque Prouincia, & ea quæ regnum Hieronis fuerat, Prętori commiſſæ. Iis legibus, vt nautas, naues, ſumptúſque in nauarchos Siculi prębetent. Poſt Siciliam,

SARDINIA, & CORSICA. SARDINIA & CORSICA Inſulæ, inter Italiam pariter atque Africam poſitæ, ſubactæ ſunt. Tito Manlio Torquato Conſule, ann. Vrbis DXIX. Sardinia in poteſtatem Pop. Rom. redacta eſt: cùm arma pro Pœnis Sardi cœpiſſent. Poſt triennium Corſica à C. Papirio Maſone Coſ. Prouincia ordinata eſt.

HISPANIA. Sardinia HISPANIA ſequuta. Inuadendæ Hiſpaniæ Romanis eadem cauſa, quæ Siciliæ fuit: nimirum, vt Pœnis occurrerent: qui maiorem eius partem, quam mediterraneum mare ſuſtinet, Amilcare, & Haſdrubale, & Annibale, ducibus occupauerant. P. Scipio P. Filius, qui poſtea Africanus appellatus eſt, totam Hiſpaniam, quam Inſulam eſſe Pirænei montes prohibent, pręter Luſitaniam & Callæciam ab Occidente: Cantabriam, Aſturiámque à Septentrione, ſub ditionem Pop. Romani miſit: ann. Vrb. Cond. DXLII. Proconſules duo in eam Prouinciam ibant, vnus in vlteriorem Hiſpaniam, alter in citeriorem, quæ citra flumen Iberum erat. Ann. DLVI. Prętores duo vtramque Prouinciam rexêre. Luſitanos M. Marcellus, L. Lucullus, & Ser. Galba ſubegêre. Callæcos D. Brutus, vnde illi Callæci cognomen tributum. Cantabri & Aſtures ab Auguſto deleti, & in Prouinciæ formam relati ſunt.

GADITANI

GADITANI è fœdere cum L.Marcio inito Prouinciales facti, bello Punico ſecundo. GADES.

BALEARES domiti, ceſſerunt Metello. BALEARES.

CASSITERIDAS Inſulas P.Craſſus, metallorum cupiditate adductus, Imperio Rom. adiunxit. Omnes ſub iuriſdictione Pręrorum Hiſpaniæ fuerunt. Siculis, Sardis, & Corſis decima frumenti indicta, viceſima Hiſpanis. CASSITERIDÆ Inſul.

NARBONENSEM Galliam primus intrauit C.Sextius Caluinus Conſul, ſubactiſque Salibus, oppidum à ſe conditum, * Aquas Sextias nominauit. Paulò poſt in oppido Tectoſagum, cui Narbo nomen, Romanam coloniam fundauit Q.Marcius Conſul, à quo illud oppidum Marcius Narbo appellatum. C. quoque Marius, Cimbris domitis, monumentum victoriæ non longè à Narbone reliquit, * Foſſas Marianas. Cùm Iulius Cęſar Conſul Narbonenſem Galliam obtinuiſſet, reliquas Galliarum Prouincias, perpetuo nouem annorum imperio ſubegit, redegítque in Prouinciam, à Rheno Oceanóque, ad Rhodanum, & Gallicum mare. Narbonenſi Galliæ agrarium vectigal impoſitum eſt: Comatæ, ſtipendiarium. Cæſar mox rerum potitus, Narbonenſem Galliam cum Hiſpaniâ M,Lepido, Comatam verò D.Bruto, & poſt Brutum L.Munatio Planco conceſſit, qui ad confluentem Araris & Rhodani Lugdunum condidit, Hirtio, & Panſâ, Coſſ. Deductis eo ciuibus Romanis, qui ab Allobrogibus quondam Viennæ expulſi fuerant. GALLIA NARBONENSIS. * Aix en Prouence. * Aiguemorte au bas Languedoc.

ILLYRICVM, Quod Ionium mare reſpicit, L. Albinus, & Cn.Fuluius Centumalus ann. Vrb. cond. DXXIV. in poteſtatem Populi Rom. deduxerunt: iis conditionibus: vt Pineus Rex certum quotannis ſtipendium perſolueret, ne vltra Liſſum oppidum trans Drilonem amnem, niſi cum duobus, iiſque inermibus lembis nauigaret, Illyrico, pręterquàm paucis locis, excederet. Iſtri illis acceſſerunt, ann. Vrb. DXXXIII. Rebellantes iidem oppreſſi ſunt à C.Claudio Coſ. ann. Vrb. DLXXVI. & Prouinciales facti. Quos ſequuti ſunt Labeates, Delmatæ, & Vardæi, ab orâ maritimâ in Illyrici interiora à Ser.Fuluio Flacco Coſ. tranſlati. Iapudes C. Sempronius Tuditanus Coſ. ſubegit, déque iis triumphauit ann. Vrb. DCXXIV. Illyricum demum totum ſub Auguſto tributarium factum, Romanæ dominationi acquieuit. ILLYRICVM.

MACEDONIAM Illyrico conterminam, Hadriatico mari ab Occidente, ab Oriente Ægæo, à reliquis partibus Strimone & Peneo amne incluſam, Perſeo Rege capto, ordinauit L.Æmilius Paulus, in Prouinciæ formam; quoniam libera relicta erat, redegit Q.Tęcilius Metellus, Macedonicus inde denominatus, Pſeudo-Philippo ſublato, ann. Vrb. DCV. Macedonia in duas partes diuiſa fuit, vna libera, quæ Superior appellata eſt, ad mare Ionium, MACEDONIA.

nium, cuius vrbes pręcipuas fuiſſe, Linceſtidem, Pelagonitim, Oreſtidem, & Elimiotim, affirmat Strabo. Altera inferior, vectigalis, ad Hadriaticum mate, Prętori olim ius dicenti obtemperauit: ſub Valentiniano verò & Gratiano, Vicario.

L. vlt § item C. de diuerſ offic. l. 5. C. Theod. de ſterſil. l. 6. C. de feriis.

ACHAIA, EPIRVS, GRÆCIA.

ACHAIA, Epirotas & Gręcos complectitur. Epirus ab Acrocerauniis montibus ad Ambracium ſinum excurrit. Græcia duplex, vna extra Iſthmum, Achaia nomine: altera intra Iſthmum, Peloponneſus. Bello Punico ſecundo, primùm ab Æthlolis, qui extra Iſthmum ſunt, aduerſus Philippum Demetrij filium cum Romanis ſocietas & amicitia contracta eſt. Eo Philippo Macedonum Rege à Romanis victo, quòd Annibali fœderatus eſſet, Nabide quoque Lacedæmoniorum tyranno, vniuerſæ Gręciæ libertas data eſt. Orto demum inter Achęos & Lacedęmonios bello, Q. Metellus debellato Pſeudo-Philippo, Achæos pręlio vicit, Arcades profligauit, Thebis, Megariſque in deditionem acceptis, Corintho, ac totâ Græciâ eodem tempore à L. Mummio Coſ. in poteſtatem adductâ, Gręcia vna cum Epiro Prouincia facta, & à principatu, quem tum Achæi obtinebant, Achaia nominata, tributúmque impoſitum, ann. Vrb. DCVII. Seruata Athenienſibus libertas, conceſſúmque, vt ſuis legibus vterentur.

ASIA.

Aſia minor à vicarius Auguſtalibus poſt 16. primos Impp. adminiſtrari cepta eſt. Pancirol. ad cap. 122. Notitię Orientis.

ASIA triplici modò ſumitur. Vno, tertia pars orbis cenſetur. Altero, Regio, quæ ab Iſſico ſinu vſque in Pontum porrigitur, quæ Aſia minor, & magna Cherſoneſus appellatur. Tertio, ea cenſetur, quam rex Pergami Attalus Philometor Pop. Romano teſtamento reliquit: quæ Myſiam, Phrygiam, Æolidem, Ioniam, Cariam, Doridem, Lydiam, Lycaoniam, & Piſidiam comprehendit. Verum cùm iſtæ nationes, quæ Attalo paruerant, pro Ariſtonico Eumenis Regis ex pellice filio, contra Romanos infeliciter dimicaſſent, per M. Aquillium Coſ. ſeruitute mulctatæ ſunt, legibúſque dictis à Proconſule adminiſtratæ, ann. DCXXVII. Totum autem vectigal Aſianorum, quia in portoriis, decumis, & ſcripturis: incertum & extraordinarium fuit: donec Cęſar ſuperato Pompeio, demptis publicanis, certam tributi collationem impoſuit. Liberi in Aſiâ relicti ſunt. Ilienſes, Chij, Rhodij, Lycij, & Magneſij.

CILICIA.

CILICIAM mari imminentem, quod Cilicium appellatur, M. Antonius, P. Seruilius, & Cn. Pompeius domuerunt. Partem eius, Pamphyliæque, in Prouinciæ formam prior redegit, ſub Proconſule. Secundus, in vtramque regionem latius bello penetrauit, iíſque adiunxit Iſauriam. Tertius, reliquum Ciliciæ, nondum Romanis cognitum, deuicit. Vna itaque Prouincia vectigalis, regiones tres habuit, Pamphyliam, Iſauriam, & Ciliciam: cui adiunctæ ſunt totidem ex Aſiâ finitimâ, Phrygia, Piſidia, &

Lycaonia:

Lycaonia: omnes vnius Proconſularis imperio gubernatæ.

SYRIA ab Occidente montem Amanum habuit, & mare Syriacum, vſque in Ægyptum, ab Oriente Eufratem, à Septentrione Taurum, à Meridie, cum Arabiâ Petreâ, Ægyptum. Regiones inſigniores fuerunt, Comagene, Seleucis, Phœnicia, Cœleſyria, Iudæa, & Palæſtina. Antiocho Aſiatico Cn. Pompeius eam ademit, exceptâ Comagene, & Iudæâ, quibus Reges reliquit, Prouinciámque Pop. Romani fecit, diſcedénſq; M. Scaurum præfectum ibi reliquit, Prætorémque Syriæ appellauit. SYRIA.

BITHYNIA & PONTVS, Eodem ferè tempore quo Syria, Pop. Romani Imperio adiunctæ. Bithyni ad Propontidem & Pontum Euxinum iacent. Nicomedes Philopatris filius Bithyniam Romanis teſtamento reliquit, ann. Vrb. DCLXXXIX. qui eam ſtatim Prouincialem fecerunt. Iiſdem quoque Pontus ceſſit, Mithridate Eupatore ſublato: à Cn. Pompeio ex Sen. ſententiâ. Pontus vtraque à Sangario vſque ad Halym, vnà cum Bithyniâ in Prouinciæ formam coacta eſt, à Prętore adminiſtrata, factáque vectigalis. BITHYNIA, & PONTVS.

CYPRVS Aſiaticarum Prouinciarum vltima, Syriæ, Ciliciæque obiecta eſt. Ptolomæo Ægypti Regis fratre regnante, Prouincia Pop. Romani facta, ann. Vrb. DCXVII. nullà cauſâ, ex lege Tribuniciâ Clodiâ, quoniam Ptolomæus, Clodium à piratis captum, liberare neglexiſſet. Quanquam autem Cyprus Inſula ſeparata Prouincia eſt inſtituta, placuit Senatui, hanc Ciliciæ Procoſſ. accedere: ita tamen, vt ex ſuâ inſulâ Cyprij euocari non poſſent. Poſt Ciceronem, Prętor ſpecialis, in eam cum ſuo Quæſtore miſſus eſt. Prinius Cato occupauit. CYPRVS.

AFRICÆ tertiæ Orbis terrarum partis, à freto Herculeo vſque ad Ægyptum pertinentis, prima ab Occidente regio Mauritania fuit, ſecunda Numidia, tertia Carthaginienſis, vltima Ægyptò finitima, Cyrenaica. Excisâ CARTHAGINE poſt tertium bellum Punicum, ea regio Rom. prouincia eſſe cœpit. Tributum in capita, vectigal in agros impoſitum. Prætor in eam miſſus. AFRICA. CARTHAGINENSES.

CYRENAICA, Teſtamento Ptolomæi Apionis, Romanis donata: ann. Vrb. DCLVII. poſtea Prouincia appellata. Huic, imperante Syllâ, Creta Inſula adiecta, ann. DCLXXIII. poſtquam à Metello Coſ. perdomita eſt. CYRENAICA.

NVMIDIA, Iubâ deleto, qui Scipioni fauerat, à Iulio Cęſare Prouinciæ formam aſſumpſit: ac noua Africa vocata eſt. Vt illa, quæ Carthaginienſium fuerat, Africa vetus. C. Salluſtius hiſtoriarum ſcriptor, ei primus Prefectus eſt, Proconſul Pop. Romani. Poſtea Octauius in Triumuiratu vtramque Africam adeptus, ei Fuficium Fangonem legatum pręfecit. NVMIDICA.

MAVRITAN.

MAVRITANIAS duas, veterem, à freto ad Mulucham: nouam à Mulucha ad Ampſagam, in Prouinciæ formam retulit Octauius Cæſar, Boccho vitâ functo, an. Vrb. DCCXXI.

Iſtæ Prouinciæ fuerunt, quas Pop. Romanus nondum Imperatoribus in totum ſeruiens, vſque ad Auguſti Actiacam victoriam, ann. Vrb. DCCXXIII. ſibi & Reip. fecit. Reliquæ verò, quæ præter has memorantur Prouinciæ, Prouinciarúmque diuiſiones, ab Imperatoribus conſtitutæ ſunt: Inter maritimas iſtæ ſunt: Mœſia, Dacia, Britannia, Mauritaniæ, Cæſarienſis, & Tingitanæ: Ægyptus, Cappadocia, Galatia, Rhodus, Lycia, Iudæa, Arabia, Armenia Maior, Pontus Polemoniacus, Bithynia, Galatia, Paphlagonia, Creta, Phœnicia, Dalmatia, Thraciæ, Scythia, Lydia, Pamphylia, Caria, Phrygia minor, Gallia Belgica, Aquitanica, & Alpium maritimarum, Hiſpaniáque tota.

CAPVT VIGESIMVMSECVNDVM.

Aliæ Inſulæ, & Regiones maritimæ, Imperij Romani Prouinciæ factæ, ab exceſſu Auguſti Cæſaris vſque ad Conſtantinum Magnum. Item de Prouinciarum rectoribus.

MOESIÆ.
Plin. l. 3. cap vlt. Pancir. ad Notit. Imp. Orient. c. 152. & 153.

Goltz. in Aug. Sigon. in Faſtis. Pancir ad c. 134. Notit. Orient. Tacit. l. 1. & 5.

MOESIA ad Pontum vſque decurrit cum ipſo Danubio: in eâ Thraces, Pontóque contermini Scythæ. Mœſiam duplicem facit Notitia. Primæ Dux imperabat, eíque iuncta erat Dardania. Secundam quoque Dux protegebat, ſub Valeriano, Gallieno, & Conſtantio Imperatoribus. Mœſios, ſiue Myſios, pacis leges accipere Auguſtus coëgit, per L. Piſonem, & M. Licinium Craſſum Proc. ann. Vrb. DCCXXV. Sub Tiberio, â Popæo Sabino Mœſia, cum Achaiâ, & Macedoniâ adminiſtrata eſt.

DACIA.
Iornandes de regnor. & tempor. ſucceſſione. Pollio in Gallien.

DACIA, à Traiano, victo Decebalo, in Prouinciæ formam redacta eſt, deinde ſub Gallieno amiſſa, cùm in ea Ceronius, vel vt alij, Cecropius dux eſſet. Demùm cùm illam ægrè Aurelianus recuperaſſet, ipſius populos trans Iſtrum duxit, limitibúſque ad flumen tranſpoſitis, Daciam Ripenſem vſque ad Sauum appellauit: interiorem verò Daciam, Mediterraneam dixit. Olim Dauiam appellatam putat Strabo. Ad Iſtri fontes incipit, in Sarmaticum Oceanum deſinir, quâ Scandię Inſulę mari eminent.

Geograph. lib. 7.

BRITANNIA.
Tac. l. 13. 17. & in Agric. Pancir. ad c. 69. N. Occ. & 98.

BRITANNIAM C. Iulius Cæſar, poſteris oſtendiſſe potius dicitur, quàm tradidiſſe. Claudius Imp. Orcadas Inſulas, proximáſque

que Galliarum continenti partem, Imperio ſubiecit quam Conſulariũ primus A. Plancius adminiſtrauit: aliqui pro Plancio, Plautium legunt, cui ſucceſſit Oſtorius Scapula, huic Didius Gallus, Gallo Veranius, hinc Paullinus, mox Iulius Agricola, ſocer Taciti hiſtorici, qui Monam Inſulam in poteſtatem redegit, nando in aduerſam, ſine lembis, ſine nauibus: circumactáque inſula Britannia, caſtella ad Taum, Glotam, & Bodotriam, ęſtuaria, poſuit, firmauítque pręſidiis. Sub Alexandro Pręſides eam rexerunt. Conſtantinus Magnus in quinque Prouincias diuiſit, in Maximam Cęſarienſem, Valenciam, Britanniam primam, Britanniam ſecundam, & Flauiam Cæſarienſem.

MAVRITANIÆ. *Strabo lib. 17. Sig de antiq iure Proul. 1. c. vlt. Pancir. ad cap. 78 Not. Occid*

MAVRITANIÆ, Cęſarienſis, & Tingitana ad fretum Herculeum iacent: à Cęſareâ, & Tingi ciuitatibus dictæ. Vtraque, Boccho rege fatis functo, ab Auguſto ordinata eſt, & vectigalis facta, an. Vrb. DCCXXI. Tingitana Comitem, Cæſarienſis Ducem, rectores habuerunt.

ÆGYPTVS. *Goltz in Auguſto. Dio lib. 51. & 53. Pancir. ad c. 117. Not. Orient.*

ÆGYPTVS à Septentrione Ægyptio pelago, ab Oriente mari Rubro terminatur. Ab Auguſto prouincia facta eſt, victo Antonio & Cleopatrâ, an. Vrb. DCCXII. Tum ne gens licentiâ opum moueret, pręſidio duæ legiones additę, tertia Cyrenaica, & 22. Primigenia. Totidem equitum turmæ, nouemq; cohortes. Cautum, ne Ægypti vllum Senatum, aut magiſtratum de ſuis ciuibus haberent. Et quia pręuidebat Auguſtus, leui pręſidio hęc clauſtra terræ & maris teneri occupata poſſe, vetuit edicto, ne quis Senator, aut eques Romanus, niſi ſe conſcio Ægyptum ingrederetur. Cúmq; Senatorij ordinis potentiam ſuſpectam haberet, voluit Pręfectos Ægypti ex equeſtri ordine creari, eóſque annuos, ne diuturnitate potentia inualeſceret: primúmq; Ægypti pręfectum dedit Cornelium Gallum, quem à ſe, pręfectum Auguſtalem vocauit. Poſtea Seuerus conceſſit, vt Ægyptij Senatorem Præfectum haberent. Pręfecto Auguſtali ſex Pręſides parebant, nimirum Lybiæ Superioris & Inferioris, Thebaidis, Ægypti, Arcadiæ, & Auguſtanicæ. *Marcell. lib. 22.* Lybia Superior teſtamento Ptolomæi, Cyrenarum Regis, ad Romanos venit: Inferior ad eoſdem teſtamento quoq; Appionis regis, Arcadia ab Arcadio Imp. nominata eſt. Ægypti priſcorum temporum partitio erat, Ægyptus, Thebais, Lybia, vel ſic, Thebaica, Media, Inferior. Extat Romæ obeliſcus caractere Ægyptiaco à Rege Samneſerteo ætate Pithagoræ exciſus, deuicta Ægypto ab Auguſto Romam tranſlatus, & in Circo Maximo poſitus, cum hac ſubſcriptione. Imp. Cæſar Diui F. Auguſtus Pont. Max. Imp. XII. Coſ. XI. Trib. Pot. XIV. Ægypto in poteſtatem Pop. Rom. redacta. Soli donum dedit. Hunc altitudinis pedum 88. & ſemis, terra erutum Sixtus V. ad Sanctam Mariam Populi tranſtulit, erexítque in antiqua baſi.

PONTVS POLEMONIAC.
Pancir ad c. 126. Notit Orient poſt Eutrop. Euſebium, Suet in Nerone, c. 18. & Sex. Aurelium.

PONTVM Pompeius, vt pręcedenti capite dixi, in prouinciæ formam ordinauit, ſed eam Cæſar Mithridati Pergameno conceſſit: deinde ad Polemonem peruenit, quo extincto, cùm Pythodoris eius vxor nomine filiorum regnum teneret, illud à Nerone imperio Romano adiectum eſt, Regia mox ſtirpe deficiente, à Polemone illa prouincia: Pontus Polemoniacus dicta eſt. Hæc regio à Boſphoro Thracio ad Colchidem prętenditur, à Vicario, deinde à Comite adminiſtrata, ſub quo Bithynia, Paphlagonia, Cappadociæ, Galatia, & Armenia maior.

BITHYNIA, & GALATIA.
Sext Rufus. Eutr. Dio l 54. Liuius l. 93. Appian. bell. Mithridat. Panciroll. ad c 127. Notit Orientis.

BITHYNIA, & GALATIA Conſulares prouinciæ. Gallos Grçcis admixtos, ideóque Gallo-græcos, & Galatas appellatos, Cn. Manlius poſt victum Antiochum, victos, pacem petere coegit. Hos Deiotarus Tetrarches, Romanis permittentibus, tenuit. Ad extremum ſub Auguſto Galatia prouincia facta eſt. Eam primus M. Lollius Paulinus adminiſtrauit. A Septentrione Pontum habet. Diuiditur à Bithyniâ, Sangari fluuio: quam Nicomedes Rex, Philopater cognominatus, liberis carens, Auguſto imperante populo Romano teſtamento reliquit. Hanc ſub Nerone C. Petronius Procoſ. rexit. Pontico mari à Septentrione terminatur, Propontide ad occaſu. Poſt Maximum Conſularis fuit.

PAPHLAGONIA.
Pancir. ad c. 128. Notit Orient. Strabo lib. 12.

PAPHLAGONVM, Qui ad oram Euxini ad Septentrionem expoſiti ſunt, Rex vltimus fuit Philomenes, qui Romanos hæredes reliquit: exinde à Romanis leges accepit, adminiſtrata per Pręſidem, qui Vicario Ponticæ ſuberat. Interiori Paphlagoniæ vltimus Regum Imperauit Deiotarus, Caſtoris filius, cognomento Philadelphus.

CAPPADOCIA.
Tacitus lib. 2. Dio lib. 57. Sext Rufus. Paterc hiſt. Rom. lib. 2. Suet. in Veſp. c. 8.

CAPPADOCIA à Septentrione Euxini littus occupat. Archelao per Tiberij crudelitatem extincto, in prouinciæ formam redacta, Q. Veranium legatum primùm accepit, adminiſtratorem Populi Romani, diminutis aliquantum tributis, quò mitius imperium ſperaretur. Ab equite Romano vſque ad Veſpaſianum gubernata eſt, ſub Veſpaſiano à viro Conſulari. Proconſulem deinde Rectorem habuit, & rurſus ad Pręſidem rediit: ſub Conſtantino enim Eutichius Præſes Cappadociæ fuit. Eius metropolis Cæſarea, à Tiberio Cæſare nomen ſortita, cum antea Mazacha diceretur.

Nouell. 30. de Proconſ. Cappadocia. L. pen. C. de liberalis cauſ.

CRETA.
Sigon. in Faſtis. Vell Tacit. l. 3. L Diuus. D. ad S.C. Turpill. Pancir. ad c. 135. Notit Orient. Dio. Strabo.

CRETA, A Q. Metello Proc. qui indè Creticus appellatus eſt, ann. Vrb. DCXXVI. Rom. Imp. adiuncta, cúmque Cyrenis in vnam Prouinciam conſtituta. Hanc M. Brutus Proc. rexit ſub Auguſto, ſub Tiberio Caſſius Cordus, ſub Hadriano Saluius Carus. Ante Auguſtum, Conſularem habuit, à Cyrenaicâ tum ſeparata. Hic itaque, vbi de Prouinciis ſub Imperatoribus Romanis factis loquor, Cretæ adminiſtrationem cum Cyrenaicâ confundo

fundo, vt ex edicto Auguſti gubernatio iſta ſub Imperatoribus fuiſſe ſciatur. Paulò ante Conſtantinum, Creta ſub Vicario Macedoniæ fuit, mutatâ prouinciarum formâ.

ARABIA. *Strabo lib.16. Pancir.ad c.106. & 146. Notitia Orient.*

ARABIAM, Inter Arabicum & Perſicum ſinum, primus Ælius Gallus ab Auguſto miſſus, armis ſubegit. Rebellantem Traianus in prouinciæ formam redegit. Huic prçſes imperabat.

PHOENICIA. *Sabell.Enn.7. l.4. Marcell.lib.14.*

PHOENICE à Syriâ ab Adriano diuiſa eſt, & ſpecialis prouincia facta: ab Occidente mari Ægyptio terminatur. Sub Conſtantino ducem habuit Serenianum: poſt Vadomarium. Ante Conſularem habebat, qui Tyri reſidebat.

ARMENIA Maior. *Ptolemęus tab.3. Aſiæ Sext.Ruf. Pancir.ad c.131. Not.Orient.*

ARMENIA Maior parte Hircani, ſiue Caſpij maris terminatur ab Oriente. Hanc primùm Romani ſub Auguſto, Ducibus Tiberio, & Caio Cæſare viderunt, Domitius Corbulo ſub Nerone domuit, Traianus prouinciam conſtituit, Tygrímque Parthici & Romani Imperij finem poſuit. A præſidibus adminiſtrata eſt.

IVDÆA. *Ioſeph lib.7. bell. Iudaici, c 28.*

IVDÆA, Quæ ad Syriacum mare extenditur, alióque nomine Palæſtina vocatur, à Veſpaſiano & Tito ſubacta, Syriæ adiuncta eſt: vtramque prouinciam ſub Veſpaſiano rexit Ceſennius Petus, Aſiæ Proconſul. Poſtea à Traiano à Syriâ diuiſa eſt: à Conſulari, mox à Proconſ. adminiſtrata. Sub Iuliano Conſularem habuit Palæſtina, Proconſ. ſub Gratiano. Ante à Pompeio domita, primo Herodi conceſſa eſt, deinde Archelao, Philippo, & alteri Herodi. Quibus extinctis, prouincia facta eſt: ſed eam rebellantem cum Lyciâ, Rhodo, Byzantio & Samo, quæ antea liberæ fuerant, Imp. Romano Veſpaſianus addidit.

L.ſi quis.C de decurio.L.35.C.eod. tit.L.42. C.Theodoſ. de appellat. L.28. C.Th.quor. appellat. non recip. Pancir.in Notit. Orient.c.98.

DALMATIA, ſiue DELMATIA. *Sigon.in Faſt ann. 724.Suet.in Aug. cap.20.& 21. Goltz in eodem. L.3 § idem Diuus. D.de teſtib. Sigon. de antiq. iure Prou. l.1.c.7.& in Faſt. ann.711.*

DALMATAS primùm L.Metellus, C.Coſconius, deinde Agrippa, poſt Auguſtus domuit, vicinos Macedonum ad Adriaticum mare populos. Hos rebellantes Tiberius iterum, Auguſto regnante, in poteſtatem redegit, coëgítque tributa ſoluere. Iſti ſicut & Macedones ſub Hadriano à Proconſule regebantur, exemplo Iulij Cæſaris, qui impoſito Dalmatis tributo, & acceptis obſidibus, P.Vatinium Proc. in eam prouinciam miſerat.

THRACIÆ. *Tacit. lib.27. Pancir.ad c.133. Not.Orient. Sigon.in Faſtis.*

THRACIÆ duæ, Superior, Europa dicitur, Bizantina regio ſupra Athum fluuium in mare porrecta: Inferior, citra Athum ad mare vſque Ægæum, propriè Thracia: Sub Galbâ à Procuratoribus regebantur. Deinde Conſulares factæ, Vicario Thraciarum paruerunt: poſtea Duci. Subactæ ſunt Auguſto rerum potiente, à M.Licinio Craſſo, ann.Vrb. DCCXXV. Antea à Sullâ domitæ ann.Vrb. DCLXIX.

SCYTHIA. *Vopiſc.in Aurel.*

SCYTHIA per oram Ponti Euxini ad Iſtrum extenditur. Imperante Valeriano Amulium Saturninum ſui limitis Ducem habuit.

LYDIA, &c.

LYDIA, Pamphylia, Lycia, Caria, Lycaonia, Piſidia, & Phrygiæ,

L.1.C.de capit ci ui. eximend & L. 2.C.de cenſu, ſiue adſcriptitia. Ptolom. in Aſia tabulis. Pancіroll.ad Not. Orient.c.123.124. 125. L.6.C.de delator. Strabo lib. 12. Ptolom.in Aſia. L.4. C.Theodoſ. L.2. eiuſd. C.de aduocat.fiſci.

gix, à Conſularibus & Præſidibus adminiſtrabantur, primò ſub Proconſ.Aſiæ, poſtea ſub Vicario diœceſeos Aſianæ. Imp.Conſtantino regnante Lycia & Pamphylia ab vno Præſide regebantur. Pamphylia ad pelagus excurrit, quod ab ea Pamphylium vocatum eſt: ſicut Lycium à proximo Lyciæ littore. Lydia inter Cariam & Helleſpontum iacet, Antiocho à L.Scipione adempta. Prius Pro-prætorem, mox Proc.habuit, Gratiano Imperante. Caria ab occaſu mare Icario, vel Ægæo alluitur, à meridie Carpathio. Phrygia Minor ad Helleſpontum iacet, Epictetum & Helleſpontiacum, & Troadem antiqui nuncuparunt. Pacatiana poſtea appellata eſt, forſan ab Ouinio Pacatiano, qui ſub Conſtantino P.Pr.Orientis, in eâ diu reſedit, ac Conſul, & Præf.Vrb. fuit.

RHODVS, & aliæ Inſulæ. *Pancir. ad c.101. Not.Orient.*

RHODVS, Aliæque Inſulæ, quæ Aſiæ adiacent, ſub Præſide Inſularum Aſiæ fuerunt. Earum nomina ſunt: Tenedos, Leſbos, Icaria, Poſidium, Samos, Arceſine, Begialis, Minya, Aſtipalea, Sime, Ceſi, Coos, cuius incolis Auguſtus Cæſar tributum C. talentorum remiſit, pro Veneris ſtatuâ, quam illis abſtulit, & Romæ C.Iulio Cæſari dedicauit. Liberæ omnes vſque ad Veſpaſianum fuerunt, qui eas dato Præſide prouincias fecit.

GALLIÆ. BELGICA, ALPIVM MARITIMARVM. & AQVITANIC. *Pancіroll. ad c.68. Not.Occidentis. Sigon.in Faſtis.*

GALLIAS in tres Prouincias Iulius Cæſar, bello occupatas, diuiſit, in Aquitanicam, Lugdunenſem, & Belgicam: iis quartam addidit Auguſtus, nimirum, Narbonenſem, quæ iam ante Iulium prouincia erat Pop.Romani, Conſtantinus XVI. Prouincias fecit, quarum maritimæ ſunt, Belgica prima, Belgica ſecunda, Alpium maritimarum, Aquitanica prima, Aquitanica ſecunda, Narbonenſis prima, & Narbonenſis ſecunda. Mediterraneæ verò iſtæ. Viennenſis, Lugdunenſis, Germanica prima, Germanica ſecunda, Alpium Peninnarum, Maxima Sequanorum, Nouempopulorum, Lugdunenſis ſecunda, Lugdunenſis Senonia. Ex maritimis duæ Conſulares, reliquæ Prçſidiales. Deuictis Gallis quadringẽties ſeſtertium Iulius Cçſar impoſuit, ann.Vrb.DCCIII.

Card. Baron.in Cod Vatic biblio-thec in Martyrol. diei 21.Octob. ARMORICA.

Longum poſt tempus cum Maximinus Gallias inuaſiſſet, ac vicinos Britanniæ Armoricos expuliſſet, vacuam prouinciam inter Britannos milites diuiſit, nouóſque colonos in eam miſit. Vnde illa prouincia minor eſt dicta. Huic dux prçfuit, qui in Notitiâ Occidentali. Dux tractus Armorici & Neruicani appellatur: cuius, ſub Diocletianos Dux fuit Carauſius, ſicut Belgicæ ſecundæ Dux Valentinianus ſub Galbâ.

Eutropius lib.9. Panc ad Not.Occid.cap.87.

HISPANIA. *Panc.ad Notit. Orient,c.98. & ad Not.Occid.c.67.*

HISPANIAM Primi omnium Cn.& P. Scipiones initio ſecundi belli Punici ſunt ingreſſi: inde variè poſſeſſa, & ſæpè amiſſa, tandem vniuerſa ductu Auguſti facta eſt ſtipendiaria. Q.Ælio, & M.Iunio Coſſ.in Citeriorem cis Iberum, & Vlteriorem diuiſa eſt. Hæc à Proconſule regebatur, illa à Prætore. Auguſtus totam,

tam, ſub iugum miſſam, in tres Prouincias diuiſit, Beticam, Luſitaniam, & Tarraconenſem. Beticam P. Romano reliquit, in quam Prætor mittebatur: alias ſibi permiſit, próque ſuo arbitrio Legatos adminiſtratores miſit. Sed Tiberius Ceſar Beticam cum aliis Prouinciis in ſe tranſtulit, & illi Proconſulem Vrbium Serenum præfecit. Is magiſtratus vſque ad M. Antonium continuauit. Poſtea Hiſpaniam Prçſides rexerunt. Seuero imperante, à ſolo Mæcio Probo eſt adminiſtrata. Conſtantinus tandem ſeptem Prouincias fecit, Luſitaniam, Beticam, Gallæciam, Carthaginenſem, Tarraconenſem, Tingitanam, & Balearem. Harum tres primæ Conſulares, reliquæ Præſidiales fuerunt.

Hæ Prouinciæ maritimæ ſunt tam à Pop. Romano, de quibus capite pręcedenti, quàm ab Impp. factæ, de quibus hoc capite. Is autem ordo Rectorum in Prouinciis fuit. Cùm extra Italiam Romani arma ſua protuliſſent, Prouincias ſubigere cœperunt: primùm Sardiniam, Corſicámque & Siciliam: deinde Hiſpaniam & Galliam Narbonenſem, in quas totidem Prætores, quot Prouinciæ in ditionem venerant, miſerunt. Cùm verò Prętores tantùm Prouincias regerent, captâ Africâ, & propagato latius Imperio, placuit: vt qui priore anno Coſſ. fuiſſent, ſequenti, Procoſſ. Prouincias adminiſtrarent. Auguſtus rerum potitus, Reip. formam immutauit, Prouincias inter ſe & populum diuiſit. Validiores, quas annuis magiſtratuum imperiis regi nec facilè, nec tutum erat, ipſe ſuſcepit: ceteras Procoſſ. ſortito permiſit. Ita S. P. Q. R. Africam, Numidiam, Cyrenen cum Cretâ, Aſiam, Bithyniam, Pontum, Græciam, Macedoniam, Epirum, Delmatiam, Siciliam, Sardiniam, & Hiſpaniam Beticam conceſſit, ſibi verò ſumpſit, vtramque Hiſpaniam reliquam, Luſitaniam nimirum, & Tarraconenſem, Galliam vniuerſam, Narbonenſem ſcilicet, Aquitanicam, Lugdunenſem & Belgicam, & earum colonias: item & Germaniam. Hinc in Oriente Cœloſyriam, Phœniciam, Ciliciam, Cyprum & Ægyptum. Cyprum tamen poſtea, & Narbonenſem Galliam, vt & alias alio tempore Prouincias, exceptâ Delmatiâ, cum populo permutauit. Sic decem Prouincias ſuſcipiens, magiſtratus in eas miſit pro libito, quos appellauit Legatos, etiam ſi Conſulares viri eſſent: & Proprætores, quòd Prætoris officio fungerentur. Illos verò magiſtratus, qui à S. P. Q. R. in Prouincias XIII. reliquas mittebantur, etiam ſi Conſules non fuiſſent, quia tamen eorum loco imperarent, Proconſules nominauit, qui ex Senatoribus etiam non Conſularibus ſorte lecti, anno tantùm in imperio manebant, & ſex faſcibus, Conſularibúſque inſignibus, pomerio vrbis egreſſi, donec reuerſi fuiſſent, vtebantur: nullum in milites ius habentes, enſem, nec chlamydem geſtabant. Contra Legati, ſiue Proprætores,

L. 2. capta. D. de orig. iur. L. Flor. l. 1. Liuius lib. 2. de bell. Macedon. Feneſtell. de officio Proconſul.

Suet. in Aug. c. 47.

L.pen. D.de off. Præſid.
Dio lib.53.
Aſcon.3.in Verr.

tores, qui poſtea Prçſides, & Legati Cæſaris appellati ſunt, vbi in Prouincias Auguſto conceſſas ibant, quinque faſces pręmittebant, militibúſque imperantes, & enſe, & chlamyde muniebantur, & quantùm Cæſari placuiſſet, in magiſtratu manebant. Italiæ verò Præſidibus, qui militibus imperabant, ideò Prętoris nomen impoſuit, quia veteres, exercitus Imperatores, Prætores vocabant. Hi poſtea Prætoris nomine abolito, Correctores nuncupati ſunt. Imperio demùm Conſtantinopolim tranſlato, iſti omnes Duces, Vicarij, & Comites vocitari cœperunt. Qui ſecundùm illam magiſtratuum formam, quam Conſtantinus inuenit, quatuor Præfectis Prçtorio paruerunt, ſub quibus omnis Rom. Orbis diſtributus eſt. Pręfecto Prætorio Orientis, quinque Dioceſes tributæ ſunt: Oriens, Aſia, Pontus, Ægyptus, & Thracia. Præfecto Prætorio Illyrici, duæ datæ ſunt, Macedonia, & Dacia. Prçfecto Prætorio Italiæ, Africa, & Illyricum occidentale. Præfecto Prætorio Galliarùm, Hiſpaniæ, & Britanniæ. Olim erant & Prouinciæ Quæſtoriæ, vt Cyprus, ad quas ibant exigendorum tributorum nomine, hi qui Quæſtores dicebantur, & ius populis, Prætoris vice, dicebant. Verùm ius gladij non habebant. Prius Proconſules comitabantur, & tributa exigebant, poſtea per ſe prouincias adminiſtrauerunt. Eorum loco Impp. ſuos Procuratores creauerunt, qui Proconſules præſidéſve in prouinciam ſequuti, aliquod imperium habebant. Cauſas fiſcales iudicabant: cúmque præſidis loco regionem aliquam adminiſtrabant, imperium quidem habebant, ſed maiorum magiſtratuum inſignibus vti non poterant. Sic maioribus prouinciis maiores magiſtratus, id eſt, ſpectabiles, quales ſunt proconſules. Mediis, Conſulares & Correctores. Minoribus, præſides & Quęſtores ſunt præfecti. Proconſulares Prouinciæ antea XI. fuère, poſtea ad tres redactæ ſunt, nempe ad Aſiam, Achaiam, & Africam; quâ amiſsâ, priores duæ tantùm Proconſulares manſerunt.

Bulenger. Imperij Romani, l.3.c.4.

Cic. in epiſt. ad Q. Sextil. Rufum. Dio lib.51. & L.1. D.de offic. Quæſtor. L. vlt. D.de offic procurat. Cæſaris. L.nequidquam D. de off. Proconſ.

Panc. in Notit. Orient, c.118. Bulenger. Imperij Rom.l.2.c.2.

CAPVT VIGESIMVMTERTIVM.

Claſſes, Naualia, Stationes, Magiſtratus, dignitates, & officia Claſsica apud Romanos, qui à Græcis multa deſumpſerunt, vſque ad Conſtantini Magni tempora. Stationaria eorum Claſſes & Annonaria. Inter quæ vocabula aliquot nautica recenſentur.

ET hæc quidem generaliter de Magiſtratibus, qui terreſtres maritimáſque Prouincias vſque ad tempora Conſtantini regebant. Nunc ad claſſes, Naualiáque, & officia

ficia eorum, qui apud Romanos vniuerſæ claſſi, aut in naui imperium habebant deſcendendum puto, & vocabula publico dare, quibus magiſtratus claſſici, & ij, qui aliquo munere ſpeciali in naui fungebantur deſignari ſolebant. CLASSIS ab equitum claſſe dicta, erat enim primis temporibus conſuetudo ab equitibus ſtipendium exigere in claſſem: eadémq; Numina ab equitibus, & nauigantibus colebantur. Neptunus ſcilicet & Caſtores. Claſſes autem antiqui dixerunt, authore Feſto, quos nunc exercitus vocamus. Similiter ſicut Equitibus, ſic & claſſiariis ſua de curſio fuit. Legimus apud * Liuium Naues longas LV. Carthaginienſium cum Bomilcare claſſis præfecto in magnum portum Syracuſis ex alto decucurriſſe. Et alibi. Remiges, claſſicóſque milites tranquillum in altum euectos, ſimulachrum naualis pugnæ expertos, decurrentes. Atque hæc tum Equitum, tum claſſicorum decurſio, alio nomine tranſuectio dicebatur, in memoriam apparitionis Caſtorum. Naualia, erant loca, vbi naues ſtabant poſt fabricationem. Socij nauales, dicebantur artifices nauium, & aliquando etiam illi, qui cum ciuibus Romanis in claſſe pugnabant. STATIONES nauales differebant à Naualibus, quod opportunitate belli, in iis naues conſiſtebant ad maris littus, cùm è naualibus, quæ in terra erant, immitterentur nauigia in mare. HYBERNA appellantur loca, in quæ hyemen naues ſuſtinebant, ob id tributum togarum, veſtiúmque indicebatur, queis, permanentes in claſſe, frigus arcerent. ARMAMENTA dicebantur, omnia arma & inſtrumenta, quæ in claſſe erant. Armamentum, Arſenale, ſiue repoſitorium nauium, armorúmque & inſtrumentorum ad claſſem & claſſicos vſus fabrefactorum. Quale Venetum, & Conſtantinopolitanum. Vnde armamentaria, conditoria armorum, machinarúmque. COMMEATVS naualis præter temporariam abeundi facultatem, prætérque rem annonariam, accipitur, pro itu & reditu claſſis, Melitenſes Equites Carauanam vocant. NAVTICA nomina ſunt, deducere claſſem, ſubducere, deportare, ponere carinas, hoc eſt, mari dare, extrahere è mari, traducere in aliud littus, fabricare naues. Exonerare nauim, alleuiare, ſarcinarum iacturam facere, onerare, ſaburrare, remigio, & vento nauigare, in alto nauigare, immittere in terram naues, exſcenſionem facere, ſoluere à terra, concutere, expandere, remittere, retrahere vela: ancoras ſoluere, iacere, mergere: alligare oras, vel tonſillas: appellere nauem tranquillo, facili portu, dextro vento, ſecurâ, tempeſtiuâ nauigatione. Mare aſperum, concauum, procelloſum: fluctus inſurgens, ad terram ruens, reciprocans. Vento aduerſo, contrario, incerto, immenſo, ad latus ingraueſcente,

Volfgang. Lazius Commentar. Reip. Rom. lib. 6. c. 5.

**Dec. 3. l. 4. 6. & 9.*

Dionyſ. lib. 6. Ant. Volfgang Comm. Reip. Rom. l. 4. c. 7. Roſinus Antiq. Rom. l. 4. c. 11.

Iul. Poll. Dictíon. lib. 1. c. 9.

ad parietes incidente, circumflante, circumſtridente. Mare confuſo, repugnante; gubernaculo parere recuſante, contumaci naui, pertinaci, gubernatoribus. Reſonuit fluctus, in nauis concauitatem deſcendit. Nauis tempeſtate turbata, colliſa ſubuerſa, fracta, impacta, diſſoluta, aperta, laxatis compagibus, malo fracto, ruptis velis, clauo, antennis, cautibus, ſyrtibus, impacta. Prælij verò vocabula iſta ſunt, impellere nauim, inſtruere claſſem, condenſare ordines, per interualla conſtituere, ſigna tollere, adnauigare, congredi, concurrere, confligere, perrumpere, perforare, penetrare latera, terebrare roſtro, detergere remos, oppugnare, demergere, diſſoluere, naues captiuas facere, remulco trahere, vulnerare, retro agere, repellere, detinere, afflictas curare, reparare, compingere, coagmentare: tollere, præcidere, ponere, ſiue iacere, moliri, ſiue præparare anchoras ad iactum. Stare ad anchoras, hoc eſt, iactis anchoris naues tenere in ſtatione. Poëtica ſunt; incumbunt venti pelago, vaſtos voluunt ad littora fluctus, ruunt, ſtridens Aquilone procella velum aduerſa ferit. Franguntur remi, vndis dat nauis latus, dehiſcit, torquet in ſaxa, vrget in breuia, illidit vadis, atque aggere cingit arenæ, rapidus vorat omnia vortex. Contra tempeſtatem iſta, demittere cornua, antennis velum ſubducere, munire latus, ventis vela negare, refundere æquor in æquor, viam lethalibus vndis obſtruere, pice, cera, ſtupa. Iis & aliis vocabulis, ars nauigationis illuſtrata, quâ quæſitæ Romanis opes, & victoria, euitatúmque naufragium: quod, non modò claſſis hoſtilis impetus, vada, ſyrtéſque metuendum faciebant, ſed & hibernæ tempeſtates, certáque tempora, quibus claudi maria dicebantur: à III. Eidus Nouemb. ad VI. Eiduū Martij. Vetabat enim Heſiodus, poſt Virgiliarum occaſum nauigare: puniúntque Romanæ leges Prouinciarum Rectores, qui intra vetitos dies, naues portubus ſoluere permittunt, ante Natalem nauigationis; qui, dicto die, ſolemni certamine, publicíſque ſpectaculis apud pleraſq; Gentes celebrabatur. Ægyptij, Iſidi, ſiue Lunæ, quæ humido Elemento atque æſtubus præeſt, ſedatis hiberuis tempeſtatibus, & lenitis maris procelloſis fluctibus, nauigabili iam pelago, rudem dedicabant carinam, primitiáſque commeatus ſacerdotes Deæ libabant. Romani verò Neptuno ludos & ſacra faciebant, poſt quæ, aperiri & libera fieri maria dicebantur. Adeò, vt hoc ſenſu, tam Cluſij, & Patulci cognomina Neptuno, quàm Iano tunc conuenerint. Iſti autem tardè omninò pelagus ingreſſi ſunt. Nondum Roma mare vſa erat ad bellum, cùm DVVMVIRI NAVALES Populo iubente, creati ſunt, Anno conditæ vrbis Romæ CDXLII. C. Iunio Bubulco III. Q. Æmilio Barbula II. Coſſ. rogante M. Decio Tribuno Plebis. Horum

L. ciu. C. De offic. Rector. Prouinc.

Veget. Apuleius Mileſior. lib. 11.

Seldenus in præfat. Maris Clauſi.

Liu. l. 40. & 42. Feneſtell. de magiſtr. Rom. c. 25. hoc accidiſſe ait. M. Valer. P. Decio Coſſ.

Horum officium erat, claſſem parare, reficere, & ornare: curare, vt annona, & merces in vrbem deueherentur: déque eâ ius dicere. Poſtea tamen factum eſt, vt Imperium in claſſem haberent. Námque ann. Vrb. DLXXII. à Coſſ. P. Cornelio Cethego, & M. Bæbio Tamphylo Duumviri nauales creati ſunt, C. Matienus, & C. Lucretius bello Liguſtico, ſingulíſque eorum x. naues aſſignatæ, quibus ora maritima tuta eſſet. Promontorium Mineruæ, quod in Africâ eſt, vtriuſque poteſtati meta datum. Matienus dexteram partem vſque ad Maſſiliam, læuam Lucretius ad Barum tuebatur. Et Matienus quidem cum Liguribus Ingaunis claſſe conflixit, eorúmque naues XXXII. cœpit. Sequenti anno L. Cornelius Dolabella Duumvir naualis nominatur. Propriè tum Duumviri Nauales, quaſi Proprætores, vel legati erant, qui in claſſe imperium poſt Conſules aut Proconſules habebant, vt, quò imperatum erat, claſſem deducerent, & hoſtes mari aggrederentur. Poſtea, cùm Conſules omne Imperium in terreſtres, maritimóſque exercitus traxiſſent, factum eſt, vt non niſi rariſſimè Duumviri Nauales nominarentur, vt ſcilicet claſſem inſtruerent, reficeréntque, eandem ad bellum ituram, ſociis naualibus, remigibus, commeatúque complerent, armamentíſque & machinis ad pugnam naualem neceſſariis. Quamuis & hoc munus ipſi Conſules plerunque vſurpauerint, nec alios permiſerint, claſſem, quâ in hoſtes ituri erant, vel inſtruere, vel reficere. Primum Romanæ claſſis PRÆFECTVM inuenio, L. Valerium, qui à Tarentinis prœlio nauali victus, & demerſus eſt, ann. Vrb. CDLXXII. Tum Romani, non ſuis, ſed alienis nauibus è ſociis acceptis, prœliabantur. Appius Claudius Conſul Romanorum primus in Siciliam claſſe traiecit, ann. Vrb. CDXXCIX. Duillius verò primus claſſe conflixit, triumphauítque victis hoſtibus. Ille Tarentinorum, Locrenſium, & Neapolitanorum nauibus in Siciliam vela fecerat. Hic nouâ claſſe conſtructâ, Romanis primùm in nauibus pugnauit, ann. CDXCIII. Poſtea creati Conſules, terreſtrem, & maritimum exercitum ſortiebantur. L. Cornelio Scipioni Conſuli, ſequenti anno claſſis imperium obuenit. Aulo deinde Attilio Regulo. Poſt L. Manlio Vulſoni, C. Sempronio Blæſo, C. Aurelio Cottæ, L. Metello, C. Catullo, & aliis ſuccedentibus per annos ſingulos Conſulibus, quorum vni quotannis terreſtris exercitus, aut in vrbe imperium mandabatur: alteri verò claſſis tradebatur. Si duplex bellum mari ingrueret, Conſulum vnus, & Prętor mittebantur. Sic an. Vrb. DXIX. Claſſem in Ligures Sp. Caruilius Cōſul ſortito acceperat, P. Cornelio Prætori Sardinia cōceſſa eſt. Bello Illyriis illato, ann. Vrb. DXXV. cùm Conſules tot expeditionibus non ſufficerent, Proconſuli Cn. Fuluio Centumalo

Sigon. de antiq. iure Prouinc. l. 3. c. 7.
Liuius Decad. 4. lib. 10.

Alex. ab Alex. lib. 3. c. 16.

Sigonius in Faſtis illius anni.

claſſis data eſt. Ita tum Conſules, tum Proconſules bella agitauêre: durauítq; hic ordo, donec totâ Sicilia in Prouinciæ formam redactâ, an. Vrb. DXL. M. Marco Marcello proconſuli Sicilia finibus eis quibus regnũ Hieronis fuiſſet: P. Lentulo Proprętori, prouincia, eiuſdem Siciliæ verus, mandata eſt: T. Otacilio claſſis, Q. Mucio Sardinia, qui neq; Conſules, neque prętores fuerant. Ann. verò DXLVIII. P. Corn. Scipioni Coſ. extra ſortem Sicilia & triginta naues roſtratæ decretæ ſunt. Prætoribus poſtea imperium in claſſes conceſſum eſt, ann. quippe DLXIV. L. Æmilius Regillus de Rege Antiocho, Q. Fabius Labeo ex Cretâ, Prętores ambo, claſſes diuerſas ſuperiore anno ſortiti, naualem triumphum duxerunt. Ann. quoque DXXCV. Perſeus Macedonum Rex apud templum Samothracum, à Cn. Octauio prętore, claſſis præfecto, captus eſt, qui ob id ſequenti anno triumphauit proprætore, cum L. Æmilio Paullo proconſule, cum quo illud bellum confecerat. Bello Punico vltimo, Conſules duo, L. Marcius & L. Manilius vnà contra Carthaginienſes miſſi, pari imperio in naualem & terreſtrem exercitum: tamen inter vtrúmque conuenit, vt Marcius à mari, Manilius à terrâ vrbem obſiderent. Iis L. Mancinus à Senatu præfectus claſſis, cum L. Piſone Conſule ſucceſſit. Poſtea P. Scipioni extra ſortem Africa commiſſa eſt, miſsúſque cum Scipione Conſule in locum Mancini alius claſſis pręfectus. Sic nunc Conſules ipſi, nunc proconſules, nunc etiam prætores, vel proprætores imperium in Romanam claſſem habuerunt: donec, poſt L. Lucullum, cui bellum Mithridaticum decretum erat, & L. Cottam ann. DCLXXXIX. Conſulem alterum, cui claſſis commiſſa, Cn. Pompeio non naualis exercitus, ſed totum maris Imperium demandaretur, quà longè latéque patet à Gaditano freto ad Syriam & Pamphyliam, & rurſus ab Ægypto Lybiáque, ad Helleſpontum. Vnde in numis argenteis, caput Neptuni cum tridente, *Apud Occonem.* trophæum nauale: columna cum ſuper impoſito Neptuno reduce, ſiniſtro pede nauis roſtrum calcante, infra quem, triremis, fuſcina, & aquila legionaria, monſtrúmque marinum. Item & in alio numo Neptunus dextro pede roſtrum nauis premens, dextra ἀκροστόλιον, ſiue ampluſtre tenens, cum hoc titulo: CN. MAGNVS IMP. ITER PRÆFECTVS CLASSIS ET ORÆ MARITIMÆ EX S. C. Additum prętcrea à populo, vt Pompeius ad piraticum bellum conficiendum XV. ex Senatorio ordine ſibi viros legeret, quibus ſuo arbitrio legatorum nomine vteretur. Tum primùm ſub vnius viri imperio Romana claſſis in diuerſas claſſes diuiſa eſt. Naues Tiberio Neroni, naues Manlio Torquato diſtributæ, quibus Iberiæ littus tuerentur. M. Pompeio, Gallici maris & Liguſtici tutela mandata eſt. Lybici, Sardoi, & Corſici Lentulo Marcellino & P. Attilio. Italiæ ora L. Gellio, & Cn. Lentulo: Siculum

lum & Ionium pelagus, Plotio & Terentio Varroni, Imperator Pompeius conceſſit. Peloponneſi, Atticæ, Eubœæ, Theſſaliæ, & Macedoniæ pelago ab eodem prępoſitus eſt L.Cinna: Ægæo & Helleſponto, L.Cullius. Bithyniæ, Thraciæ, & Propontidis ſecuritati. P.Piſo. Lyciæ denique, Pamphyliæ, Cypro, Phœniciæque datus eſt, Metellus Nepos: vnicuique certo nauium numero attributo, & omnibus Imperatoris vnius Imperio pàrere iuſſis. Immenſa illa & formidabilis Reip.poteſtas fuit, cuius exemplo ceteri Imperatores, non iam ex authoritate Senatus & populi, ſed ex arbitrio ſuo vſi ſunt. Sic Iulius Cæſar, inconſulto Senatu, D.Brutum, contra Venetos, Gallos in Oceani littore, claſſi pręfecit, ſic eundem contra Maſſilienſes. Sic L. Naſidium legimus Pompeij nauibus, ſine authoritate Senatus, vel populi Romani præpoſitum. Iuſſi quoque à Cæſare, Dolabella & C.Antonius occupare fauces maris Adriatici, contra eos Octauius & Libo legari à Pompeio miſſi ſunt, qui D C. nauium claſſe conflatâ, Aſiaticis nauibus D. Lælium pręfecerat, C.Triarium Syriacis, C.Caſſium Rhodiis, C.Marcellum, & Cn.Pompeium Liburnicis, Tribonium & Octauium Libonem Achaicis. Cæſarianæ claſſi in duas partes diuiſæ, P. Sulpitius & M. Pomponius imperabant. Additi & alij vtrinque legati variis claſſibus, bello ciuili cuncta tum permittente. Poſt hos Caſſius Cæſaris interfector, L.Statium Murcum, & Domitium Ænobarbum, ſuæ claſſi prępoſuit. Sextus verò Pompeius à Senatu claſſi & oræ maritimæ, adminiſtrandæque rei naualis pręfectus eſt: qui honos antea M.Antonio, Triumuiri patre, ann.Vrbis DCXXCV. attributus fuerat, ſub alio nomine, námque Curator oræ maritimæ, non Præfectus claſſis & oræ maritimæ appellatus eſt. Auguſto pręfecti claſſis tunc erant Q.Saluidienus, Q.Caluiſius, & Domitius Caluinius: Auguſtus verò Imp.nominatus, M. Agrippam Præfectum oræ maritimæ & claſſis dixit. Pompeianis nauibus imperabat Menodorus, poſt Menodorum, qui ad Auguſtum confugerat, Menecrates, cum Demochare, deinde & Apollophanes: omnes huius, aut illius legati ab Imperatoribus ſoli nominati & facti. Similiter Canidium, & L.Naſidium M.Antonius Triumuir imperium in naues ſuas habere iuſſerat. Cùm verò victor Auguſtus Romani Imperij fræna regenda ſolus ſuſcepiſſet, ciuilibus tumultibus conſumptis, etiam S. P. Q. R. authoritatem in ſe tranſtulit, vnus, Imperator & Reſpublica. Libertinum militem ad tutelam Illyrici maritimi, & Rheni fluminis commiſit. Curatores aluei Tyberis fecit, Oſtium Euphratis, Africæ, Arabiæque littora, Ægypti, Hiſpaniæque maritima præſidiis firmauit. Thraciam Rhæmetalces, ripam Danubij legiones duæ in Pannoniâ, duæ aliæ in Mœſiâ defendere iuſſæ ſunt. Miſſæ & in Dalmatiam duæ,

Suet.in Aug. c.25. & 37. Goltz. in eodem. Veget.rei militar.l.4.c.31.

quæ ſitu regionis, illis à tergo erant: ſi quod repentinum auxilium Italia poſceret, præſens omninò & ſalutaris defenſio, aduerſus hoſtes. Idem fecit in Sauo contra Dacos, collocata altera claſſe ad Segeſtam, altera in agro Sirmienſi. Italiam ipſam duabus claſſibus muniuit: quarum altera in Supero, ſiue Hadriatico mari, Rauennæ: ad Epiri, Macedoniæ, Achaiæ, Propontidis, Ponti, Orientis, Cretæ, & Cypri cuſtodiam: altera in Thuſco, ſiue Infero mari, Miſenis: Galliarum, Hiſpaniarum, Mauritaniæ, Africæ, Ægypti, Sardiniæ, atque Siciliæ tutelæ vigilabat. Vtraque Pretoriana appellata quòd ſicuti Prætoriani milites pro ſalute Principis excubabant, ita & Claſſes illæ pro totius Imperij tutelà. Vel quòd primæ, ſiue precipuæ eſſent in mari, ſicut Pretoriæ ceteræ ad cuſtodiam Principis. In ſingulis Claſſibus cohortes decem erant, ſingulis Tribunus imperabat. Cohors autem mille militum erat. Ceterum, cùm Legionarius omnis miles ciuis Romanus eſſet, in claſſibus extraneus fuit. Reſcriptum in marmore etiam hodie Venetiis extat, Adriani Imp. quo militibus Claſſis Miſenatis Pretorianæ, ſtipendia xx. meritis, ius ciuium Romanorum, iis, poſteríſque eorum & vacationem concedit. Non ſic Rauennatibus, quorum vrbs vetus municipium Romanæ Vrbis fuit, quæ eodem cum Romanis iure vtebatur, & ad ſuffragia vocabatur, quoties ambitus extra Romam ſuffragatores quęrebat. Heberi tempore, qui ſextus à Noëmo fuit creditur ędificata, hinc Vmbris habitata, mox Senones Galli, qui terras ab Vſento ad Atheſim tenebant, incoluerunt: eámq; Italiæ hodiernæ partem, Ciſpadanam Galliam vocauerunt. Subactâ à Romanis Ciſalpinâ Galliâ, & Prouincia P. Romani factâ, in eâ Rauenna fuit, ann. V.C. DXXI. cæſo Virdumarum Inſubrium Gallorum. Cùm ſitus loci ad claſſem oportunum iudicatum eſſet, ibi Municipium collocatum, cuius ciues ſuffragiis, muneribus, & honoribus iiſdem, quibus reliqui ciues Romani fungebantur, cum immunitate tributorum: quibus maritimæ etiam vrbes plerunque exemptæ, quòd ſumptus in claſſem ſociósque nauales, & milites ſuis impenſis, cùm res exigebat, Reip. darent. Quod Rauenna Municipium Rom. eſſet, teſtatur infra ſcriptum monumentum Mutinæ extans.

Strabo lib. 7.

Vegetius lib. 5 de re militari.

Lipſius de magnit. Imp. Rom. l. 1. c. 4.

Hieronym. Rubeus in hiſt. Rauennat.

P. VETTIO
P. FIL. CAM. SABINO EQ. P. III. VIR
ÆD. POT.
ET MAG. MVNIC. RAVEN. CORNELIA MAXIMINA
MARITO INCOMPARABILI ET SIBI VIVAT POSVIT.

Hanc vrbem cauato iam portu, Auguſtus ad ſecuritatem Græciæ Aſiæque, claſſe muniuit, erat autem portus CCL. nauium capax,

capax, nunc recedente mari, & accreſcente terrâ, arenis obſitus. Hunc, mœniáque vrbis & portas dirutas reſtaurauit Claudius Imp. Ann. v. DCCXCV. ſed & an tempore Auguſti Claſſis, & Cæſarea, eiuſdem Vrbis ſuburbia eſſent, nihil comperti habeo. Extitiſſe tamen vtraque ab eo tempore, facillimè inducor. Quòd in primo ſuburbio claſſiarij permanerent, in ſecundo milites claſſici, à nomine Auguſti, Cæſarei appellati, vnde nomen primo ſuburbio Claſſis, alter Cæſaris. In tanta autem portus celebritate, primum ſuburbium facta eſt vrbs, quæ muris cincta, à militibus claſſis, & mercatoribus, nomen Claſſis retinuit, ante Imperium Didij Iuliani, vt eſt apud Spartianum. Ceterum, cùm Sinus Adriatici, Ioniíque maris, oportunior, & celebrior vrbium Rauenna eſſet, tutelarem Deum habuit Neptunum, templúmque nobiliſſimum ei dicatum, extructúmque à L. Publicio Italico, XXVIII. Decuriæ Rauennatis Decurione, in quo Neptunalia auguſtiſſimis ludis peracta, eo loci, quo nunc D. Franciſci ædes conſtituta eſt. Sub cuius porticu, hæc inſcriptio legitur.

FLAVIÆ. Q. F. SALVTARI. CONIVGI. RARISSIMÆ. L.
PVBLICIVS. ITALICVS. DECVR. ORN. ET. SIBI. V. P. HIC
COLL. FABR. M̄. R̄. HS. X̄X̄X̄. N̄. VIVVS. DEDIT. EX
QVOR. REDITV. QVOD. ANNIS. DECVRIONIB. COLL. FABROR.
M̄. R̄. IN ÆDE NEPTV. QVAM IPSE EXTRVXIT. DIE
NEPTVNALIORVM. PRÆSENTIBVS. SPORT. *. BINI. DIVIDE-
RENTVR. ET DEC. XXVIII. SVÆ. *. CENTENI. QVINQVA-
GENI. QVOD. ANNIS. DARENTVR. VT. EX. EA. SVMMA. SICVT
SOLITI. SVNT. ARCAM. PVBLICIORVM. FLAVIANI. ET. ITALICI.
FILIORVM. ET. ARCAM. IN. QVA. POSITA. EST. FLAVIA
SALVTARIS. VXOR. EIVS. ROSIS. EXORNENT. DE. X. XXV.
SACRIFICEN. QVE. EX. X. XIIS. ET. DE RELIQ. IBI
EPVLENTVR. OB. QVAM. LIBERALITATEM
COLL. FABR. M̄. R̄. INTER. BENEMERITOS. QVOD
ANNIS. ROSAS. PVBLICIIS. SVPRA. S. ET FLAVIÆ. SALVTARI.
VXORI. EIVS. MITTENDAS. EX. X. XXV. SACRIFICIVMQVE
FACIVNDVM. DE X. XIIS. PER. MAGISTROS. DECREVIT.

Hoc eſt, Collegio Fabrorum militiæ Rauennatis ſeſtertium triginta.

Quoniam vero Claſſis & militia Rauennas, omnium, quas habebat Imp. Rom. florentiſſima erat, præter Collegium Fabrum, inſtructiſſimo nauali, & armamentario decorabatur: cuius cuſtos olim fuit Iulius Germanus. Quod probat monumentum ſequens, ad ſacrarium D. Apollinaris in Claſſe.

C. IVL. PRISCI
VIX. ANN. V. M. X. D. VIII.
IVLIVS. GERMANVS
ARMORVM. CVSTOS
ET VALERIA. MARTIANA
PARENTES.

Ibi etiam Prætoris, ſiue Præfecti Claſſis ſedes, Trierarchorum, Nauarchorum, Militum, Sociorum Naualium, Fabrorum, & Remigum. De Sub-Præfecto Claſſis, quem nos Vice-Amiralium dicimus, nullus omnino hiſtoricus ſcripſit. Vetus lapis Firmi, in Piceno:

In inſcript. antiquis Lipſij, fol. 85.

T. APPÆO. T. F. VEL
ALFINIO. SECVNDO
PROC. AVGVST. XX. HERED.
PROC. ALP. ATRECTIANAR.
PRÆF. VEHICVL. SVB PRÆF.
CLASSIS. PRÆT. RAVENN. PR.
ALÆ. I. AVG. THRAC. TRIB. COH.
I. ÆLIÆ. BRITTON. PRÆF.
COH. IIII. GALLOR. PATRON
COLON. FLAMINI. DIVOR
OMNIVM. AVGVRI
II. VIR. QVINQ. BIS
OB. MERITA. EIVS.

Vbi præter nomen Sub-Præfecti claſſis Rauennatis, quod alibi non legitur, eandem claſſem Prætoriam vocat, duæ enim tantum Prætoriæ claſſes Romanis fuerunt, iſta, & Miſenenſis. De Miſenenſi, in tabula ænea, quæ Venetiis proſtat: IIS QVI MILITAVERVNT IN CLASSE PRÆTORIA MISENENSI QVÆ EST SVB IVLIO FRONTINO, *&c.* Et Neapoli in ædibus quondam Pontani:

Apud eundem Lipſium. fol 93. & ante fol. 90.

L. SEMPRONIVS. PROCVLVS
VETERANVS. EX. CLASSE. MISE
NESE. PRÆTORIA. MILITAVIT
ANN. XXVI. SIBI. ET. CONIVGI
SVÆ. ET. LIBERTIS. LIBERTA
BVSQVE. POSTERISQ. EORVM

Idem lib. 1. de magnitud. Imperij Rom. cap. 4.

Dictæ Prætoriæ, quòd ſicuti Prætoriani milites, pro ſalute Principis excubabant, ita & claſſes illæ, pro totius Imperij ſalute. Vel quod primæ, ſiue præcipuæ eſſent in mari, ſicut Prætoriæ Legiones ad Imperatorum cuſtodiam. In ſingulis claſſibus cohortes decem, ſingulis cohortibus Tribunus imperabat. Cohors autem mille militum erat. Militem Legionarium, hoc eſt, ciuem Romanum, niſi ex neceſſitate, claſſi addictum, non reperio. Quamuis & ſingulæ claſſi vnam Legionem aſſignatam legerim, quæ ob id, Claſſica dicebatur. Erant enim claſſicæ Legiones ordinariæ, milite extraneo collectæ, cui poſt XXVI. ſtipendium in claſſe, ius ciuitatis, connubiúmque in ciuitate dabatur. Vt ſuo tempore

tempore oſtendam, ex Edictis Veſpaſiani, & Traiani Impp. Vbi & de aliispriuilegiis eorum, qui in Prętoriis claſſibus, Miſenenſi, & Rauennati militauerant, mentionem facio. Vtriuſque authorem Auguſtum dixi, pace orbi terrarum partâ. Addidit & alias. In oppido Foroiulienſi claſſem vnam, è roſtratis, quas M. Antonio apud Actium victo, integras eripuerat. Fractas enim, aut laceras combuſſerat in proximo monte, aut triumpho reſeruauerat, inter pompam tranſportandas, aut roſtris nouis affixerat. Alteram etiam claſſem in Sinu Arabico conſtituit, CXXX. præfecitque ei Ælium Gallum, qua Æthiopicum, Indicúmque mare, Nabatæorúmque Regna luſtraret, cum cognouiſſet libertum quendam, dum Arabici maris portus inuiſeret, ventis abreptum, in Taprobanem inſulam appuliſſe. Eiuſdem Auguſti tempore claſſis Comenſis initium habuit, alteráque Germanica dicta, quod in oris Belgij, Friſiorúmque aduerſus Germanos collocata eſſet. Alias maritimas regiones ſociæ triremes, alæque Equitum VI. cohortéſque ex auxiliaribus protegebant. Inſtituerat & Alexandrinam claſſem Auguſtus, non ad bellum, ſed ad annonam Romam deuehendam: cui ob id conceſſum peculiari priuilegio, ne cùm litora Italiæ raderet, vela, quod aliæ claſſes faciebant, inter prętereundum deduceret. Sed quia claſſis illa frumentum in Vrbem tranſportare per hiemem non poſſet, cùm ſine portu vrbs eſſet, Oſtiæ portum, Claudius fecit, cum pharo, ad ſimilitudinem portus & phari Alexandrini. Et, vt omni tempore Romam mercatores nauigarent, idem Princeps, naufragia in ſe ſuſcepit, factáque, cum fide perſoluit. Sed & Africanam claſſem induxit Commodus, vt eſt apud Lampridium, quæ ſubſidio eſſet, ſi fortè Alexandrina frumenta ceſſarent. Prętorianarum claſsium, ſignorúmque Legionum, quæ in claſſibus erant, indicationes in denariis antiquis, hinc Prætoria triremis, vexillo puppi affixo, illinc legionis cuiuſque ſigna, eadem ferè, quæ in terreſtribus Legionibus, niſi quod aliquando præcipuum belli ſignum, Romana Aquila, roſtro nauis infixa fuit, vt in aureis argenteíſque numis M. Antonij videtur, duabus dextris inter ſe iunctis ſignum militare ſuſtinentibus, cum hoc titulo: CONCORDIA EXERCITVVM. In quibus omnibus numis ab anticâ parte Prætoria nauis, ab auerſâ, Legionum claſſicarum ſigna, cum ſignis chortium Prætorianarum claſſicarum, & reliquarum, quæ in claſſibus erant, chortis maximè Speculatorum, quæ claſſem anteibat, hoſtis, aut maris cognoſcendi gratia: cuius ſignum fuit, haſtæ tres hamatæ, per medias proras actæ, ſingulæ duabus coronis laureis ornatæ: circa in numis legitur, CHORTIS SPECVLATORVM. Fuerunt autem Legiones claſſicæ XXX. Inter quas, Prima & duodecima antiquæ dicuntur, quòd

Cap. 27. huius Lib.

Senec in Epiſt. ad Lucilium.

Vrſinus in familia Antonia. Golzius in M. Antonio.

T ante

Meminit Legionis xiij. Claſsiaria Volfgang. Lazius Commentariorum Reip. Rom lib 5. cap 20.

ante ceteras Legiones claſſi addictæ ſint. Decimaſeptima, Claſſica dicta, ob benè nauatam in mari operam, ſpeciali appellatione decorata. Legio XVIII. Lybica, XX. Hiſpanica, vocatæ: quoniam, qui in illâ militabant, è Lybia collecti; qui in iſtâ, ex Hiſpania adducti. Sextam omiſſam, vel ad terreſtrem militiam tranſlatam, Antoninus & Verus Impp. reſtituerunt. Non auſim tamen affirmare Legiones illas omnes XXX. Claſſicas fuiſſe, quamvis in Notitia vtriuſque Imperij plures inueniam, poſt Conſtantini Magni mortem, ſicut & plures quàm triginta claſſes, vt ſuo loco oſtendam: Scio enim ſingulis claſſibus ſingulas Legiones aſſignatas, atque eas ſocio milite impletas, ad tuenda littora, & ſi quando neceſſitas poſceret, accurrendùm, quò vocaret. Ceterum cùm bellum erat, non vna tantum in vnaquaque claſſe Legio fuit, neque ex maritimis ordinariis, quæ ſocio milite conſtabant, ſed tum ex iſtis, tum è terreſtribus Legionibus Romano ciue compactis. Legimus enim P. Licinio Varo Prætori Vrbis, negocium datum, vt claſſem pararet, quæ oram maris vicinam Romæ tueretur, & tum XX. Legionibus hoc anno defenſum Romanum Imperium, C. nauibus armatis. Curio à Iulio Cæſare claſſem habuit, in qua Legiones duæ. In claſſe Auguſti contra Antonium Legiones octo, quinque cohortes fuêre. Sexti Pompeij Legatus Papias, quatuor Legiones in ſupplementum claſſis ex Africa Lepido miſſas intercepit. Innumera deniq; ſunt exempla, quibus ſingulas claſſes, ſingulis Legionibus contentas non fuiſſe probari poteſt, ſed præcipuum, quòd Lepidi claſſis, quæ Auguſto ſuppetias iuit aduerſus Sext. Pompeium, duodecim Legionibus integris impleta ſit, neque enim vna Legio ſuffeciſſet, tam immenſæ claſſi, quæ onerarias M. longas naues LXXX. habebat. Mille alia cognoſces, ſi ſuperiora capita huiuſce libri legeris, vbi maritima prælia deſcribuntur, è quibus ne veterani quidem, & quocunque alio modò priuilegiati, exempti erant: qui omnes imponebantur claſſi, vel reluctantes, vt eſt apud Hircium de bello Alexandrino. Tantò maioris momenti putabatur, mari quàm terrâ pugnare. Sed & claſſicas Legiones terreſtribus bellis, claſſiarióſque & nauales ſocios expugnationibus vrbium mediterranearum pro neceſsitate occupatos inuenio. Sic bello ciuili contra Pompeium in Pharſalia, Iulius Cæſar XIII. Legione claſſica vſus eſt. Et Scipio expugnata Carthagine in Hiſpaniâ, Sext. Digitium ſocium naualem, quòd primus vrbem intraſſet, coronâ murali inſigniuit. Sed ante omnes C. Lælium Præfectum claſſis, omni genere laudis ſibi æquauit, ac XXX. bobus, & coronâ aureâ donauit, & eâ purâ, nondum enim roſtratarum vſus erat. Quod autem diximus chortem, ſiue cohortem Speculatorum in ſingulis claſsibus fuiſſe, detegendo mari, hanc inſtitutionem à Iulio Cæſare

Apud Liuium lib. 7. Decad. 10.

Appian. lib. 2. belli Ciuilis.
Velleius lib. 2.

Liuius Decad. 3. lib. 2.

Cæſare venire manifeſtum eſt, qui C. Voluſenum in Britanniam cùm aliquot militibus explorandum præmiſerat, vt ille de Inſulæ ſtatu cognoſceret, antequàm bello laceſſeretur. De cohorte Prima & Secunda maritima, marmor meminit apud Onuphrium, in hæc verba: *Caſ. bell. Gall. l. 3.*

L. CORNELIO. C. F.
GAL. CELSO
ĪI. VIRO. PRÆF. ORÆ
MARITIMÆ
COHORT. Ī. ET. ĪI.
COS.
Q. LICINIVS. SILVANVS
GRANIANVS

Cohortis vero x. cippus in villa Iulia extra portam Flumentalem: *Lipſius inſcript. antiq. fol. 42.*

T. ACILIVS. T. F
CAPITO. GALE
RIA. BIRBILI
MIL. CHOR. X. PR.
7. MARI.
VIX. ANN. XXV. MIL
ANN. ĪIII. T. P. I.

Ante Auguſtum, nauale Romanorum, Brunduſium erat, ad Orientis populos, totámque Græciam ſub iugo claſsis Statariæ timore tenendam. Sub Auguſto vnicuique claſsi x. aliquando & xx. Tribuni ſub vno Duumviro nauali imperabant. Vnicuique autem naui Nauarchus, qui ſub Duumviro, Conſule, vel altero claſsis Præfecto imperium in milites vnius nauis exercebat. Alteram demum claſſem idem Imperator ad oſtium Rheni excubare iuſsit, ſi quid Britanni, Galliq́ue, & Germani molirentur, præſidio. Sic iam indè ab illis temporibus, etiam Iano clauſo, populus Rom. præparatas habebat claſſes, quibus magnitudinem ſuam ſuſtineret, ingens Regni arcanum, quo, & maritimum, & terrêſtre ſimul Imperium tandiu retinuit, donec diſcordiis diuideretur. Nam in mediterraneis regionibus terreſtres Legiones excubabant, in maritimis verò Legiones claſſicæ, ſi quà bellum oriretur, ad certamen paratæ. Fuit, vt iam diximus, ſub Auguſto claſsis Alexandrina, quæ & Frumentaria vocata. Frumentaria generali nomine, Alexandrina particulari. Quippe quòd claſsis Alexandrina, frumentaria ſemper fuit, non autem omnis frumentaria, Alexandrina. Romani alueos à ſingulis regionibus Ægypti ære publico in Nilum fluuium ducendos curarunt, quibus triticum Alexandriam deueheretur, & claſſe ob id præparatâ, inde in Italiam tranſportaretur. Et hæc claſſis, quia in littore Ale-

C. de nauiculariis. De claſsicis. De littorum cuſtodiâ. Blondus lib. 7. Roma triumphant.

Popelinier. in Admiral. Galliar. c. 5.

xandrino ſtabat, frumentúmque Ægypti, eâ in vrbe acceptum, Romam deuehebat, Alexandrina nuncupata eſt. Et quia eadem claſſis plerumque, è Siciliâ, Sardiniâ, Africâ & Galliâ frumentum Romam deferebat, tum non Alexandrina, ſed Frumentaria dicta eſt. Cùm iſtæ puppes Annonariæ Puteolanum Sinum, vel Tybridis alueum ingrediebantur, Nautæ candidati, coronatíque & thura libantes de nauibus fauſta omina, & eximias laudes in Imperatorem congerebant, Romanæque Reip. bona omnia & æternitatem precabantur. In Tyberinis verò oſtiis, Senatores occurrebant, magnâ veneratione excipientes Frumentariam claſſem. Hanc Prouinciales iudices in Italiam celeriter transfretare curabant, in eóſq; ſeuerè animaduertebant, quorum incuriâ inuectio illa alimentaria in portubus morata eſſet. Vbi verò Romanum portum claſſis tetigerat, Nautici apud Præſidum, aut Magiſtruum acta profitebantur, incorruptas ſpecies eſſe, ipſique magiſtratus, apud quos ea teſtatio deponebatur, aſpectu, præſentes, probabant, nihil in iis eſſe vitij. De ea claſſe Seneca: *Subitò nobis hodie Alexandrinæ naues apparuerunt, quæ præmitti ſolent, & nunciare ſequuturæ claſſis aduentum: tabellarias vocant. Gratus illarum Campaniæ aſpectus eſt. Omnis in pilis Puteolorum turba conſiſtit, & ex ipſo genere velorum, Alexandrinas, quamuis in magna turba nauium, intelligit: ſolis enim licet ſupparum intendere, quod in alto omnes habent naues, cùm intrauêre Capreas, & Promontorium, ex quo*

Alta procelloſo ſpectatur vertice Pallas.

Ceteræ velo iubentur eſſe contentæ, ſupparum Alexandrinarum inſigne eſt. Poſt Auguſtum præter Alexandrinam, alteram Annonariam, ſiue Frumentariam Claſſem Commodus inſtituit, nominauítque Africanam, quæ ſubſidio foret, ſi Alexandrina frumenta ceſſaſſent, Præfectúmque annonæ Africæ inſtituit. Præmittebantur naues, quæ Frumentariam claſſem ſequi nunciarent, hæ Præcurſoriæ vocabantur, & tabellariæ, quaſi tabulariæ. Primò Ædilium munus fuit frumenti & decimarum ex agris vectigalibus aduectio, poſtea ipſi Imperatores per ſe annonam curauerunt, Præfectóſque, ſeu Curatores annonæ inſtituerunt, qui Nonis cuiuſque menſis frumentum per teſſeras diuiderent, vndè à Nonis, annonam dictam Suidas putat. Iam ab Annonariis claſſibus, de quibus Libro 2. Cap. 4. fuſius dicemus, ad militares redeamus. Auguſtus, militibus in finibus Rom. Imperij collocatis, nouem limites à Legionibus defendendos conſtituit. Vnum, in Hiſpaniâ cum tribus Legionibus: ſecundum, in Germaniâ Inferiore ſuper Rhenum, cum Legionibus quatuor: tertium, in Superiore ſuper Danubium, cum aliis quatuor: quartum, in Dalmatiâ, cum duabus: quintum, in Pannoniâ, cum tribus: ſextum, in Syriâ, cum quatuor: ſeptimum, in Ægypto cum duabus: octauum, in Africâ

Sueton. in Auguſt. cap. 88.

C. de Canone frumentar.

Epiſt. 78.

Lampridius.

Senec. epiſt. 78.

Dio lib. 55. Panciroll. ad Notit. Orient. c. 139.

câ cum vnâ: nonum, in Mœſiâ ſuper Danubium, cum duabus: quæ omnes erant Legiones x x v. Decimum limitem Claudius in Britanniâ cum Legionibus tribus addidit: Vndecimum, Veſpaſianus in Cappadociâ, cum Legionibus duabus. Duodecimum Trajanus in Daciâ, cum duabus: decimum tertium in Armeniâ & Meſopotamiâ ſuper Tygrim, item cum Legionibus duabus. Decimum quartum in Arabiâ, cum Legione vnâ. Quæ omnes fuêre Legiones x x x v. Ceterum nouis hoſtibus quotidie in Orbem Romanum ingruentibus, antiquis limitibus, alij quandoque additi, quandoque veteres minuti fuerunt. Tredecim limites Alexandro imperante nominat Notitia, in ſolo oriente, cum claſſibus fluuialibus v i. & vnam maritimam in Ponto Euxino: prçter alias quatuor maritimas claſſes, quæ ſpecies & annonas tranſuehebant. Vlpius Trajanus in mari Rubro claſſem inſtituit, vt per eam Indiæ orientalis fines vaſtaret. Pertinax, ſub Aurelio, Legioni claſſicæ, quæ in Germanicâ claſſe erat, imperauit. Regnante Valentiano ſub Seuero magiſtro militum, Comites & Duces erant, qui limites Prouinciarum tuebantur, à Nerone primùm inſtituti. Sub Galbâ, Valentianus Belgicæ ſecundæ dux fuit, qui imperabat equitibus Dalmatis Marcis in littore Saxonico: Præfecto etiam claſſis Sambricæ in loco Quartenſi, ſiue Hornenſi. Fuerunt & alij Duces, & Præfecti aliarum claſsium aliorúmque limitum à primis Imperatoribus inſtituti. Præfectus claſſis in flumine Rhodano, Viennæ, vel Arelate morabatur. A ripis fluminum vbi claſſes ſtabant, Gallia Riparienſis dicta, milites, Riparienſes & Ripenſes. Prçfectus claſsis Barcariorum Ebreduni in Sabaudiâ. Præfectus claſſis à Diocletiano inſtitutæ apud Boloniam Gallicam vrbem, cui Carauſius, poſt Allectus imperauerunt. In Prouinciâ Lugdunenſi Primâ, prçfectus claſſis Araricæ, quæ Caballoduni ſtationem habebat. In prouinciâ Lugdunenſi Senonicâ, Præfectus claſſis Andretianorum, quæ Pariſiis degebat. Ante Conſtantinum maritimæ claſſes plurimæ fuerunt, totidémque Prçfecti. Præfectus claſsis Venetum, Aquileiæ ſtationem habebat, cùm ſub Auguſto in oppido Foroiulienſe eſſet. Claſſis Præfectus in Danubio, ſeu limite Myſiaco & Scythico. Præfectus claſsis Rauennatum. Præfectus claſsis Miſenatium. Præfectus claſsis Britannicæ, in quâ cohors prima Ælia Claſsica fuit, ab Ælio Trajano inſtituta. Præfectus claſsis Comenſis. Prçfectus claſsis Hiſtricæ, qui Carnunto morabatur, ante Diocletianum inſtitutus. Prçfectus claſsis Artapenſis & Maginenſis. Præfectus claſsis Lauriapenſis. Prçfectus claſsis Hiſtricæ Florentiæ degebat. Prçfectus claſsis primæ Flauiæ Auguſtæ ab Auguſto ſtabilitæ, bello contra Dacos, Sirmij, vel potius à Flauio Conſtantino ſic nominatæ. Prçfectus claſsis Secundæ Flauiæ, ad

Eutrop lib 8.
Iornand lib. de regnor. ſucceſſ.

Notitia vtriuſque Imperij.

Craium, Pręfectus claſsis Iſtricæ, Murſæ. Præfectus claſsis Primæ Pannoniæ ſeruitij claſſis Ægetenſium. Sub Duce Pannoniæ Primæ, tres claſſes fuerunt: ſub Duce Pannoniæ Secundæ quatuor. Vna ſub Duce Valeriæ Ripenſis. Præfectus item claſſis Hiſtricæ Agetæ manebat. Præfectus claſſis Ratiarienſis. Præfecti claſſis Hiſtriæ, Viminacio: claſſis Stradenſis, Margo. In Mœſiâ Primâ, duæ claſſes fuerunt, vna in Mœſiâ Secunda. Altera in mari Carpatio. Altera quoque, & in Seleuciâ, ad oſtium Orontis fluminis. Vniuerſæ claſſes imperij Romani cenſentur ſub Conſtantino xxx. Iam verò quæ claſſes, quæ munimenta portuum, quæ naualia, qui maritimi magiſtratus, quæ denique in nauibus & claſſibus officia apud Græcos fuerint, antequam Græcia à Romanis ſubacta eſſet, accipite: ne ordinem ſcriptionis interturbarem, poſt Romanam hiſtoriam remiſsâ narratione, quæ ſupputatione præcedere debuiſſet, ſi poſt Græcorum geſta, œconomiam eorum naualem deſcripſiſſem, quod propoſitio tunc operis, & hiſtoriæ ſeries non permittebat, interrumpi vt difficilis, ſic & tædioſa. Igitur ſubſultìm ad Græcos redeo, à quibus cum non leges modò, ſed & ordinationes, vocabuláque & officia, maximè ad Nauticam pertinentia Romani deſumpſerint, quod ſequitur caput, pars ſuperioris, & veluti quoddam additamentū videbitur, lucem illi deferens, vt vtroque ſimul collato, vtrorumq; populorū magiſtratus & officia claſſica innoteſcant. Vbi addidero, apud Romanos remiges voluntarios fuiſſe, vel è Coloniis maritimis, voluntarios, in ſtipendium diei, denarium accepiſſe. Qui verò è Coloniis maritimis erant, ſiue remiges, ſiue ſociis nauales eſſent, ob id, quòd ceteris tributis immunes forent, gratis operā in claſſibus nauaſſe. Primus Scipio Carthagine Hiſpanicâ expugnatâ, multitudinem incolarum iuuenum, & validorum ſeruorum in claſſem ad ſupplementū remigum dedit, cuius exemplum alij ſequuti etiam, in ipsâ Româ, ergaſtula tota ad remigium ſoluerunt. Socios verò Nauales interpretatur Turnebus, eos, qui propter cenſus exiguitatem non ad bella terreſtria & Legiones Centuriabantur, ſed in claſſe bellóque nauali militabant. Factum autem eſt Q. Fabio Maximo īv. M. Claudio Marcello īii. Coſſ. vt qui ſupra millia æris quinquaginta vſque ad C. M. haberent in cenſu nautam vnum cum ſex menſium ſtipendio priuatis impenſis in claſſem darent. Qui ſupra centum M. vſque ad C C C. M. tres nautas cum ſtipendio annuo. Qui ſupra C C C. M. vſque ad decies æris, quinque nautas: qui ſupra decies, ſeptem. Senatores ſinguli octo nautas, cum annuo ſtipendio. Ex hoc edicto dati nautæ armati inſtructíque ab dominis cum triginta dierum coctis cibariis.

Liu l 6. Decad. 3.

Aduerſar. lib 11. cap. 18. ex Polyb.

CAPVT

CAPVT VIGESIMVMQVARTVM.

Magiſtratus & officia claſsica apud Græcos, eorundem claſſes, portus, & naualia.

QVo tempore Darius in Græciam eruptionem fecit, quinquaginta omninò triremes Athenienſibus in portu erant. Themiſtocles ciuibus perſuaſit, vt ex vectigalibus, quæ ex metallorum Lauriorum fructu redibant, de quibus plebi diuidendis, tum in populo agebatur, claſſis c. nauium in bellum Perſicum pararetur, populúſque ad rei maritimæ ſtudium, quæ ſola vrbi ſalutem afferre & gloriam poſſet, traduceretur. Itaque, cùm ipſe eâ claſſe, haud ita multò poſt, Xerxe Rege potentiſſimo toto mari fuſo atque fugato, opem ſalutémque Reip. Græciǫque vniuerſæ tuliſſet: idem author ciuitati fuit, vt ad pręſentem claſſem xx. quotannis triremes adijcerentur, & triplex Piræei portus, qui ſe Archonte, ante Xerxis aduentum incœptus fuerat, abſolueretur. Æſchines tamen & Andocides in orationibus, quas de falsâ legatione, & de pace inſcripſerunt, affirmant: Primo per Cimonem cum Lacedæmoniis fœdere in quinquennium facto, ciuitatem c. triremes in earum locum, quibus Græciam bello Perſico liberauerat, quippe rudium admodum & iam vetuſtate quaſſatarum, ædificaſſe: Secundo autem fœdere per Andociden in triginta annos percuſſo, alteras centum: Tertio deinde per Niciam fœdere icto, in L. annos, Piræeum Athenienſium nauale ccc. triremibus munitum fuiſſe. Nam Lycurgum Lycophronis filium, Demoſthenis oratoris æqualem, cùm rei militaris pręfectus eſſet, cccc. nauium numerum compleuiſſe notant Strabo & Plutarchus. Cùm autem claſſem ædificaſſent, loca plurima ad claſſis vſum aptanda, & munienda Athenienſes cenſuerunt, & quidem omnia in Piræo ἐπίνειον, ſiue ναύσταθμον, νεώρια, νεωσοίκους, ὁπλοθήκην, hoc eſt, nauium ſtationem, naualia, armamentarium. Quæ omnia partim Themiſtoclis, partim Periclis, partim Lycurgi opera & monumenta fuerunt. Prodit idem Strabo, Munichiam ambitu ſuo quondam complexam fuiſſe Piræeum, & portus plenos νεωρίων, in quibus & ὁπλοθήκη fuerit, Philonis opus, & memorabilis ναύσταθμος quadringentis nauibus aptus, quibus haud pauciores Athenienſes emiſerint. Quocirca magiſtratus item, vt video, duos inſtituerunt, vnum, qui claſſis emittendæ, alterum, qui ſubducendæ curam haberet: quos illi ἀποστολέας καὶ ἐπιμελητὰς

τ

Sigonius de Rep. Athenienſ.c.5.

Strabo lib.9.

τ̃ ναυρίων appellarunt. Quoniam autem ad naues primùm fabricandas, deinde ad vſum militarem cōplendas, infinita propè hominum multirudo deſiderabatur, propterea Themiſtocles nauticā rurbam immunitate donauit. Adiecit Pericles, vt qui naues conſcendiſſent, per octo menſium ſpatium ſtipendium ferrent, ternorum in ſingulos dies obolorum. Hi nautæ è plebe per Demarchos conſcribebantur. Apud Athenienſes quotannis decem Prętores creabantur στρατηγοὶ, qui vniuerſo exercitui, aut claſſi imperarenr, belláque ſuo ductu adminiſtrarent: ita tamen, vt rerum geſtarum rationem redderent, niſi ſi, αὐτοκρατορῶν nomen, decreto Populi eſſent conſequuti, vt Ariſtides ad Platæas, Nicias, Alcibiades, & Lamachus in Siciliâ. Hanc quippe vim, hoc nomen habet, vr qui eo donabatur à populo, à referendis rationibus, & omninò à iudicio repetundarum, liber ac ſolutus eſſet, rémque ſuo arbitrio atque authoritate adminiſtraret. PRÆTORVM autem alij ius in ciuitate dicebant, alij pedeſtribus, equeſtribus alij, maritimis alij copiis imperabant. Qui maritimis, iis omnibus Iura dabant, qui claſſi inſeruiebant, imperabántque TRIERARCHIS, Quorum ſinguli in ſingulas triremes imperium habebant, Latini gubernatorem appellant. Trierarchorum officium erat, vt naues omni genere armamentorum, remigúmque ornatæ atque inſtructæ eſſent. Iis attributi Quæſtores, ſcilicet vt pecuniæ rationes conficerent, quæ in commeatum, ſtipendiúmque militum, & ſociorum naualium impendebatur. Atque hoc cùm in aliis triremibus obſeruatum eſſet, vt ſuos quæque Trierarchos, & Quæſtores haberet, tum maximè in iis, quæ ſacræ dictæ ſunt, quales, Salaminia, Paralus, & Delia. Quarum etiam vſus in bellis fuit. Neque tantùm ſuo milite & ſuís nautis Athenienſes vſi ſunt, ſed & peregrinis copiis, quibus legendis creabantur illi, qui ἐξετασταὶ τῶν ξένων, dicebantur. Prætoribus quoque quorum ſuſpecta fides erat, ad eorum actiones explorandas, dabātur viri fideles, quaſi aſſeſſores & vigiles, quos ἐπισκόπους, vocabant. Officia autem in naui apud Græcos & Romanos, iſta fuerunr. Proreta, Græcis πρωρεὺς, ſedens ventos captabat, & eorum conuerſiones dicebat, in flectendis promontoriis, Gubernatori: breuiáque & ſyrtes inſpiciebat, ne in eas nauis impingeret aur incideret, hoc hodie ille facit qui pixidem nauticam obſeruat. Portiſculus in naue remigibus, vel malleo, vel perticâ modum dabat. Ad magiſtrum nauis, cura conficiendæ & reficiendæ nauis pertinebat, per ſe, vel per exercitorem, cui nauem locat. Inſtitor dicebatur, qui à domino inſtitutus erat, vt merces venderet. Nautæ dicuntur ij omnes, qui in naui officium aliquod exercent. Nauphylaces, qui & viatarij, & dietarij, cibos & potum in naue cuſtodiebant. Lintrarius in cuius cura erat cymba naui alligata.

La Cerda ad iſtud Virgil. Æneid. 5. Intenti expectant ſignum.

L. 1. & 7. D. de exercit. act.

L. 10 D. ad leg. Rhodiam.

L. 1. D. nautæ caup. ſtabul.

alligata. Nauarchus ab vna ciuitare claſſi prępoſitus dicebatur, alio nomine Nauicularius, qui gubernatoribus, remigibus, & militibus exercendis quotidianam curam & iugem exhibebat induſtriam. Archigubernus, Thalaſſiarchus, ſiue Amiralius, claſſi imperabat, pugnámque capeſſere, aut dettactare iubebat. Eundem Archigubernium * Iabolenus vocat. Qui naues teſarciunt & illinunt, ναυπηγοὶ dicebantur. Tubicines claſſicum ſonabant. Propugnatores in aditibus & cataſtromate armati ſtabant. Sentinam alij exhauriebant, alij malum, antennas alij & vela curabant. Remiges ad remos ſedebant, gubernator ad clauum. Sociis naualibus, * κελευστὴς impetabat: lateri, τοίχαρχος foco ἐσχαρεύς, Enartator Ariſtophanis in Ranis, ait, fuiſſe tres otdines remigum: vt qui in inferiore parte nauis eſſent, θαλαμῖται dicerentur: qui in medio, ζυγῖται: qui in ſuperiore, θρανῖται. Vltimi, quoniam remos longiores trahebant, agebántque, grauioréque labore vexabantur, eò à τριηράρχαις prætet ſtipendium publicum, donatiuum etiam accipiebant. Stipendium autem publicum erat drachma in dies ſingulos: quæ æſtimatur quatuor ſolidis noſtris: voluntariis enim remigibus, non ſceleratis, ad id condemnatis, vtebantur. Alij thraniten eum vocant, qui ad puppim remigat, zygiten, qui in mediâ naui, thalamiten, qui ad proram. Excubitor in corbe ſupra malum vigilabat, ad detegenda maria. Erant & quibus anchora, rudentes, antlia, bolis, aliáque eiuſmodi commiſſa erant. Pentecontarchus dicebatur, qui pentecontero. Nauſtologi, & Nauſtodicæ, qui rationibus & iudiciis. Scribæ, quos apoſtoleos Gręci vocant, magiſtratus ſunt rei nauticæ iuriſdictionem habentes, qui Trierarchis iura dabant: vnde & Apoſtoli apud * Demoſthenem videntur claſſium eſſe apparatus, expeditionéſque maritimæ. Inueniuntur, qui in naui Thalaſſometram, hoc eſt, maris menſorem conſtituant. Qui voce & ſibilo remiges hortantur, vt iam dixi, Celeuſtæ, hoc eſt, hortatores vocantur: ſonus verò quẽ remus illiſus aquæ facit, pytilus. Nauicularij, ſiue Nauiculatores, ij dicebantur, qui naues meritorias agebant. Helcyarij erant illi, qui helcyo fune naues trahebant. Epibatæ vocabantur, qui naulo dato in alias terras portabantur. Meſenauta viliſſima quæque in naui curabat. Diætarij, miniſtri ad diæta deſeruientes, Calafatæ nauium artifices. Caulodicæ nauium iudices. τριηραῦλαι, qui in tritemibus tibia canebant: DIETVRCI, cuſtodes nauium cum in ſtationibus erant, Iuriſconſultis, Nauiphylaces. Fuerunt & apud Athenienſes ἐμπορίου ἐπιμεληταί, hoc eſt, Emporij Curatores, quorum cura erat, vt frumenti duæ partes à mercatoribus in vrbem deferrentur, reliquum per villas oppidáque vicina diſtribueretur. Quas autem iſti lites cognouerint, & introduxerint, declarat Demoſthenes in Orat. ad Lacritum, cùm hanc Legem profert:

Cicero in Verrinis. Vegec. rei militar. lib. 4. cap. 32. Bochell. in Bibliotheca Iuris Gallici, in verbo Amiral.
** Super Tit. D. ad S. C. Trebell.*
L. quibuſdam. D. de immunit. L. Munerum. D. de vacat. & excuſat. muner.
Baiſius, de re naualis. Ubi nauis partes deſcribit, quod & facit Roſinus ant. Roman. lib. 10. cap. 20.
** Latini* Portiſculum *vocauêre. Ludouic. Carrion Emendat. l. 1. c. 10.*
Pentecontarchus. Lil. Girald. c. 19. lib de
** Orat. 1 in Philippum.*
Budeus ad lib. 1. D. Nautæ, Caupon. ſtabular.

fert: *Argentum nemini Athenienſium atq; inquilinorum, qui Athenis incolant, in nauim dare liceat, quæ frumentum Athenas allatura non ſit. Si autem dederit, eodem modo φάσις & ἀπογραφὴ argenti ſit apud Curatores, atque de naui & de frumento, neque lis ei ſit, de ipſo argento, quod dederit aliò, quàm Athenas, neque magiſtratus hac de re introducat vllus.* Eſt autem φάσις permutatio Ariſtoteli Meteorotum primo, de Cometarum ratione. Polluci verò, quod hîc, meâ quidem ſententiâ, magis conuenit, delatio eorum, qui in metallicis, aut emporiis aliquid peccauerunt: dicitúrque etiam generaliori appellatione Phaſis, cuiuſlibet occulti criminis apud Magiſtratum indicium. Apographum verò deſcriptum, vel exemplar deſignat.

L. 5. Ut ſunt quidam. D. Nauic. Caup. ſtabular.

Inueniuntur & in vrbe Athenienſi ſorte lecti magiſtratus, qui lites Nauclairorum & mercatorum cognoſcebant, Nautodicæ appellati, de quibus Lyſias in Oratione, de publicis iniuriis. Iis aliquando, aliquando aliis nominibus Romani vſi ſunt, apud quos Nauicularij domini nauium dicuntur, ſunt & Decutiones remigũ, ductores triremium, milites, vectores, vrinatores, qui merces è mari extrahunt: ſcrutatores, qui profunditatem pelagi ſcrutantur. Vtrarij, qui vtribus aquam dulcem deferebant in nauim, aut eam ſeruabant. Reſtiones, pictores, ſtuparum & canabis venditores, Neurgi auium compactores, ſiue nauifici, fabri ferrarij, lignarij, aliúque quocunque modo naui deſeruientes, qui ſub generali nomine ſociorum naualium continentur. Quamuis proprie nauales ſocij Romanis fuerint, * qui naues in armamentis parabant.

*Gallicè Maiſtres d'Ache.

Inter fabros nauales numerabantur illi, qui Græcis, Dendrophori, quòd ligna deportarent: Dolabrarij, qui ea in vſum nauigiorum dedolabant, & perforabant. Centonarij, qui ſtuppa & centonibus rimas iuncturarum opplebant: Scalarij, qui canabeas, aut iunceas ſcalas faciebant, quibus affines fuêre reſtiarij. Et hæc fabrorum ſocietas, non minus quàm Pontificum & Augurum collegij honorem Romæ habuit. Vnde Caius Iuriſconſultus: *Senatuſconſulto confirmata quadam ſunt collegia, veluti Piſtorum, & quorundam aliorum, vt Nauiculariorum.* Et iterum: *Si Collegæ ſacramentales, vel nautæ, vel frumentarij ſunt, quidquid ad negociationem diſponunt ſimul, irritum ne eſto.* De Centonariorum etiam Collegio & Dendrophororum Bergomi mentio fit in veteri marmore, à Volfgango Lazio relato:

Commentar. Reip. Rom lib. 6. c. 6. De Colleg. Centonarior. & Dendrophor. Rauenn. Vide Hieronym. Rubeum lib. 1. Hiſtor Rauennat. vbi & de Decur. Collegior. de Trierarchis & Nauarchis è lapidibus antiquis. De Centonariis & Dendrophoris, Codex Theodoſian. lib. 1. & 2. titulo iiſdem verbis inſcripto.

P. MARIO VOT. LVPERCIANO EQVITI ROM. EQ. PVB. OMNES HONORES MVNICIPALES ADEPTO IVDICI DE SELECTIS SACERDOTI CÆNIENSI COLLEGII FABRORVM CENTONARIOR. DENDROPHOROR. MILITIÆ BERGOMATIS PATRONO.

Vbi

Vbi & alia inſcriptio Lugduni extans de corpore Nauiculariorum refertur.

Q. TVLLIO SEVERINO SEQVANO OMNIB. HONORIB. INTER SVOS FVNCTO PATRONO SPLENDIDISSIMI CORPORIS RHODANIC. ARAR. CVI OB INNOCENTIAM MORVM ORDO CIVITATIS SVÆ BIS STATVAS DECREVIT INQVISITORI GALLIAR. TRES PROVINCIÆ GALLIARVM.

Romæ ante hortos Carpenſes in via.

AEGIPPI
L. MVSSIO. ÆMILIANO
LAVRENTI. LAVINATI:::
....
....
VIRO. INNOCENTISSIMO
CODICARII. NAVICVLARII. ET
QVINQ. CORP. NAVIGANTES. OB
INSIGNEM. ERGA. SE
BENIVOLENTIAM. AC SINGV-
LAREM ABSTINENTIAM.

In agro Arelatenſi.

M. FRONTONI. EVPOR
IIIIII. VIR. AVG. COL. IVLI. H
AVG. AQVIS. SEXTIS. NAVICVLAR
MAR. AREL. CVRAT. EIVSD. CORP.
PATRONO. NAVTAR. DRVENTI
CORVM. ET. VTRICLARIORVM
CORP. ERNAGINENSIVM
IVLIA. NICE VXOR
CONIVGI. KARISSIMO.

De collegiis Fabrorum Centonar. Dendrophor. Nauicularior. ratium Exercitor. & Caudicarior. multę extant inſcriptiones apud Lipſium in lib. inſcript. Antiq. qualet, Bergamenſium, Brixianor. Comenſium, Lugdunenſium, Araricorum & Rhodanicor. eorúmque corporum & collegiorum patronis curatoribus.

Ceterum illis omiſſis quæ ad ſpecialia officia ad vnam nauim attinentia pertinent, reliquorum Græcorum naualia & claſſes, quæ ad tutelam vniuſcuiuſque Reip. etiam tempore pacis in portu ſtabant, ſubiungendæ ſunt, vt videatur, quinam Gręcorum, aut cum Athenienſibus maritimum imperium tenuerunt, aut poſt Athenienſes mari dominati ſint. Verùm æquius quàm ceteris Græcorum, Athenienſibus fauit hiſtoria, eorum geſtis celebrandis fuſior, parcior reliquis. Nam neque numerum nauium, quæ in naualibus reliquorum ex propoſito nominat, neque claſſicos

magiſtratus, niſi tumultuariè, & vt vix diſtingui queant, memi-
Strabo lib 8. nit. Lacedæmoniis nauale fuit, Gythium, prope Eurotæ oſtium, in quo initio belli Peloponneſiaci, tutandæ Reip. causâ L. naues
Diodor. lib. 13. ſteterunt, ſub finem verò eiuſdem belli LXXX. ſub Lyſandro claſſis pręfecto. Eleis, Cyllene: Pylus Meſſeniis: Corinthiis autem duo naualia fuerunt, Lechæum in ſinu Corinthiaco, quo vtebantur ad negotiationes & expeditiones Italicas, alterum in Cen-
Strabo lib. 9. chreæ vico, ad Aſianas, Megarico in ſinu. Iam Niſæa Megarenſium nauale fuit: Aulis Tanagræorum, ex hoc portu L. nauium capace Gręci ad bellum Troianum exierunt. Ceterum Tanagręi, inter Bœotiæ populos numerantur, cuius vltima vrbs & portus Eubœæ Inſulæ oppoſitus, Antedon. Creuſam & Thiſben Theſpienſes, in ſinu Criſſæo naualia habuerunt, populi Phocidis, in quâ iſti portus celebrantur, Pharygium, & Mychus. Locridis nauale Cynus dicitur, in ſinu Opuntio: Ætoliæ, Thermopylæ: Pherarum in Theſſaliâ Pagaſæ, è quo Argonautæ olim in Colchidem ſoluerunt. Theſſaliâ à Macedoniæ regibus occupatâ, conditâque vrbe Demetriade, ea illis nauale fuit, metropolis Magneſiæ, quæ Theſſaliæ pars dicitur, ſicut & Acarnania, cuius item nauale Actium, in ſinu Ambracio. In ipſis faucibus Ionij & Adriatici
Idem lib. 7. maris Balliace eſt, & Oreum, eiúſque nauale Panormus. Præcipuum Eubœæ nauale Chalcis: Cretæ, Heraclium: Cephaleniæ,
Idem lib. 10. Samos; vnde & ea Inſula Samos dicta eſt: Helienſium Cyllene.
Lil. Girald. c. 20. lib. de Nauigiis. Ceterum Nauale dicitur locus vbi naues fabricantur, νεωρίον, Græcè, ἐπίνειον, ναύλοχον, & νάυσταθμος. Eſt etiam nauale νεώσοικος, hoc eſt, tectum, ſub quo aſſeruantur naues. Sed nauale quomodo cõſtruen-
**in fine 5. Volum.* dum ſit pręclarè docet * Vitruuius, & nos quoque figuris libro ſequenti oſtendemus. Portum naturalem λιμὴν, manu & artificio factum ὅρμον, καὶ μῶθων Græci vocant. Locus eſt concluſus in quo ſe naues recipiunt. Statio verò locus, in quo ad tempus naues ſtant, plagam vocamus. Cothones, appellantur portus in mari
L. Limenarcha. D. De ſeruis fugitiuis. interiores, arte facti. Portuum mari cuſtodes, LIMENOPHYLACES, vel Limenarchæ dicebantur.

CAPVT

CAPVT VIGESIMVMQVINTVM.

Mos luſtrandi naualis exercitus tam apud Græcos, quàm apud Romanos, antequam ad bellum proficiſceretur. Profectio, pugnæ naualis ineundæ, aut relinquendæ ſigna.

PARATA claſſe, cùm apud Græcos, Imperatores Pontificum officio fungerentur, ituri ad bellum, in littore rem Marti & Neptuno faciebant, quo ſacrificio placare Deos putabantur, & naues exercitúmque luſtrare. Apud Athenienſes Themiſtocles ad Salaminen, contra Perſas maritimo certamine dimicaturus, Euphrantidis vatis iuſſu, humanas hoſtias, duos captiuos immolauit, expiaturus claſſem. Ad idem bellum iturus Cimon Miltiadis filius, adhuc adoleſcens, frænum equo ſuo detraxit, conſecrauítque Mineruæ arcis Athenienſis cuſtodi, cùm tunc temporis non iam equeſtri robore, ſed maritimo Reſpublica indigeret, iuxta præceptum oraculi: *Thucydid.lib.1.* *Diodor. lib.8.*

Iupiter è ligno muris Tritonida donat,
Qui ſoli inuicti tibi ſint, natiſque ſaluti. *De hoc diximus Cap.4.iſtius Libri: vbi de Salaminio prælio.*

Mithridates in Lucullum pugnaturus, Neptuno ſactum currum in mare proiecit. Apud Spartanos eductúrus exercitum Rex, vel Imperator, in vrbe Ioui Ductori ſactificabat, facto ſacrificio, militem armatum ad littus ſacrificulus præcedebat, ignem præferens, à quo Pyrophorus dicebatur, vbi venerat, eundem, quem ab altari rapuerat ignem, Regi porrigebat, qui ſacrificio Ioui Mineruæque facto, ſtatim naues inttabat, ſequentibus Tribunis & militibus. Sic quoties Ageſilaus in hoſtem ferebatur, proſequente populi magiſtratuúmque turba, victimas tæniatas, præcinentibus tibicinibus, pro ſalute & victoriâ Spartiatarum immolauit. Sic ille, Olymp.94, contra Athenienſes ſoluens, in Aulide, ceruam coronatam Dianæ mactauit, ſacróque ritè peracto, & placato mari, Epheſum traiecit. Alexander in Perſas iturus, cùm è claſſe Aſiam conſpexiſſet, XII. aras totidem Diis in ipſis nauibus erexit, hoſtiáſque mactauit, bello victoriam petens, antequam litus tangeret: ad quod vbi proximè acceſſit, iaculum contorſit, belli ſignum, armatúſque, vbi proſiliit in terram, tripudiauit, hoſtiáſque itèrum locorum Diis immolauit, precatus, ne ſe inuitæ terræ illæ acciperent. Nicias, Lamachus, & Alcibiades in Siciliam ituri aduerſus hoſtes, ſoluentes è Piræeo aureis pateris argenteíſque *Gabriel Chappuiſ. Reip.lib.14.c.1.* *Xenophon.rerum Græcar.lib.3.*

Appian.lib.5. belli ciuil.c.11.

vinum fuderunt in mare,placandi eius cauſâ. Verum enimverò longè alia Romanis fuit exercitus luſtrandi ratio, multóque celebriores ceremoniæ, & ſacrificia rei maritimæ accommodatiora: quoties enim Romanis placuit extra ſolum ſuum hoſtem quærere, profecturus ad maritimum certamen Rom.Imperator, addictis ſacramento Legionibus, milite naulcriíſque in paratas naues immiſſis,& diſpoſitâ in littore claſſe,aram,quæ mari abluеretur,erigi curabat,in quâ ſacerdotes victimas immolarent; mox circunſtante exercitu, cæſam victimam, atque exta portantes, claſſem, in anchoris ad littus ſtantem,nauiculis vecti, circuirent, cum ſolemni carmine & precatione, duce vnà cum legatis & ſacerdotibus in ſcaphis illis inſidente: quo facto, diuiſæ hoſtiæ partem, ſacerdotes in mare cum viſceribus porriciebant, partem verò aliam flammis adolebant: eo modo claſſem luſtrari, & calamitates depelli opinati. Sic Octauius Cæſar, nondum Auguſtus,ſoluturus è littore Dicæarchio,contra Sext.Pompeium,exercitum luſtrauit: quo iratum Neptunum,& pelagi Deos placaret. Hoſtia taurus niger erat, qui numinibus æquoreis immolabatur: agnus,vel aper. Horum ſanguis collectus in pateram, de puppe in mare cum precibus iaciebatur,quod Argonautæ in expeditione Colchicâ fecerunt. Hoc dux claſſis oliuâ coronatus agebat, vina fundens, poſt taurum nigrum, vel candentem, Neptuno: agnam, Tempeſtatibus immolatam. Æneas apud * Virgilium Siculo littore claſſem ſoluturus,vt Italiam peteret:

Homer. Odyſſ.l.2. & 3.
Apollon. Argonaut.lib.4.
Senec.natur. quaſt. lib.4.cap.6.
Horatius epod. 10.
** lib.5.*

-----Caput tonſæ foliis euinctus oliuæ
Stans procul in prorâ pateram tenet: extáque ſalſos
Porricit in fluctus, ac vina liquentia fundit:
Proſequitur ſurgens à puppi ventus euntes.
Certatim ſocij feriunt mare, & æquora verrunt.

Cloanthus paulò ante, vt victoriam naumachicam conſequeretur, ponto palmas tendens, fudit preces, & Diuos in hæc verba fauentes, aduocauit.

Virgil.lib.eodem.

Dî quibus imperium pelagi, quorum æquora curro,
Vobis lætus ego, hoc candentem in littore taurum
Conſtituam ante aras voti reus, extáque ſalſos
Porriciam in fluctus, & vina liquentia fundam.
Dixit, eúmque imis ſub fluctibus audiit omnis
Nereïdum, Phorcique chorus, Panopæáque virgo:
Et pater ipſe manu magnâ Portumnus euntem
Impulit. Illa Noto citius, volucrique ſagittâ
Ad terram fugit, & portu ſe condidit alto.

Minoribus cæremoniis quàm Auguſtus Cæſar vſus fuerat Scipio, in Africam bellum tranſmiſſurus, quippe quòd orto Sole, ſilentio per præconem indicto, Deos, Deáſque qui maria, terráſque colerent,

lerent, precatus, vt quod agere pararet, benè vorterent, contentus ſua manu cæſarum victimarum exta in mare proieciſſe, ferrum ſtrinxit, ſciſſóque retinaculo, ſignum proficiſcendi tubâ dari iuſſit. Hoc quoque fecit Germanicus foſſam ingreſſus, de Druſu patris nomine, quem ſolum pro Diis maris, iturus, in hoſtem inuocauit, vt ipſe, qui eâ foſsâ viam Romanis in Septentrionalem Oceanum primus aperuerat, adeſſet filio in paternas virtutes eunti, & vltra Albim Rom. Imperium conanti proferre, & à Cimbris vexatæ Italiæ pœnas exigere. Vt littus claſſis deſeruerat, ſpeculatores præmittebantur, qui littora, & æquoris medium luſtrarent, relaturi ad ducem, ſi quid hoſtile occurſaſſet, inſidiarum vitandarum causâ, & euitandæ contrariæ claſſis. Quod quanquam apud Græcos Romanóſque factum ſit, inuenio tamen primum à M. Antonio Triumviro ſpecialem cohortem ſpeculatorum nominatam, quorum officium particulare erat, celocibus lembis Romanam claſſem præire. Ex quo factum, vt illi lembi præcurſorij appellarentur. Poſt hos, ſequebatur Prætoria nauis, totius claſſis gubernatrix, à quâ, ne ceteræ naues per tempeſtatem, aut noctem diuellerentur, in eâ fumus de die, de nocte lumen. Quamuis & iſtud factitatum eſt in oris maritimis, vt aduentus hoſtium ſociis indicaretur in eam plagam. Sicut autem à ſpeculatrici cohorte, vel aliis ſpeculatoribus, ſubſequẽti claſſi diſceſſus hoſtium indicabatur decuſſo velo, aut chlamide de ſummo mali, ſic aduentus eorumdem ſignificabatur, concuſſione veli, aut obiectu chlamidis. Si præliandum erat, præter loquacia ſigna, vt ſunt tubæ, tibiæ, tympana: mutum aliud, quod vexillum erat purpureum, vel cæruleum, de Prætoriâ naui, in quâ Imperator, in ſublime efferebatur, pugnæ initium, quod [illegible] appellabant. Erat autem camelaucion, haſta longiore eleuatum. Apud Athenienſes Conon, contra Lacedæmonios, ante Myrilenem, maritimo prælio, pugnaturus, repentè purpureum vexillum è naui ſuâ leuauit. Primum eum hoc apud Græcos feciſſe inuenio, ſicut & autorem facis accendendæ in Imperatoriâ triremi per noctem, vt diſperſæ naues colligerentur, Cimonem, contra Perſas, & Xerxem Regem. Iidem Athenienſes conflicturi, naues impellentes, Pæana canebant. Demetrius verò Macedonum Rex propè Cyprum contra Ptolomæum Ægypti Regem pugnaturus, de Prætoriâ naui ſignum pugnæ dedit, clypeum inauratum, omnibus conſpicuum. Æreo clypeo è naui elato inuadendi hoſtis copiam ſuis quoque Lyſander fecit. Athenienſibus & Spartanis ad Arginuſas pugnaturis, ab vtraque parte vexillum rubrum ſublatum eſt, claſſicum concinentibus tubicinibus. Bruti nauis Prætoria, quò ab aliis dignoſceretur: O, ſignum habuiſſe fertur: tametſi ſingulæ naues Deorum imagines ferrent, ſub quorum eſſent tutelâ.

E numo argenteo, qui eſt apud Goltzium in Iulio, pag. 23. in cuius antica parte tria ſigna militaria ſunt, roſtrum nauis habentia. Titulus eſt: CHORTIS SPECVLATORVM. *In poſtica, præcurſoria nauis turgentibus remis cum iis literis apparet.* ANTON. AVG. III. VIR. R. P. C.

Thucydid. lib. 2. belli Peloponneſ.

Cæſar lib. 4. belli Gallici.

Leo cap. 19. De bell. apparatu.

Diodor. Sicul. l. 12. & 13.

Idem lib. 20.

Plut. in Lyſand.

telâ. Græcis nauibus ex Inſularum nominibus plerunque nomina fuerunt. Supparum Alexandrinæ triremis peculiare ſignum erat, ſicut corbes onerariis nauibus, pro ſigno ſuſpendebantur. M. Antonius ſucceſſu rerum inſolens, purpureum velum Prætoriæ, apud Actium, pro inſigni dedit: quod & Alcibiades ante eum feciſſe dicitur. In nauali concurſu deponere velum, vel ſignum, deditionis indicium: abiectis verò armis plauſum facere, aut nauim infulis velare, ſupplicandi genus antiquitus fuit. Sic Pompeio Magno in piratas pugnante, hoſtes abiectis telis armiſque, remorum inter ſe colliſorum plauſu facto, dedentes ſe vitam petierunt. Deditionis aut obſequij aliud ſignum olim fuit, quod & hodie eſt, inſignia, & pergulam demittere: nauem ad ſiniſtrum latus nauigantis, vel victoris, vel eius, qui in maiori poteſtate eſt, applicare. Hoc Ænobarbus Pompeij Prætor, M. Antonio fecit, in mari Ionio. Sexti Pompeij bello Siculo dimicationis nota fuit, vexillum cæruleum, ſicut & in Auguſti claſſe, eóque donatus eſt M. Agrippa, quód inſignem operam eâ pugnâ maritimâ pro Auguſto nauaſſet. Teſſera pugnaturis dabatur, ne in ardore pugnæ conciuem pro hoſte necarent. Sexto Pompeio dimicaturo, teſſera, Pietas, fuit: Auguſto, Venus Genitrix, aliquando Felicitas, nonnunquam etiam Victoria. Ab hac Teſſerarij dicti, qui belli ſignum per contubernia, vel naues ſingulas, nunciabant. Victi, Prætoriæ nauis lumen extinguebant, ne Imperatorem hoſtes inſequerentur, quod victus Sextus Pompeius fecit, poſt Auguſti & Agrippæ victoriam. Quoties autem de aliquâ re conſultandum erat, ſiue ante pugnam, ſiue poſt pugnam, in cubiculum puppis nauis Prætoriæ (quod etiam hodie fit) omnes duces cogebantur, inueterato vſque adeò inſtituto, vt apud * Homerum me legiſſe meminerim, in cubiculo puppis Agamemnoniæ triremis, Principes Græcos conuocatos, legatum Troianorum, inducias ad cremanda corpora in prælio cæſa petentem, audiuiſſe, & conceſſiſſe. Addo & iſtud, non tantum de ſuo littore ſoluentes Neptuno ſacrificaſſe, ſed & eidem cùm in hoſtilem terram deſcenderant: legimus enim Amilcarem Carthaginienſium primum Siculis illaturum bellum, expoſito in Himerenſi littore milite, ſacrificantem Neptuno, ante ipſas aras à Gelone Syracuſanorum Tyranno obtruncatum, claſſémque eius incenſam.

* * *

Tiraquell. commentar. ad Alexandri ab Alexandro geniales dies, lib. 4. c. 2.

Appian. belli ciuilis, lib. 5. c. 12.

* *Iliad. 7.*

CAPVT

CAPVT VIGESIMVMSEXTVM.

Quidnam à victoribus poſt victoriam naualem factum ſit. De Trophæis maritimis, déque victoriarum maritimarum notis, è numis & hiſtoricis antiquis.

QVi vicerant, ſtatim ſignum pugnæ demittebant, naues coronabant, infulis velabant, teniis verſicoloribus ſertíſque ornabant, crines lauru vinciebant, Pæana canebant, Diis æquoris, Marti & Victoriæ gratias agentes, naufragia & cadauera ſuorum colligebant, cúmque captiuis nauigiis ad ſuas puppes alligatis, in patriam vela dabant, diſpoſitis per tranſtra & antennas hoſtilibus armis, puppibus & proris captiuorum corporibus onuſtis, ſcuta & gladios quatientes. Sic Lyſander victo ante Lampſacum Conone Athenienſi, redimitas floribus & coronis naues, armis hoſtium vndique fulgentibus, pérque tranſtra & antennas diſpoſitis, in patriam miſit: mox ipſe cum ſuis, coronatis in equis, captiuorum detonſis, captiuis præeuntibus, ad tibiæ cantum Spartam ingreſſus eſt. Sic Agatocles victis Carthaginienſibus nuncias victoriæ naues duas miſit, coronatis omnibus & Pæana canentibus. Chyſogonus ſtolâ indutus Pythicâ tunc τὸ τριήρικον tibiâ canebat, cùm Alcibiades purpureo velo demiſſo, iuſsíſque claſſiariis remis iucumbere, nauibus coronatis, ob victos Lacedæmonios, Pyræeum portum ingrediebatur. Apud Græcos victores ἰὴ παιὰν clamabant, Romani arma quatiebant, hymnóſq; in honorem Deorum canebant, quod hiſtorici notant ab Auguſti militibus factum, fractà Sexti Pompeij claſſe, Siculo in pelago: votis in claſſe ipſa & littore Diis maritimis ſolutis, hymníſque in eorum laudem decantatis. Scipio captâ, & euersâ Carthagine, poſt multas victorias nauales, laureatam nauem, cum militibus, tabulíſque laureatis, quæ geſta fuerant continentibus, Romam præmiſit: moris enim erat, tum apud Græcos, tum apud Romanos, ſtatim à victoriâ maritimâ, coronatam triremem in patriam mittere, proſperi ſucceſſus nunciam: ad quam in littore appulſam conciues accurrebant, tripudiantes, cantantes, cúmque, coronatis militibus chorum ducentes, & hilares iocos, feſtáque verba repetentes. Poſt Scipionem Lucullus, victis mari Mithridatis ducibus, triremem laureatam Romam miſit, cum literis narrantibus ea quæ pro Rep. geſſerat. Idem Scipio, & Sylla Fœlix, pugnâ nauali confectâ; hic ad Cephiſum amnem in Bœotiâ Ar-

Athenæus in Deipnoſoph.

Alex ab Alexandro, lib. 4 cap. 2.
Appian. bell. ciuilis, lib. 5. c. 12.

Idem, de bello Mithridat. cap. 10.
Plut. in Lucullo.

chelao fugato, hoſtium naues, ſpoliáque in aceruum congeſta, immiſſo igne cremauit, Diis inferis, Martíque ſacrificium. Ille, inſtrumenta belli, inutiléſque naues Carthaginienſibus ereptas, de more diſcinctus, combuſſit, Marti & Palladi ſacrum. Lyſander finito bello, in ipſo Pyræo naues omnes Athenienſium combuſſit, coronatis ſuis, & ad tibiam ſaltantibus. Non ita in expeditionibus fiebat, Alexander enim quòd nullum maritimum bellum peregiſſet, contentus limitem victoriarum ſuarum Oceanum feciſſe, cùm milliaria quinque vltra Indum flumen promouiſſet, Diis marinis ſacra inſtaurauit, tauros Neptuno immolauit, libatóque vino, phialam, poculáque aurea proiecit in mare, gratias Diis agens, votáque pro reditu ſoluens. Fecit & aliud ſacrum, Neptuno, Oceano, Hydaſpi, Aceſini, & Indo fluuiis: poſitámque in Inſula aram, velut Imperij metam, nauigio circumegit. L. Furio Camillo, C. Mænio Coſſ. naues deuictorum Antiatium, partim in naualia Romæ ſubductæ ſunt, partim incenſæ: roſtríſque earum ſuggeſtum in foro extructum adornari placuit, Roſtráque, id templum appellatum, vbi magiſtratus Romani ad iudicia ſedebant. In iis ferebantur leges, agebantur cauſæ, & conciones habebantur. Erant autem duplicia: Vetera, apud Curiam in Comitio, de quibus hoc loco: Noua, è nauibus Actiacis, ad Palatij radices. Expedita triremi, quæ victoriam nunciaret, Imperator trophæum in proximo promontorio erigebat. Rhodij in templis, ſacrariis, lucis, & gymnaſiis Bacchi. Maſſilienſes verò in viis & porticibus. Quænam illa fuerint, quibúſve ſpoliis conſtarent apud Græcos, Thucidides, & alij hiſtorici non meminerunt. Certum eſt tamen in truncis arborum defixis, ſuperaddita ſpolia, trophæum feciſſe, vetitúmque lege apud Græcos, de lapide, aut metallo, trophæa erigere, ne cladis acceptæ memoria, monumenti huius intuitu, apud victos hoſtes, poſt multos annos recrudeſceret, nouíque belli cauſa eſſet, victoriæ nota. Lignea itaque conſtituta, ornatáque thoracibus & armis fractis, armamentíſque corruptarum nauium, quæ temporis iniuriâ paucos poſt annos perirent. Ab Hiſtoricis in quibus nihil, aut obſcura admodum, de trophæis naualibus comperi, conuerſus ad antiquorum numos, rariora quæque & nobiliora, in ſeparatam tabulam congeſſi, è quâ trophæorum eiuſmodi ſtructura, & diuerſitas, innoteſcat, & ſimul intelligatur cauſa eorum erigendorum.

Roſin. Antiq. Roman. lib. 6. cap. 5. Roſtrorum figura, iudicéſque in iis ſedentes, videre licet, in vltimo numo Faſtor. Goltz. quo Auguſtus mortuus eſt.

Strabo lib. 14.

TROPHÆA

TROPHÆA MARITIMA.



Expoſitio horum numorum.

PRIMVS Tabulæ præcedentis numus, argenteus eſt, trophęum nauale habet, à Victoriâ erectum: fractæ, infra ſtipitem, triremium tabulæ, & anchora in dextrâ Victoriæ manu, conſtructum è Carthaginienſibus denotant, mari victis, ab Agatocle Syracuſanorum Rege. Ab alterâ huius numi Syracuſij parte, Ceres eſt, tutelare numen vrbis. *Apud Goltzium in Sicilia, pag. 14.*

SECVNDVS Numus ex argento, trophæum habet mariti- *Apud Goltzium in Faſtis An. DCCXI*

mum, Aquilam Romanam, inter alia duo militaria ſigna, ptoræ infixam; ſupra Aquilam, trophæum eſt, quod in oris Hiſpaniæ bello maririmo victor III. vir Lepidus erexit. Altera pars numi Lepidi caput habet galeâ tectum, cum his literis, LEPIDVS IMP. PONT. MAX. III. VIR. R. P. C.

Ibidem in Faſtis Anni DLXVI.

TERTIVS, Ex eodem metallo, trophæum oſtendit maritimum, M. Fuluij Nobilioris, de Ærholis, Ambracibus, & Cephaleniâ. Ab anticâ parte, Neptuni capur eſt, lauru coronarum, cum nomine dicti Fuluij. Simile trophæum extat, T. Starilij Tauri, qui ex Africa triumphauit, Ann. V. C. DCCXIX. Ex numo argenteo.

Idem ad Annum DCXLV.

QVARTVS, Aureus, trophæi imaginem habet, ex ſpoliis maritimis Perſei Macedonum Regis, cuſus eſt à Seruio Sulpitio Galbâ, Cn. Octauij legato, in gratiam dicti Octauij, Præfecti claſſis Romanæ, qui victo Perſeo in oris maritimis hoc trophęum fixit. Ex antennis, gubernaculum, & anchora dependent: ſupra, velum eſt: infra, extrema proræ & puppis. Ab alterâ parte caput eſt lauteatum, imberbi mento: & nomen SERVII SVLPITII. Hunc denarium, Vrſinus, in Sulpitiorum, ſiue Solpitiorum familiâ, ad P. Sulpitium refert, qui Coſ. Ann. DIII. Philippum Macedonum Regem vicit, eiúſque terras populatus eſt, ſed quia hic Sulpitius nihil mari egit, malim ego ad dictum Seruium argumentum huiuſce numi referre.

Vrſinus in gente Domitia.

QVINTVS, Trophæum maritimum repræſentat Cn. Domitij Ænobarbi, victo Caluino, Octauij Cęſaris Prætore, in Ionio mari. Inuerſo numo, videtur caput cum nomine illius Ænobarbi.

Goltzius in Auguſto: pag. 32. numo 2.

SEXTVS, Trophæum Actiacum figurar, erectum ab Auguſto poſt Antonium ad Actium claſſe profligatum. Æreus numus, caput Auguſti ſignatum haber, fronde querneâ vinctum, ab alterâ parte: ſine literis,

Occo in Faſtis Anni DCCXIX.

SEPTIMVS, Argenteus, trophæum nauale oſtendit M. Antonij Triumviri, Syris & Cilicibus, per C. Soſium Legatum in ęquore ſubactis. Antonij effigies videtur à tergo, cum iſto titulo: IMP. ANTON. AVG. COS. ITER. DESIGNAT. TERT. III. VIR R. P. C.

Vrſinus. Apud Caulaum, ſimilis numus, Pompeio magno cuſus, poſt piraticum bellum. à priore parte vultus eſt irati Neptuni cum fuſcina.

OCTAVVS, Trophæo nauali decoratur, quod Sext. Pompeius de Octauio Cæſare, congreſſu maritimo ſuperato, ad fluuium Siciliæ Onobalam fixit. Anchora & fuſcina, galeam & thoraca transfoſſos ſuſtinent. Pro brachiis, è vacuo thorace, hinc roſtrum nauis, inde acroterium exit, quod aliàs acroſtolium vocatur.

Goltzius in magna Græcia.

NONVS, Bruttiorum trophæum nauale eſt, cuius victoriæ, incertum. Niſi ſit monumentum deuicti pelago Alexandri Epirotarum Regis.

DECI

DECIMVS, Aureus eſt, in Siciliâ, vt è tribus cruribus, quæ in faſtigio templi videntur, apparet, conditus: tēplum habet à Siculis in honorem Auguſti erectum, in quo trophæum eſt, de ſpoliis Sexti Pompeij, ad Siciliæ oras claſſe victi, ab eodem Auguſto.

Idem in Auguſto pag. 31.

VNDECIMVS ſtatuam oſtendit M. Lepidi equeſtrem, lauru vel mirto coronatam, quam ei, ex S. C. erectam volunt, Iulio Cæſare, id petente, ſeu quòd, magiſter equitum eſſet, ſeu quia, cum eo victore & triumphante ex Africâ, naualis operæ benè pręſtitæ, * hoc decus meruerit. Quod trophæum indicat, ſiniſtro humero ſuſtentatum, in quo prora nauis transfixa. Vel, quod verius puto, quòd adoleſcens nauali pugna hoſtem interemerit. Maritimâ pugnâ factum, numus iſte, & alij in M. Lepido relati indicant, in quibus inter duo ſigna militaria, trophæum nauale. Argumentum autem hiſtoriæ, litteræ circumpoſitæ plus ſatis demonſtrant. A N. X V. H. O. C. S. Infra M. LEPIDVS. Hoc eſt, M. Lepidus annorum quindecim hoſtem occidit, ciuem ſeruauit. Meruit & ſimilem ſtatuam Coſſus Cornelius Cn. F. Lentulus, Legatus Auguſti, qui & triumphalia ornamenta obtinuit, An. V. DCCLIX. de Iſaureis ex Cilicia: vt aliis placet, ex Getuliâ, vnde illi, poſteriſque eius Getulici cognomen. Inueniuntur & alia in numis antiquis trophæa maritima: ſic apud Occonem in argenteo Trajani Imp. Victoria proræ nauis inſiſtens, dextrâ lauream, ſiniſtrâ trophęum geſtat. Ex quibus colligitur, quænam eſſent trophæa maritima, eorúmque notas fuiſſe, fracti circa ſtipitem nauium aceres, aquila Romana triremi cum ſpoliis infixa, circa truncum ſpoliis oneratum: anchora, gubernaculum, & prora nauis: de antennis velum pendens, infra malum, acroſtolium, & nauis roſtrum, cum captiuis; in triremi trophæum, infixa thoraci fuſcina, nauiúmque extrema, de thorace illo dependula: victoria, de ſumma puppi clypeum inſcribens, aceruum armorum calcans, trophæum coronans, vel humero geſtans. De quibus omnibus Mecherchius ad Auguſtum Goltzij:

** nimirum, equeſtri ſtatua.*

Idem pagina 32.

Valerius Maxim. lib. 3. c. 1.

Vrſinus in gente Cornelia. Sigonius in faſtis Anni 752. Goltzius eodem Anno.

----Suſpenſa vides vtrinque trophęa,
Hoſtibus à victis ſpolia exuuiáſque ſuperbas.
A dextrâ clypeos, arcus, denſámque tueris
Telorum ſegetem, atque ingentia cingula baltbei,
Fulmineúmque enſem, & perfuſum ſanguine ſcutum,
Loricámque grauem trunco pendere, ſupráque
Inſignem cono galeam. Hic quatit aura comantes
Caſsidis auricomæ criſtas, hic puluere currus
Fœdátique iacent axes radíique cruore.
Haud procul hinc cornu, necnon caua buccina pendet,
Tortilis in latum: propè ahenea claſsica cernis,

Claſsica ſueta viros ad prælia dura ciere
Terribili ſonitu, Martémque accendere cantu.
A læuâ puppes, clauos cum puppibus altis,
Cheniſcúmque recens nauali marte reuulſum,
Roſtráque cum proris, retinacula, carbaſa, malos,
Cornua velatarum fraxinea antennarum,
Tranſtráque cum remis, æratâ & cuſpide contos,
Arma virûm, tabulas, corbes, fractóſque rudentes.

Sueton. cap. 18. Auguſtus, quò Actiacæ victoriæ memoria celebratior in poſterum eſſet, vrbem Nicopolim apud Actium condidit, ludóſque illic quinquennales inſtituit, quos mox Caligula ſuſtulit, & ampliato vetere Apollinis templo, locum caſtrorum, quibus fuerat vſus, exornatum naualibus ſpoliis, Neptuno ac Marti conſecrauit. Apollini quoque Actio, triremem, quadriremem, & alia nauium genera, vſque ad deciremem ex captis nauibus donum obtulit, quo eius templum ornaretur. Diis enim dicata trophæa, à Iulio, Veneri Genitrici, ab eodem Auguſto, poſt Brutum & Caſſium cęſos, Marti Vltori: Ioui quoque, & Iunoni cognomento Tropęæ, à Paulo Æmilio, poſt victum Perſeum, omnis generis arma cumulata in ingenrem aceruum, poſtquam ille precatus Martem, Mineruámque, Luámque matrem, ceteróſque Deos, quibus dicare ius, fáſque eſt, illis omnibus ſimul conſecrata ſunt. Aliquando ea arma congeſta & conſeruata, monumẽtum poſteritati: aliquando verò concremata. Sic Fabius ſpolia hoſtium igne combuſſit, Ioui Victori: Marcellus, Vulcano votum; Crœſus, Apollini. Ea, cùm Imperatores Romani vrerent, diſcingebantur, vt ſe religione ſolui oſtenderent: in reſolutoriis enim ſacris, diſcingi moris erat. Sic Scipio euerſâ Carthagine, inutiles naues in vnum cumulũ coaceruatas, Marti & Palladi votas, diſcinctus cremauit. Miſſæ & captiuæ triremes, ſpoliorúmque primitiæ, & decimæ Apollini Delphico. Armorum igitur acerui, pro trophæò fuêre, ſpoliáq; illa quæ Diis dicabantur, λάφυρα, ἐ ἀκροθίνια, & vltima quidem ἀπὸ τοῦ θινὸς, à littore, dicta: quia prælio nauali victores in littoribus, & promontoriis mari imminentibus, tropheа ſtatuerent. Iis addebatur titulus in clypeo, encauſto ſcriptus, vel in ære ſtilo ſculptus, vel in marmore, aut lapide celte inciſus, nomen Imperatoris, vel ducis continens, & ſubactas nationes, in hunc modum:

In veterib. numis. Vetus Etymologic. Liuius lib. 45.

Liu l. 10 & 23. Herodot. lib. 1.

Appian. cap. vlt. belli Lybici. Herod lib. 8. Thucydid. lib. 1.

Etymolog. vetus. Pauſan. in Attic. Plut. in Alcib. Cic. l. 2. de Finib. Inſcriptio eſt trophæi quod in Alpib. Auguſt poſuit, apud Plin. lib. 3. cap. 20.

IMP. CÆSARI. DIVI F. AVGVSTO
PONT. MAX. IMP. XIV. TRIB. XVII.
S. P. Q. R.
QVOD EIVS DVCTV AVSPICIISQVE
GENTES ALPINÆ OMNES QVÆ A MARI
SVPERO AD INFERVM PERTINEBANT
SVB IMPERIVM P. R. REDACTÆ SINT.

Ridiculum

Ridiculum iſtud Caligulæ trophæum, qui, quaſi perpetraturus bellum, directâ acie in littore Oceani, ac balliſtis, machiníſque diſpoſitis, nemine gnaro, ac opinante quidnam cœpturus eſſet, repentè, vt conchas legerent, galeáſque, & ſinus implerent, edixit, cumulatáque ſpolia Oceani vocauit, Capitolio, Palatióque debita. Et in indicium victoriæ, altiſſimam turrem excitauit: ex quâ, vt ex Pharo, noctibus ad regendos nauium curſus, ignes emicarent, pronuntiatóque militi donatiuo, centenis viritim denariis, quaſi omne exemplum liberalitatis ſupergreſſus: abite, inquit, læti, abite locupletes. Ceterùm, vt trophæa naualia è numis antiquis decerpta paulo ante ſubieci, ſic quoque ex iiſdem, aliquas victoriarum maritimarum notas, & monumenta tradere lectori conſtitui, vt ſtatim atque in manus eiuſmodi argumenti numus venerit, generalis cauſa eius cudendi, tum ſpecialis victoriæ maritimæ ratio, & argumentum dignoſcatur. Paucos hîc ſummiſi Græcos & Romanos ſed excellentiores & nobilióres quoſque, è multis excerptos. Græcorum iſti ſunt. *Sueton. cap. 46. in Caligula.*

MARITIMÆ VICTORIÆ NOTÆ

in numis antiquis, Græcas inſcriptiones habentibus.





E Goltzij Sicilia, pag. 3.

PRIMVS ex ære, Syracuſanorum naualem aliquam victoriam notat: Neptunum habet lauru coronatum. Similis denarius eſt L.Aimilij, qui de Perſe, & Macedonia triumphauit.

Idem in magna Gracia, in numis Poſidoniatar.

SECVNDVS, Neptunum habet in carinam fuſcinam impingentem, cum lauru à tergo. Numus argenteus in naualis victoriæ memoriam à Poſidionatis cuſus, qui Ποσειδῶνα, hoc eſt, Neptunum, religioſè colebant. Hoc indicatur è nomine ΠΟΣΕΙΔΩΝΕΗΣ, cuius pars media ſupra caput tauri in antica parte, reliqua in poſtica.

Idem in numis Tarentinorum.

TERTIVS argenteus, cuſus eſt à Tarentinis, ob claſſem Romanam Ann. Vrb. CDLXXII. direptam & captam.

Idem Sicil. pag. 1.

QVARTVS ex eodem metallo, incertam Syracuſanorum maritimam victoriam notat.

Idem in Tarentin. numis.

QVINTVS in honorem Taræ Neptuni filij, à Tarentinis ex argento ſignatus, cui fortè Romanorum mari fugatorum ſpolia, de quibus ante in numo tertio, vouerunt: argumentum victoriæ naualis, Taras coronatus, capricornum dextrâ, ſiniſtra fuſcinam geſtans, ponè tergum acroſtolium nauis eſt. Alibi in ſella ſedens axilla ſiniſtra innititur haſtæ, dextra concham prętendit, pede proram calcat.

Idem in Auguſt. pag. 33.

SEXTVS æreus, ab Alexandrinis cuſus, in memoriam naualis victoriæ in portu Alexandrino reportatæ, contra Antonium & Cleopatram.

Idē in eod. pag 55. Ibidem.

SEPTIMVS, Monumentum eſt Actiacæ victoriæ, apud Aſcalonitas ſignatus.

Ibidem.

OCTAVVS ab Herode Iudæorum Rege in gratiam Auguſti fabricatus, eandem victoriam notat, & ædificationem vrbis Nicopolitanæ.

Idem in Iulio, pag. 10.

NONVM, Plebs Alexandrina Iulio Cæſari cuſit, poſt Ægyptios maritimo prælio ad Pharum debellatos. Vultus Iulij Cæſaris Pont. Max. inuerſò numo videtur.

Ibidem.

DECIMVS æreus, Iulij Cæſaris III. Coſ. imaginem habet: à poſticâ parte, eundem cum L.Sulpicio Prætore ſigniſque militaribus in decemremi, Sulpicij maritimæ victoriæ Vibone ad Fretum, contra Caſſium, Magni Pompeij legatum, inditium.

VNDECI

V N D E C I M V S, Axuritanorum eſt, qui Iouem Axurium, hoc eſt, imberbem, colebant: ξυρὸν enim nouaculam Seruius interpretatur, qui autem imberbis eſt, nouacula non eget. Hic imberbis Iupiter in curru, ſicut & in anteriore numi parte, in qua caput eius lauru coronatum, & infra collum, fulmen. Victoriam notat triumphalis currus, naualem, delphinus. Sed quænam illa fuerit, nondum inueni. Deductis ibi maritimis colonis L. Aimilio Mamercino. C. Plautio Proculo Coſſ. ob id tamen Axuritani, qui & Taracinenſes, & Trachinij, ſacroſanctam vacationem non obtinuerunt, quâ ceteri coloni maritimi vtebantur. Nunc ad numos venio Latinas inſcriptiones habentes. *Idem in Magna Græcia, pag. 19.*

MARITIMARVM VICTORIARVM NOTÆ

In numis antiquis Latinas inſcriptiones habentibus.





Golt᷑. in Auguſt. pag. 68. PRIMVS ex ære, Actiacæ Auguſti victoriæ monumentum eſt, quâ Amor tandem, Pax & Concordia Romanis manſit. Ab Anticâ parte vultus eſt Auguſti.

Idem in Faſtis, ann. 586. SECVNDVS argenteus, victoriæ naualis indicium à Cn. Octauio, Pauli Æmilij legato reportatæ, qui Anno Vrb. DXXCVI. ex Macedoniâ & Rege Perſe naualem egit triumphum. A Priore parte vultus Romæ cum anchora.

Idem in Faſtis, ann. 608. TERTIVS, Deſignat victoriam naualem L. Mummij de Achaicis, & Corinthiis. Argenteus eſt, ab alterâ parte Neptuni vultum oſtentans, cum hoc cognomine, ACHAICVS, quod ad anticam partem refertur, in quâ, hæ litteræ ſunt, L. MVMMIVS, vt ſit, L. Mummius Achaicus, ab Achæis deuictis ſic denominatus.

Idem in Faſtis, ann. 646. QVARTVS ex argento, victoriam naualem C. Marij II. Coſ. de Numidis & Rege Iugurthâ deſignat.

Id. in Faſt. an. 694. QVINTVS eiuſdem metalli, Conſulis Bibuli eſt, quam victoriam naualem ſignificet, ignoto:

Nam fieri Bibulo Conſule nil memini.

Id in Faſt. an. 716. SEXTVS, In memoriam M. Agrippæ, poſt Pompeium mari Siculo victum, fabrefactus eſt: ab aliâ parte effigies eſt Agrippæ coronati roſtratâ, cum hoc titulo: M. AGRIPPA L. F. PRÆFECT. ORÆ MARITIMÆ ET CLASSIS.

Id. in Faſt. an 548. In SEPTIMO argenteo, victorem maritimis prælijs P. Scipionem, in puppe ſtantem, cum aquilâ Romanâ, ſuſcipit Africa in prorâ, innixa clauo, ſpicas geſtans, coronato turribus capite. Ab alterâ huius numi parte Neptunus lauru coronatus eſt, cum fuſcinâ.

OCTAVVS

Octavvs & Nonvs, Eodem tempore partas duas nauales victorias notant, ambo argentei: hic M. Æmilij Pauli, ille Seruij Fuluij Pætini Nobilioris, de Coſſurenſibus ſcilicet, & Pænis. Hic, Romæ galeatæ caput habet à poſticâ parte: ille, Victoriæ imaginem vſque ad vmbilicum. Hic, coronâ ſupra octiremem poſitâ, Imperatorum Romanorum morem notat, qui, vt iam ante dixi, vbi victoriam reportauerant, triremem, aut pentiremem, aut aliam nauem lauru coronatam Romam præmittebant, inditium victoriæ. Ille, Neptúno in curru cum tridente collocato, oſtendit, Neptuni fauore victoriam Fuluio obueniſſe: qui Ann. Vrb. cond. cdxcix. vii. & xiii. Kalend. Febr. triumphum naualem egit. *Idem in Faſt.1, ann.499.*

Decimvs, Q. Lutati: Cerconis victoriam naualem de Pœnis oſtendit. Hanc coronam non ex lauru, ſed ex apio paluſtri eſſe, intra quam decemremis incluſa eſt, auſim aſſerere. Et ſicut triumphatores lauru coronabantur, qui multos hoſtes occiderant, ſic apio, qui pauco ſanguine, aut nullo, victoriam, & pacem patriæ pepererant. Hic enim Q. Lutatius, cum Romani ad Ægates Inſulas à Pœnis victi eſſent, in Siciliam cum fratre C. Lutatio Catulo traiecit, leuíque pugnâ hoſtibus territis, pacem petentibus dedit, quâ, Pœni Siciliâ, reliquíſque Inſulis, quæ inter Italiam & Africam ſunt exceſſerunt. Vndè putauerim lauream coronam è ſuo numo Lutatium eieciſſe, cædis ſignum: eandémque ex apio, vel oliuâ ſumpſiſſe, quòd in ludis Nemæis, qui citra ſanguinem vicerant, apio coronabantur, eodémque monumenta defunctorum quondam tegebantur, vt intelligeretur, eos iam in pace & quiete eſſe. Apium itaque pacis ſignum, ſicut & oliua, de quâ hîc coronam, ſi volueris, ſumes. Poteſt etiam fieri, vt velut his, qui bello terreſtri leui cruore finem impoſuerant, ouatio cum coronâ oleacea concedebatur: ita hi, qui pacem Pop. Rom. exiguo hoſtium ſanguine in mari fecerant, ceu victores Athletæ in Nemæis, apio pacifico coronarentur: quod tamen è coniecturâ mea eſt, nullibi hoc lecto. Poteſt & exiſtimari ea corona è gramine, quæ non Imperatoribus militi, ſed Imperatori à Senatu in ſupremâ deſperatione dabatur, non, ob ſeruatum vnum ciuem, ſed erepto ab imminenti clade vniuerſo exercitu, ducis prudentiâ: quod dicto Q. Catullo in Siciliâ euenit, contra omnium expectationem, integro exercitu à Pœnorum inſidiis atque armis liberato. Quia autem rarò id accidebat, ideò gramineæ coronæ apud Romanos raritas, & in præmiis gloriæ: gemmatæ, aureæ, vallari, murali, roſtratæ, ciuicæ, & triumphali potior. Dabatur hæc viridi è gramine, vel à Senatu, vt dixi, vel à milite, eo loco decerpto, quę Imperator ab hoſtili obſidione ſeruaſſet. Namque ſummum apud antiquos ſignum victoriæ erat, herbam porrige- *Vrſinus in gente Lutatia.* *Sigon. in Faſtis, ann.512.* *Plut. in Sympoſiac.* *Plin. lib.22. capp. 3.4.5.& 6.*

Y 2 re

re victos, hoc eſt, tellure cedere. Eâ coronâ iſti tantùm donati leguntur: L.Sicinius Dentatus Imp.à Senatu.P.Decius Mus, Tribunus militum, ab exercitu: Fabius Maximus ab eodem Sen. quòd rem Romanam non pugnando reſtituiſſet: M. Calphurnius Flamma, Cn.Petreius, Sylla, Sertorius, Scipio Æmilianus, & Auguſtus.

VNDECIMVS & DVODECIMVS, Ad bellum Mithridaticum, & Piraticum ſpectat. In priori, Imp.Cn.Pompeium poſt victoriam de Piratis reportatam, confecto bello, de naui in Romanum littus deſcendens, quod ſpoliis hoſtium onerauerat, à Româ ſuſcipitur. In poſteriori, M.Poblicius, eiuſdem Pompeij legatus, de naue exiliens, Romæ occurrenti palmam offert, de piratis pelago ſuperatis. Quibus accedit & ſequens numus, in quo bellum Mithridaticum mari confectum oſtendunt, ſupra proram temerè congeſti temo, & anchora, & Roma, paludato Imp. Sullæ, dextram porrigens. Similis denarius Q.Metelli videtur in Faſtis, Anni DCXXI.

Goltz. in Faſtis, an.673. *Numus* XIII.

DECIMVS QVARTVS Argenteus, M.Licinij Craſſi naualem victoriam refert, Româ ſpolia hoſtilis claſſis calcante.

Idem in Faſtis, an. 688.

VLTIMVS ab auerſa parte Neptunum habet coronatum cum fuſcinâ: ab anticâ, Victoriam quadriiugum currum agentem, infra equorum pedes triremis: ab vtroque latere, hoc legitur: M. PVPPIVS M. F. PISO FRVGI. Huius Piſonis Pro-Coſ. naualem indicat ex Hiſpaniâ victoriam. Ex iis apparet victoriarum maritimarum inditia eſſe in numiſmatibus antiquis, præter iam memorata, Neprunus lauru redimitus: vel fuſcinâ carinam quatiens, ramum lauri à tergo inſculptum habens, aut ſuperpoſitus columnæ, ſiniſtro pede roſtrum nauis ſuperbè calcans. Præterea Taras Neptuni filius delphino inſidens, victoriámque ſuſtinens dextrâ: Triton coronatus tridentem gerens: Victoria triremem coronans; aut aquilam, aut aliud ſignum militare: Imperator coronatus de naui militaria ſigna oſtentans: delphim implicitus gubernaculo intra lauri coronam: pentiremis intra eandem coronam; ſuper nauem gubarnaculum, anchora, & corona lauri; Neptunus coronatus, ab hippopotamis vectus; ſupra delphinum ramus lauri: Neptunus coronatus, pede premens triremem; Imperator cum aquilâ à muliere ſuſceptus, ſiue à Româ, ſiue ab aliqua Prouincia, dum exit de naui: Neptunus in curru triumphali tractus, ſcuticâ feriens equos inter turbidas vndas natantes, cum alluſione ad Imp. mari victorem: ÆQVORIS HIC OMNIPOTENS. Roma Dea, naualia ſpolia conculcans; Victoria triumphans, triremi infra equorum pedes poſitâ. Sunt & aliæ infinitæ propè naualis victoriæ notæ in aliis numis: quales, Triton coronarus in denariis L.Valerij Aſciculæ; Neptunus coronatus acroſtolium tenens, pedéque

Idem ann.684.

Apud Vrſinum.

déque triremem calcans, in denariis L. Poſthumij Albini, idem ria crura dextrâ præferens, ſymbolum Siciliæ, quo numo victoriam Iulij Cæſaris, de M. Catone Siciliâ pulſo, indicatur; gubernaculum cum ſceptro, & coronâ laureâ, in denario Cn. Lentuli. Cupido coronatus delphino inſidens, in denariis Cordij Rufi, & L. Lucretij Trionis; pars nauis, delphin & ſceptrum, in argenteo Pompeij Magni, piraticæ factionis debellatæ monumentum. Taras nunc cochleam, nunc limacem, nunc delphinum, nunc ſtellas marinas, aut Polypum geſtans, à victoria coronatus, in argenteis numis Tarentinorum: in quibus etiam idem Taras conchâ turbinatâ victoriam canit, circum locuſtæ, ſiue Cammaræ maritimæ, cancri, mytili, conchæ ſtriatæ, Nereides, Tritones exultantes, gryphi marini; Scylla coronata: item caput Martis galeatum, in cuius galea inſculpti ſunt Tritones, Nereides, vel hippopotami, victoriæ maritimæ indicium eſt. Palladis quoque galea, Tritonibus, Nereidibus, vel gryphis inſignita. Item corona roſtrata, vt in numis Auguſti: columna roſtrata cum iconcula ſuperſtante, in aureis Veſpaſiani numis: Neptunus, dextro crure inſiſtens globo, cum acroſtolio in dextrâ, haſtâ in ſiniſtrâ, in Titi numis: Fortuna ſiniſtro crure inſiſtens proræ nauis, dextro remonem premens, in argenteo Antonini Pij. L. Septimius Seuerus, domitâ Britanniâ, numũ cudi iuſſit, in quo Neptunus ſiniſtrâ tridentem gerit; dextrâ innititur montibus: eſt & figura pedibus Tritonem atterens, in Græco argenteo Eliogabali: figura turrita dextram protendens, ſub cuius pedibus Triton; in Græco Alexandri Seueri. Monſtrum marinum, in æreo numo, indicium naualis victoriæ Gallieni de Scythis reportatæ: in galea Poſthumi Imp. bigæ equorum marinorum: naualis victoriæ ad oſtium Rheni à Poſthumo iuniore relatæ, monumentum in argenteo numo, Rhenus bicornis iacens, cubitum ſiniſtrum globo innixus, anchoram tener è naui pendentem. Sunt & aliæ quædam maritimarum victoriarum indicationes, cum terreſtribus communes, vt bigæ, & quadrigæ currum trahentes, in quo, vel Imperator vel Victoria, vel Pallas, vel Iupiter fulminans, in Q. Valerij, & Lutatij numis, qui de Pœnis & Sicilia naualem triumphum duxerunt. Item in Cn. Fuluij, & L. Æmilij denariis: quorum hic Antiocho nauali prælio victo, ille Illureis mari debellatis, triumphauit. Specificæ notæ ſunt, præter iam dictas, Triton, velut in æquore, ludens, ſub triumphali curru, nunc vnâ, nunc geminâ caudâ verberans fluctus, baculum coronarum, vel fuſcinam humero portans. Neptunus Orbis figuram calcans. Aquila coronata, haſtæ infixa, in prora nauis: aut inter duo ſigna militaria collocata, cum nauali trophæo. Victoria de prora palmam, aut coronam lauream oſtentans, in numis Tripolitanorum, Alexan-

Apud Goltz. in Faſtis, an. 599. & an. 705.

Apud Urſinum.

Apud eundem in gente Pompeia.

Apud Goltz. in Magna Græcia.

Ap. Occonem in argenteis Sex. Pompeij, ad Ann. Vrb. 686.

Apud Occon. ad An. Vrb. 789.

Apud eundem ad An. 822. 828. 910. 961. 974. 987. 1013. 1015.

drinorum, & Nicopolitanorum. Ceterum ne iiſce in rebus prolixior, & forſan futilior ſim, finio, ad alia numiſmata properans, oſtentatione, vel tituli, vel imaginis, loquentia.

CAPVT VIGESIMVMSEPTIMVM.

De honoribus Imperatoribus, Ducibus, Militibus, & populis Socialibus, attributis, qui bello nauali vicerant, aut in eo ſe ſtrenuè geſſerant.

CONSENTANEVM eſt, expoſitis iis quæ à victore Imperatore poſt pugnam maritimam fiebant, ſubiungere ea, quæ illius cauſâ, à Senatu populóque Romano decernebantur, & fiebant; ex veterum ſimul numis, & ex hiſtoricis. Qui ſequuntur numi, ad propoſitum plurimum faciunt:





Comm. ad Epigr. 5. l. 7. Martial.

Expositio I. *numi tabulæ præcedentis.*

Apud Goltz. in August pag. 48.

Apud Occon. ad Ann. Urb 809. 871. & 940.

Vt laureata nauis Tybrim tetigerat, lectis in Sen. litteris, laureatis etiam, quibus res quas mari geſſerat Imperator ad Sen. ſcribebat, vota pro reditu illius ſuſcipiebantur, araque ad quam ſacrificaretur, ob hoc ipſum erigebatur. Sic vbi Sen. victorē apud Actium Auguſtum accepit, ob illius reditum aram conſtrui iuſſit, cum hoc titulo, Fortvnæ redvci Cæsaris Avgvsti S. P. Q. R. Quæ & ipſa aræ imago, cum hoc titulo eſt, in aureo numo Auguſti: in cuius alterâ parte illius eſt effigies coronata quercu: quâ etiam coronâ, pace hac maritimâ victoriâ partâ, ſeruatiſq; ciuibus, à Sen. & Pop. Romano donatus eſt. Aram porro erectam ob victoriam maririmam, duo ſupra eam delphini iacentes oſtendunt. Extant & alij numi eodem titulo, & ob idem argumentum cuſi, vt argenteus Hadriani, in expectatione aduentus eius ex Antiochiâ Syriæ, ſignatus: vbi Fortuna in naui clauum gubernat: cum hac inſcriptione Imp. Cæs. Traiano Hadriano Avg. divi Traiani Parthici f. divi Nervæ nep. p. m. Tr. P. Cos. fortvnæ redvci. Additur in aureis eiuſdem, cornucopiæ, Fortunæ ad gubernaculum ſedenti, cum ſupradictis litteris. Quod in numis quoque Commodi expreſſum eſt. Eadem de cauſâ Imperatoribus redeuntibus à nauali victoriâ III. Viri monetales numos cudebant, Victoriâ ſignatos, quæ in orbe ſedens, coronam lauream redeunti Imperatori nectebat. Huius generis argentei & aurei à curioſis manibus tractantur, poſt Actiacam victoriam Romæ in honorem Auguſti fabricati: in cuius etiam gratiam Martis ſtatuam vultu Auguſti, vexillum nauale, quod cæruleum eſt tenentem, Pop. Romanus Ioui Capitolino vouit, cum hoc titulo, qui in aureis argenteiſque illius Imperatoris numis legitur. Votvm perpetvvm svsceptvm pro salvte et reditv Iovi opt. max. sacrvm. Circa caput Auguſti, inuerſo numo, hoc additur. S. P. Q. R. Imp. Cæsari. Edixerat enim Sen. vt quotannis, iv. Non. Septembres, quâ die vniuerſus orbis Rom. victo ad Actium Antonio, ad Auguſtum reciderat, in perpetuum ob id Ioui Opt. Max. ſacrificaretur. Omittebam, non modò triremem, & litteras lauru redimitas,

Expos. II. nvmi.

Apud Goltz. in Auguſto, pag. 44.

Exposit. III.

Apud eundem, pag. 48.

Cæſar lib 3. belli ciuilis.
Tacit. lib. 9.

redimitas, ad Sen, vel deſinente Rep. ad Imperatores, miſſas; ſed & faſces, cum inſignibus laureæ. Miratur Cæſar, hoc à Pompeio bello ciuili vſurpatum non fuiſſe, MDCLX. militum cæſis. Contra à L. Vitellio, Vitellio Imperatori laurea miſſa eſt.

Martial. lib. 7. epigram 5.

Publica victrices teſtantur gaudia chartæ,
Martia laurigerâ cuſpide tela virent.

Suet. in Calig. c. 44. Xiphilinus.
Lib. 7. ad Attic.
Zonar. in Camill.
Sigon. de ant. iur. Prouinc. lib. 2. c. 7.
Roſin. lib. 10. c. 28.

Ij per quos litteræ & faſces laureati mittebantur, à Græcis δρομοκήρυκες, βιβλιαφόροι, ἀγγελιαφόροι, πτεροφόροι, dicti; à Latinis, Latores: qui curru de littore excepti ad forum vſque & Curiam deportabantur. Hos Gerones Cicero vocat: qui & ipſi coronati erant. Curſores Zonaras, D. Hieronymus, Portitores. A Senatu poſt vota pro Salute Imp. vel Principis ſuſcepta, ſupplicationes abſenti decernebantur; nempe, cùm Sen. Deûm templa aperiri, ac gratias Diis, Imperatoris nomine, agi iubebat, per plures dies, quibus Sen. ad templa ſe conferebat, ibique ſacrificabat, epulúmque dabat in ipſis templis: pérque hos dies feſtos Pop. Rom. feriabatur, & ſacta faciebat. Cn. Pompeio, Mithridatico bello confecto, XII. ſupplicationum dies conceſſi. Iam Imperator victi Regis, aut principis naue inuectus, ornatâ hoſtilibus ſpoliis, aduerſo Tiberi ad vrbem ſubuehebatur: quod Perſeo victo, Paulus Æmilius fecit. Venienti P. Rom. in littore occurſabat, per cohortes & phalanges longo ordine diſtributus: quod Pompeio Magno è Mithridatico bello redeunti factum eſt: vt denarij illius oſtendunt, in quibus illum, de prorâ exilientem, Roma benignè ſuſcipit, obuiam ad littus progreſſa, & dextram victori porrigens. Sexto Pompeio debellato, Sen. longè extra vrbem ad Auguſtum ſuſcipiendum progreſſus eſt, ſubſequente populo cum floreis coronis, ramíſque è lauru: ductúmque Cæſarem in Capitolium ad ſacrificium domum vſque omnes comitati ſunt. Additi honores, vt ſtatua equeſtris illi in roſtris poneretur, eo habitu, quo Pont. Max. in Capitolio ſacrificauerat: conceſſum etiam, vt quotannis eâ die, quâ Sext. Pompeium mari Siculo vicerat, ſacerdotio ſolemniter vteretur. Vt iiſdem in roſtris columnæ roſtratæ, ob id erectæ, ſtatua aurata cum paludamento, & haſtâ collocaretur, cum hoc titulo: IMP. CÆSARI AVG. PACE TERRA MARÍQVE PARTA S. P. Q. R. Quod ex Auguſti aureis, argenteíſque numis conſtat, in quibus eiuſmodi ſtatuæ videntur. C. Duillio columnam roſtratam cum ſtatuâ paludatâ in foro erectam, quòd primus Rom. claſſe vicerat ſupra* docuimus. Quod antea factum fuiſſe niſi C. Mænio Coſ. nullus prodidit. Non quod Mænius claſſe vicerit, ſed quòd deuictis Antiatibus, in eorum nauali roſtratas VI. ceperit: Anno Vrb. cond. CCCCXVI. unde roſtra Romana compacta: & ob id, illi ſtatua in foro columnæ impoſita, alteráque in ipſis roſtris. Hoc Tito Imp.

Plut. in Paulo.
Liuius Dec. 5. l. 5.
Appian bell. Mithrid. cap. 16.
Vrſin. in gente Pompeia.
Appian. bell. ciu. lib. 5. cap. 13.
EXPOSIT. IV. & V. NVMI.
Appian. lib. 5.
Apud Goltz in Auguſt. pag. 46. & 47.
** P. 12. 66. Inſcriptionis, quæ in baſi columnæ extat, interpretationem, ſi volueris, eam apud Lipſium inuenies, lib. 2. antiquar. lection. cap. 14.*

Imp. etiam datum indicat numus eius argenteus, in cuius ſiniſtra parte, ſtatua eius cum vexillo roſtratæ columnæ inſidet. Ab altera effigies Titi, cum hoc titulo ab vtraque: IMP. TITVS CÆSAR VESP. AVG. PONT. MAX. TR. P. IX. IMP. XIV. COS. VII. P. P. Iſtud peculiare: M. Æmilio Lepido equeſtrem ſtatuam dicatam fuiſſe, poſt triumphum eius ex Hiſpania, trophæum nauale, haſtæ inſertum, in quo ſpolia exarmati hoſtis, & nauis prorâ, dextro humero ſuſtinentem. Quod etiam trophæum in eiuſdem argenteis numis videtur, inter duo ſigna militaria. Statuam eam equeſtrem in ipſis roſtris cum trophæo nauali conſtitutam probat numus, in quo ſub Lepidi equeſtri ſtatua, roſtrum nauis eſt. Forma autem & figura roſtrorum Romæ Libertati ſacratorum extat in numis Paliкani, & Auguſti. Extructi & arcus in Auguſti honorem, hinc & indè apparentibus roſtris; ſupra, triumphantem in curru Imperatorem Victoria coronat. Inſcriptio in numis eius hæc legitur. S. P. Q. R. IMP. CÆSARI. Huius honoris, & aliorum, Auguſto à Sen. delatorum meminit * Dio, cùm, ait. Illi de Cleopatra triumphus conceſſus eſt, & fornix trophæum gerens Brunduſij, aliáſque in foro Romano: vtque ſacrarij D. Iulij baſis, captiuarum nauium roſtris ornaretur: Indíque in honorem eius quinquennales haberentur: feriæ eſſent eâ die natali eius, ac eâ die, quâ victoriæ nuncius allatus fuit. In his arcubus honorariis, ſpolia hoſtibus direpta aggerabantur, trophæíque ſpecie, captiuorum greges inſculpebantur.

Goltz. in numis M. Lepidi.

Ibidem.

Vrſin. in familia Lollia, & Sulpitia, vbi de diuerſis roſtris agit in vrbe erectis.

EXTROS. VI NVMI.

Apud Goltz in Auguſt pag. 47.

** lib. 51.*

----currus ſummo miramur in arcu
Quadriiugos, ſtantéſque duces in curribus altis,
Sub pedíi uſque ducum captiuos poplite flexo
Ad iuga depreſſos, manibúſque in terga retortis,
Et ſuſpenſa graui telorum fragmina trunco,
Æráque veſtitis numeroſa puppe columnis.

Prudent lib. 2. in Symmachum.

Legebantur & tituli, cauſam extructi arcus præferentes. Inſculpebantur & aliarum rerum imagines: triumphi pompa, ferculorum ordo, ſacrificia, nauales pugnæ, ceteráque id genus in marmore: quod in arcu Septimij videre eſt, ad radices Capitolij; & in arcu Conſtantini Magni infra Palatium. Supra fornices ſigna aurata conſtituta, æreæque ſtatuæ, Deorum & hominum, ornamenti gratiâ. Quód & Græcos feciſſe legimus, ludis & ſpectaculis editis in gratiam Populi. Ann. vrb. cond. MXXII. Claudio Imp. ob Gothos nauali prælio victos, clypeus aureus à Sen. in Curiâ decretus eſt, ſtatua aurea in Capitolio antè templum Iouis, & altera argentea iudicio omnium gentium in roſtris palmatæ columnæ impoſita. Apud Græcos, victores è nauali prælio redeuntes, equis coronatis excepti, vrbem ingrediebantur, aris

Claud. Panegyr. 4.

Diodor lib. 12.

Trebell. Pollio.

Plut. in Dione. Arato, Nicia, Alcibiade, Lyſandro, & Pericle.

Diodor. lib. 13.

Sabell. Enn. 3. l. 9.

per vias & compita diſpoſitis, inſcenſis aromatibus, floribus & frugibus ſparſis, tanquam in aduentum Genij vrbis: ſtatuæ etiam erigebantur & conſecrabantur, coronæ quoque lemniſcatæ offerebantur progredientibus, tibiis iocundum carmen modulantibus, coronatis militibus & nauclairis, galeis, thoracibus, & clypeis de tranſtris nauium ſublatis, deportatíſque: hoſtium verò ſpolia, vel deorum templis ſuſpendebantur, conſecrata, vel in ipſo littore, cum captiuis nauibus cremabantur. Ceterum mos apud Romanos erat, vt triumphum petentes, extra vrbem ſuſtinerent, ibíque decretum Sen.expectarent: Facto à Sen.decreto, de eodem & ad Pop. ferebatur, ac præterea rogabatur, vt eo die quo Triumphus duceretur, imperium triumphanti daret: ſiquidem id nemo niſi populus dare poterat. Imperator autem accepto Sen.decreto, & Plebis ſcito, pecuniáque in apparatum & ſumptus Triumphi, nocte pompam præcedente, copias in campo Martio ordinabat, vt primò diluculo Triumphus duceretur. Sed antea captiui, & prædâ inter milites, pro re benè geſtâ diſtribuebantur. Sic Lutatius Coſ. Ann. Vrb. DXII. victis nauali prælio Pœnis, prædam & captiuorum corpora, inter ſuos milites diuiſit, Auguſtus, mari Siculo fracto Pompeio, diuiſo argento & auro ſignato per cohortes, &.phalanges, ſingulos laureâ coronâ donauit. Ipſe Imp. triumphali habitu ornatus, armillis ſumptis, lauru coronatus, & ramum dextrâ tenens, populum in campo Martio conuocabat: & militibus publicè, quibuſdam etiam ſeorsìm laudatis, pecuniam diuidebat, & ornamenta, armillas, haſtas puras, & coronas, expreſſo in iis nomine & facinore viri. Ceterum nemini militum coronam naualem, neque vexillum cæruleum datum ab Imperatore legi, quamuis multi inter militaria dona, quæ ſcilicet militibus dabantur, aureas coronas roſtratas numerent. Primus omnium Romanorum, præfectus claſſis Pompeianæ, bello Piratico abſoluto, M.Varro, corona nauali donatus eſt. Poſt hunc M.Agrippa, ab Auguſto, ob Sext. Pompeium nauali prælio victum aureâ nauali, ſiue claſſicâ, non modò honoratus eſt, ſed & vexillo cæruleo, & triumphalibus ornamentis, cum honorem triumphi ſibi, & Cæſaribus Auguſtus reſeruaſſet. Figura autem coronæ aureæ, qua donatus eſt M. Agrippa ab Auguſto, in aliquibus numis, diſpar eſt, ab iis quas in initio huius capitis obtuli, compacta ſcilicet è murali, & nauali, pinnis murorum roſtris nauium ſuper-impoſitis; hac caput Agrippæ vincitur, in aureo argenteóque numo, à Goltzio relato in Faſtis Ann.vrb.cond. DCCXXXIIX. cum his litteris: M. AGRIPPA. COS. TER. Et infra: COSSVS LENTVLVS. In aliis tamen numis æreis ab eodem in Auguſto figuratis, aurea ſola roſtrata, vel laurea ſimul & roſtrata frontem Agrippa redimitus oſtenditur,

Ioſeph. l.7.c.16.

Polyb. lib.1.

Appian. lib.5. b.ll.ciu.c.13.

Zonar.

Plin. l.16 c 4.

Dio lib 49.
Velleius lib 2.
Suet. in Aug c.25.
EXPOSITIO VII. & VIII. NVMI.
Apud Goltz. in Aug. p.29 & 30.
Roſtrata ſola coronatus Agrippa cernitur in aereo à Goltzio relato in Faſtis, Ann.726. & in aureo ad Ann. 736.

tenditur, dependentibus poſt tergum teniis. Nam, quod aliqui roſtratam à Romanis conceſſam volunt militi, qui primus hoſtilem nauem intraſſet, nullo exemplo illud aſſerunt. Ducibus hæc debebatur, qui claſſe vicerant, quod etiam rarò factitatum eſt, incepítque hic honos, à Pompeio, qui eâ primus, vt dixi, Varronem donauit. Celebre ob id donum, & poſt triumphum, ceteris ornamentis ornamentum inſignius, quo Agrippã Auguſtus decorauit, cum ſuo, & Agrippæ nomine, nam litteræ C. & A. in medio coronæ roſtratæ, Cæſarem, & Agrippam notant, prioribus litteris illud indicantibus. Tantus autem fuit aureæ coronæ claſſicæ decus, vt numum argenteum in honorem Auguſti cudi iuſſerit Caligula, illius vertice coronâ nauali inſignito: & Claudius Imp. ab expeditione Britannicâ redux, inter hoſtilia ſpolia, eandem coronam faſtigio Palatinæ domus iuxta ciuicam fixerit: traiecti, & quaſi domiti Oceani, monumentum. Imperatoribus ſcilicet, tam rarum ſublimémque honorem ſibi arrogantibus: quod antea de triumpho fecerant, qui cùm olim Ducibus concederetur, hunc ſibi peculiarem iidem voluerunt. Namque vltimus terreſtris triumphus Conſulum fuit, P. Silij de Pannonicis, & L. Aſinij de Sauromateis Ann. Vrb. cond. DCCXXXVIII. Vltimus verò naualis. L. Sempronij ex Africâ Ann. eiuſdem Vrb. cond. DCCXXXII. vt relatum eſt, in tabulis Capitolinis, nam de eâ victoriâ & triumpho, hiſtorici nihil prodiderunt. In numo illius ann. Victoria lauream de curru prætendens, cum prorâ nauis infra currum ſignata, & titulo, cauſam, & triumphum notat. Igitur triumphorum honos Auguſto rerum potiente, Conſulibus, aliíſque viris illuſtribus ereptus, & ſola triumphalia ornamenta illis relicta, cum corona nauali, & aliis honoribus. Pauciſſimos tamen Duces inuenio, qui claſſica donati fuerint, poſt Varronem & Agrippam, vnum ſcilicet, alterúmve, & primi quidem nomen è veteri marmore vetuſtas conſumpſit, hunc tamen Suram Licinium putauerim, qui ſub Nerua Traiano plurimum potuit, vt eſt apud Dionem Caſſium, namque & amicus ſingularis Traiani fuit, vt ille ſcriptum reliquit, & tribunus militum, parazonio ab eo accinctus, & ſtatuâ de publico inſignitus. Addit marmoris inſcriptio: LEGATVM. PRO PRÆT. AD EODEM DONATVM HASTIS PVRIS VIII. VEXILLIS VIII. CORONIS MVRALIB. II. CLASSICIS II. AVRATIS. ILLI TRIVMPHALIA ORNAMENTA STATVAMQ. PECVNIA PVBLICA AVCTORE IMP. TRAIANO POSITAM. Non deeſt tamen ſuſpicio, hunc titulum ſine nomine, in gratiam Hadriani, qui poſt Traianum regnauit, conditum. Quòd in eo ſcilicet, is, qui claſſicas duas auratas meruit, Legatus Prætorius dicitur, & Legatus Legionis I. Mineruiæ, & Tribunus Ple-

Occo ad An. V. 789.

Suet. in Claudio, cap. 17.

Vide hanc inſcript. apud Vrſinum in famil. Arria. Et apud Lipſium, inſcript. ant. fol. 66.

bis, quæ omnia conueniunt cum iis, quæ à Spartiano memorantur in Hadriano. Sic & Aureliano ſucceſſori ſuo, nauales coronas dedit Imp. Valerianus: Aureas certè, & forſan, ob id metallum, quam ob roſtrorum effigiem, rariores, decentiores & honoratiores: Nam & puram auream, Ducibus, ſiue Impp. Græcorum datam, in vſum Romanorum Impp. traductam legimus. Habitus hic honos, primùm Alcibiadi: nam vt è naui egreſſus eſt, quamquam Teramenes & Thraſibulus eiſdem rebus pręfuerant, ſimúlque venerant in Piræeum, tamen illum omnes proſequebantur: & quod, nulli antea vſuuenerat, niſi Olympiæ victoribus, coronis æreis, aureíſque vulgo donabatur. Pro, æreis, aureíſque, legendum puto, coronis aureis tæniíſque: nullæ enim ſine tæniis coronæ, vt ex ſupra memoratis numis VII. & VIII. huius capitis videtur. Hunc quoque Scionæi, vt eſt, apud Thucydidem, ceu Græciæ liberatorem, alterúmque Olympionicem, aureâ corona & tæniis reuinxerunt. Vnde aurum coronarium, quod poſtea Imperatori Romano à Prouinciis dabatur, poſt deuictos hoſtes, mox auaricia gliſcente, quod ſpontaneum erat, coactiuum eſſe cepit, non modò triumphantibus Impp. præſtitum, ſed in natali die quotannis, die quoque ſuſcepti Imperij, adoptionis, ludicris ſpectaculis, ingreſſu Impp. in Prouincias, aduentu, & quacunque alia pompa, ita vt etiam inter tributa numeratum ſit, & Prouinciis in neceſſitatibus cum ceteris tributis remiſſum: quamuis lege cautum eſſet. Ne quis aurum coronarium, hoc eſt, coronas aureas à Prouincialibus oblatas acciperet, niſi triumpho decreto ad decorandum triumphum. Itaque vexillum cæruleum, claſſica corona, & triumphalia ornamenta Ducum fuerunt, qualia, patera, armillæque aureæ, ſella curulis, ſcipio eburneus, nomina triumphalia, & alia huiuſmodi, quæ ſtatim ſubiungam: vbi dixero, inclinante Imperio inter inſignia illa, vexilla bicoloria, tunicas Ducales, pallia Proconſularia, & ſubarmalem profundum fuiſſe. Militum verò decora & munera ob rem benè nauatam fuerunt, pecunia, ſtipendium duplex, vacatio, armillæ argenteæ, annuli, enſes, balthei, clypei, fibulæ, ad veſtem ſubligandam, & eæ ex argento, tunicæ ruſſæ, ſagochlamydes, vexilla, criſtatæ galeæ, torques, haſtæ, laureæ coronæ, vallares, murales, & ciuicæ etiam militantibus in mari. Dixi alibi, murali donatum Sext. Digitium ſocium naualem à Scipione in obſidione Carthaginis Hiſpanicæ, de ciuica, in epitaphio, Spoleti.

Vopiſcus.

Verba Probi.

C. De auro coron. l. 12. tit. 13.

Ammian. Marc. lib. 5.

Cicero orat. in Piſonem.

Vopiſc. in Aurel.

L. COR

L. CORNELIO. L. F. BEATISS.
VIXIT. ANN. XXIX. FVIT
ORDINIS. MILI. COH.
L ABVIT. VII. SPOL. XI.
CORO. CIVICA. A. CLASSE
ROMA. CVM. EORVM
NOTA. INTERF. PERIIT
ET. A. SOCIIS. CONCLAMAT
EST. S. C. EX. ARARI. CIVI
SVO. NOBILISSIMO. ET. B. M.
P. III. IDVS. IVLIAS.

Lipſius in auctario inſcript. veter. pag. 42.

Dixi triumphalia ornamenta ducibus data, qui Imperatori Romano vicerant, ea gerebant, vel ſubſequentes in equis triumphantium currum, vel cùm in publicum procedebant, aut Senatum intrabant, vel Tranſuectionis die, ſacriſque & ſolemnibus diebus, quorum etiam partem, cum titulis rerum geſtarum, in armariis ſuis domum ſeruabant, aut in templis porticibúſque reponebant. Erant autem iſta omnia triumphi inſignia (ſi currum, fercula, & pompam dempſeris) faſces, trabeæ, annuli, phaleræ, prætexta, toga picta, tunica palmata, corona aurea, & laurea, ſceptrum cum aquilâ, & honos ſtatuæ. Addit & * Plinius mirteam coronam, tradítque, Papyrium Naſonem, qui primus in monte Albano triumphauit, de Corſis prælio nauali victis, mirto coronatum, ludos Circenſes exinde ſpectare ſolitum. Notandum eſt Impp. triumphaturos, de Capitolio, vel Palatio, palmatam tunicam accepiſſe, & nemini priuato fas fuiſſe eam domi habere. Gordianus ſenior palmatam tunicam, & togam pictam, primus Romanorum priuatus ſuam propriam habuit. Huius togæ, tunicæque, ſicut & ſceptri eburnei cum aquilâ, & coronæ è lauru monumentum extat, in aureo numo Auguſti, pace terrâ maríque partâ, ſignato, cuius alteram partem occupat Imperatoris effigies coronata quercu. Ante Auguſtum, toga picta triumphantium tantùm erat: Conſularis fuit, ſublato iam Conſulibus, Prætoribúſque triumpho, conceſſáque eſt illis, qui bello vicerant, inter alia triumphalia ornamenta: tandémq; pro triumphalibus illis ornamentis, Conſularia inſignia, aut Prætoria, aut Quæſtoria victoribus ducibus permiſſa. Si veterem memoriam huius moris repetas, origo triumphalium ornamentorum eſt à Scipione, qui Maſſaniſſæ auream coronam, ſellam Curulem, togam pictam, tunicam palmatam, ſcipionem eburneum, quia triumphum non poterat, donauit. Porſinæ à Sen. pro triumphalibus ornamentis, arcus in Alpibus extructus eſt, & corona

** lib. 5. c. 29.*
Capitolinus.
Expos. IX. NVMI.
Apud Goltz. in Auguſto, pag. 39.
Sidon. in Paneg. Maiorian.
Buleng. de Triumphis, cap 19.
Liuius lib. 30.

Dionyſius lib. 5.

cum veſte triumphali decreta, quam Kal. Ianuariis ferret. Quibus additum eſt, ſed rariſſimè, Imperatoris nomen. In numis aureis Agrippæ roſtratâ coronati, hic titulus eſt: M. AGRIPPA

Apud Goltz. in Auguſt pag 32.

COS. III. IMP. IIII. Imperatoris nomen M. Vinicius recuſauit, & Auguſto reddidit. Tito Blæſo conceſſit Tiberius, Ann. Vrb. DCCLXXV. Hactenus ferè dicta ſatis videbantur, de honoribus Ducum, & donis, quæ militibus ab Imperatoribus facta fue-

Alexand. ab Alexandro Genial. dier. l. 4. c. 18.

runt: iſta tamen addo. Heminam illis datam, & quartarium farris (vnde adorea laus bellica dicta eſt) bináque iugera, aut tantum agri, quantum vno die milites circumaraſſent: vacationem à militia, & immunitatem: nonnunquam pecus, ſtipendium & annonam duplicem, ſaga, tunicas, ius ciuitatis, ſenatoriæ dignitatis honorem, diebus ſolemnibus coronæ vſum: Aliquandò etiam altioris dignitatis, gradus, aut militaris dignitatis prærogatiuam militibus, qui ſtrenuam operam nauauerant, aliáque munera tributa fuiſſe. Lege Solonis apud Athenienſes cauebatur, vt præter ea dona, quæ militibus duces impartiti fuerant, illorum filij, qui bello occubuiſſent, publicè alerentur, & bonis diſciplinis inſtruerentur: dona quoque, quæ patri debebantur, filij acciperent. Frequens illis munus erat, corona aurata, nonnunquam tæniis & vittis caput ornare, aut publica ſepultura intra vrbem in Ceramico: námque intra mœnia ſepelire non licebat, niſi eos, qui ob ſingularem excellentiam, præcipuum hoc donum meruiſſent. Legimus, Syracuſanum Dionem, partâ victoriâ, à militibus aureâ, & Themiſtoclem, quòd Græciam liberaſſet, à Lacedæmoniis coronâ oleaginâ, & curru eximio donatos, laudatóſque magnificè. Milciadem, ob pugnam Marathoniam, ab Athenienſibus conſequutum, vt in Pæcile porticu, ſua imago in Prætorum numero inter primores ſculperetur. Agamemnon, Ho-

Iliad 7. & 19.

meri teſtimonio, Tydidem, quòd cum Hectore pugnaſſet, bouis immolati tergore & cornibus donauit. Achilli verò militaria munera largitus eſt:

Briſeis Achillis apud Ouidium.

Viginti fuluos operoſo ex ære lebetes,
Et tripodas ſeptem pondere & arte pares.
Addita ſunt illis auri bis quinque talenta,
Biſſeni aſſueti vincere ſemper equi.
Quódque ſuperuacuum eſt, formâ præſtante puellæ
Lesbides, euersâ corpora capta domo.

Liuius lib. 3. Decad 6.

Scipio Africanus, Agamemnonis æmulus, C. Lælium claſſis præfectum, bello nauali victorem, XXX. bobus donauit. Addidit

Liuius lib. 39.

Probus Imp. donum Tribuno, pateram ſacrificalem auream, quinque librarum. Fuluius, priuſquam in vrbem inueheretur, militibus ex prædâ 25. denarios ſingulis dedit: duplex Centurioni, triplex Equiti donatiuum fecit. Flaminius, CCL. æris in pedites diſtribuit,

diſtribuit, duplex Centurioni, triplex Equiti, Socij dimidio minùs quàm Romani accipiebant. Cn.Octauius,qui naualem egit de Perſeo triumphum, dedit ſociis naualibus in ſingulos, denarios LXXV. gubernatoribus, qui in nauibus fuerant, CL. magiſtris nauium CCC. L.Anicius,victis Illyriis, de prædâ militibus in ſingulos largitus eſt, quadragenos quinos denarios, duplex Centurioni, triplex Equiti, ſociis nominis Latini, quantùm ciuibus; & ſociis naualibus, quantùm militibus. Fuit & baltheus inter decora militaria: à Valeriano Probus, inter alia inſignia, accepit baltheum argento & auro rigentem,& vexilla puta quatuor. Deducebantur veterani, & qui vacationem à militiâ merueraut, in Colonias,quæ ob id militares dicebantur,præmium laboris. Dabatur & iiſdem ſtipendium è publico, & ius ciuitatis. Quod factum fuiſſe animaduerti, militibus,qui Miſenenſi, aut Rauennatienſi in claſſe xx. Annis bellauerant. Vetus extat monumentum ex Senatuſconſ. Ann. DCLXXV. *Trebellius.*

Apud Sigonium de antiquo Iure Prouinciarum, lib. 1.cap. 1.

Quod Q. Lutatius Q. F. Catulus Coſ. verba fecit. Aſclepiadem Philini F. Clazomenium. Polyſtratum Polyarci F. Caryſtium. Meniſcum Irenæi F. Meniſcum Thargelij F. Mileſium in Claſſe aſſuiſſe bello Italico ineunte, eos operam fortem ac fidelem Reip.noſtræ nauaſſe. Eos ex S.C. ſeſe in patrias recepiſſe, velle ſei ei videatur, vtei pro rebus bene geſteis ab eis erga Remp. noſtram eorum commemoratio fiat D.E.R.I.C. Aſclepiadem Philini F. Clazomenium, Polyſtratum Polyarci F.Caryſtium. Meniſcum Irenæi F.Mileſium. Meniſcum indidem. Thargelij viros bonos probóſq. & amicos declarare Sen. P. Q. R. exiſtimare eorum operam bonam & fortem & fidelem Reip. noſtræ fuiſſe. Quam ob cauſam Sen.iudicare vtei iei liberei poſtereiq. eorum in ſueis patrieis immunes rerum omnium & tributorum expertes ſint ſi quæ tributa ex boneis eorum exacta ſunt poſteaquam è patria Reip.noſtræ cauſa diſceſſerint, vtei ea omnia eis in integrum reſtituantur & ſi quod vadimonium præterierit ex quo ex patria Reip.noſtræ cauſſa diſceſſerint, nei ea res eis fraudi ſit. neiue quid eis ob hanc cauſſam minus debeatur neiue quid minus eis emere, vendere liceat. quæque hæreditates

reditates eis ſiue libereis eorum obuenerunt, vtei eas habeant, poſsideant, fruanturque. quæque ipſi liberei, poſterei, vxoréſq. eorum ab alio emerint, ſiue quid ab eis libereis, poſtereis vxoribuſq. eorum alij emerint, vtei eorum liberorum vxorumq. eorum poteſtas & optio ſit, ſeiue in patrieis legibus ſueis velint certare, ſeiue apud magiſtratus noſtros, apud iudices Italicos, ſeiue in ciuitate leibera, earum quæ vſque ad finem in amicitia Pop. Romanei manſerunt, vbiei velint, vtei ibei iudicium de eis rebus fiat. Seiqua iudicia de eis abſentibus poſteaquam è patria deceſſerint facta ſunt, ea vtei in integrum reſtituantur. Et de integro iudicium ex S. C. fiat. Seiquas pecunias dare debeant Magiſtratus noſtri ciuitates eorũ publice debeant, neiquid in has pecunias dare debeant, Magiſtratus noſtri quiquomque Aſiam, Eubœam, locabunt, vectigalue Aſiæ, Eubœæ imponent, caueerent, nei dare deberent. Et vtei Q. Lutatius M. Æmilius Coſ. A. A. S. E. V. eos in ameicorum formulam referendos curarent. Eiſque æneas tabulas amicitiæ in Capitolio ponere ſacrificiumque facere liceret. Vtei Q. Lutatius M. Æmilius Coſſ. A. A. ſei eis V. E. litterae ad Magiſtratus noſtros quei Aſiam, Macedoniam Prouincias obtinent, & ad Magiſtratus eorum mitterent, Sen. velle, & æquom cenſere ea ita fieri. I. V. E. E. R. P. F. S. V. R.

Lib. inſcript. antiq. fol. 93. integra hæc monumẽta retulit.

Lipſius refert, Venetiis ſecundo à Cremona lapide, æneas tabulas tres tranſlatas, è quibus docemur, ab Imp. Traiano ibi nominatis militibus, qui ſub Iulio Fronrone viginti ſex ſtipendia in claſſe Prætorla Miſenenſi meruerant, honeſtam miſſionem datam, ciuitatem, * conubium cum vxoribus, quas cùm ciuitas iis data eſt, tum habuiſſent, & ſi qui cælibes, cum iis quas poſtea duxiſſent, duntaxat ſinguli ſingulas, vſque ad 11. Kal. Martias. P. Iuuentio Celſo ĩĩ. C. Iulio Balbo Coſſ. Erat enim Romanâ Lege cautum, ne Romanus niſi Romanam duceret, néve extraneus Romanam. Hîc militibus ciuitate donatis, conceditur, vt cum vxoribus ſuis remaneant, quamuis exteræ eſſent, non ita iis, qui cælibes priuilegij tempore erant, quibus vltra x11. Kal. Martiarum diem nón permittitur ducere vxorem extraneam, ſed ciuem Romanam, Latinam,

** Sic in tabula legitur.*

Sigonius de antiq. iure Ciu. Rom. l. 1. cap. 9.

Latinam, vel Municipalem, cùm hoc edicto ciues Romani facti eſſent. Simile ſuperiori Edictum Veſpaſiani legitur Aquileiæ, quo Veteranis, qui in claſſe Rauennate ſub Sexto Lucilio Baſſo XXVI. ſtipendia meruerant, eadem priuilegia, iiſdem verbis, dantur. Ex iis apparet, præter militaria dona honoris cauſa, militibus à Romanis data, qui bello nauali ſtrenuè ſe geſſerant, qualia coronæ, armillæ, & reliqua, conceſſum etiam vel Sen. Conſulto, vel edicto Principis iiſdem militibus, ius ciuitatis, connubium in ciuitate, miſſio honeſta, amicitiæ nomen, exemptio ab omnibus tributis, eligendi iudicis ad lites, vadimonij præſtiti annulatio, emptionis aut venditionis, belli tempore factæ, pro libito retinendæ aut reiiciendæ ius, & poteſtas, latarum ſententiarum reuocatio, in integrum reſtitutio, tabularúmq; æneарum amicitiæ in Capitolio ponendarum, & ſacrificij faciendi licentia. Neque militibus tantum, qui prælio maritimo benè rem geſſerant, ſed & vrbibus populíſque integris, præmia & priuilegia à Romanis conceſſa fuerunt. Gaditanis, quòd Auguſti claſſem commeatu, annonâ & pecuniâ iuuiſſent ciuitas Romana, conceſſa eſt. Rhodiis, quòd Antiochum Syriæ atque Aſiæ Regem, vltra Nephelida Ciliciæ promontorium progredi contra Romanos vetauiſſent. Attilium, & Liuium Coſſ. claſſe iuuiſſent. Cum Romanis ad Corycum Phoceæ promontorium, mox & ad Myoneſum, Polixenidam Antiochi nauarchum proſperè pugnauiſſent; inter Sidam, & Eurymedontis oſtia Annibalem cum claſſe Phœnicia fugauiſſent; Caria, Lyciáque Prouinciæ, cum Cauniis populis, datæ, vt iuris Rhodiorum & dominationis eſſent. Thermenſibus verò Piſidis, quòd contra Mithridatem, Romanæ claſſi adiuncti, egregiam operam nauaſſent. Ne, in eorum vrbe & ſolo miles hiemaret. Ne ad annonam, & commeatum cogerentur. Sed ipſi liberi ſuo iure vterentur. Portoria in ſolo ſuo, pro lubito indicerent, atque exigerent. Non omittendum iſtud, ex vetere Græcorum inſtituto, vt ducibus, ſic & militibus, qui bello nauali pro de Rep. ceciderant, orationem funebrem, in vrbe primariâ gentis publicè recitatam. Legimus enim, Periclem Xantippi filium, buſto in foro Athenienſi conſtructo, laudaſſe eos, qui primo bello Peloponneſiaco, tam terreſtribus quàm maritimis pugnis, pro patriâ pugnantes, occubuerant. Nunc ad Imperatorem redeo, qui bello maritimo vicerat. Ingredienti vrbem, longo ordine montium, fluminum, oppidorum & vrbium ſpecies, quas bello peruicerat, præcedebant. M. Marcellus in triumphũ vexit Syracuſas; C. Cæſar Maſſiliam, Nilum, Rhenum, Rhodanúmq; ex auro. In triumpho Auguſti Actiaco, naualis pugnæ ſimulacrum, inter pompæ triumphalis fercula portatum eſt. Sed omniũ oculos in ſe verterat M. Agrippa, qui coronâ

Apud Lipſium pag. 25. in auctario inſcript. Antiquar.

Dio lib. 41.

Vetus marmor ab Vrſino relatum. Et a Lipſio lib. inſcript. Antiq. fol. 16.

Liuius Dec. 3. l. 6. Cic. lib. 2. Officior.

Goltz. in Auguſt.

Appian. lib. de bell. Mithrid.

inſignis roſtratâ, vexillóque cæruleo à Cæſare donatus, ob nauale victoriam, inter ceteros equo ſublimis eminebat. In triumphis Luculli, & Pompeij Magni de Mithridate roſtratarum nauium ſimulachra delata, ipſáque etiam roſtra de victis captiſque nauibus detracta. Integræ etiam naues, in Actiaco triumpho curribus importatæ, & poſt Pompam in vnum aceruum congeſtæ Noua Auguſti roſtra fecerunt: cùm antea ad Vetera Roſtra ſpolia maritima ſuffigerentur. Ipſa quoque maria tabellis, aut figuris, imaginibúſque expreſſa erant. Inter hæc inſcriptiones titulíque, in quibus naues captæ, vrbes tributo multatæ, oppida expugnata, gentes perdomitæ, & Reges bello victi continebantur. In Mithridatico Pompeij triumpho, tranſlata eſt tabula, inſcripta hoc titulo: NAVES ROSTRATÆ DCCC. CAPTÆ SVNT. VRBES VIII. &c. Piratæ bello victi, ſine cathenis ſequebantur, reliqui hoſtium Duces, vel pedibus cathenas trahebant, vel vinculis onuſti plauſtris vehebantur. Quandóque etiam armis ſuis ſuperſedebant.

Horum figura extat in denario apud Goltz. ad luſtrum vrbis LXXIII. à parte anteriore vultus Auguſti cum eius nomine, à poſteriore ſedent ſuper noua roſtra Auguſtus & Agrippa, circa Cenſoris nomen. C. SVLPITIVS PLATORINVS.

Propert. l. 3. eleg. 3.

Tela fugacis equi, & braccati militis arcus
Et ſubter poſitos arma ſedêre Duces.

In metallo victoriæ maritimæ ſigna.

Claudian. de VI. Conſ. Honorij.

Iámque parabantur pompæ ſimulachra futuræ
Tarpeio ſpectanda Ioui. Cælata metallo
Claſſis, vt auratos ſulcaret remige fluctus,
Vt Maſſyla tuos anteirent oppida currus,
Palladiáque comas inuixus arundine Triton
Edomitis veheretur equis, vt in ære trementem
Succinctæ famulum ferrent Atlanta cohortes.

In triumpho Luculli roſtratæ naues, cum remis, clauis, contis, harpagonibus & anchoris vltra C. deportatæ. Sequebantur coronæ aureæ & vrbium dona, & populorum, quibus victor à ſociis donatus fuerat. Tum quidquid auri, & argenti, & gazæ bello quæſitum erat. Succedebant tubicines claſſicum canentes, ſacrificij apparatus, Tribuni, Centuriones, equitéſque & pedites, qui ob egregium aliquod facinus dona militaria meruerant. Senatores in albis prætextis, demùm Imp. in curru, qui exacto triumpho lauream in gremio Iouis Capitolini deponebat. Hæc breuiter, quia trita. Minus vulgata ſunt, quæ ſequuntur. Imperatoribus, qui bello nauali victores extiterant, honores non vulgares attributi. Duillio qui primus Romanorum maritimo prælio demerſâ victáque ad Liparas Pænorum claſſe triumphauit, prærogatiua inſignis conceſſa eſt, vt illi, ſcilicet, à cœnâ reuertenti funale præferretur, præcinente tibiâ, quaſi quotidie triumpharet. Illi quoque ob eandem cauſam, columna

Flor l. 2. c. 2. Cic. in Catone.

columna Roſtrata in Foro Romano decreta & collocata: quod & factum poſtea Auguſto, in Roſtris, hoc capite meminimus: cui etiam præter dictos honores, thenſæ, clypeus & currus, ob debellatos mari, Pompeium & Antonium, à S. P. Q. R. dedicati ſunt. Metello poſt naualem triumphum de Pœnis, permiſſum eſt, vt quoties in Senatum iret, curru veheretur. Inſcriptio vetus: L. CÆCILIVS L. F. METELLVS. PONT. MAX. COS. II. DICTATOR. MAG. EQVIT. XV. VIR. AGRIS. DANDIS. QVI. PRIMVS. ELEPHANTOS. I. PVNICO. BELLO. DVXIT IN. TRIVMPHO. PRIMARIVS. BELLATOR. OPTIMVS ORATOR. FORTISS. IMP. AVSPICIO. SVO. MAXIMAS. RES. GESSIT. MAXIMO. VSVS. HONORE. SVMMA. SAPIENTIA. MAX. SENATOR. PARTAM. EX. ÆQVO. PECVNIAM. MAGNAM. SINGVLIS LIBERIS. RELIQVIT. CLARISSIMVS. IN. CIVITATE. FVIT. TRIBVTVM. EI. VT. QVOTIES. IN. SENATVM. IRET. CVRRV. VEHERETVR. AD. CVRIAM. QVOD. NVLLI. CONTIGIT. A. CONDITO. ÆVO. Primus mortalium, Iulius Cæſar viuenti ſibi ampliora humano faſtigio decerni paſſus eſt, ſedem auream in Curiâ, & pro tribunali thenſam, ferculum Circenſi pompâ, templa, aras, ſimulachra iuxta Deos, puluinar, Flaminem, Lupercos. Quid ſint thenſæ, ſunt qui ambigant. Currum ex argento Diis ſacrum aliqui putant, qui in pompam Ludorum Circenſium, & aliarum ſolemnitatum trahebatur ab equis, vel humeris ſacerdotum, aut hominum illuſtriorum deferebatur. Habes imaginem thenſæ in x. numo, initio iſtius capitis transſcripto. Tribunalis ſpecies fuit, duplici ſellâ curuli conſtans, quaternis pedibus aureis, vel argenteis fulta, clauis ita per intermedia fulcimenti actis, vt facilè aperiri, & complicari poſſet. Sedes è diuite panno, qui teniis & faſciis ſuſtinetur, vnde thenſa, quaſi tenſa, quòd cùm aperiatur laxatæ faſciæ tendantur, aut Imperatori ſuſtinendo, aut Deorum ſtatuis portandis. Eius figura variis in numis aureis argenteiſque extat. In argenteis ſcilicet Auguſti Cæſaris III. Viri Reip. conſtituendæ, cui, debellato Sexto Pompeio, thenſa cum aureâ corona conſecrata eſt, quaſi Deo in ſalutem Reipub. nato. In Iulij denariis, & Lepidi Pont. Max. aureis, fulmen Iouis thenſæ incubat, quintuplici laminarum ordine per cancellos connexo, quibus ſacra ſedes ſuſtinetur. Inſignis denarius eſt, vbi Auguſtus paludatus in thenſâ ſedens, Victoriam in manu habet, cum iis litteris, IMP. CÆSAR. Inuerſus numus fulmen oſtentat, cum effigie Auguſti lauru coronati, quibus intelligitur victos & fulminatos hoſtes.

Dempſter in lib. vlt. Roſini cap. 29.

Suet. in Iulio, c. 76.

Alex. ab Alexandro Genial. Dier. lib 2, c. 30. Pedian in 3. Verr.

EXPOSITIO NVMI X.

Goltz. in Auguſto, pag. 25. & Iulio, pag. 16 34. & 45.

Idem in Aug. p 47.

Expos. nvmi XI. Huic quoque clypeus dicatus, in templo Capitolino, ſiue ille Auguſti fuerit, ſiue alicuius inſignis hoſtis, ſeu alius, à S.P.Q.R. ob id elaboratus. Rotunda forma eſt, in medio, hæ litteræ CL. V. hoc eſt, Clypeus votiuus. Illum columnæ figit Victoria. In aliquibus denariis inter duos lauri ramos apparet, cum hoc titulo: Cæsari Avgvsto S. P. Q. R. CL. VOT. SALVS GENERIS HVMANI. Ab altero latere effigies Auguſti, vel Agrippæ & Auguſti, cum roſtratâ coronâ. Vt intelligas eos numos cuſos poſt Siculam, & Actiacam victoriam pace Orbi terrarum partâ. Aliquando hic Clypeus Votiuus coronâ laureâ includitur. Victores porticibus tholiſque templorum clypeos ſuſpendebant. Primus Appius Claudius, qui Conſul cum Seruilio fuit, Ann. Vrb. CCLIX. ſuum clypeum in æde Bellonæ repoſuit, in loco excelſo. Poſt eum M. Æmilius, collega in Conſulatu Q. Luctatij, non in Baſilicâ modo Æmiliâ, verùm & domi ſuæ. Pœni ex auro factitauêre & clypeos votiuos, ſi hoſtem fugaſſent. Talem Haſdrubalis, Q. Martius Scipionum in Hiſpaniis vltor, inuenit, poſuitque ſuper fores ædis Capitolinæ. Sed iſtorum clypeorum dedicandorum alia, quàm ſuperior, ratio fuit: priuati iſtos vouerunt, imaginibus & geſtis ſuorum, & titulis decoratos, aut hoſti ereptos: is autem quem in memoriam Auguſti & Agrippæ, ob Actiacam victoriam Sen. vouit, nullis titulis, nullis imaginibus inſignitus fuit, lucente tegmine, in medio has duas litteras tantùm habente, C. V. Bello confecto, prouerbialiter effertur apud Suidam, ſuſpendere clypeum, quo rem factam ſignificatur. Ob eandem etiam, cauſam pace, factâ currus in Capitolio, aliíſque templis reponebantur, quibus ad bella iuerant Impp. vel dempti hoſtibus, vel aurei Triumphales, vel ob id tantùm facti, vt vouerentur. Vltimorum typus eſt in aureis argenteíſque numis Auguſti, in quibus ante fores templi, & in ipſo templo, currus eſt, equis temoni non iunctis, ſed ſupra anteriorem currus partem, quà temo committitur, poſterioribus tantùm pedibus innixis, anterioribus in altum, velut ad ſaltum alleuatis: in medio currus Aquila, ſignum militare ſuffixum. S. P. Q. R. Decreto, currum, quo triumphauit Auguſtus vltori Marti conſecratum, atque in eius Dei templo collocatum, ſcribit Dio. Alij numi nudâ in planicie currum votiuum triumphalem ſignatum habent. Votum titulus indicat, qui in his legitur: S. P. Q. R. Cæsari Avgvsto. Cui viuo etiam aras, & templa vouerunt Athenienſes, Corinthij, Cydonij, Heracleenſes, Philippopolitani, Nicomedienſes, Smyrnæi, Epheſij, & Pergamenſes: ipſíque Romani, currúmque triumphalem poſt eius mortem, elephantis coronatis tractum, cum hoc titulo: Divo Avgvsto S. P. Q. R. Hæc autem omnia, poſt triumphos ex Ægypto de Rege Ptolemæo,

Idem pag. 58. & 59.

Plin. lib. 35. c. 3.

Vide Commentar. ad iſtud Virgilij Æneid. 7. Sacris in poſtibus arma, Captiui pendent currus.

Expositio XII. nvmi.

Apud Goltz in Auguſt. pag 39. & 40.

Idem pag. 75. & 76

mæo, de Pharnace Ponti Rege,& Iuba ex Africa S. P. Q. R. Iulio Cæſari attribuerat. Ouationem ex Albano monte,columnas ſtatuáſque,quo ipſe vellet habitu; inter quos memorabilior illa, in qua paludatus Orbem terrarum pedibus premit, cum hoc titulo: SEMIDEO. Ius coronæ laureæ, vndè in omnibus paſſim numis laurea coronatus videtur. Neq; hoc tantum illi conceſſum, ſed & vt vbicunque eſſet laureatis lictoribus vteretur, quod à nemine, ante eum, & poſt eum vſurpatum, aut conceſſum fuiſſe conſtat. Datum & vbicunque eſſet,veſte triumphali vteretur. Sic ille apparet in argenteo denario à Goltzio in Iulio Cæſare relato. in quo ille triumphali habitu curuli in ſella ſedet, ante,aquila,ſignum Romanum,poſt tergum victoria ſtat, ſiniſtra palmam getens, dextra coronam lauream ſedentis capiti imponit, ipſe lauri ramum dextra præfert. Idem ſpecie alloquentis inter aquilam & faſces tribunali ſuperimpoſitus,in triumphali veſte conſpicitur. Vſum autem ſellæ curulis eburneæ permiſſum Iulio Cæſari hiſtorici produnt. Tripodas & thenſas eidem conſecratas numiſmata eius. Et tripodas quidem coronatas,cum ſecuri,ſimpulo, & hac inſcriptione: DICTAT. QVARTVM. PARENS PATRIÆ. in aureis & argenteis numis. Vel duabus ſtellis tripodi ſuperimpoſitis,cum eiuſmodi titulo Græco: ΟΙΩΝΙΣΤΗΣ ΑΡΧΙΕΡ. ΜΕΓ. hoc eſt, Augur Pont.Maximus. De thenſis, quæ ſupra ad x.numum hoc capite diximus,confirmant varij denarij, in quibus thenſa coronata inter duos faſces: vel ſuppoſitis duabus coronis & vaſe, cum iſtis litteris: PONT. MAX. DICTATOR PERP. C. CÆSAR DICT. PERP. COS. QVIN. De curru votiuo meminit dictus Goltzius in vita Iulij,de triumpho eius Gallico loquens: *Elephantis autem quadraginta lychnuchos dextra ſiniſtráque geſtantibus, ad lumina ſub veſperam Capitolium aſcendit, gradibúſque Capitolij genibus ingreſſus, pro more conſcendit, non habita ratione currus, qui ipſi ante Iouem erectus fuerat.* Huic præterea, ab ipſo Senatu erecta ſunt templa. In æreo numo, Iulius nudus ante templum decumbit inter clypeos arcúſque & pharetras,cui aquila de cælo deſcendens,coronam lauream adfert. In aliis, ſuper altare in medio templi ſtatua conſpicitur: C. CÆSARIS PARENTIS PATRIÆ. EX S. C. cornu copiæ gerens: vel lituum in pontificali veſte, cum iſtis litteris: P. LENTVLVS MARCELIN. ÆD. CVR. Huic etiam & Clementiæ conſtructum templum cap. 18. huius libri meminimus, & alios honores, ſupra hominum ambitionem poſitos. Exemplo Græcorum,nam & Lyſandro delectis Athenis,& earum claſſe combuſta, aras erectas legimus, & pæana, in eius quaſi noui Dei laudem decantatum. Athenienſes verò Antigonum & Demetrium mari victores, liberatores ſuos,& Deorum maximos appellauiſſe,tem-

Pagin. 11. numo 4. & 6. Idem pag. 17. numo 2. Cæſarem repræſentat in curuli paludatum, ſiniſtrâ haſtæ innixum, ſuſtentans victoriolam dextrâ.

Ibid. numo 8.

Idem ibid. pag. 16. numis 22. & 24.

Ibid p 10. numo 7.

Pag 17 numis 2. & 3.

pla illis ſtruxiſſe, altaria ſacrificulis datis poſuiſſe, ſola, eos, viuentia Numina, reliqua mortua, vel lapidea hymnis prædicaſſe. Hæc & alia pleraque in hoc capite & præcedenti è numis antiquis, deficiente hiſtoriâ, & aliis monumentis, petita, oſtendunt, quanto damno in poſteritatem Chriſtiani principes olim peccarunt, peccéntque hodie, qui contenti effigies ſuas notámque religionis ſuis numis imprimere, tot rerum bene geſtarum memoriam, titulóſque ad hiſtoricorum fidem tranſmittendos ſæculis tradiderunt, quorum ſcripta, murium arroſione, humore, ſitu, vel igne conſumpta perierunt. Quòd ſi metallo inſeruiſſent monumenta rerum, inſignium, viuerent Principum benè geſta doctis indoctiſque pariter cognita, legerentúrque in auro & argento nunquam peritura. Nec vnquam iuſtius in hac querela ſæculum hoc noſtro fuit, fertile & epulentum ſublimibus argumentis, tota Europa, Aſiáque, Indiiſque bellis ſeruentibus, ſed Gallia maximè noſtra ſuper omnes populos florente & triumphante, in qua & artifices periti, & ingenioſi doctíque repertores exiſtunt, memorabilium inſcriptionum, figurarúmque, in præclariſſimarum rerum deſignatione ludentium.

CAPVT VIGESIMVMOCTAVVM.

Exercitationes Nauticæ, ludi maritimi, in Circenſium formam, aliáque opera ad neceſſitatem, aut voluptatem publicam, priuatámque. Naumachiæ item per varios editæ.

POST Triumphum, ludi populo exhibebantur, intérque illos Naumachia, primò ſine ſanguine, mox per gladiatores acta, cruentatúmque mare. Romani à Græcis, quorum ſimiæ fuerunt, maritimæ exercitationis modum deſumpſerũt. Achilles enim ſimulachrum naualis pugnæ cum reliquis Achiuorum Ducibus exhibuit, ſi maritimum certamen immineret, primum rudimentum. Peneinſula eſt ad Boriſthenis fluminis oſtium, in Euxinum Pontum longo quidem ſed impedito flexu excurrens, circa actæ velis remíſque rates, præmiúmque propoſitum illi, qui metam primus circumactam tenuiſſet: mox concurrerunt naues in duas contrarias claſſes diſtributæ: victoribus ceſſit & aliud prçmium, ſtimulus gloriæ. Ex hoc huic peninſulæ nomen manſit, Dromos, ſiue Leuce Achillis, hoc eſt, curſus Achillis, & quia cum Achille ceteri Græcorum Duces concurrerunt, aliâ appellatione

Strabo, & author Peripli.

Heroum

Heroum peninſula vocata eſt: inſulam aliqui putant. Legerat *hoc Virgilius, in quo Æneas Siciliæ litori appulſus, in Circenſium ludorum ſpeciem exercitationem maritimam inſtruit, & victoribus præmium conſtituit, tripodas. coronas, palmas, arma, veſtes, argentum & aurum. Vt claſſicum cecinit, concurrêre triremes, curſúmque direxêre ad metam iliceam ſaxo imminentem, vt ſcirent vnde reuertendum, vbi circumflectenda ſepties nauigia. Elegantem deſcriptionem apud Poëtam, ſi lubet, lege. Iſtud quoque elegans, & ad priuatas delicias, quod apud *Sidonium Apollinarem reperio: quaſi in Circo equis, ſic in mari, metas fuiſſe, quas naues circuirent & tererent, etiam in priuatis domibus. In Abitaco ſuburbano apud Aruernos, Sidonius ipſe locum habuit, in cuius medio breuis inſula: vbi ſupra molares naturaliter aggeratos, per impactorum puncta remorum, trita naualibus meta protuberabat, ad quam ſe iucunda ludentum naufragia collidebant. Sic antea in Circis circa metas pro curribus triremes, per canales inductâ aqua, circumtortæ, præmio illi propoſito, qui per obſtacula ſeruatâ naui, prior in eum locum rediiſſet, vnde cum ceteris exierat. Alia fuit exercitatio Duillio & Cornelio Coſſ. cùm primùm claſſem extruxiſſent Romani, multitudo omnis ad nauigium exercebatur, ſedibus in arenâ per ordines diſpoſitis, in quibus remiges inſidentes, ad vocem præcipientis, nunc remos agitabant, nunc remittebant, vt mox in vndis nouæ artis experimentum facerent. Longo poſt tempore ſtationariis claſſibus ad tutelam Imperij ſtabilitis, ſæpius in anno, cùm quies erat, claſſes illæ fictâ pugnâ certabant, nunc mixtæ, nunc ſeparatæ, eminus, quominus, ordinatè, confusè. Hęc exercitatio nautica mirum in modum auctâ fuit ad voluptates, & ſecuritatem populi Romani. Surripuêre deinde deliciæ ſecuritati, conuerſióque facta eſt ad ſpectacula admirationis & riſus. Domitianus finito nauali prælio in Naumachiâ, ad lichnuchos Leandri amores repræſentauit, ita tamen, vt iſte natator Leander, meliore fortunâ, ludo ſuo & fictitiis amoribus ſuperuixerit. Hic enim, qui ad Herus lucernam de turri fulgentem, hiſtrionicè Leandrum agendo per commotas Amphitheatri vndas properauerat, incolumis rediit, in Domitiani aquis ſecurus, cùm verus Leander mari perierit. Exactâ hac fabulâ in fluctu, turba natantium Deorum Dearúmque habitu, ad tubarum concentum, velut in ſolido, aut theatro, figuras ita finiit, vt ipſâ in aquis hęrentium, aut ſeſe per certas vices, & ſaltus mouentium diſpoſitio, nunc formam fuſcinæ in aquis repræſentaret: nunc priore figurâ conturbatâ, anchoræ ſpeciem effingeret, nunc etiam compacto ordine & connexo, triremem figuraret, aliis ſuper alios aſcendentibus, quibus illi malum & antennas referrent: turgidis verò

* lib. 5. Æneid.
* lib. 2. epiſt. 5.
Martial. in Amphitheat. epigr. 25.

verò vento veſtibus, vela, dupliciſque lumine criſtallo incluſo & ſublato, Caſtoris & Pollucis amica nauigantibus numina.

Idem epigr. 29.

Luſit Nereidum docilis chorus æquore toto,
Et vario faciles ordine pinxit aquas.
Fuſcina dente minax, nexu fuit anchora curuo:
Credidimus remum, credidimúſque ratem.
Et gratum nautis ſidus fulgere Laconum,
Latáque perſpicuo vela tumere ſinu.
Quis tantas liquidis artes inuenit in vndis!
Aut fecit luſus hos Thetis, aut docuit.

Venationem deinde Domitianus in aquâ Naumachiæ populo dedit. Edoctæ per manſuetarios feræ natantes pugnabant in vndis, velut in arenâ. Currus quoque lembis impoſiti cum equis, putabantur natare, impellentibus remigibus lembos, in quibus occultabantur. Volitabat Neptunus in curru armatus fuſcinâ: volitabat & Nereus equo inſidens, ſindebátque fluctus, dum claſſes pugnaturas diſponebat, Tritone claſſicum inauditum meditante.

Idem epigr. 28.

Auguſti laudes fuerant committere claſſes,
Et freta nauali ſollicitare tubâ.
Cæſaris hæc noſtri pars eſt quota: vidit in vndis
Et Thetis ignotas & Galatæa feras.
Vidit in æquoreo feruentes puluere currus,
Et domini Triton ipſe putauit equos.
Dúmque parat ſæuis ratibus fera prælia Nereus,
Abnuit in liquidis ire pedeſter aquis.
Quidquid & in Circo ſpectatur, & Amphitheatro,
Diues Cæſarea præſtitit vnda tibi
Fucinus, & pigri taceantur ſtagna Neronis,
Hanc norint vnam ſæcula Naumachiam.

Suet. in Domit. cap. 4.

Sic aquâ per tubos & canales emiſsâ, repleto Amphitheatro, poſt gladiatores, venationes, & ludicra ſpectacula, tandem pugnam naualem Domitianus edidit, penè iuſtarum claſſium, effoſſo & circunducto, iuxta Tyberim lacu, atque inter maximos imbres niuéſque ſpectauit. Non ſolùm omnes ferè qui pugnauerāt mortui ſunt, ſed etiam multi ex ſpectatoribus, nemini enim permiſit abire ex ſpectaculo, & quanquam ipſe penulam mutauerit, tamen ceteros nihil mutare paſſus eſt. Hactenus de Domitiano, de ceterorum Impp. Naumachiis quæ ſequuntur compendio. Sub Iulio poſt triumphos de Gallis, Alexandriâ, Ponto & Africâ, Tyria claſſis cum Ægyptiacâ conflixit. In vtraque remigum IV. M. erant: pugnatores M. Ante Iulium M. Scaurus Ædilis Romæ in Euripo temporario oſtenderat hyppopotamum, & V. crocodilos. Nondum aquæ cruore gladiatorio maduerant.

Xiphilin. ex Dione. Suet. in Iulio, c. 39. Appian. bell. ciuil. cap. 15. lib. 2. Onuphr. Lud Circenſ. cap. 11. Dio lib. 43. Beroald ad dict. cap. Suetonij.

Impp.

Impp. inuenêre ſanguine inter vndas emiſſo, voluptatem populo facere. Naumachiæ Iulij Cæſaris locus in campo Martio, qui eo mortuo ex S.C. terrâ oppletus eſt. Auguſtus ſimulacrum Actiacæ pugnæ circa Tyberim cauato ſolo edidit, vbi poſtea Cęſarum nemus fuit.

Sueton. cap. 43. Front. lib. 1. Dio lib. 59.

Quæ ratio mouerit tantum Principem producendi Alſietinam aquam, non ſatis perſpicio, nullius gratiæ, imò & parum ſalubrem, & nuſquam in vſus populi fluentem: niſi fortè cùm opus Naumachiæ aggrederetur, ne quid ſalubrioribus aquis detraheret, hanc proprio opere perduxit, hortis ſubiacentibus, & priuatorum vſibus trans-Tyberinam ad irrigandum conceſſit. Idem in Campum Flaminium vndas emiſit, vbi crocodili XXXVI. occiſi. Caligula multa ſpectacula exhibuit in ſeptis, excauato eo loco, & aquâ repleto, vt vnam nauim introducere poſſet. Claudius emiſſurus Fucinum lacum Naumachiam antea commiſit: ſed cùm proclamantibus Naumachiariis, AVE IMP. MORITVRI TE SALVTANT, reſpondiſſet, AVETE VOS: neq; poſt hanc vocē, quaſi veniâ datâ, quiſquam dimicare vellet: diu cunctatus, an omnes igni ferróque abſumeret, tandem è ſellâ ſuâ proſiluit, ac per ambitum lacus, non fine vacillatione diſcurrens, partim minando, partim adhortando, ad pugnam compulit. Hoc ſpectaculo claſſis Rhodia & Sicula concurrerunt, duodenarum triremium ſingulæ, exciente buccinâ Tritone argenteo, qui è medio lacu per machinam emerſerat. XX.M. pugnantium erant, Fucino lacu & Lyri amne vndique ratibus cincto, ne quà pugnaturis effugium eſſet.

Suet. cap. 21. Tacit. lib. 12. Eius rei monumentum extat in æreo Claudij, circa imaginem eius hic titulus C. CÆSAR AVG. P.M. TR. P. VI. IMP. X. Ab alterâ parte Naumachia cum iis literis, AVETE VOS.

Nero populo epulum dedit intra naues, in eo loco in quo ab Auguſto bellum nauale confectum fuerat. In ſtagno Agrippæ fabricatus eſt ratem, cui ſuperpoſitum conuiuium aliarum tractu moueretur: naues auro & ebore diſtinctæ erant. Sparſa & populo miſſilia omnium rerum per plures dies, ſingula quotidie millia auium cuiuſque generis, multiplex penus, teſſeræ frumentariæ, veſtis, aurum, argentum, gemmæ, margaritæ, tabulæ pictæ, mancipia, iumenta, atque etiam manſuetæ feræ: nouiſſimè naues, Inſulæ, agri. Quod, per teſſeras fiebat, ligneas, & quadratas, in quibus aut dictarum rerum figuræ erant, aut ſaltem nomina. His qui dictas teſſeras, vt erant in publicum ſparſæ, occupauerant, quidquid aut inſculptum, aut denominatum fuerat, dabatur. Exhibuit idem Nero & Naumachiam marinâ aquâ innatantibus belluis. Ceterum cùm nauim quampiam in Amphitheatro conſpexiſſet, ita factam, vt ſponte ſolueretur, & belluis quibuſdam ad certamen emiſſis, rurſus compingeretur, redirétque integra, vt ante viſa fuerat: ſimilem huic ædificare ſtatuit, vnde mater periret; quod & fecit, ſed naufragium genitrix tyranni vitauit fato, ſoluta autem nauis, in profundum merſa eſt. Dubium exiſtimo, an Neronis in Amphitheatro Naumachia

Dio lib. 9. Tacit. lib. 15. Suet. c. 11. & 12. Lipſius de magnit. Imp. Rom. lib. 2. cap. 11.

chia ſit,quæ à * Ferrutio figuratur, an alterius Imperatoris; correctiore typo inuento ſub Naumachiæ Neronianæ nomine, ecce trado, quod vix mente concipias,de authore nihil intereſt,ſi rem in exemplari videas, quæ tot impenſis ſtetit, tibi nihil ſtetiſſe. Poſt Neronem bella ob Imperium geſta, & breuis vita Imperatorum,eripuêre populo ſupradictas voluptates, quas Titus, deliciæ Romanorum,ceteris Impp. pacatior reſurgere, & reuiuiſcere iuſſit; dedit enim in vetere Naumachiâ prælium nauale & gladiatores. Etiam theatrum repentè compleuit aquâ, & introduxit equos & tauros, aliáque domeſtica animalia,edocta in vndis ea omnia facere,quæ ſolita erant in arenâ. In amphitheatro quoque ſuo, populo Naumachiam exhibuit, diuiſisq; triremes omnes in claſſes duas,ſub nominibus Corſireorum &Corinthiorum. Antea & ſimilia ſpectacula ediderat, ſtatim ab euerſione Hieroſolimæ,in vrbe Cęſareâ, & Beritho, ob natalem diem patris Veſpaſiani. Aurelianus triumpharis Zenobiâ & Tetrico, Naumachiam ludis addidit. Seuerus nauim in Amphitheatro exhibuit, quæ capere poſſet feras cccc. quâ occultè ſolutâ, exſiliêre vrſi, leæ,leones,pantheræ,ſtruthiones,onagri,biſſontes. Iſtius nauis figura in numis æreis argenteíſque Seueri videtur,cum hoc titulo. Lætitia temporvm. Edidit idem Imperator Naumachiam & gladiatores. Carinus,venationem in Naumachiâ exhibuit,terreſtribus animalibus cum vitulis marinis & hippopotamis commiſſis,qui campæ & cpirotæ dicuntur.

** Ad Topograph. Marliani vrbis Romæ,c.9 lib.7.*

Dio in Tito. Sueton. cap. 7. In numo æreo Titi huius Naumachiæ tipus eſt, cum inſcriptione Græcâ, in annum Imperij huius 14 hanc Naumachiam referente. Vopiſcus. Dio in Seuero. Occo ad Ann. Vrb.954 & 956.

In Neptuno Philoſtrati & apud Feſtum. Calpurn ecloga 8.

> *Nec nobis tantum ſylueſtria cernere monſtra*
> *Contigit, æquoreos ego cum certantibus vrſis*
> *Spectaui vitulos, & equorum nomine dignum,*
> *Sed deforme pecus, quod in illo naſcitur amni,*
> *Qui ſata riparum venientibus irrigat vndis.*

Ludos Sæculares Philippus Imp. hippopotamis exhibitis,finiuit. Ediderat antea Heliogabalus Circenſes nauales, in Euripis vino plenis. Hactenus de Naumachiis, de loco earum, quæ lapide grandi constructæ, permanſerunt diu incolumes, vel etiam hodie neſcio quid ruinarum oſtendentes, ſeſe adhuc vendicant ab annorum iniuria,iſtud breuiter. Duæ omnino eius generis Naumachiæ Romæ fuerunt: vtraque circa Tyberim, vnde aqua ad implendos lacus educebatur. Vna Auguſti, altera Domitiani opus. Prior inter Circum Max.& montem Auentinum,ad radices montis. Poſterior in valle Martiâ,ad ima collis Hortulorum, loco maximè depreſſo,cuius hodie veſtigia extant. Alia quoque præter Naumachias opera ad rem maritimam pertinentia, voluptatis, vtilitatis, aut etiam ſolius oſtentationis causâ Rom.Impp. perfecerunt. Caligula circa Geſſoriacum, in litore Gallico, ad Oceanum,altiſſimam turrim excitauit,ex quâ,vt ex Pharo,noctu ad

Lamprid. Marlian Topogr vrb.Romæ l 4. c 13 & l.6.c 17. Paucir.ad Regionē 14.trans Tiberin. Quatuor Naumachias in ſua Roma conſtituit Georgius Fabricius. Veterem, in Circo Maximo. Secundam in Valle Martia, ab Auguſto Cęſare constructam. Tertiam Caij,& Neronis inter Ianiculum & Vaticanum. Vltimam Domitiani, in eodem loco, quo & Auguſti. Sueton.56.& 19.



Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

ad regendos nauium curſus ignes emicarent. Nouum præterea & inauditum genus ſpectaculi excogitauit. Nam Baiarum medium interuallum, & Puteolanas moles, trium millium & ſexcentorum ferè paſſuum ponte coniunxit, contractis vndique onerariis nauibus, & ordine duplici ad anchoras collocatis, ſuperiectóque aggere terreno, ac directo in Appiæ viæ formam. Per hunc pontem vltro citróque commeauit biduo continenti. Primo die phalerato equò, ipſe querneam coronam, ſecurim, cetram, gladium, aureámque chlamidem gerens. Poſtridie quadrigario habitu, curriculóque biiugi famoſorum equorum, præ ſe ferens Darium puerum ex Parthorum obſidibus, comitante Prætorianorum agmine, & in eſſedis cohorte amicorum. Claudius etiam opera magna potius quàm neceſſaria, confecit: emiſſarium Fucini lacus, portúmque Oſtienſem. Quamquam ſciret ex iis alterum ab Auguſto precantibus aſſiduè Marſis negatum: alterum à Iulio ſæpius deſtinatum, ac propter difficultatem omiſſum. Fucinum aggreſſus eſt, non minus compendij ſpe, quàm gloriæ, cùm quidam priuato ſumptu emiſſuros ſe repromitterent, ſi ſibi ſiccati agri concederentur. Per tria autē paſſ. M. effoſſo monte, partim exciſo, canalē abſoluit ęgrè, & poſt vndecim annos, quamuis continuis XXX. M. hominum ſine intermiſſione operantibus. Portum Oſtiæ extruxit circunducto dextrâ ſiniſtráque brachio, & ad introitum, profundo iam ſolo, mole obiectâ. Quam quo ſtabilius fundaret, nauem ante demerſit, quâ magnus obeliſcus ex Ægypto fuerat aduectus, congeſtíſque pilis ſuperpoſuit altiſſimam turrim, ad exemplum Alexandrinæ phari, vt ad nocturnos ignes curſum nauigia dirigerent. Nero cum Prætorianis in Achaiâ Iſthmum perfodere aggreſſus eſt. Huic operi opus longè diſſimile M. Terentius Varro, qui claſſi Pompeianæ bello Piratico præfuerat, à Pyrrho Epirotarum Rege primùm excogitatum perfecit: Nero enim dilatare maria, hic frænare inſtituit.

Hoc videtur in numo æreo Caligulæ in quo vultus eius, intra hunc titul. C. CÆSAR. AVG. GERM. P. M. TR. P. *Ab altera elogium quaſi inſignis victoriæ ob hanc molem factā* TERRA MARÍQVE VICTOR. *Pons ſubiectis nauibus ſubeſt, terreno aggere ſolidatus, curru quadriiugo triumphanti ſimilis vehitur Caligula, adſtantibus ducibus, & ſigniferis ſequētibus currum.*

Idem in Claudio cap. 17. & 20.

Habes numum æreum apud Occon. ad Ann. Vrb. 816. in quo portus Oſtienſis cum nauigiis 7. & iis literis: AVG. PORT. OST. S.C.

Sueton. cap. 19.

Quippe interuallum maris, quod inter Apolloniam & Hydruntum extenditur, pedeſtri tranſitu continuauit, iunctis pontibus.

* *
*

CAPVT VIGESIMVMNONVM.

Cur facta ſint Coloniæ, deducendi eas ratio, earum notæ in numis antiquis. Nomina aliquot militarium & maritimarum apud Romanos.

Sigon. de ant. iure Italiæ, lib. 2. c. 1.

HIs operibus perficiundis, quæ ad publicam vtilitatem erant, non emptus opifex tantum, ſed ſæpè miles inter pacis interualla deſudabat: qui dum bellum expectabat, aut in proximis Coloniis fruebatur pretio laborum, aut euocatus ad opera publica, etiam poſt emerita ſtipendia, & fractum vulneribus corpus, vtilis erat Reip. Sex apud Græcos, Romanos, alióſque populos deducendarum Coloniarum rationes inuenio. Vnam, ad deuictas recenter nationes coërcendas: alteram, ad hoſtiles incurſiones reprimendas: tertiam, ſtirpis augēdæ causâ: quartam, plebis vrbanæ exhauriendæ: quintam, ſeditionis ſedandæ: ſextam denique, vt pręmiis veterani milites afficerentur. Sed & incolæ ſedibus ſuis expulſi, alias quoque ſedes quęrere coacti ſunt, & Colonias facere. Sic Troiani Ilio euerſo, Latium tenuerunt: ſic Phocenſes à præfecto Perſarum patriâ ſuâ pulſi, Celticam. Cęli quoque, aut terrarum malignitas, multos adegit populos in melius ſolum. Sic Miletos DLXX. Colonias in diuerſas partes Orbis effudit. Sic Scythæ Ægyptum per tot æquoris tractus petierunt, frigori infenſi: rurſúſque Ægyptij Scythiam, caloris impatientiâ. Accedunt & geminæ Coloniarum cauſæ, Imperij propagatio, & captiuorum abductio. Hæc generatim. Nunc ad Romanorum morem. In Coloniâ ex lege Agrariâ, aut ex S.C. deducendâ, hæc obſeruabantur. Aſſignatis agris militi, aut nauiculariis, aut populo, qui vel ſponte nomina dederat, vel ſorte Coloniæ inſertus erat, Coloni nominatim ſub vexillo, quaſi exercitus aliquis exibant, dux deductionis, aliquis, vt puto, è Curatoribus agrariis erat: creabantur enim Comitiis Tributis, modò per Conſulem, modò per Prætorem vrbanum, Curatores, qui coloniam deducerent, interdum tres, interdum quinque, ſeptem, decem, viginti etiam, qui inde Triumviri, Quinqueviri, Septemviri, Decemviri, & Vigintiviri, Coloniæ deducendæ, aut agris dandis attribuendíſque dicebantur. Ob id quoque, exemplo Gelenſium, qui cùm Agrigentum condere inſtituiſſent Ariſtonem & Piſtillum Duumviros creauerunt, & Syracuſanorum, qui Daſcone & Menecolo Duumviris Camarina condiderunt, Romani Duumviros coloniæ deducendæ

Roſin. antiq. Rom. lib. 7. c. 47.
Sigon. de ant. iur. Italiæ lib. 2. c. 5.

Fazel. in Sicil.

dæ habuerunt. Sic in numis æreis Iulij Cæſaris Q. Cæcilius Nigrinus, & C.Heio Paulus, Iuliæ Coloniæ deducendæ Duumviri ſcribuntur. In numis Auguſti M. PLÆ. TRAVL. Q. VRSO II. VIRI ITER. MVN. CALAG. IVL. Item, C. MART. MVAN. PRÆT. II. VIR. Alius numus æreus, C.SABINO P. VARO II. VIR. COL. CÆSARFA. In iſtis etiam hæ leguntur inſcriptiones: T. RVFO L. GALLO II. VIR. COL. CÆSAREA PHIL. M. TITIO P.QVINT. VARO II. VIR. CN. DOMITIO AMP. C. VET. LAVG. II. VIR. CÆSAR. AVG. N. CELSO. L. CORNIFICIO II. VIR. Q. MAXIMO ITER. L. NINO. II. VIR. CÆSAR. AVGVSTÆ. L.FABATO T. TAVRO. L. PISONE II. VIR.COL.SEBAS.&c. In quibus numis Sacerdos innixus aratro, iugum boum agit, quaſi vrbis futuræ mœnia, aut agrum nouis colonis conceſſum, de more circunſcribat. Idem vexillum deductionis ſignum, gerit, in numo æreo eiuſdem Auguſti, cui is titulus inſcriptus eſt. PATRENS. COL. A.A. Nunc videre licet vexillum, Aquilam Romanam, cohortis ſignum, aratrum, decempedam, ſiue perticam agri menſoriam, cum iis litteris TI. SEMPRONIVS GRACCVS. Q. DESIG. II. VIR. ITER. COL. IVL. AVGVS. EX. S. C. Aliæ notæ Coloniarum ſunt in iiſdem numis Vacca, & Caſtellum; quæ omnes Colonias tam maritimas, hoc eſt, in littoribus expoſitas, quam mediterraneas indicant. Speciales notæ maritimarum Coloniarum in numis, Delphini, Triton, Neptunus, Fuſcina, Nereis, Mytilus, ſiue Chama, Polypus, prora nauis, equus marinus, căcri, cochleæ, quæ omnia in numiſmatis à Goltzio in Siciliâ, & Magna Græcia relatis videntur, vt ſingula in Vrbibus & Coloniis maritimis cuſa & ſignata ſunt: quorum magna pars, præter ea quæ dixi, vultum habet Numinis particulari deuotione in vnaquaque Colonia culti. Apud Græcos ΝΕΩΚΟΡΩΝ nouam ſignificat, ΤΡΙΣΝΕΩΚΟΡΩΝ Coloniam tertio reſtauratam. Si Genius addatur, Tutor & Protector loci intelligitur, cuius Numini noua Colonia conſecrata eſt. Sic in marmore antiquo Neapoli. GENIO COLONIÆ NEAPOLIT. Sic Puteolis: PRO SALVTE ET VICTORIA AVGVSTORVM DEO MAGNO GENIO COLONIÆ PVTEOLANORVM. Hos colonos, milites ad bellum miſiſſe, tribtúmque pependiſſe, nemini dubium eſt. Vſque adeò, vt cùm Coloniæ maritimæ bello Antiocheno cogerentur in claſſem, Tribunóſque Plebis appellaſſent, & ab iis Senatum, Senatus decreuerit, vacationem rei naualis non eſſe. Neque enim omnes Coloniæ eodem iure vſæ ſunt, immunitatéſque eaſdem habuerunt. Namque Maritimæ plerumque tributis exoneratæ ſunt, quoniam tuendorum littorum curæ vacarent propriis ſumptibus, vndè euocari non poterant, niſi ad bellum maritimum, cuius etiam ſacroſanctam vacationem habere ante bella Punica credebantur: inter quas Oſtienſis, Alſienſis, Antiates, Anxurates, Minturnenſis,

Idem in Iulio, pag. 12.

Idem in Auguſt. pag. 50. 51. & 52.

Idem de Coloniis Græcorum.

Roſin ant. Rom. lib. 7. c. 47.

Sigon. de ant. iur. Ital. lib. 2. c. 3.

Liuius lib. 27. & 36.

Oſtienſis coloniæ maritimæ ab Anco Martio deductæ extat nummus apud Vrſinum in familia Marcia Nauigium nauale inſertum, in quo Victoria ſuper columna.

Sigon. de iur. Italiæ lib. 2. c. 5.

Sinueſſana, & à ſupero mari Senenſis. His tamen, & Fregenæ, & Caſtri noui, & Pyrgi, & Terracinæ, vacatio rei naualis negata eſt. Inuenio & alias eodem tempore Romanorum maritimas Colonias: Caſſinum, Æſulum, Valentiam, Cæninam, Antemnas, Cruſtumerium, Medulliam, Fidenas, Cameriam, Ecetras, Velitras, Lauicos, Satricum, & Vitelliam. Poſt id temporis, plures Coloniæ deductæ ſunt; eas ſic Sigonius recenſet. Duas ad oſtium fluminis Vulturni, Liternique, vnam ad Puteolos; alteram ad Caſtrum Salerni, tertiam Buxentum, Sipontum deinde, Tempſam, Crotonem, Thurinum, Vibonem, Bononiam, Potentiam, ſiue Pollentiam, Piſaurum, Aquileiam, Mutinam, Parmam, Saturniam, Grauiſcas, Piſas, Lucam, Auximum, Rhudias, Fabrateriam, Scyllatium, Mineruium, Tarentum, Neptuniam, Derthonam, & Eporœdiam. Inter eas pauciſſimæ militares fuerunt, hoc eſt, veteranis militibus aſſignatæ, quo feſſi præliorum aſſiduitate, pręmium aliquod laborum acciperent. Namque huius conſuetudinis initium à L. Sullà Dictatore manaſſe dicitur, à C. Iulio Cæſare, mox & à Triumviris Reip. conſtituendæ probatum, atque vſurpatum. Vnde cùm Legiones integræ deducerentur, Legionum nomina Colonias accepiſſe legimus, vt Secundanorum, Sextanorum, Septuanorum, Octauanorum, Decumanorum, Vndecumanorum, & reliquarum generis eiuſmodi. Et primò L. Sulla XLVII. legiones in agros, captos deduxit, eóſque illis diuiſit. In Etruriâ ab eo militares coloniæ factæ, Fæſulæ, Aretium, Cortona, & Volaterræ. In Latio, Præneſte & Bouillæ. In Campaniâ, Nola, Sueſſula, Pompeios, Capua. Iulij Cæſaris militares Coloniæ iſtæ ſunt. Dicta Capua, quæ & Iulia Fœlix, Calatia, Minturnæ, Caſilinum, Ancon, Lanuuium, Volaterræ, Veientana, Capena, Fano, quæ & Iulia Faneſtris, Sutrio, quæ & Iulia Sutrina, Hiſpello, quæ & Iulia Hiſpella, Derthona, quæ & Iulia Derthona. Cæſare perempto à M. Antonio militares iſtæ ſunt deductæ. Caſilinum, Piſaurum, & Semurium. Triumvirales, hoc eſt, à Triumviris militibus aſſignatæ, iſtæ. Capua, Rhegium, Venuſia, Beneuentum, Ariminum, Nuceria, Hippo, Aretium, Aquinum, Faliſca, Florentia, Fœdaruræ, Formiæ, Teleſia, Tuder, Venafrum, Volaterræ, Vlubræ. Antonio ad Actium victo Colonias militares duode-triginta Auguſtus fecit, quarum XII. nomina extant apud Frontinum, reliquarum verò omiſſa ſunt. Iſtas apud eum inuenio: Soram, Teanum, Sidicinum, Puteolos, Acerras, Aletrium, Attellam, Caudium, Beneuentum, Cumas, Grauiſcas, & Nuceriam. Inter omiſſas, alibi, Auguſtam Taurinorum, Bouiacum, Capuam, & Ariminum. Vetuſtiſſimæ in littore iſtæ, quas Reges Rom. deduxerunt: Oſtia, in ore Tyberis, ab Anco Martio Rom. Rege cōdita, eadémque Colonia facta: Circeios Rex Superbus conſulto

colonos

coloſnos miſit; quòd id oppidum & agro, Pomptino, omnium, qui in Latio ſunt, maximo, & mari, quod attingebat, eſſet opportuniſſimum. L. Acilius Trib. Plebis Cornelio & Minucio Coſſ. Legem tulit, quæ ab eo Acilia dicta eſt, vt quinque Coloniæ in orã maritimam deducerentur: duæ ad oſtia fluminum Vulturni & Literni: vna Puteolos: vna ad Caſtrum Salerni, quibus quinta Buxentum addita eſt. Ccc. familiæ in ſingulas Colonias miſſæ. Extat & Ælia Lex de Coloniis deducendis, quam Q. Ælius Tubero tulit Ann. V. C. DLVIII. vt Latinæ duæ Coloniæ deducerentur, vna in Brutios, altera in Thurinum agrum. Ceterum Coloniæ omnes, leges ſuas à Romanis quidem legibus ſeparatas habuêre, ſed tamen à Romanis III. viris datas: vt enim Legati à Senatu decreti, Prouincias ordinabant, iiſque leges ac iura præſcribebant, ſic Curatores Coloniarum, Coloniis. Fuêre tamen & aliæ leges ab ipſis Colonis latæ, conſilio Senatus & Populi. Notatu dignum, eos qui in Sen. Coloniarum erant, non Senatores, ſed Decuriones dictos, quòd initio, cùm Coloniæ deducerentur, decima pars eorum, qui deducebantur, conſilij publici gratiâ conſcriberetur. Ibi Conſulari, vel ſaltem Prætoriâ authoritate, II. viri fuêre. Cenſores, cenſum in Coloniis agebant. Patronis Coloniarum ſuarum Coloni Romæ vtebantur, ſi quid, quod ſua intereſſet, Romæ curandum eſſet. Illud quoque non prætererim, Municipia à Coloniis diuerſa, quòd Coloniæ ex ciuitate Romanâ quaſi propagarentur, municipia in ciuitatem extrinſecus vocarentur. Præfecturæ, ex hoſte victo, aut ingrato populo, fiebant: dictæ, quòd, quotannis ex vrbe in eas Præfecti mitterentur, vt in Prouincias, Prætores. Hactenus de Coloniis, & earum à Municipiis & Præfecturis differentiis: nunc ad enumerationem maritimarum coloniarum, per terrarum orbem ſparſarum, ante Conſtantini ætatem decurrendum eſt, ne quid ex opere meo, quod titulo præpoſito conueniat, prætereatur. Sed priuſquam ad iſtud deſcendam, duo tractanda propoſui. Primum de legibus naualibus ſcribendum, optimum duxi: alterum velut in prolegomeno, de hydrographiâ antiquâ inſerere aliquid, quod proficiat legenti, ducâtque ad maius iter, quo nauigatio cuiuſque prouinciæ ſitúſque, flumina, vrbes, promontoriáque, intelligantur.

CAPVT

CAPVT TRIGESIMVM.

Leges Rhodiæ Nauales.

E manuſcripto Græco ex Bibliotheca Franciſci Pithæi.

NVNC demùm tractatis iis, quæ ad adminiſtrationem rei naualis apud priſcos pertinebant, enumeratis quoque eorum claſſibus & magiſtratibus claſſiariis recenſitis, æquum videtur leges eorum maritimas hîc referre, quas à Rhodiis omnes acceperunt: ita vt, quoties quæſtio de re nauali, vel controuerſia incideret, ſi aliter ab Impp. ſancitum non eſſet, ſecundùm Legem Rhodiam antiqui Iuriſperiti reſponderent. Quæ autem fuerint Leges Rhodiæ, nullus, niſi per fragmenta, capitum ſuperſcriptiones, & Edicta aliquot Tiberij, Hadriani, Antonini, Pertinacis, & Septimij Seueri Auguſtorum cognouit, quæ in iure ciuili, nunc hoc, nunc illo loco continentur: Voluſij enim epitomæ (è quo l. deprecatio) ad l. Rhodiam: nullibi extant. Et has quidem primus omnium Romanorum Tiberius in vnum corpus collegit, tradiditque Antonino clariſſimo Conſuli, ille, Lauro & Agrippino Conſularibus, iſti Veſpaſiano: inde Traianus vnà cum Sen. eas Edicto ſanciuit, quem ſequuti ſunt & alij Imperatores, qui leges Rhodias in hæc capita contulerunt.

DE negotiis geſtis. D. lib. 3. Tit. 5.
Nautæ caupones ſtabularij vt recepta reſtituant. D. lib. 4. tit. 9.
De exercitoriâ actione. D. lib. 14. tit. 1.
Ad Legem Rhodiam de iactu, lib. eod. tit. 2.
De inſtitoriâ actione. lib. eod. tit. 3.
De nautico fœnore. D. lib. 22. tit. 2. Item C. lib. 4. tit. 33.
De incendio ruina & naufragio. D. lib. 47. tit. 9.
De inſtitoria & exercitoria actione. C. lib. 4. tit. 25.
De commerciis & mercatoribus. C. lib. 4. tit. 63.
De annonis & tributis. C. lib. 10. tit. 16.
De claſſicis. C. lib. 11. tit. 12.
De litorum & itinerum cuſtodiâ. C. lib. 12. tit. 45.
De nauiculariis, ſeu naucleris publicas ſpecies tranſportantibus: & de tollenda luſtralis auri collatione. C. lib. 11. tit. 1.
De prædiis & omnibus rebus nauiculariorum. lib. eod. tit. 1.
De nauibus non excuſandis. lib. eod. tit. 3.
Ne quid oneri publico imponatur. lib. eod. tit. 4.

De

De naufragio lib.eod.tit.5.
De Nauticis vſuris. Authent.collat.8.tit.6.

Animaduertendum autem eſt, nauticas leges dictis capitibus comprehenſas, ſenſum quidem tenere legum Rhodiarum, non autem tranſlationem de verbo ad verbum: neque omnes leges Rhodias ſub iis titulis contineri, ſed alias integras reſtare, nunquam in ius ciuile Romanorum congeſtas, alias verò vetuſtate & iniuriâ temporum deperditas, aut ſaltem non integras, ſub ſequentibus titulis fuiſſe.

De mercede exercitoris.
De mercede illius qui clauum tenet.
De mercede proretæ.
De mercede naupegi.
De mercede carabitæ, hoc eſt, illius qui lintri præeſt.
De mercede nautarum.
De mercede pareſcharitæ, hoc eſt, eius qui foco præeſt.
De mercatore.
De vectoribus.
De vectore, ne in naui piſcem in ſartagine frigat.
De vectore, ne in naui ligna findat.
De vectore, vt aquam in naui ad menſuram accipiat.
De muliere, quæ eſt in naui.
De vectoris depoſito.
De iureiurando irrecuſabili.
De æſtimatione nauis Rhodiæ.
De fœnore tam in terrâ, quàm traiectitio.
De vectoribus, qui mercatores ſunt.
De exercitoribus, & nautis.
De anchoris nauis, furto ſubreptis.
De anchoris & reliquis armamentis, furto ſubreptis.
De nautâ qui furtum commiſit.
De naui quam fures, aut piratæ ſpoliauerunt.
De nautis qui in rixâ grauiter alios læſerint.
De nautis qui in rixa cædem commiſerint.
De nautis qui in rixâ oculos eruerint.
De mercatore qui totam nauis onerationem pro ſe conduxit.
De naui damnum paſſâ, & oneris parte ſeruatâ.
De naui poſt exonerationem fractâ.
De naui iacturam arboris paſſâ.
De naui quæ inter velificandum in aliam nauim impingit, eámque damno adficit.

De naui frumento oneratâ, quam tempeſtas corrupit.
De naui iactum mali, vel gubernaculorum in tempeſtate paſsâ.
De eo, qui lintrem è naui euulſum conſeruat.
De eo, qui ex naui naufragium paſsâ, nonnihil in terram ex mari ſaluum educit.
De eo, qui ex naufragio quid rapit.
De eo, qui exercitorem ad nauigandum cogit.
De iis, qui prædas ex naufragio faciunt.

Fuerunt & alij tituli legum Rhodiarum. Ceterum omiſſis iis legibus, quæ ad notitiam noſtram non peruenerunt, primò recenſendæ ſunt illæ, quæ in iure ciuili non inueniuntur, poſtea illæ ſcribendæ erunt, quæ quidem iure ciuili Romanorum continentur,ſed aliis verbis. Quæ extra corpus iuris ciuilis ſunt, ſic ſe habent.

Merces, hoc eſt, ſalarium, exercitoris portiones duæ.
Merces eius, qui clauum tenet, portio vna cum ſemiſſe.
Merces proretæ, portio vna cum ſemiſſe.
Merces naupegi, vna portio cum ſemiſſe.
Carabitæ merces, portio vna.
Nautæ merces, portio vna.
Pareſcharitæ merces, portio dimidia.

Mercatori duos in naui * *pueros*, id eſt, famulos, *habere licet, ſed naulum pro eis ſoluat.*

* Pages, *Gallicè.*

Vectoris locus, longitudo trium cubitorum: latitudo cubiti vnius.

Vector in naui piſcem ne frigito, & exercitor id ei ne permittito.

Vector aquam in naui ad menſuram accipito.

Mulier in naui locum cubiti vnius accipito: puer autem nec dum adultus, locum cubiti dimidij.

Si vector nauim ingreſſus fuerit, qui pecuniam habeat, eam apud exercitorem deponito; quod ſi eâ non depoſitâ, aurum argentúmve ſe perdidiſſe dixerit: ij ſermones ipſius, irriti propterea ſunto, quòd apud exercitorem non depoſuerit.

Exercitor, & nautæ, & vectores, qui ſimul nauigant, iuſiurandum * *euangelicum præſtanto.*

* Additum hoc à Chriſtianis.

Oportet chiliadem, moditionis eſſe ſolidorum quinquaginta; cum omnibus armamentis ſuis, & in contributionem veniat: veteris autem nauigij ſolidorum triginta: & in æſtimatione iſtius, tertia pars detrahatur, atque ita in contributionem veniat.

Lex ita præcipit. Quæ in mari nauigantibus credita ſunt, ſub fideiuſſione, ac ſine periculo, in ſcripturam ne referuntor: Quod ſi confecta de iis ſcriptura fuerit, ſecundùm legem Rhodiam irrita eſto.

Exercitores

Exercitores ex contractibus nautarum non obligantur, ex delictis tenentur.

Exercitor, ſi quid ſuſceperit ad eius reſtitutionem, & ſolutionem tenetur. Sin verò quid ab initio ſuſcipere noluerit, nemo eum cogere poteſt, vt ſuſcipiat.

Exercitores, qui partem non minorem parte tertiarij habent in iis, quæ in nauim conferuntur, quocunque tandem mittuntur ad ſumendas mutuo pecunias, & in nauim deportandas, tam * *ad nauigationem vnam, quam ad vtramque, prout ſcripturas confecerint, ratę ſunto. Qui verò pecunias credit, hominem in nauim mittat, qui mutuum tradat.*

* hoc eſt, ad cõmeatum ſolum, & ad commeatum pariter, & remeatum.

Et hæ quidem nauales leges ſunt Rhodiorum, ſi paucas exceperis, quas ab Impp. Grecis immutatas, aut additas apparet, tum ex aliis verbis, tum ex iſtis, iuſiurandum Euangelicum prçſtanto, quæ verba in legibus antiquis Rhodiorum nuſquam fuiſſe conſtat, cùm iſtæ conditæ fuerint multis ſæculis ante aduentum Chriſti: ſed eas Harmenopulus Græcè reddidit, Latinas autem fecêre Balduinus, Schardius, & * Marquardus Freherus. Quorum vltimus prçter ſupradictas, adfert illas quæ in corpore iuris ciuilis continentur, quas tu quicunque es lector, ſi placuerit, in titulis ſupra allegatis leges; quæ autem Freherus ex Græco in Latinum vertit, aliâ loquutione, aliis verbis efferuntur, ſunt autem eiuſmodi.

* *in fine tomi 2. iuris Græco Romani.*

1. *SI nauis in portum, vel litus adpellat, & anchoris ſpoliata fuerit, fure comprehenſo & confeſſo, lex eum tormentis ſubiici iubet, ac damnum, quod inde accidit, in duplum ſarcire.*

2. *Si exercitore conſentiente, nauis alterius anchoras, in portu, vel in litore ſtationem habentis, nautæ rapuerint, atque inde nauim anchoris ſpoliatam perire contigerit, iis ita accuratè probatis, omne damnum, quod nauigio & iis, qui in eo ſunt, accidit: exercitor ille, qui rapinam fieri permiſit, in ſolidum præſtet. Si quis autem nauis inſtrumenta, ſiue quid aliud naui neceſſarium & vtile, puta rudentes & lintres, aut vela, vel ſegeſtra, vel alia ſurripuerit: ea furti author damnum paſſis dupla reſtituat.*

3. *Si nauta iuſſu exercitoris furto quid mercatori aut vectori abſtulerit, ac deprehenſus fuerit: exercitor quidem furtum paſſis duplum præſtet: nauta verò qui furtum commiſit, centum plagas fuſte verberatus accipiat. Sin ille nauta ſuo conſilio ſurripuerit, & comprehenſus, aut per teſtes conuictus fuerit, acriter tormentis ſubiicitor, maximè ſi aurum ſubreptum erit: & rem ſpoliato reſtituito.*

4. *Si exercitor in locum rapinis obnoxium, vel latronibus infeſtum nauim adplicuerit, vectoribus ei teſtatô loci vitium denunciantibus, & direptio ſubſequuta fuerit, ſpoliatis exercitor ſua præſtet. Sin, exercitore loci vitium ante denunciante, vectores eò nauim adplicuerint, & mali quid acciderit, damni accepti nomine vectores tenentor.*

5. *Si nautæ rixari voluerint, verbis rixantor: nec alterum quiſquam pulſet. Si quis autem alteri in caput percuſſo, vulnus inflixerit, aut alio quo modo eum læſerit, ſalaria medicis, expenſas læſo, cum mercede totius otioſi temporis, & cum operis, percuſſor præſtet.*

6. *Si nautæ rixati fuerint, & quiſpiam lapide, vel fuſte percuſſerit alium, iſque viciſſim pulſauerit illum, qui prior eum percuſsit, tanquam vi adductus hoc fecit. Quòd ſi pulſatus deceſſerit, probatúmque teſtibus fuerit, eum priorem vel lapide, vel fuſte, vel ferro percuſſiſſe, qui eum feriit, & occidit, à periculo liber eſto. Quippe quod facere voluit, paſſus eſt.*

7. *Si quis exercitorum, aut mercatorum, aut nautarum pugno quem percuſſerit, & excæcauerit; aut calcem impegerit, & hominem hernioſum reddiderit: mercedes medicis ſoluat, is qui percuſſit: & oculi quidem nomine, aureos xij. pro ramice, x. præſtet. Quod ſi calce percuſſus, deceſſerit, percuſſor mortis ſupplicio obnoxius erit.*

8. *Si exercitor cui nauis eſt credita, cum auro nautis conſentientibus aliam in regionem nauigando aufugerit, omnia ipſorum bona, mobilia, immobilia, & ſeſe mouentia, quæcunque poſſident, occupabuntur. Quorum pretia ſi æſtimationem nauis, operarum, & temporis, venditio non æquet, nautæ cum ipſo exercitore, locentur ad præſtandas operas, & damno dato plenè ſatisfaciant.*

9. *Si exercitor de iactu conſultauerit, vectores interroget, quibus in naui pecuniæ ſunt. Id vbi factum erit, calculum ineant, & in contributionem pecuniæ quoque veniant. Stragulorum verò & veſtium, & inſtrumenti fiat æſtimatio. Quod ſi iactum fecerint, exercitori & vectoribus non vltra libram vnam, clauum tenenti & proretæ, non vltra dimidiam libram, nautæ, ſcrupuli tres adſignantor. Famuli, & ſi quis alius vnà nauigat, non diſtrahendus, tribus minis. Sin aliquis diſtrahendus, in naui vehitur, minis duabus æſtimetur. Eadem ratione ſi ab hoſtibus, vel latronibus, vel piratis, pecuniæ cum iis quæ ad nautas in commune ſpectant, diripiantur, etiam in computationem veniant, & eodem modo contribuantur.*

10. *Si exercitor vnà cum nautis negligens fuerit, & damnum, vel naufragium acciderit, idem exercitor ac nautæ, mercatori ad præſtationem damni tenentor. Sin culpâ mercatoris perire nauim cum onere contigerit, mercator & naufragij & nauis damnum agnoſcat. ſin damnum, vel naufragium acciderit, nullo nec ab exercitore, nec à nautis, nec à mercatoribus obiecto impedimento: ſaluæ nauis, & onerum partes in contributionem veniant.*

11. *Graues & pretioſas merces veteri nauigio mercatores & vecto-*

res

res non imponant. ſin impoſuerint, & nauigio velificante, damni quid eis datum, vel corruptæ fuerint, is qui nauigium vetus onerauit, ſeipſum perdidit. Cum autem mercatores nauim conducunt, diligenter interrogent alios mercatores, qui prius in ea naui nauigarunt, atque ita merces ſuas imponant: an videlicet omne inſtrumentum nauis ea plenè habeat, malum, validas antennas, vela, ſegeſtra, anchoras, diuerſos funes cannabinos, lintres inſtructos, idonea gubernacula, nautas ſufficientes, naualis rei peritos, agiles, latera nauis haud diſſoluta: vt denique ſimpliciter complectamur, omnia mercatores inquirant, & ita merces ſuas imponant.

12. *Si quis aliquid in naui, vel in domo depoſuerit, apud hominem notum, & fidei ſpectatæ, in præſentiâ trium teſtium deponat. Quod ſi depoſitum graue ſit, interueniente ſcripturâ, deponat. ſi verò dixerit is qui rem cuſtodiendam ſuſcepit, eam eſſe amiſſam: domus perfoſſionem, vel vnde furtum extiterit indicare debet, & iurare nihil ſuo dolo factum. Quod ſi non indicarit, res vti recepit, ſaluas reddat.*

13. *Si vector nauim ingreſſus, aurum, vel aliud quid habeat, id apud exercitorem deponito. ſin re non depoſitâ, dixerit, aurum vel argentum ſe perdidiſſe: irritâ ſunto, quæ ab ipſo dicuntur: exercitor tamen & nautæ, cum iis qui ſimul nauigant, iuſiurandum preſtent.*

14. *Si quis ſuſcepto depoſito, id inficiatus, poſtea conuictus fuerit: aut ſi depoſitum repertum fuerit apud eum, qui iurauit, aut ſcripto negauit; duplum eius preſtabit, & periurij quoque pœnam ſuſtineat.*

15. *Si nauis, vectores, aut mercatores vehat, aut exercitor ſuſceptis in depoſitum mancipiis, ad aliquam ciuitatem, vel portum, vel litus adpulerit: ac nonnullis è naui egreſsis, perſequutio latronum, aut piratarum incurſus acciderit, & nauta celeumate facto, ſemet explicuerit, tam naui, quàm vectorum, mercatorúmque rebus ſaluis: quilibet egreſſorum, ſpecies & vaſa ſua recipiat. ſi quis autem exercitori litem propterea mouere voluerit, quòd ſe in litore, loco à latronibus infeſto, reliquerit, quæ ab ipſo præferuntur, irrita ſunto: quoniam proſequutione vrgente cum nautis exercitor aufugit. ſin mercator, aut vector quiſpiam ſeruum alienum, apud ſe depoſitum, in quocunque loco reliquerit, eum domino ſuo reſtituat.*

16. *Exercitores & mercatores, quicunque mutuam pecuniam in nauim ſumunt, fideiuſsione non vtuntor, & naulo, & mercibus: naui & pecuniâ ſaluis: niſi fortè pecuniis immineant, ex periculis marinis, vel à piratis inſidiæ. De pecuniis autem ſub fideiuſsione datis, vſuram nauticam ſoluant.*

17. *Si quis aurum vel argentum mutuo dederit ad vſum ſocietatis, idque in nauigatione, ac prout placuerit, quandiu mutui ſocietas durare debeat, in ſcripta retulerint: ſi quidem is qui aurum, vel argentum accepit, tempore completo, id domino non refuderit, vel ab igne, vel latronibus, vel naufragio perire contigerit, liber à damno maneat auri dominus, & ſua ſalua recipiat. ſin verò tempore pactorum nondum imple-*

to, periculum, vel interitus in mari acciderit: partes ipſæ, vt lucri, ſic etiam damni nomine, ſecundum pacta conuenta teneantur.

18. *Si quis pecuniâ mutuo ſumptâ, peregrè profectus fuerit, tempore conuentionis elapſo, iuxta legem à fideiuſſoribus mutuum ſoluatur. Sin nulla ſatisfaciendi ratio eſt, pecunia quidem ſub fideiuſsione manebit, verum vſuræ nauticæ totius temporis, quo peregrè abſuerit, ſoluuntur.*

19. *Si quis nauim conduxerit, & arrham dederit, ac poſtea dixerit, eâ ſibi non eſſe opus: arrham amittit. ſin exercitor aduerſus conuentionem venerit, arrham mercatori duplam præſtet.*

20. *Si quis nauim conduxerit, inſtrumenta conſignata rata ſunto: ſin autem, irrita. Pœnas etiam, ſi velint, inſcribant. Quod ſi nullæ ſcripturæ factæ fuerint, & vel exercitor, vel conductor feſellerit: ſiquidem conductor pecuniam mercium causâ non dederit, dimidium naulum exercitori ſoluat: ſin exercitor feſellerit, mercatori dimidium naulum præſtet. ſi verò mercator eximere merces voluerit, naulum integrum exercitori ſoluat. Pœnarum autem exactio quaſi per vindicationem quandam fiet.*

21. *Si duo citra ſcripturam ſocietatem inierint, & pars vtraque confeſſa fuerit, ſe alio quoque tempore ſocietatem abſque ſcripturâ contraxiſſe, ac inuicem ſibi fidem ſeruaſſe, tributúmque ſemper vnius oneris perſoluiſſe: ſiquidem alteri naui vel ſaburrâ, vel mercibus oneratę, quid acciderit, incolumis damnum paſſæ quartam partem inferat, cùm inſtrumenta nullâ proferant, ſed verbis duntaxat ſocietatem iniuerint. Quæ verò per ſcripturam conſignantur, firma & valida ſunto: quæque ſalua ſunt cum deperditis in contributionem veniant.*

22. *Exercitor nihil ſecum ferat præter aquam, & commeatus, & funes, quorum in nauibus vſus eſt, & cętera nauibus neceſſaria: ſiquidem mercator nauim totam ſecundum inſtrumentorum conditiones onerauerit. ſin exercitor alias poſtea merces inferre voluerit, ſiquidem ipſa nauis earum capax eſt, imponat: ſin autem mercator coram tribus teſtibus exercitori & nautis ſemet opponat: ac ſi iactus ſequutus fuerit, damno exercitoris erit. ſin mercator haud prohibuerit. in contributionem veniant.*

23. *Si ſcripturas exercitor & mercator confecerint, ratæ ſunto: ſin mercator plenum onus non pręſtet, reſiduorum naula ſoluat ex inſtrumenti formulâ.*

24. *Si exercitor accepto dimidio naulo nauigauerit, & mercator reuerti voluerit, licet inſtrumenta conſignauerint, mercator dimidium naulum huius impedimenti causâ perdit. ſin confectis inſtrumentis exercitor contra venerit, duplum dimidij nauli ſoluat.*

25. *Si terminus dierum inſtrumentis inſcriptorum præterierit, vſque ad dies decem, mercator cibaria nautis præſtet. Quod ſi terminus alter præterierit, ante omnia ſoluto naulo mercator exſcenſum facito. Quod ſi*

ſummam aliquam naulo mercator adiicere voluerit, eam prǣſtet, ac prout viſum erit, nauiget.

26. *Si nautá quopiam, vel exercitore extra nauim cubante, nauim noctu, vel interdiu perire contigerit, hoc omne damnum ad foris cubantes nautas, vel exercitores ſpectat, iis à damno liberis, qui in naue manſerint.*

27. *Si nauis ſoluat cum mercatoris aut ſocietatis mercibus, & aliquid accidere naui, vel eam perire nautarum, aut exercitoris culpâ contigerit: extra periculum ſint merces finitis in locis poſitæ. ſin teſtibus probatum fuerit tempeſtate coortâ periiſſe: tam quæ ſuperſunt in naui, quàm ipſæ merces in contributionem veniant. Dimidium tamen naulum exercitor ſibi retineat. Quod ſi quis ſocietatem inficiatus, & tribus à teſtibus conuictus fuerit, ſocietatis partes ſoluat, & inficiationis partem ſuſtineat.*

28. *Si nauis à mercatore, vel ſocio fuerit impedita, quo minus, vbi dies dictus aduenit, è portu ſoluat: eámque nauim à piratis, vel incendio, vel naufragio perdi contigerit, damnum prǣſtet is, qui adtulit impedimentum.*

29. *Si mercator in eo loco, quo confecta fuerint inſtrumenta, merces non tradiderit, elapſo iam die ſtatuto, vel à piratis, vel incendio, vel naufragio damnum dari contigerit: omne damnum hoc nauis, ad mercatorem ſpectat. ſin die temporis ſtatuti nec dum exacto, prædictorum aliquid acciderit, ad contributionem veniant.*

30. *Si mercator nauim onerauerit, pecuniam ſecum habens; atque aliquod marinum periculum naui euenire cõtigerit, ita vt merces pereant, & ipſa nauis diſſoluatur: quæ de naui, déque mercibus ſalua ſuperſunt, in contributionem veniant: aurum verò ſuum mercator, ſolutis decimis, ſecum auferat. Ac ſi nullo nauis inſtrumento prehenſo ſaluus euaſerit: naulum dimidium ex inſtrumentorum formulâ præſtet. ſin euaſerit, arrepto quodam nauis inſtrumento, quintas inferat.*

31. *Si mercator nauim onerauerit, & naui quid acciderit, omnia quæ ſalua ſuperſunt, in contributionem vtrinque veniant. Quod ſi pecunia conſeruetur, quintas ſoluat. Exercitor verò cum nautis operam ferat, vt ſaluetur.*

32. *Si nauis à mercatore onerata, vel pro naulo conſtituto, vel initâ ſocietate diſceſſerit: & marinus ei caſus acciderit: dimidium quidem naulum mercator non exigat, nauigium verò cum mercibus impoſitis in contributionem veniat. ſi verò mercator, aut qui ſocietatem coiuit, præ manu quid mutuò dederit, ſcriptæ conuentionis formula rata ſit.*

33. *Si merces depoſuerit exercitor in loco, quo conuenerit, & naui quid acciderit: naulum quidem integrum exercitor à mercatore conſequatur, merces autem exoneratæ vnà cum naui, à vectoribus ſecuræ ſint. Quæ verò in naui reperiuntur, in contributionem cum ipsâ naui veniant.*

34. Si

* Alij *ſtegaſtria* legunt, quo nomine omne tegumentum ſignificatur hîc verò, *vel coriaceum, vel ſparteum tegimen*, quo cauetur, ne merces vndis corrumpantur in naui: Græcis στέγαστρον, ϗ στέγασμα. Meminit *ſtegaſtridis diphtheræ*, hoc eſt, *tunica coriacea* Iulius Pollux Dictionarij lib. 9. cap. 46.

34. *Si nauis lintea vehat, aut veſtes, exercitor bona * ſegeſtra præbeat, ne merces à tempeſtate, fluctuum inundatione corrumpantur. Sin nauim ſentina nimis oppleuerit, exercitor ſtatim ſignificet iis, qui merces in naui habent, vt eæ exponantur. Si verò nautæ id exercitori non patefecerint, atque ita corruptæ merces fuerint, exercitor ipſe cum nautis de damno tenetur. Sin autem teſtatô denunciarit exercitor cum nautis, nauis ſentinam vltra modum oppletam eſſe, ac merces exponi debere, ídque facere neglexerint, qui eas impoſuêre: tam exercitor quàm nautæ, damni accepti non tenentor.*

35. *Si nauis iactum fecerit, arbore caſu vel amiſſâ, vel caſâ, nautæ omnes, & mercatores, & merces, & nauis in contributionem conſeruata veniant.*

36. *Si nauis velificans in aliam nauem in portu quieſcentem, vel quæ vela laxarit, interdiu delata fuerit: omnis tam colliſio, quàm interitus ad exercitorem pariter & ad ipſos vectores ſpectat: ac reliquum eſt, vt & merces in contributionem veniant. Quod ſi res noctu acciderit, qui vela laxauerit, ignem accendat. Si ab igne deſtituatur, clamores edat. Quæ ſi facere neglexerit, & nauim perire contigerit, ſeipſum perdidit, modò teſtimoniis hæc in hunc modum probata fuerint. Quòd ſi veli curator negligens fuerit, & excubiis agendis præpoſitus obdormierit: qui paſſis velis nauigat, velut in breuia delatus perit: & damnum ei præſtet in quem impetum fecit.*

37. *Si naui quid acciderit, & mercatorum vectorúmve rebus ſaluis, ipſum nauigium perierit: res, quæ ſaluæ ſuperſunt, quintaſ-decimas præſtent. Sed mercator & vectores nauim exercitori non ſoluant.*

38. *Si nauis onuſta frumento correpta fuerit tempeſtate, exercitor ſegeſtra præbeat, & nautæ ſentinam exhauriant. Si negligentes fuerint, & ex ſentinâ merces madefiant, nautæ damnum præſtent. Sin ex tempeſtate merces detrimentum acceperint, id damnum, ſimul exercitor & nautæ & mercator, agnoſcant. Eorum verò, quæ ſalua ſuperſunt, centeſimas, exercitor vnà cum naui, & nautis accipiat. Cùm autem iactus in mare faciendus eſt, mercator primus iacito, atque ita nautæ rem aggrediuntor. Poſtea tamen, nemo nautarum aliquid rapiat. ſi fecerit, dupla præſtet, ac lucrum omne amittat.*

39. *Si nauis frumento, vel vino, vel oleo referta, exercitore ſic volente, & nautis vela laxantibus, aduerſante mercatore, quendam ad locum, vel in litus adpulerit, & nauim quidem perire contigerit, onus verò, mercéſve cõſeruari: nullum mercatori periculum ex iacturâ erit, quandoquidem ad illum locum adpellere noluit. ſin vela faciente naui, mercator exercitori dixerit, ad eum locum neceſſario ſibi adpellendum, qui tamen locus inſtrumentis non contineatur, atque ita perire nauim contigerit, ſaluis mercibus: mercator nauim exercitori ſaluam & integram præſtet. Sin amborum voluntate nauis perierit, omnia veniant in collationem.*

40. *Si nauim acciderit naufragio perire, ſaluâ tam mercium, quàm nauis*

nauis parte: ſiquidem vectores aurum, vel argentum, vel holoſerica, vel vniones, vel magni pretij lapillos ſecum portant: aurum conſeruatum decimas præſtet, argentum quintas pendat, holoſerica verò, ſi abſque madefactione conſeruata fuerint, decimas ſoluant, velut auro paria. Sin madeſiant, detrimentum, & madefactio detrahatur, atque ita in collationem veniant. Vniones autem, prout æſtimati fuerint, onus auri exæquantes, nauis exitum compenſent.

41. *Si vectores in naui nauigent, eáque vel corrupta fuerit, vel perierit, rebus vectorum ſaluis: vectores ad ſarciendam nauis iacturam conferant. Sin duo, aut tres vectores aurum ſuum, vel ſpecies amiſerint, ab omnibus pro ratione facultatum damni æſtimationem recipiant, etiam veniente in collationem nauigio.*

42. *Si nauis oneraria rimis fatiſcat, & merces exemptæ fuerint, in exercitoris arbitrio ſit, eas iſto nauigio vehere velit, an illo, de quo cum mercatore conuenerit, ſiquidem nauis inſtructa ſit. Sin inſtructa non ſit, aliam verò nauim exercitor offerat, vſque ad illud emporium, de quo conuenit, exercitor naulum omne præſtet.*

43. *Si naui tempeſtate correptâ, & mercium iactu facto, antennarum cornua, malus, gubernacula, anchoræ, & ſcaphæ fractæ fuerint, hæc omnia in contributionem veniant, vnà cum nauis & mercium conſeruatarum pretio.*

44. *Si nauis merces vehat, & in tempeſtate, vel arboris iactus fiat, vel fracta gubernacula fuerint, vel perdita ſcapha: ſiquidem vt tempeſtatis humectari merces contigerit, hæc omnia in contributionem venire neceſſe eſt. Sin merces magis ex ſentinâ, quàm à tempeſtate corruptæ fuerint: naula quidem exercitor accipiat, ſed ſpecies eâ menſurâ, quâ traditas accepit, ſiccas reddat.*

45. *Si nauis in mari correpta vorticibus, aut corrupta fuerit, qui aliquid in terram ex eâ ſaluum exportat, mercedis loco partem ab ſe conſeruatæ rei quintam conſequitor.*

46. *Si linter funibus à naui ſuâ ruptis cum nauigantibus in eâ nautis amittatur, ſiquidem vectores perierint, aut extincti fuerint, exercitor mercedem annuam, vſque dum annus integer exactus fuerit, nautarum heredibus ſoluat. Qui verò lintrem ipſum, ſiue ſcapham incolumen conſeruat, reſtituat omnia, quemadmodum reapſe inuenerit: mercedis loco partem quintam accipiens.*

47. *Si aurum, vel argentum, vel aliud quidpiam ex profundo ſurſum latum fuerit à cubitis octo, tertiam partem accipiat is, qui conſeruat: ſin à quindecim cubitis, ſemiſſem conſequitor qui conſeruat, propter periculum profunditatis. Eorum verò quæ à mari reiiciuntur in terram, & ad vnum cubitum demerſa reperiuntur, decimam partem accipiat is, qui ſalua exportat.*

48. *Qui ex naufragiis quid rapit, quadruplum reſtituat.*

49. *Qui onus priuatum impoſuerit publico, & exercitorem ad hoc*

cogit, non modò diſpendium, & ipſius naufragij periculum adgnoſcat, verum etiam ſeuerè puniatur.

50. *Qui ex miſerabili naufragorum ſubſtantiâ quiduis rapiunt, aut dolo malo lucrantur, quadruplum iniuriam paſsis prę$tent.*

51. *Qui grauiori prędâ, & vi res aufert ex naufragio, poſt earum reſtitutionem, ſi liber eſt, in triennium relegator: ſin ſordidi quidam ſunt, in opus publicum vſque ad id tempus dantur: ſi denique ſerui, in grauius opus fiſci ſimiliter deportantor.*

Et iſtæ quidē leges ſunt Rhodię, aliis legibus antiquiores: quibus cùm poſterioribus tēporibus quidam, vt ait * Docimius, ad fraudem, & impoſturam abuterentur, & ipſa rerum facies mutata neceſſario poſceret, vt nouæ leges conderentur, quæ, quod antiquis legibus, deeſſet ſupplerent, & illas ad formam elegantiorem & honeſtiorem traducerent, illæ â Diocletiano, Maximiano, Conſtantino, Valente, Valentiniano, Gratiano, Theodoſio, Honorio, Arcadio, Valeriano, & Iuſtiniano promulgatæ fuerunt. Igitur vbi lex noua non inuenitur, quæ cum veteri Rhodiorum iure pugnet, ſecundum leges Rhodias de controuerſiis nauticis iudicatur. Vbi verò leges aliæ ipſis aduerſantur, ceſſant Rhodiorum leges, & nouæ robur obtinent. Specialia, & vt ſolet, docta, Iac. Gothofredus I. C. amicus noſter edidit nuper, breui tractatu ad l. Deprecatio. D. De l. Rhodia de iactu. Vbi pro publicanis, publicos ſeruos ciuitatum legit, qui naufragia excipiebant. An ad fiſcum naufragium pertineret, tractat. Item de iure peculiari quarundam inſularum & ciuitatum maritimarum. Quænam pœnarum genera aduerſus eos, qui quid ex naufragio diripuiſſent. Dominium maris ad Imp. ſpectaſſe, aliáque legi digna. Nunc pergo ad hydrographiam Orbis ab antiquis cogniti.

* *Aliis Docimus, qui de legibus Rhodiis, lib. quodam de iure, tractauit.*

CAPVT

CAPVT TRIGESIMVM PRIMVM.

Hydrographia antiqua, hoc eſt, generalis deſcriptio maris, & litorum, cum vrbibus, portubus, & promontoriis, ab antiquis cognitorum: vbi nauigationes veterum continentur, ante Conſtantini Magni tempora facta. Item de tabularum Geographicarum vetuſtate.



OLONIARVM deducendarum cauſis & rationibus ſupra ſcriptis, antequam ad ipſarum Coloniarum enumerationem peruenianm, non abs re erit, totius Orbis ab antiquis cogniti, deſcriptionem hîc inſerere: vnde appareat, quæ maria, tractúſque maritimi nauibus luſtrati fuerint, ne quid falſi in inueſtigatione peregrinarum regionum hoc ſæculum ſibi attribuat, aut antiquum, & dudum cognitum putetur, quod hodie nauigatione percepimus. Igitur à Gadibus ad Rubrum mare accipere naues coactus Oceanus, cui nomen Atlantici, & rur-

cogit, non modò diſpendium, & ipſius naufragij periculum adgnoſcat, verum etiam ſeuerè puniatur.

50. *Qui ex miſerabili naufragorum ſubſtantiâ quiduis rapiunt, aut dolo malo lucrantur, quadruplum iniuriam paſsis præſtent.*

51. *Qui grauiori prædâ, & vi res aufert ex naufragio, poſt earum reſtitutionem, ſi liber eſt, in triennium relegator: ſin ſordidi quidam ſunt, in opus publicum vſque ad id tempus dantur: ſi denique ſerui, in grauius opus fiſci ſimiliter deportantor.*

Et iſtæ quidẽ leges ſunt Rhodiæ, aliis legibus antiquiores: quibus cùm poſterioribus tẽporibus quidam, vt ait * Docimius, ad fraudem, & impoſturam abuterentur, & ipſa rerum facies mutata neceſſario poſceret, vt nouæ leges conderentur, quæ, quod antiquis legibus, deeſſet ſupplerent, & illas ad formam elegantiorem & honeſtiorem traducerent, illæ â Diocletiano, Maximiano, Conſtantino, Valente, Valentiniano, Gratiano, Theodoſio, Honorio, Arcadio, Valeriano, & Iuſtiniano promulgatæ fuerunt. Igitur vbi lex noua non inuenitur, quæ cum veteri Rhodiorum iure pugnet, ſecundum leges Rhodias de controuerſiis nauticis iudicatur. Vbi verò leges aliæ ipſis aduerſantur, ceſſant Rhodiorum leges, & nouæ robur obtinent. Specialia, & vt ſolet, docta, Iac. Gothofredus I. C. amicus noſter edidit nuper, breui tractatu ad l. Deprecatio. D. De l. Rhodia de iactu. Vbi pro publicanis, publicos ſeruos ciuitatum legit, qui naufragia excipiebant. An ad fiſcum naufragium pertineret, tractat. Item de iure peculiari quarundam inſularum & ciuitatum maritimarum. Quænam pœnarum genera aduerſus eos, qui quid ex naufragio diripuiſſent. Dominium maris ad Imp. ſpectaſſe, aliáque legi digna. Nunc pergo ad hydrographiam Orbis ab antiquis cogniti.

* *Aliis Docimus, qui de legibus Rhodiis, lib. quodam de iure, tractauit.*

CAPVT

CAPVT TRIGESIMVM PRIMVM.

Hydrographia antiqua, hoc eſt, generalis deſcriptio maris, & litorum, cum vrbibus, portubus, & promontoriis, ab antiquis cognitorum: vbi nauigationes veterum continentur, ante Conſtantini Magni tempora factæ. Item de tabularum Geographicarum vetuſtate.



COLONIARVM deducendarum cauſis & rationibus ſupra ſcriptis, antequam ad ipſarum Coloniarum enumerationem perueniam, non abs re erit, totius Orbis ab antiquis cogniti, deſcriptionem hîc inſerere: vnde appareat, quæ maria, tractúſque maritimi nauibus luſtrati fuerint, ne quid falſi in inueſtigatione peregrinarum regionum hoc ſæculum ſibi attribuat, aut antiquum, & dudum cognitum putetur, quod hodie nauigatione percepimus. Igitur à Gadibus ad Rubrum mare accipere naues coactus Oceanus, cui nomen Atlantici, & rur-

ſum à Rubro mari Perſicus Sinus, Indicúmque & Scythicum maria nauigata. Rurſum à Gadibus ad Britannicum, Germanicumque pelagus penetratum, & vltra, ſi hiſtoriæ credimus: ſi verò Coſmographis, vetuſtioribus fidem adhibere velimus, Aſia ab Arabico Sinu ad Cattigaram, Sinarum ſtationem, tantùm cognita, reliqua à Cattigara, vbi hodie regnum Sian putatur, ad Tartaricum mare incognita. Europam à Gadibus ad Cimbricum promontorium aut bella, aut amicitia ſocietáſque priſcis aperuit, quod vltra eſt, ad Oby promontorium, vix ipſi tentauimus. Africam deſcribunt ab Herculis freto ad Bapiboti oſtium, reliqua interſciſa & mutila, tractúſque ingens terrarum omiſſus, donec ad Praſſum promontorium perueniatur, à quo rurſum incipiens Africa, Arabico Sinu finitur. Omitto Mediterraneum mare, ſecundùm terras, quas pulſat, variis appellationibus donatum, Euxinúmque, & Mæotim paludem, Caſpiúmque maria, Oceanum Scythicum intrare credita: Solum quod Americam, terráſque, quas etiam nunc Incognitas vocamus, mare penetrat, intellectum quidem antiquis, ſed viſum nuſquam. Tribus partibus totidémque nominibus Oceanus Aſiam tangebat. Eous ab Oriente, à Meridie Indicus, à Septentrione Scythicus, nam & ipſe agnitus aliquantum fuit. Africa cingebatur mare Libyco à Septentrione Atlantico ab Occidente, ab Oriente Arabico, Europa à Septentrione Britannicum Oceanum habebat, ab Occidente Atlanticum, ab Oriente Mæotida, & Pontum, à Meridie Mediterraneum. Sed & Africæ partem, quæ hodie receuter detecta putatur, Hanno dux Carthaginienſis detexit, pérque Herculis fretum ad Arabicum Sinum peruenit, ſuámque nauigationem ſcriptis mandauit, quæ quotidie manibus teruntur. Miſſus & à Carthaginienſibus Himilco, ad extera Europæ cognoſcenda, ſed quæ iſte compererit, tradidit nemo. Eudoxus Cyzicenus, cùm Latyrum, neſcio quem Regem, fugeret, Arabico Sinu egreſſus, Gades vſq; prouectus eſt: multóque ante eum Cælius Antipater, commercij gratiâ, Æthiopiam circumnauigauerat. Septentrionalis Oceanus magnâ ex parte luſtratus auſpiciis Auguſti, penetratúmq; à Cimbrico promontorio ad Scythicam plagam, humoréque nimio regna rigentia. Propter quod, verum eſſe conijcitur, ibi maria minimè deficere, vbi vis humoris ſuperet. Iuxta verò ab Indico mari, ſub eodem ſidere, pars tota vergens ad Caſpium mare pernauigata eſt Macedonum armis, Seleuco atque Antiocho regnantibus, qui proximas illi terras Seleucida, atque Antiochida à ſeipſis appellari voluerunt. Vltra Caſpium quoque multa Oceani litora explorata, & compendioſiori itinere, quàm totus hinc & inde Septentrio eremigata. Nearchus, & Oneſicritus Alexandri Magni duces, Indicum mare, Sinúmque Perſicum, Tigridíſque & Euphra

Mela.

Hanno.
Plin. lib. 2 cap. 67. & lib. 5. c. 1.

Strabo lib. 2.
Herodot. lib. 4. qui adiurgit, Neckum quendam ſiue Necaonem, Ægypti Regem, nauem miſiſſe, quæ ab Arabico Sinu ad oſtia Nili, circumnauigatâ Africâ, poſt triennium peruenit.

Euphratis oſtia claſſe luſtrauerunt. Polybius Annalium conditor, Scipione Æmiliano res in Africâ gerente, acceptâ ab eo claſſe, ſcrutandi Orbis gratiâ, vltra Æthiopas, & Nigritas circumuectus eſt. Ante iſtos Homerus Mauritaniam cecinit, Fortunatas insulas, Æthiopas, pelagus Atlanticum, inſulam Ogygiam, Arabicum mare, Seres, atque Indos. Hiſpanis quoque per Atlanticum mare ad Arabicum Sinum nauigatum olim conſtat, ex eo quòd Caio Cæſare Auguſti filio in dicto Arabico Sinu res gerente, ſigna nauium ex Hiſpanienſibus naufragiis cognita fuerunt: & quòd è Cælio Antipatre hoc iſto Capite ſupra diximus. De Indis ante Strabonem ſcripſerunt Dimachus, Megaſthenes, Oneſicritus, Nearchus, Patrocles, Eratoſthenes, Hipparchus, & Polybius, qui de Taprobanâ inſulâ meminerunt, ambitúmque Libyæ deſcribunt: ipſéque Strabo ſe cum Gallo Ægypti Pręfecto ſub Auguſto ad Æthiopas vſque perueniſſe dicit, claſſémque cxx nauium in Maris portu vidiſſe, quæ versùs Indiam quotannis nauigaret. Q. Afranio Celeri, C. Afranij in Conſulatu collegæ, Galliæ tum Proconſuli, Indos à Rege Suecorum dono datos tradit Corn. Nepos apud * Plinium, qui ex Indiâ Occidētali, quæ nobis hodie America eſt, commercij causâ nauigantes, in Germaniam tempeſtatibus fuerant abrepti. Si altiori indagatione inquiramus in præterita, Salomonis claſſis ab Aſiongaberâ vrbe, quæ poſtea Berenice appellata eſt, ſoluens, vbi ad os Sinus Arabici peruenerat, in duas partes diuidebatur: pars Malacam, Sumatram & Iauas inſulas per Orientem petebat: pars Sofalam nauigabat, totúmq; Africæ litus circumeundo, Caput Bonæ Spei, tum ſine nomine promontorium, ſulcato fluctu præteribat, pérque Gades & Herculeum fretum in noſtrum mare delapſa, Iopenſem portum, poſt triennalem nauigationem ſubibat. Sic maria circumfuſa vndiq; terris antiquis pererrata; at quia raro hoc factum eſt, opinio plurium obtinuit, non credentium, quod pauci fecerant. Hinc vltra Æquatorem nauigari impoſſibile eſſe exiſtimatum eſt, & deſerta, quæ hodie & populis, & animantibus, & gleba fertili fœcunda cernimus. Expectatur quotidie & alius Orbis, terrâ Auſtrali nondum penetratâ, quam, vt ingenti eſt dimenſione, ita immenſiſſimo Oceano ad Antarcticum ſuſtineri neceſſe eſt. Veniet ætas quando illa immenſitas patebit hominibus, quam auaritiæ noſtræ fata ademerunt, ne ſicut Oriens, Occidénſque, ita & Auſtralis plaga, quaſi pręda laceraretur, ad eruendas diuitias, quas terra & mare tegunt. Romanis, Gręcíſque, & Carthaginienſibus Americam Deus ſubſtraxit, vt tota noſtra eſſet, & in Europam, exiguam Orbis partem, pars maxima eiuſdem veheretur, aurúmque, & argentum, & gemmæ, per tot æquora, tantíſque laboribus peterentur, libidini, furori, & bellis irritamentum. Non deſunt tamen qui

Apud Strabonem lib. 1. c. 2.

* *Lib. 6. c. 67.*

Bergeron. tractatu de nauigat § 2.

Dd 3 hodiernam

hodiernam Americam Atlanticam Platonis Inſulam putent, de qua ille in Timæo,legitúrque apud Ælianum Silenum cum Rege Phrygiæ Myda differentem,aſſeruiſſe,Europam, Aſiam, atque Africam vnam Inſulam eſſe, alteram terram vaſtiſſimam reſtare, quæ animalia altera nutriret,hominéſque maioris ſtaturæ, & vitæ longioris,diuerſis moribus & legibus,ibi auri, argentíque fodinas incolis ferro poſthaberi, alios Deos, & cultus Deorum, vrbes maximas & innumeras. Inueniuntur etiam qui Statium Seboſum à Gorgonum Inſulis ad Cubam & Iamaicam quadraginta dierum nauigatione peruenïſſe exiſtimant, & iſtas quidem Antiquorum Heſperidas eſſe,non autem Canarias,à quibus ad Gorgonum inſulas non quadraginta ſed ſeptem dierum nauigatio eſt. Et totum quidem orbem Oceanus inuoluit,variis ſecundùm regiones quas lambit,nominibus appellatus; aliquando & à cæli parte quà tegitur tumeſcens in fluctus,aut intrans terras. Is autem ab antiquis,ante Conſtantini Magni imperium,ſub ſequentibus appellationibus cognitus eſt. Europa ab Occidente eo clauditur,dicitúrque Cantabricus, dum Cantabrorum, Hiſpaniæ populorum ,ſubit portus: Aquitanicus verberat Galliæ partem,quæ Aquitanica appellatur: Germanicus, pulſat Germaniam: Britannicus,circuit Britannias; quarum pars Scotia,olim Caledonia, à quâ Caledonius: qui ad Arcton properat,Septentrionalis vocatus eſt: Sarmaticus & Scythicus, Sarmatiam & Scythiam lancinant. A Meridie,inter Europam atque Africam arctatus, in Sinum coactus, ita vt vix M.PASS.pateat,tum vaſtior paulatim diuiditterras,mox longè latéque diffuſus,abigit vaſtè cedentia litora, quáque Hiſpaniam primis vadis ſalutat, vocatur Ibericus: vbi Narbonenſem Galliam ſinuoſus interluit, Gallicus: Liguſticus Liguriam quatit,Tyrrhenus Tyrrheniam,Siculus Siciliam: inde ſinus Adriaticus, Ionium, Eubœum, Creticúmque maria. His Helleſpontus vicinus, qui ab Oriente Europam terminat, ſupráque eum Pontus, & Mæotis palus. Africam ab Europâ Septentrionem versùs fretum Gaditanum,Africum, Mediterraneum, Siculum,Creticúmque & Ægyptium maria diuidunt. Ab Oriente eamdem ab Aſiâ Nilus,& Arabicus Sinus, à Meridie pelagus Æthiopicum,ab Occidente, Atlanticum. Aſia terminatur Arabico Sinu, Syrio mari,Silicio,Mirthoo,Ægeo,Helleſponto, Propontide,Ponto,& Mæotide palude: à quâ nõ longè abeſt ęquor Caſpium & Hircanum. Eandem versùs Arcton Oceanus Scythicus includit: ad Meridiem mare Rubrum, Sinus Perſicus, Sabaricus, ſiue Gangeticus,Argaricus,& Indicum mare; ab Oriente Eoum habet. Deſcripſerat hæc olim Varro, Mediterraneis omiſſis, pérque omnes æquoris tractus,indagine curioſâ cucurrerat, libro, cui titulus,De litoralibus; ſed huñc edacia ſæcula ſuſtulerunt

tulerunt quærentibus, vndè labor mihi hodie maior, recurrenti ad varios authores, cui vnus forſitan ſuffeciſſet. Scripſit & Iuba mirandas nauigationes circa Africam factas, alias quoque Hippalus, ante Romanum nomen cognitus, qui primus littoribus relictis, alto ſe tradidit, auſus aſtrorum intuitu, pelagus findere ab Arabico Sinu, ad Indiarum extrema; ſed illi, quia nec modos ſpatiorum, nec ſtationum loca addiderunt, iter tantùm videntur volando perfeciſſe, non oſtendiſſe. Præterea multa ab iis tradita deſiderantur, ſicut & omiſſa, nec minor eſt labor deprauata emendare & reſtituere. Succedit & aliud æquè ac cetera intricatum ob mutationem, vel ruinam oppidorum, inundationes pelagi populorúmque, quæ omnia Coſmographiæ ordinem turbauerunt, ſitus, nomináque propria aut deleuerunt in totum, aut immutarunt: ſi quid in iis errauerim condonabis Lector, non diligentiâ & labore, ſed errore communi lapſus, cum aliis peccaui, emendaturus ſum quidquid ex iudicio, vel authoritate benè correxeris: tu, ſi lubet, quæ ſequuntur, & lege & examina. Hodierna nomina Regionum, populorum, vrbium, oppidorum, fluminum, & promontoriorum, poſt vnumquodque caput tradidi, ne longius quæras, quod longâ & curioſâ indagatione vix reperi. Si ſingulæ maritimæ vrbes authorem ſuum non habent, noli mirari, nondum nouimus, qui, Regni caput, Lutetiam condiderit, & ſunt, qui opus Romuli Romam negent. Ceterum cum in hoc noſtro Opere tabulas hydrographicas, littorúmq; delineationes, portúſque, & vrbes in littoribus ſtantes, quæ pars altera Geographiæ eſt, appoſuerim, non omittendum mihi videtur, quod pauci tradiderunt, quando ſcilicet inceptus eſt, tabulis incidi & depingi terrarum Orbis. Eſt autem ſubiectum Geographiæ, vniuerſitas aquarum, & omnis terra aquis non operta, quæ duo corpora vnam abſoluunt ſuperficiem ab hominibus habitatam, quatenus referuntur ad circulos cæleſtis ſphæræ. Quod iam ante Propertium in tabulis exactum fuiſſe ipſe docet, apud quem libro 4. Arethuſæ nomine ſcriptum eſt.

Cogor & è tabula pictos ediſcere Mundos,
Qualis & hæc docti ſit poſitura Dei.
Quæ tellus ſit lenta gelu, quæ putris ab æſtu,
Ventus in Italiam qui benè vela regat.

Imò & ars illa tempore Socratis fuit. Aiunt enim, Socratem Alcibiadis diſcipuli faſtum ob agrorum poſſeſſionem ſuperbientis in tabellâ, in quâ terrarum Orbis deſcriptus eſſet, Atticam oſtendiſſe, & ab eo petiiſſe, vt quod, ipſe in eâ particulâ ſoli poſſideret, oſtenderet, & cùm reſpondiſſet, nihil ibi quod ſuum dici poſſet, videre. Igitur, inquit, huius ſoli poſſeſſione te extollit, quod nulla ſoli pars eſt. Ariſtophanes in Nebulis Socratis diſcipulum inducit,

Marſilius Cagnatus Variar. obſeruat. lib. 4. c. 5. Ex Ælian. Var. hiſtor. lib. 3.

ducit, in ſcholâ ipſius Socratis terræ deſcriptionem Strepſiadi in hunc modum explicantem. D i s c i p. *Hic autem tibi terræ circuitus omnis, vides? Hæ quidem Athenæ.* S t r e p s i a d. *Quid tu ais? non credo: quoniam iudices non video ſedentes.* D i s c i p. *Quàm dic, verè Atticus ager.* S t r e p s i a d. *Et vbi Cicynij ſunt, mei populares?* D i s c i p. *Hic ſunt: hæc autem Eubœa, vt vides.* S t r e p s. *Sed Lacedæmon vbi eſt?* D i s c i p. *Vbi eſt? Hæc eſt?* Florebat verò Socrates poſt LXXX. Olympiadem. Sed & adeſt aliud memorabilius exemplum: prodidit enim Herodotus libro quinto. Tabellam æream, in quâ totius terræ ambitus erat inciſus, cunctúmque mare, atque omnia flumina ab Ariſtagora Mileti tyranno, allatam, ad Cleomenem Lacedæmoniis imperantem; quod ante Olympiadem LXXV. accidiſſe neceſſe eſt, namque Leonidas Cleomenis ſucceſſor, ea ipſa Olympiade florebat, quo Xerxes contra Græciam mouit. Iſtud autem antiquius videtur. Enim Anaximander Mileſius, qui vixit Olymp. L. vt Strabo libro primo Geographiæ ex Eratoſthene ſcripſit, primus Geographicas tabellas edidiſſe dicitur.

CAPVT

CAPVT TRIGESIMVMSECVNDVM.

Hiſpaniæ litorales vrbes, atque Coloniæ antiquæ, cum Sinubus promontoriis, portubus, & Inſulis adiacentibus.



NVNC ad Colonias venio, quæ ab antiquis in littoribus extructæ, vel æquatæ ſolo veſtigia aliqua conſeruant, aut durant reſtauratæ. Præmittenda aliqua exiſtimaui: primùm, gentium locorúmque nomina, ſi quæ minus Latina fecero, excuſationem mereri, ob id maximè, quòd ea ſuâ linguâ, poſt ſingulum quodque caput reddiderim: alterum, hydrographiæ ſtudioſis, non modò oppida, vrbéſq; maritimas ordine ſuo me nominaſſe, ſed & portus, promontoria, aliáque ad id facientia, nuſquam omiſiſſe, quæ perſequi longa magis, quàm benigna, & facundiæ capax materia eſt. Ab Europâ initium ſumam, veteres Coſmographos ſequutus, qui ab eiuſdem deſcriptione opus ſuum ſemper exorſi ſunt. Extremam Hiſpania claudit, Gaditano freto, Oceano, & ſaltubus

E Strabone, Ptolomæo, Plinio, Mela, Mercatore, Ortelio, Hondio, Botero, L Marineo, Mariana, Nonio, Nicolao de Oliuera, Cluuerio, Linſcoto, Magino, Ortelio in theſauro Geograph. M Aretio Ioan. Epiſc. Gerundenſi, qui Hiſpaniam totam per miliaria circuit, eiúſque periplum facit 2580. M. Et Roderico Santio hiſt. Hiſpan.

Pyrenæis incluſa. Quà Oceanus Herculeum Fretum penetrat, [1] Gadira eſt Inſula à continenti ſeptingentis paſſibus ſeparata, vel vt correxit noſter * Salmaſius ſeptingentis pedibus, hanc Tyrij à Rubro mari profecti, Erythiam, Pœni lingua ſuâ Gadir, id eſt, ſepem, nominarunt. In hac Gerionem æuum ſuum agitaſſe plurimis monumentis probatur: ibi Iunonis templum, à quo indigenis, Iunonis inſula dicta, & Aphrodiſias, ab altero Veneris templo. Alij volunt diuerſas Inſulas eſſe, Gadiram & Erythiam. Illam maiorem Cotinuſam, & Tarteſſum vocatam: iſtam, Aphrodiſiam, & Iunonis. Erythiam, & Erythæam, demptâ *r*, literâ, quaſi Erythræam, ab Erythræo mari, à quo conditores primi, incolæque in eâ Tyrij. In Gadirâ, vrbs Auguſta, ſiue Iulia Gaditana, quòd Iulius Cæſar, & Auguſtus coloniam eam diuerſis temporibus deduxiſſent. Ibi quoque * Gades oppidum vetuſtiſſimum à Tyriis conditum: iuxta quod L. Corn. Balbus Gaditanus, vir triumphalis vrbem nouam erexit: ex vtriſque facta eſt Dydima, hoc eſt, gemina, in quâ & nauale Gaditanorum. Strabo, ſicut & Plinius Gades Inſulas numero duali prædicat, nunc vna eadémque eſt. In BALEARICO Mari [2] EBVSVS, Ebyſſus, ſiue Eboſia, Pityuſa Plutarcho, à frutice pineo. Pityuſam tamen ab Ebyſſo diſtinctam Inſulam putauerim, nomẽ Ebuſi accepit ab vrbe, in eâ, eiuſdem appellationis. Pityuſæ, nunc Yuica, C. M. ambitus eſt, Ophiuſæ verò ſiue Colubrariæ, quæ hodie Formentere, LXX. M. Quæ nomen fecêre huic mari, Inſulæ duæ ſunt. [3] BALEARIDES, Chærades, & Gymnaſiæ nuncupatæ. Antoninus maiorem Columbam, minorem Nuram vocat. Maior C. longitudine, circuitu verò CCCLXXX. Miliar. oppida habet ciuium Romanorum, Palmam, & Pollentiam: Latina, Cinium, & Cunici, & fœderatum Bochoris. Bochoris quippe regnum, vltimi oppidi conditoris, Baleares fuêre: Minoris circuitus Botero & Marinæo CLI. M. Maioris CDLXXX. M. diſtant inter ſe ſex leucis. [4] BÆTICA, Pars Hiſpaniarum, quà ad Fretum porrigitur, Latinos habet Colonos, Auguſtobrigenſes, Ammienſes, Aranitanos, Taxabritenſes, Blaxenſes, Cæſarobricenſes, Caperenſes, Caurenſes, Colarnos, Cibilitanos, Concordienſes, qui & Boccori, Interauſenſes, Lancienſes, Mirobrigenſes, Madrubricenſes, Ocelenſes, Turdulos, qui Barduli, & Tapori. Regionem à fluuio Bæticam dixerunt, cui nomen [5] Bætis. Initium [6] Calpe mons cum vrbe eiuſdem vocabuli, quæ vetuſtiore appellatione Heraclea nuncupabatur, ab Hercule conditore: ibi oraculum Mneſthei fuit, & Capionis turris, pro pharo. Sequitur [7] Belon oppidum cum fluuio, Iunonis fanum Herculis opus, & [8] Mellaria, Menralia Ptolomæo Pomponij priſci Coſmographi patria. Hinc [9] portus Mneſthei, [10] Carteia, Tarteſſos à Græcis dicta, Turdulorum Colonia, mox & Libertinorum, aſſerente

** obſeruat. in Solenum hodie, vt inquit, Ludouic. Nonius in Hiſpania ſua, ponte continenti coniungitur.*

[1] Plinius l. 4. c. 22. lib. 5. c. 19. Strabo lib. 13.

** Auieno Gadir & Tarteſſus. Dion Caſsius lib. 41. ſcribit. Hiſpaniâ pacatâ Gaditanos à Cæſare ciuitate Rom. donatos: quòd annonam ſæpius vrbi ſuppeditaſſent, Impp. commeatu & pecunia iuuiſſent. Celebre in ea Inſula Herculis templum cõditoribus Tyriis, vbi Herculis oſſa fuiſſe Mela tradidit.*

Cætera iſtius Cap. ſunt è Strabone lib 3. c. 1. l. 4. c. 20. 21 & 22. Ptolomæo lib. 2. Mela lib. 2. c. 6. Mercatore, & è Maierni Turqueti hiſt. Hiſp. lib. 1.

aſſerente Liuio hanc primi Phœnices ex Africa tranſuecti, coluerunt. *Lib. 41.* Poſtea ad idem Gaditanum fretum Barbeſula, Barbeſola aliis, Legionis XVIII. Colonia. Prope fluit Salduba, hinc [12] Suel, ſiue Suea vrbs, [13] Malacha, [14] Menoba, ſiue Manoba cum fluuiis, [15] Sextifirmium Iulium, [16] Nebriſſa, Veneria, ſita olim inter Bætis æſtuaria, nunc à Bæti VIII. M. paſſ. diſtat, Ælium Antoninum Imp. ciuem habuit, conditorem verò Bacchum. Supra hanc, celebre Oceano atque alternis æſtibus Hiſpal, oppidum Romulenſe cognominatum, & Iulia Romulea, à Iulio Cæſare reſtauratore, de ſuo & vrbis Romæ nomine, Naturæ gaudentis & laſciuientis opus, Bæti amne irrigante. Sequitur in littore [17] Sexi, vel, Sex, Colobona, [18] Aſta Regia, [19] Abdera à Pœnis condita, [20] Munda, iuuenis Pompeij cæde celebrata, & Bæticæ terminus [21] Murgis, iuxta Portum Magnum, & [22] Charidemi promontorium. Proximè incipit altera pars Hiſpaniæ [23] TARRACONENSIS, in eâ, poſt Murgis oppidum, [24] Carthago Noua, quæ & * Spartaria, Conteſtanorum maritima, ab Aſdrubale Carthaginienſium in Africâ duce condita, iuxta [25] Scombrariam promontorium. Hinc [26] Vrce, ſeu Virgi, [27] Bigerra, Baſtitanorum, [28] Orcelis quoque, & [29] Sæbatis. Infra Lucentum, vel [30] Lucentia, vnde Lucentes populi, ad vrbem Illicem [31] Illicitanus Sinus. Colantur hæc inter aquæ [32] Terebis, [33] Sætabis, [34] Rubricati, [35] Sucronis, Pallantiæ, [36] Turiæ, ſiue Turulis, & [37] Iberi fluminũ. Regionis caput eſt [38] Tarracon, è quâ prouinciæ facta denominatio Tarraconenſis Hiſpaniæ, Scipiones authores eius putantur, vrbs ea Iulia Victrix Colonia, aliquibus Victrix Tyrrhenica nuncupatur. Prope eſt [39] Dianium oppidum cum promontorio, quod ab aliis Hemeroſcopium, & Ferraria dicitur. Dianium, Græci Artemiſium vocant, Maſſilienſes ædificauêre: qui, quia ſunt originis Græcæ, proximo quoque promontorio [40] Hemeroſcopij, hoc eſt, diurnæ ſpeculæ, nomen fecerunt. Inde [41] Subur, mox & [42] Valentia Edetanorum, M paſſ. diſtans à mari D. Iunio Bruto conditore, Ann. V. C. DCXV. Miſſis in coloniam illis, qui ſub Viriatho militauerant. Remotiorem à pelago Andræas Reſendius facit, in Poëmate, quod D. Vincentio ſacrauit.

** ob inſignẽ ſparti copiam ſic a Gallis extra vrbem in tumulo Mercurio Theutati templum extructum, cui humanis hoſtiis litabant: deſcriptionẽ vrbis habes apud Silium Ital lib 15.*

Hanc olim Carthaginenſes in bellis ſedem & armamentarium habuerunt. Vno die a P. Scipione quondam captam, a Vandalis, mox a Gothis ſolo æquatam. Philippus II. Hiſpaniarum Rex inſtaurandam curauit, ne piratæ Africæ, portus præſtantiâ allecti, occuparent.

Liuij Epitom. l. 55.

-----haud ita multis
Millibus, à pelago ſeiuncta Valentia ſurgit,
Bruti opus, Heſperiam Viriathi cæde madentem
Ille petens, acies palantes vrbis honore
Donauit, poſitiſque diu victricibus armis
Exauctorato compleuit milite.

In antiqua inſcriptione, quæ Valentiæ ſpectatur, incolæ eius Veterani & Veteres nuncupantur, & Plinij tempore vrbs Colonia Iulia, cauſæ in incerto ſunt. Bello Sertoriano, à Cn. Pompeio de-

Saluſt. l. 4. hiſtor. leta, mox ab ipſo Sertorio reſtituta: è Maurorum verò ſeruitute eam Rodericus Biuar, cognomento Cid, Ann. Sal. MXXV. aſſeruit: vnde hodie *Valentia del Cid* dicitur. Mauri iterum occuparunt, Ann. Sal. MCCXXXVIII. Chriſtianis reſtituit Iacobus I. Aragonum Rex.

Silius Ital. l. 1.

> *Haud procul Herculei ſe tollunt litore muri*
> *Clementer creſcente iugo, queis nobile nomen*
> *Conditus excelſo ſacrauit colle Zacynthus.*
> *Hic comes Alcidæ remeabat in agmine Thebas*
> *Geryone extincto.*

A Zacyntho Inſula originem [43] Zacynthus Hiſpanica deducit, miſtis ab Ardea Rutulis. Ab Annibale euerſa, à Cn. Scipione poſt octo annos reſtituta. Addit Franciſcus Tarapha Hiſpanicarum rerum ſcriptor, hanc vrbem ab Hercule Græco conditam, anno ante Chriſti aduentum 1192. Proxima huic [44] Barcino, quæ Barcinus, & Barcilona, Fauentia Auguſta cognominata, irrigatione Bætuli lętiſſima, cuius ciues Lietani olim dicebantur. Vrbs ab Amilcare Barca fundata, à quo Barcanonam vocatam aliqui putant. In veteri marmore, Colonia Fauentia Iulia Auguſta Barcinone. Haud longè ab ea, [45] Vica ſiue Auſa. Tum promontorium [46] Lunarium, oppida, [47] Diluron, [48] Betullo, [49] Tholobi, [50] Blanda, Rodope, portus extremus Tarraconenſis ad radices *Liuius lib. 34.* Pyrenæorum, ann. 925. ante Chriſtum condita: Rhodiorum opus, ſicut & Maſſilienſium [51] Emporiæ, vbi triplex oppidum, Maſſilienſium, ſiue Phocenſium, Hiſpanorum, & Romanorum Colonis à Iulio Cęſare, poſt deuictos Pompeij liberos, deductis. Iuxta Barcinum, [52] Sambrocæ, & [53] Clodiani fluuiorũ ſunt oſtia. Hic [54] Mons Iouis, arce nuper à noſtris Gallis excitata, formidabilis, cuius partem eminentes cautes occupant; arte vel naturâ in graduum ſpeciem exciſæ, dicuntur [55] Annibalis ſcalæ. Sunt qui [56] Rodopem, de qua iam dixi, Rhodam Albam, & Rhodipolim vocant. Claudit Tarraconenſem Hiſpaniam [57] Veneris Templum, rupibus impoſitum, diuidítque Hiſpanias à Galliis. Ante Bæticam & Tarraconenſem, excluſæ terris terræ in Balearico mari inſulas faciunt: PLANESIAM, Ante Dianium, PLVMBARIAM, circa Hemeroſcopium promontorium. HERCVLIS, quæ & [58] Scombraria, à Scombrorum capturâ, è quibus optimum garum. PYTIVSAS, minorem, [59] OPHIVSAM dictam, in qua Ereſus, Carthaginienſium Colonia: maiorem, EBYSSVM, de quibus ante, hoc Capite, ſicut & de Balearibus, in quarum grandiori, [60] Palma, & [61] Polentia vrbes; in exiliori, [62] Iamna & [63] Mego, ſiue Mago. In eo tractu ad Gaditanum fretum tres Sinus celebrantur, [64] Sucronenſis, Illicitanus, & Virgitanus. Poſt Bęticam ad Oceanum LVSITANIA eſt, mox & Cantabria & ipſa pars Tarraconenſis.

raconenſis. Bæticam à Luſitaniâ Ana flumen ſeparat, ad cuius oſtia nauiganti, cernuntur in littore, Onobaliſturia, Seria, Romanorum colonia, quæ & Iulia Fama, nomen primum retinens, Vertobrige, ab aliquibus Nertobriga, Concordia Iulia, [65] Segede, quæ Augurina, Reſtituta Iulia, Regina [66] Latinorum, ab aliis Turdetanorum, [67] Oſca, [68] & iam dicta Iſpalis, tum & [69] Oſſonaba vltra [70] Anæ oſtium, ſicut & [71] Balſa, & [72] Lacobriga, cuius ruinas oſtendit [73] Sacrum promontorium, ſi quadrãgularem Hiſpaniam pinxeris, vnus ex angulis, cuſpidi ſimilis. Ponè, fluuius [74] Chalybs, tinctura ferri, & metallo nobilis, nec pluribus hinc ſpatiis [75] Salacia, [76] Cætobrix, [77] Barbarium promontorium, [78] Olyſſipo, Vlixbona Straboni, decus regionis, conditore gaudens Vlyſſe, vndè Vlyſſea Plinio, à quo etiam vocatur Colonia Fœlicitas Iulia, ſita ad oſtium [79] Tagi: circa, flumina ſinuoſis curſibus ludunt, [80] Monda, [81] Vacua, ſiue Vacos, & [82] Durius. Lunæ promontorio vicinæ vrbes ſunt, Aricium, Chretina, [83] Bracar Augusta, vel Braccara, Gallorum Braccatorum Colonia, circa Ann. vrb. Romæ D. condita, Auguſta à Romanis cognominata, Regia Suenorum & Gothotum per Ann. CCCLXXXX. Hinc Selium, & [84] Arabriga. Subit inde pars altera Tarraconenſis Hiſpaniæ [85] CANTABRIA, Ab [86] Auaro promontorio incipiens, tellus fluuiis irrigua, [87] Nebide, [88] Limio, & [89] Minio, quem ſuſcipit Oruium promontorium, vbi Artabrorum portus, hemicycli formam, & grande ſpatium nauigiis offert, clauſus altero promontorio, cui Nerium nomen, & Artabrum, & Celticum, à Celtis Gallis. Finis terræ hodie etiam dictum, quòd vltimum continentis exiſtimatum ſit, in eo Solis aræ, [90] Itia Flauia, & [91] Aquæ calidæ. Septentrionale latus, vbi Oceanus Cantabricus, ſic deſcribitur. [92] Promontorium Scythicum, Callaicorum vrbs [93] Flauium Brigantium, Brigantia, Ptolomæo, altiſſima pharo & ſpeculà memorabili ornata, vnde naues vel longiſſimo ſpatio ſepoſitæ cernuntur, vtrumq; opus Herculis, ſi fabulis credimus: re autem verâ, turris alta cum pharo, vnde longè latéque pelagus deſpectare licet. Sequitur Lapatia Cory, quod & Trileucum promontorium, Meari, ſiue Metari, Nabij, & Nauillionis, ſiue Nauilubionis oſtia, [94] Flauiobriga, aliàs Phlaſiobriga, vbi olim Amanum portus, Menoſca cum [95] flumio, Neros, [96] Nerua, Diua fluuij, poſtremò [97] Idanuſa, quæ Oeaſo antiquiori denominatione dicebatur. Inde Pyrenei montes, mox noſtra Gallia. Totâ Hiſpaniâ portus celeberrimi olim fuerunt: [98] Magnus, [99] Hannibalis, [100] Amanus, [101] Gaditanus, Tarraconenſis, & Veneris. Ante Luſitaniam [102] Deorum inſulæ, [103] Cattiretides numero decem, *Caſſiteridas appellat Strabo: has omnes præter Cyzargam abſorpſit Oceanus: ſupereſt [104] Londobris, quam aliqui Erythiam putant.

Nonius Cetobrigam, *quam hodie* Setubal *dici affirmat, appellatam putat à* cetis, *&* briga, *veteri namque Hiſpanorum ſermone briga, vrbem deſignat, quaſi vrbs cetorum, nam ibi thynnorũ, magnorumque piſcium luculenta piſcatura eſt Vrbs vicina Salacia, ob inſignem toto illo Sinu, ſalſnarum copiam dicta, quæ Plinio, Imperatoria cognominatur.*

Cantabros à *Spartanis ortos probat Nonius, Hiſpania, c. 44. Vbi de monte Ferreo, & Tamarici fontibus.*

** Vide Nonium Hiſpania ſuâ, c. 39 vbi multa dicit.*

 Tempore

Feſtus.

Tempore Valentis Imp. Hiſpaniæ in VI. prouincias diſtributæ erant, quarum II. Conſulares, Bętica, & Luſitania; reliquæ Præſidiales, Tarraconenſis, Carthaginienſis, Gallicia, & Trans-fretum in ſolo Africæ, quæ Prouincia Tingitanica dicebatur. Circuitus totius Hiſpaniæ eſt leucarum 472.

NOMINA RECENTIA REGIONVM, Vrbium, Fluminum, Promontorium, præcedenti Capite vetuſtis appellationibus recenſita.

[1] Hodie *Caliz Malis.* [2] *Yuica*, vel, *Yoiſſa.* [3] *Mallorca & Menorca.* [4] *Andaluſia.* [5] *Guadalquiuir.* [6] *Gibraltàr*, Arabibus, *Gebel Tarif*, hoc eſt, mons Tarif. [7] *Tariſa.* [8] *Begerra de Melana.* [9] *Puerto de S.Maria.* [10] *Algezira, Cartagena* Cluſio. [11] *Barbeſul.* [12] *Molena.* [13] *Malaga.* [14] *Velez Malaga.* [15] *Salebrenna.* [16] *Lebrixa.* [17] *Motrel.* [18] *Xeres de la frontera.* [19] * *Almeria.* [20] *Ronda.* [21] *Murcia, cerca porto Carbonere.* [22] *Cabo de Gates.* [23] *Aragon.* [24] *Cartagena.* [25] *Cabo de Palos.* [26] *Bera.* [27] *Bejar.* [28] *Oriuela*, aliàs, *Origuela.* [29] *Xatina.* [30] *Lucena*, vel, *Luxente.* [31] *Alicante.* [32] *Segura.* [33] *Xatina.* [34] *Lobregat.* [35] *Xucar y Palencia.* [36] *Guetalabiar.* [37] *Ebro.* [38] *Tarragona.* [39] *Denia.* [40] *Cabo de Martin.* [41] *Siges.* [42] *Valencia.* [43] *Moruedra.* [44] *Barcelona.* [45] *Vich.* [46] *Cabo de Vallis.* [47] *Alora.* [48] *Badelona.* [49] *Tamarit.* [50] *Blene.* [51] *Caſtello d'Empurias.* [52] *Sambucha.* [53] *Fluuian.* [54] *Mont-Iuiſ.* [55] *Coſta di Garaſſe.* [56] *Roſas.* [57] *Port Vendro.* [58] *Eſconbrera.* [59] *Formentera.* [60] *Mallorca.* [61] *Polenza.* [62] *Ciuitadelle.* [63] *Mahon.* [64] *Lobregat, d'Alcante.* [65] *Seges.* [66] *Reyna.* [67] *Hueſca.* [68] *Seuilla.* [69] *Gibraleon* Pineto, *Exuba* Cluſio. [70] *Rio Guadiana.* [71] *Tauilla.* [72] Ibi hodie oppidum *Lagos*, à Ioanne III. Portugalliæ Rege pharo ornatum. [73] *S.Vincente.* [74] *Cabe.* [75] *Alcazerdoſal.* [76] *Cezinbra:* quæ Nonio, *Setubal.* [77] *Cabo de Spichel.* [78] *Lisboa.* [79] *Tajo.* [80] *Mondego.* [81] *Vouga.* [82] *Duero.* [83] *Braga.* [84] *Rabida.* [85] *Biſcaia* Curioni, *Guipuſcoa* Cluſio. [86] *cabo de Viana.* [87] *Neue.* [88] *Guadelete* Hiſpanis, *Bedalac* Mauris. [89] *Lugo.* [90] *Padron.* [91] *Fuente Ençalada.* [92] *C. de Figo.* [93] *La Corunna.* [94] *Fuentarabia.* [95] *Gurumea*, vel, *Urumea.* [96] *Nanſa.* [97] *Ojarço.* [98] *corunna.* [99] *Albor.* [100] *Bermeo.* [101] *caliz.* [102] *Yſlas de Bajona.* [103] *cyzarga.* [104] *Barlinguas.*

* Dicta, ab Almerico Gothorum Rege: qui circa an.Sal. 530. à Childeberto Francorum Rege, ferro petitus, hic occubuit.

Bilbao malè aliqui vocant, id eſt, bellum vadum, cùm Bilbao extructum ſit ann.Sal. 1300 à Didaco Lopez Cantabriæ domino. Vbi o im Varduli.

CAPVT

CAPVT TRIGESIMVMTERTIVM.

Galliarum vrbes, coloniæque maritimæ, portus item, promontoria & Inſulæ.



GALLIA à Meridie Italiâ & Mediterraneo mari, quod Gallicum vocatur, ab occaſu Pyreneis montibus & Oceano Aquitanico, à Septentrione Britannico, ab Ortu Rheno & Germaniâ finitur. Duplex eſt, TONSA, ſiue Togata, ſiue Ciſalpina: COMATA, quæ & Tranſalpina, & Bracata. Tranſalpina in quátuor partes diuidebatur, in Aquitanicam, Lugdunenſem, Belgicam, & Narbonenſem. AQVITANICA ab Occidente Oceano aluitur, propè Cantabricam Hiſpaniæ, promontorium Pyrenes habet pro termino. Occurrit indè [1] Baiorum ciuitas, hinc Aturij, ſiue Aduæ, [2] Igmani, & [3] Garumnæ fluuiorum oſtia. Poſtremi fluminis ripas tangit commerciis nota [4] Burdigala, à Burgis Gallis, ſi Iſidoro credimus, condita. Supra, [5] Tarbelli, quorum vrbs putatur [6] Aquæ Auguſtæ, ad æſtuarium

E Ptolomeo lib. 2. capp. 7. 8. 9. & 10. Strabon. l 4 & 5. Plin. lib. 3. c. 4. & l. 4. c. 17. 18 & 19. Melâ lib 2. c. 5 Ortelio, Mercatore, Argentreo hiſtor. Britann. l. 1. & Pauli Merula Coſmographia.

1 In veteribus Epiſcopij chartis, Epiſcopus Baionenſis, Lapurdenſis dicitur. In quibus etiam vrbs. Baiona Lapurdenſium in Tarbellis appellatur.

æſtuarium Aturij, proximus huic [7] Santonum portus. In Garenninæ oſtio [8] Antros inſula, quem pendere, & attolli aquis increſcentibus, ideò incolæ crediderunt, quòd, ob rupes in littore ſitas, vix cernatur pacato mari, exæſtuante verò, & magnam rupium partem occupante, ex altiori fluctu tota nauigantibus appareat. A Santonis littoris exitu, latus illud incipit terræ procurrentis in pelagus, quod promontorium [9] Pictonum appellatur; infra Sicor portus, AQVITANIAMQVE à LVGDVNENSI, ſiue Celticâ Galliâ diuidens [10] Liger, vbi [11] Nannetum Armoricæ oppidum, opus Nannetis Galathis, Galliæ Regis, qui Troianis temporibus viuebat, tum [12] Briuates portus, intránſque mare [13] Vidiana, recentioribus Vicenouia, non ignobilis fluuius. Hinc [14] Veneti, bellis cum Iulio Cæſare geſtis elati ad famã, nec minus ob id, quòd Veneti Adriatici maris incolæ, horum coloni creduntur: iſtorum vrbs Venetia, & minimo hinc ſpatio [15] Erij oſtium, vbi Oſiſmiorum præcipua ciuitas Oſiſmium, quæ & [16] Legio: tum [17] Blabia caſtellum, quod Groajam inſulam reſpicit, & promontorium Finis terræ, contortis in altum linguis, veluti lambens deuoránſque Oceanum, antiquis alio nomine Gobæum appellatum, poſtea & [18] Manethum, & Manethuemet. Inde ad Britannicum pelagus, Fretóque, quod inter Britannias Galliáſque exæſtuat, Soliacan portus, vrbs Vorganum, ignota nunc nomina, [19] Arubium, Raciaſtum [20] Radeſiæ caput, [21] Saliocanus portus, [22] Rinccius fluuius, [23] Samnitici ſoli irrigator, ad quem [24] Crotiatonum, Antonino Coriſopitum, Cæſari Curioſolitum, nunc Kempercorentinum, à Corentino neſcio quo reſtauratore nuncupatum oppidum, in regione [25] Cornubiæ, ſiue Cornugalliæ, quem Olina prçterfluit, vbi nunc vrbs * Cadomum. In ea Regione Conſtantinum territorium, Conſtanciáque vrbs littori appoſita, Moritonium olim, poſtea, vt Ammiano placet, Caſtra Conſtantina vocata. In oſtiis clari amnis Sequanæ, [26] Neomagus, ſupráque eam vrbem vrbs [27] Rhotomagus, à Mago tertio Celtarum Rege à fundamentis iuſſa ſurgere. Proximi ad mare [28] Caletæ, è quorum portu antiqua ciuitas proſpicitur [29] Iuliobona, quam à Cæſare in locum Caletæ ædificatam Sigebertus prodidit, & altera [30] Lexubiorum, Vorganium. HINC incipit BELGICA, ſequanâ Rhenóque circumfuſa, ad Britannicum Oceanum oſtentans Itium, ſiue Iccium promontorium, cum [31] vrbe ſimul & portu, [32] Morinorum nauali, ſicut & Geſſoriacum, vbi [33] Bononia, Geſorigia dicta in Panegyrico Maximiani. Flumina in pelagus currunt nauigiorum capacia, [34] Scaldis, & [35] Moſa, maiórque [36] Vahalis licet pars [37] Rheni, ad cuius ſiniſtrum littus [38] Nouiomagum, & [39] Logodunum. In Rheni æſtuariis nobiliſſimæ inſulæ ſunt [40] Batauorum, [41] Cannenu-

* Hodie, Caen.

nenuſatum, [42] Friſiorum, [43] Cauchorum, [44] Friſiabonum, [45] Sturiorum, & Morſatiorum, inter [46] Helium, & [47] Fleuum: ita enim appellantur oſtia, in quæ effuſus Rhenus à Septentrione in lacus, ab Occidente in amnem Moſam ſe ſpargit, medio inter hęc ore, modicum nomini ſuo conſeruans alueum. Batauorum veterum inſulas vno vocabulo Hollandorum, vel Statuum Hollandicorum, vel Statuum Inferioris Germaniæ, hodie complectimur. Metropolis [48] Dordrachum, ſiue Durdechtum, nec minori conditione [49] Batauodurum, tum [50] Lugdunum Batauorum, Caſtra Legionum Germaniæ: [51] Armamentarium Romanorum ad Cattorum vicum, vetuſtate collapſum reſtituerunt, L. Septim. Seuerus Aug. & M. Aurelius Antoninus Cæſar. Ante Albianam vrbem, Rheno diuortia faciente, [52] Mattiaces Inſulani, qui & Mattiaci appellantur, nunc Zelandi, apud quos vetuſtiſſima vrbs Mattiaburgum, & Meierum, hodie Middelburgum, Maginus, Metelli caſtrum putat. Alij [53] Mattiacum vocant Catthorum caput, quod ego minimè crediderim, cùm ea Haſſiæ; non Zelandiæ vrbs primaria ſit; ibi [54] Martinianus agger, forſan Mattinianus, & fanum Herculis. Cauchi inſulas colebant, quæ poſtea recentiori Batauiæ attributæ ſunt: has quatuor fuiſſe ſcribit Ortelius. Primam, Maiorem, à Batauiâ veteri Rheno diſcretam, in quâ [55] Traiectum, Batauodurum, [56] Grinnes, [57] Vada, & [58] Arenacum, antiqua oppida. Eam à Cauchis & Chamanis habitatam, Cauchorúmque inſulam Plinij eſſe, omnes penè conſentiunt. Duæ è reliquis tribus inſulis Caninefatis, vel Cannenufatis attribuuntur: vltima verò ad oſtium Fleui, Morſatiis. Earum Inſularum partem pręcedenti ſæculo Oceanus abſorpſit, Anno ſcilicet Salutis MDXXXII. Teruntúrque eminentiora ædificiorum à prætereuntibus nauigiis. Vltra ſunt Friſij, quorum vrbs præcipua Phileum, hodie Groninga. Deſcriptâ Belgicâ ad IV. Galliarum Tranſalpinarum partem decurro, nullo viarum compendio, quod fieri conſueuerunt ſcribentes, qui ad Mediterraneũ mare ab Oceano pennarũ remigio vno momento nauigant. Hæc NARBONENSIS ab vrbe eius pręcipuâ vocata eſt, protenditur à Pyreneis montibus ad Alpes: ſecundùm mare, quod Gallicũ appellatur, ſequentibus vrbibus, promontoriíſque, & fluuiis nobilitata. In [59] promontorio ſita eſt [60] Leocata, poſt [61] Salſulæ fontem, qui ſalſioribus, quàm marinæ ſunt, aquis, defluit. Iuxta campus minutâ arundine gracilíque peruiridis, ceterùm ſtagno ſubeunte ſuſpenſus: vndè piſces ſuffosâ terrâ ictu captantium, eruuntur. Strabonis, Ptolomæi, & Melæ temporibus Leocata littoris nomen erat, poſt vrbis, Antonini Imperatoris ætate, quod ipſe in Itinerario ſuo teſtatur, in quo & Salſulas oppidum appellat. In ea Regione decurrunt parua flumina Thelis, & Thicis, ſæua cùm ac-

Batauí olim amici & fratres Pop. Romani dicebantur. Quod è veteri inſcriptione marmorea, quæ Lugduni Batauorum extat, Petrus Diuæus probat, lib. de Gall. Belgica Antiquit.

Foſſilium horum piſcium Mela meminit. Polyb. lib. 34 & Athenæus lib. 8. Strabo lib. 4.

ducit, in ſcholâ ipſius Socratis terræ deſcriptionem Strepſiadi in hunc modum explicantem. DISCIP. *Hic autem tibi terræ circuitus omnis, vides? Hæ quidem Athenæ.* STREPSIAD. *Quid tu ais? non credo: quoniam iudices non video ſedentes.* DISCIP. *Quàm dic, verè Atticus ager.* STREPSIAD. *Et vbi Cicynij ſunt, mei populares?* DISCIP. *Hic ſunt: hæc autem Eubœa, vt vides.* STREPS. *Sed Lacedæmon vbi eſt?* DISCIP. *Vbi eſt? Hæc eſt?* Florebat verò Socrates poſt LXXX. Olympiadem. Sed & adeſt aliud memorabilius exemplum: prodidit enim Herodotus libro quinto. Tabellam æream, in quâ totius terræ ambitus erat inciſus, cunctúmque mare, atque omnia flumina ab Ariſtagora Mileti tyranno, allatam, ad Cleomenem Lacedæmoniis imperantem; quod ante Olympiadem LXXV. accidiſſe neceſſe eſt, namque Leonidas Cleomenis ſucceſſor, ea ipſa Olympiade florebat, quo Xerxes contra Græciam mouit. Iſtud autem antiquius videtur. Enim Anaximander Mileſius, qui vixit Olymp. L. vt Strabo libro primo Geographiæ ex Eratoſthene ſcripſit, primus Geographicas tabellas edidiſſe dicitur.

CAPVT

CAPVT TRIGESIMVMSECVNDVM.

Hiſpaniæ litorales vrbes, atque Coloniæ antiquæ, cum Sinubus promontoriis, portubus, & Inſulis adiacentibus.



NVNC ad Colonias venio, quæ ab antiquis in littoribus extructæ, vel æquatæ ſolo veſtigia aliqua conſeruant, aut durant reſtauratæ. Præmittenda aliqua exiſtimaui: primùm, gentium locorúmque nomina, ſi quæ minus Latina fecero, excuſationem mereri, ob id maximè, quòd ea ſuâ linguâ, poſt ſingulum quodque caput reddiderim: alterum, hydrographiæ ſtudioſis, non modò oppida, vrbéſq; maritimas ordine ſuo me nominaſſe, ſed & portus, promontoria, aliáque ad id facientia, nuſquam omiſiſſe, quæ perſequi longa magis, quàm benigna, & facundiæ capax materia eſt. Ab Europâ initium ſumam, veteres Coſmographos ſequutus, qui ab eiuſdem deſcriptione opus ſuum ſemper exorſi ſunt. Extremam Hiſpania claudit, Gaditano freto, Oceano, & ſaltubus

E Strabone, Ptolomæo, Plinio, Mela, Mercatore, Ortelio, Hondio, Botero, L Marinæo, Mariana, Nonio, Nicolao de Oliuera, Cluuerio, Linſcoto, Magino, Ortelio in theſauro Geograph. M Aretio Ioan. Epiſc. Gerundenſi, qui Hiſpaniam totam per miliaria circuit, eiúſque periplum facit 2580. M. Et Roderico Santio hiſt. Hiſpan.

Pyrenæis incluſa. Quà Oceanus Herculeum Fretum penetrat, [1] Gadira eſt Inſula à continenti ſeptingentis paſſibus ſeparata, vel vt còrtexit noſter * Salmaſius ſeptingentis pedibus, hanc Tyrij à Rubro mari profecti, Erythiam, Pœni linguâ ſuâ Gadir, id eſt, ſepem, nominarunt. In hac Gerionem æuum ſuum agitaſſe plurimis monumentis probatur: ibi Iunonis templum, à quo indigenis, Iunonis inſula dicta, & Aphrodiſias, ab altero Veneris templo. Alij volunt diuerſas Inſulas eſſe, Gadiram & Erythiam. Illam maiorem Cotinuſam, & Tarteſſum vocatam: iſtam, Aphrodiſiam, & Iunonis. Erythiam, & Erythæam, demptâ *r*, literâ, quaſi Erythręam, ab Erythræo mari, à quo conditores primi, incolęque in eâ Tyrij. In Gadirâ, vrbs Auguſta, ſiue Iulia Gaditana, quòd Iulius Cæſar, & Auguſtus coloniam eam diuerſis temporibus deduxiſſent. Ibi quoque * Gades oppidum vetuſtiſſimum à Tyriis conditum: iuxta quod L. Corn. Balbus Gaditanus, vir triumphalis vrbem nouam erexit: ex vtriſque facta eſt Dydima, hoc eſt, gemina, in quâ & nauale Gaditanorum. Strabo, ſicut & Plinius Gades Inſulas numero duali prædicat, nunc vna eadémque eſt. In BALEARICO Mari [2] EBVSVS, Ebyſſus, ſiue Eboſia, Pityuſa Plutarcho, à frutice pineo. Pityuſam tamen ab Ebyſſo diſtinctam Inſulam putauerim, nomē Ebuſi accepit ab vrbe, in eâ, eiuſdem appellationis. Pityuſæ, nunc Yuica, c. M. ambitus eſt, Ophiuſæ verò ſiue Colubrariæ, quæ hodie Formentere, LXX. M. Quæ nomen fecêre huic mari, Inſulæ duæ ſunt. [3] BALEARIDES, Chærades, & Gymnaſiæ nuncupatæ. Antoninus maiorem Columbam, minorem Nuram vocat. Maior c. longitudine, circuitu verò CCCLXXX. miliar. oppida habet ciuium Romanorum, Palmam, & Pollentiam: Latina, Cinium, & Cunici, & fœderatum Bochoris. Bochoris quippe regnum, vltimi oppidi conditoris, Baleares fuēre: Minoris circuitus Botero & Marinæo CLI. M. Maioris CDLXXX. M. diſtant inter ſe ſex leucis. [4] BÆTICA, Pars Hiſpaniarum, quâ ad Fretum porrigitur, Latinos habet Colonos, Auguſtobrigenſes, Ammienſes, Aranitanos, Taxabritenſes, Blaxenſes, Cæſarobricenſes, Caperenſes, Caurenſes, Colarnos, Cibilitanos, Concordienſes, qui & Boccori, Interauſenſes, Lancienſes, Mirobrigenſes, Madrubricenſes, Ocelenſes, Turdulos, qui Barduli, & Tapori. Regionem à fluuio Bæticam dixerunt, cui nomen [5] Bætis. Initium [6] Calpe mons cum vrbe eiuſdem vocabuli, quæ vetuſtiore appellatione Heraclea nuncupabatur, ab Hercule conditore: ibi oraculum Mneſthei fuit, & Capionis turris, pro pharo. Sequitur [7] Belon oppidum cum fluuio, Iunonis fanum Herculis opus, & [8] Mellaria, Menralia Ptolomæo Pomponij priſci Coſmographi patria. Hinc [9] portus Mneſthei, [10] Carteia, Tarteſſos à Gręcis dicta, Turdulorum Colonia, mox & Libertinorum, aſſerente

** obſeruat. in Selinum. hodie, vt inquit, Ludouic. Nonius in Hiſpania ſua, ponte continenti coniungitur.*

Plinius l. 4. c. 22. lib. 5. c. 19. Strabo lib. 13.

** Auieno Gadir & Tarteſſus. Dion Caſsius lib. 41. ſcribit. Hiſpaniâ pacatâ Gaditanos à Cæſare ciuitate Rom. donatos: quòd annonam ſæpius vrbi ſuppeditaſſent, Impp. commeatu & pecunia iuuiſſent. Celebre in ea Inſula Herculis templum cõditoribus Tyriis, vbi Herculis oſſa fuiſſe Mela tradidit.*

Cetera iſtius Cap. ſunt è Strabone lib 3 c. 1. l. 4. c. 20. 21 & 22. Ptolomæo lib. 2. Mela lib. 2. c. 6. Mercatore, & è Maiorni Turqueti hiſt. Hiſp. lib. 1.

aſſerente Liuio hanc primi Phœnices ex Africa tranſuecti, coluerunt. *Lib. 43.* Poſtea ad idem Gaditanum fretum Barbeſula, Barbeſola aliis, Legionis XVIII. Colonia. Prope fluit Salduba, hinc [12] Suel, ſiue Suea vrbs, [13] Malacha, [14] Menoba, ſiue Manoba cum fluuiis, [15] Sextifirmium Iulium, [16] Nebriſſa, Veneria, ſita olim inter Bætis æſtuaria, nunc à Bæti VIII. M. paſſ. diſtat, Ælium Antoninum Imp. ciuem habuit, conditorem verò Bacchum. Supra hanc, celebre Oceano atque alternis æſtibus Hiſpal, oppidum Romulenſe cognominatum, & Iulia Romulea, à Iulio Cæſare reſtauratore, de ſuo & vrbis Romæ nomine, Naturæ gaudentis & laſciuientis opus, Bæti amne irrigante. Sequitur in littore [17] Sexi, vel, Sex, Colobona, [18] Aſta Regia, [19] Abdera à Pœnis condita, [20] Munda, iuuenis Pompeij cæde celebrata, & Bæticæ terminus [21] Murgis, iuxta Portum Magnum, & [22] Charidemi promontorium. Proximè incipit altera pars Hiſpaniæ ' TARRACONENSIS, in eâ, poſt Murgis oppidum, [24] Carthago Noua, quæ & * Spartaria, Conteſtanorum maritima, ab Aſdrubale Carthaginienſium in Africâ duce condita, iuxta [25] Scombrariam promontorium. Hinc [26] Vrce, ſeu Virgi, [27] Bigerra, Baſtitanorum, [28] Orcelis quoque, & [29] Sæbatis. Infra Lucentum, vel [30] Lucentia, vnde Lucentes populi, ad vrbem Illicem [31] Illicitanus Sinus. Colantur hæc inter aquæ [32] Terebis, [33] Sætabis, [34] Rubricati, [35] Sucronis, Pallantiæ, [36] Turiæ, ſiue Turulis, & [37] Iberi fluminũ. Regionis caput eſt [38] Tarracon, è quâ prouinciæ facta denominatio Tarraconenſis Hiſpaniæ, Scipiones authores eius putantur, vrbs ea Iulia Victrix Colonia, aliquibus Victrix Tyrrhenica nuncupatur. Prope eſt [39] Dianium oppidum cum promontorio, quod ab aliis Hemeroſcopium, & Ferraria dicitur. Dianium, Græci Artemiſium vocant, Maſſilienſes ædificauêre: qui, quia ſunt originis Grçcæ, proximo quoque promontorio [40] Hemeroſcopij, hoc eſt, diurnæ ſpeculæ, nomen fecerunt. Inde [41] Subur, mox & [42] Valentia Edetanorum, M paſſ. diſtans à mari D. Iunio Bruto conditore, Ann. v. c. DCXV. Miſſis in coloniam illis, qui ſub Viriatho militauerant. Remotiorem à pelago Andræas Reſendius facit, in Poëmate, quod D. Vincentio ſacrauit.

** ob inſignẽ ſparti copiam. ſic a Gallis extra vrbem in tumulo Mercurio Theutati templum extructum, cui humanis hoſtiis litabant: deſcriptionẽ vrbis habes apud Silium Ital. lib 15. Hanc olim Carthaginienſes in bello ſedem & armamentarium habuerunt. Vno die a P. Scipione quondam captam, a Vandalis, mox a Gothis ſolo æquatam, Philippus II. Hiſpaniarum Rex inſtaurandam curauit, ne pirata Africa, portus præſtantiâ allecti, occuparent.*

Liuij Epitom. l. 55.

-----haud ita multis
Millibus, à pelago ſeiuncta Valentia ſurgit,
Bruti opus, Heſperiam Viriathi cæde madentem
Ille petens, acies palantes vrbis honore
Donauit, poſitiſque diu victricibus armis
Exauctorato compleuit milite.

In antiqua inſcriptione, quæ Valentiæ ſpectatur, incolæ eius Veterani & Veteres nuncupantur, & Plinij tempore vrbs Colonia Iulia, cauſæ in incerto ſunt. Bello Sertoriano, à Cn. Pompeio de-

Saluſt. l. 4. hiſtor. leta, mox ab ipſo Sertorio reſtituta: è Maurorum verò ſeruitute eam Rodericus Biuar, cognomento Cid, Ann. Sal. MXXV. aſſeruit: vnde hodie *Valentia del Cid* dicitur. Mauri iterum occuparunt, Ann. Sal. MCCXXXVIII. Chriſtianis reſtituit Iacobus I. Aragonum Rex.

Silius Ital. l. 1.

Haud procul Herculei ſe tollunt litore muri
Clementer creſcente iugo, queis nobile nomen
Conditus excelſo ſacrauit colle Zacynthus.
Hic comes Alcidæ remeabat in agmine Thebas
Geryone extincto.

A Zacyntho Inſula originem [43] Zacynthus Hiſpanica deducit, miſtis ab Ardea Rutulis. Ab Annibale euerſa, à Cn. Scipione poſt octo annos reſtituta. Addit Franciſcus Tarapha Hiſpanicarum rerum ſcriptor, hanc vrbem ab Hercule Græco conditam, anno ante Chriſti aduentum 1192. Proxima huic [44] Barcino, quæ Barcinus, & Barcilona, Fauentia Auguſta cognominata, irrigatione Bætuli lætiſſima, cuius ciues Lletani olim dicebantur. Vrbs ab Amilcare Barca fundata, à quo Barcanonam vocatam aliqui putant. In veteri marmore, Colonia Fauentia Iulia Auguſta Barcinone. Haud longè ab ea, [45] Vica ſiue Auſa. Tum promontorium [46] Lunarium, oppida, [47] Diluron, [48] Betullo, [49] Tholobi, [50] Blanda, Rodope, portus extremus Tarraconenſis ad radices Pyrenæorum, ann. 925. ante Chriſtum condita: Rhodiorum

Liuius lib. 34. opus, ſicut & Maſſilienſium [51] Emporiæ, vbi triplex oppidum, Maſſilienſium, ſiue Phocenſium, Hiſpanorum, & Romanorum Colonis à Iulio Cæſare, poſt deuictos Pompeij liberos, deductis. Iuxta Barcinum, [52] Sambrocæ, & [53] Clodiani fluuiorũ ſunt oſtia. Hic [54] Mons Iouis, arce nuper à noſtris Gallis excitata, formidabilis, cuius partem eminentes cautes occupant; arte vel naturâ in graduum ſpeciem exciſæ, dicuntur [55] Annibalis ſcalæ. Sunt qui [56] Rodopem, de qua iam dixi, Rhodam Albam, & Rhodipolim vocant. Claudit Tarraconenſem Hiſpaniam [57] Veneris Templum, rupibus impoſitum, diuiditque Hiſpanias à Galliis. Ante Bæticam & Tarraconenſem, excluſæ terris terræ in Balearico mari inſulas faciunt: PLANESIAM, Ante Dianium, PLVMBARIAM, circa Hemeroſcopium promontorium. HERCVLIS, quæ & [58] Scombraria, à Scombrorum capturâ, è quibus optimum garum. PYTIVSAS, minorem, [59] OPHIVSAM dictam, in qua Ereſus, Carthaginienſium Colonia: maiorem, EBYSSVM, de quibus ante, hoc Capite, ſicut & de Balearibus, in quarum grandiori, [60] Palma, & [61] Polentia vrbes; in exiliori, [62] Iamna & [63] Mego, ſiue Mago. In eo tractu ad Gaditanum fretum tres Sinus celebrantur, [64] Sucronenſis, Illicitanus, & Virgitanus. Poſt Bæticam ad Oceanum LVSITANIA eſt, mox & Cantabria & ipſa pars Tarraconenſis.

raconenſis. Bæticam à Luſitaniâ Ana flumen ſeparat, ad cuius oſtia nauiganti, cernuntur in littore, Onobaliſturia, Seria, Romanorum colonia, quæ & Iulia Fama, nomen primum retinens, Vertobrige, ab aliquibus Nertobriga, Concordia Iulia, [65] Segede, quæ Augurina, Reſtituta Iulia, Regina [66] Latinorum, ab aliis Turdetanorum, [67] Oſca, [68] & iam dicta Iſpalis, tum & [69] Oſſonaba vltra [70] Anæ oſtium, ſicut & [71] Balſa, & [72] Lacobriga, cuius ruinas oſtendit [73] Sacrum promontorium, ſi quadrãgularem Hiſpaniam pinxeris, vnus ex angulis, cuſpidi ſimilis. Ponè, fluuius [74] Chalybs, tinctura ferri, & metallo nobilis, nec pluribus hinc ſpatiis [75] Salacia, [76] Cætobrix, [77] Barbarium promontorium, [78] Olyſſipo, Vlixbona Straboni, decus regionis, conditore gaudens Vlyſſe, vndè Vlyſſea Plinio, à quo etiam vocatur Colonia Fœlicitas Iulia, ſita ad oſtium [79] Tagi: circa, flumina ſinuoſis curſibus ludunt, [80] Monda, [81] Vacua, ſiue Vacos, & [82] Durius. Lunæ promonrorio vicinæ vrbes ſunt, Aricium, Chretina, [83] Bracar Auguſta, vel Braccara, Gallorum Braccatorum Colonia, circa Ann. vrb. Romæ D. condita, Auguſta à Romanis cognominata, Regia Sueuorum & Gothorum per Ann. CCCLXXXX. Hinc Selium, & [84] Arabriga. Subit inde pars altera Tarraconenſis Hiſpaniæ [85] CANTABRIA, Ab [86] Auaro promontorio incipiens, tellus fluuiis irrigua, [87] Nebide, [88] Limio, & [89] Minio, quem ſuſcipit Oruium promonrorium, vbi Artabrorum portus, hemicycli formam, & grande ſpatium nauigiis offert, clauſus altero promontorio, cui Nerium nomen, & Artabrum, & Celticum, à Celtis Gallis. Finis terræ hodie etiam dictum, quòd vltimum continentis exiſtimatum ſit, in eo Solis aræ, [90] Iria Flauia, & [91] Aquæ calidæ. Septentrionale latus, vbi Oceanus Cantabricus, ſic deſcribitur. [92] Promontorium Scythicum, Callaicorum vrbs [93] Flauium Brigantium, Brigantia, Ptolomæo, altiſſima pharo & ſpeculà memorabili ornata, vnde naues vel longiſſimo ſpatio ſepoſitæ cernuntur, vtrumq; opus Herculis, ſi fabulis credimus: re autem verâ, turris alta cum pharo, vnde longè latéque pelagus deſpectare licet. Sequitur Laparia Cory, quod & Trileucum promontorium, Meari, ſiue Metari, Nabij, & Nauillionis, ſiue Nauilubionis oſtia, [94] Flauiobriga, aliàs Phlaſiobriga, vbi olim Amanum portus, Menoſca cum [95] fluuio, Neros, [96] Nerua, Diua fluuij, poſtremò [97] Idanuſa, quæ Oeaſo antiquiori denominatione dicebatur. Inde Pyrenei montes, mox noſtra Gallia. Totâ Hiſpaniâ portus celeberrimi olim fuerunt: [98] Magnus, [99] Hannibalis, [100] Amanus, [101] Gaditanus, Tarraconenſis, & Veneris. Ante Luſitaniam [102] Deorum inſulæ, [103] Cattiretides numero decem, *Caſſiteridas appellat Strabo: has omnes præter Cyzargam abſorpſit Oceanus: ſupereſt [104] Londobris, quam aliqui Erythiam putant.

Nonius Cetobrigam, *quam hodie* Setubal *dici affirmat, appellatam putat à* cetis, *&* briga, *veteri namque Hiſpanorum ſermone briga, vrbem deſignat, quaſi vrbs cetorum, nam ibi thynnorũ, magnorumque piſcium luculenta piſcatura eſt. Vrbs vicina Salacia, ob inſignem toto illo Sinu, ſalinarum copiam dicta, quæ Plinio, Imperatoria cognominatur.*

Cantabros à *Spartanis ortos probat Nonius, Hiſpania, c. 44. Vbi de monte Ferreo, & Tamarici fontibus.*

* *Vide Nonium Hiſpania ſuà, c. 39 vbi multa dicit.*

Fe,8ti.

Tempore Valentis Imp. Hiſpaniæ in VI. prouincias diſtributæ erant, quarum II. Conſulares, Bętica, & Luſitania; reliquæ Præſidiales, Tarraconenſis, Carthaginienſis, Gallicia, & Trans-fretum in ſolo Africæ, quæ Prouincia Tingitanica dicebatur. Circuitus totius Hiſpaniæ eſt leucarum 472.

NOMINA RECENTIA REGIONVM, Vrbium, Fluminum, Promontorium, præcedenti Capite vetuſtis appellationibus recenſita.

[1] Hodie *Caliz Malis.* [2] *Tuica*, vel, *Toiſſa.* [3] *Mallorca & Menorca.* [4] *Andaluſia.* [5] *Guadalquiuir.* [6] *Gibraltàr*, Arabibus, *Gebel Tariſ*, hoc eſt, mons Tariſ. [7] *Tariſa.* [8] *Begerra de Melana.* [9] *Puerto de S.Maria.* [10] *Algezira, Cartagena* Cluſio. [11] *Barbeſul.* [12] *Molena.* [13] *Malaga.* [14] *Velez Malaga.* [15] *Salebrenna.* [16] *Lebrixa.* [17] *Motrel.* [18] *Xeres de la frontera.* [19] * *Almeria.* [20] *Ronda.* [21] *Murcia, cerca porto Carbonere.* [22] *Cabo de Gates.* [23] *Aragon.* [24] *Cartagena.* [25] *Cabo de Palos.* [26] *Bera.* [27] *Bejar.* [28] *Oriuela*, aliàs, *Origuela.* [29] *Xatiua.* [30] *Lucena*, vel, *Luxente.* [31] *Alicante.* [32] *Segura.* [33] *Xatiua.* [34] *Lobregat.* [35] *Xucar y Palencia.* [36] *Guetalabiar.* [37] *Ebro.* [38] *Tarragona.* [39] *Denia.* [40] *Cabo de Martin.* [41] *Siges.* [42] *Valencia.* [43] *Moruedra.* [44] *Barcelona.* [45] *Vich.* [46] *Cabo de Vallis.* [47] *Alora.* [48] *Badelona.* [49] *Tamarit.* [50] *Blene.* [51] *Caſtello d'Empurias.* [52] *Sambucha.* [53] *Fluuian.* [54] *Mont-Iuiſ.* [55] *Coſta di Garaffe.* [56] *Roſas.* [57] *Fort Vendro.* [58] *Eſconbrera.* [59] *Formentera.* [60] *Mallorca.* [61] *Polenza.* [62] *Ciuitadelle.* [63] *Mahon.* [64] *Lobregat, d'Alcante.* [65] *Seges.* [66] *Reyna.* [67] *Hueſca.* [68] *Seuilla.* [69] *Gibraleon* Pineto, *Exuba* Cluſio. [70] *Rio Guadiana.* [71] *Tauilla.* [72] Ibi hodie oppidum *Lagos*, à Ioanne III. Portugalliæ Rege pharo ornatum. [73] *S.Vincente.* [74] *Cabe.* [75] *Alcazerdoſal.* [76] *Cezinbra:* quæ Nonio, *Setubal.* [77] *Cabo de Spichel.* [78] *Lisboa.* [79] *Tajo.* [80] *Mondego.* [81] *Vouga.* [82] *Duero.* [83] *Braga.* [84] *Rabida.* [85] *Biſcaia* Curioni, *Guipuſcoa* Cluſio. [86] *Cabo de Viana.* [87] *Neue.* [88] *Guadelete* Hiſpanis, *Bedalac* Mauris. [89] *Lugo.* [90] *Padron.* [91] *Fuente Ençalada.* [92] *C. de Figo.* [93] *La Corunna.* [94] *Fuentarabia.* [95] *Gurumea*, vel, *Urumea.* [96] *Nanſa.* [97] *Ojarço.* [98] *Corunna.* [99] *Albor.* [100] *Bermeo.* [101] *Caliz.* [102] *Yſlas de Bajona.* [103] *Cyzarga.* [104] *Barlinguas.*

* Dicta, ab Almerico Gothorum Rege: qui circa an. Sal. 530. à Childeberto Francorum Rege, ferro petitus, hic occubuit.

Bilbao malè aliqui vocant, id eſt, bellum vadum, cùm Bilbao extructum ſit ann. Sal. 1300 à Didaco Lopez Cantabriæ domino. Vbi olim Varduli.

CAPVT

CAPVT TRIGESIMVMTERTIVM.

Galliarum vrbes, coloniæque maritimæ, portus item, promontoria & Inſulæ.



GALLIA à Meridie Italiâ & Mediterraneo mari, quod Gallicum vocatur, ab occaſu Pyreneis montibus & Oceano Aquitanico, à Septentrione Britannico, ab Ortu Rheno & Germaniâ finitur. Duplex eſt, TONSA, ſiue Togata, ſiue Ciſalpina: COMATA, quæ & Tranſalpina, & Bracata. Tranſalpina in quátuor partes diuidebatur, in Aquitanicam, Lugdunenſem, Belgicam, & Narbonenſem. AQVITANICA ab Occidente Oceano aluitur, propè Cantabricam Hiſpaniæ, promontorium Pyrenes habet pro termino. Occurrit indè [1] Baiorum ciuitas, hinc Aturij, ſiue Aduæ, [2] Igmani, & [3] Garumnæ fluuiorum oſtia. Poſtremi fluminis ripas tangit commerciis nota [4] Burdigala, à Bugis Gallis, ſi Iſidoro credimus, condita. Supra, [5] Tarbelli, quorum vrbs putatur [6] Aquæ Auguſtæ, ad ęſtuarium

E Ptolomeo lib. 2. capp. 7. 8. 9. & 10. Strabon. l 4 & 5. Plin. lib. 3. c. 4. & l. 4. c. 17. 18 & 19. Melâ lib 2. c. 5 Ortelio, Mercatore, Argentreo hiſtor. Britann. l. 1. & Pauli Merulæ Coſmographia.

1 In veteribus Epiſcopij chartis, Epiſcopus Baionenſis, Lapurdenſis dicitur. In quibus etiam vrbs, Baiona Lapurdenſium in Tarbellis appellatur.

æſtuarium Aturij, proximus huic [7] Santonum portus. In Garenninæ oſtio [8] Antros inſula, quem pendere, & attolli aquis increſcentibus, ideò incolæ crediderunt, quòd, ob rupes in littore ſitas, vix cernatur pacato mari, exæſtuante verò, & magnam rupium partem occupante, ex altiori fluctu tota nauigantibus appareat. A Santonis littoris exitu, latus illud incipit terræ procurrentis in pelagus, quod promontorium [9] Pictonum appellatur; infra Sicor portus, AQVITANIAMQVE à LVGDVNENSI, ſiue Celticâ Galliâ diuidens [10] Liger, vbi [11] Nannetum Armoricæ oppidum, opus Nannetis Galathis, Galliæ Regis, qui Troianis temporibus viuebat, tum [12] Briuates portus, intránſque mare [13] Vidiana, recentioribus Vicenouia, non ignobilis fluuius. Hinc [14] Veneti, bellis cum Iulio Cæſare geſtis elati ad famã, nec minus ob id, quòd Veneti Adriatici maris incolæ, horum coloni creduntur: iſtorum vrbs Venetia, & minimo hinc ſpatio [15] Erij oſtium, vbi Oſiſmiorum præcipua ciuitas Oſiſmium, quæ & [16] Legio: tum [17] Blabia caſtellum, quod Groajam inſulam reſpicit, & promontorium Finis terræ, contortis in altum linguis, veluti lambens deuotánſque Oceanum, antiquis alio nomine Gobæum appellatum, poſtea & [18] Manethum, & Manethuemet. Inde ad Britannicum pelagus, Fretóque, quod inter Britannias Galliáſque exæſtuat, Soliacan portus, vrbs Vorganum, ignota nunc nomina, [19] Arubium, Raciaſtum [20] Radeſiæ caput, [21] Saliocanus portus, [22] Rinccius fluuius, [23] Samnitici ſoli irrigator, ad quem [24] Crotiatonum, Antonino Coriſopitum, Cæſari Curioſolitum, nunc Kempercorentinum, à Corentino neſcio quo reſtauratore nuncupatum oppidum, in regione [25] Cornubiæ, ſiue Cornugalliæ, quem Olina prçterfluit, vbi nunc vrbs * Cadomum. In ea Regione Conſtantinum territorium, Conſtanciáque vrbs littori appoſita, Moritonium olim, poſtea, vt Ammiano placet, Caſtra Conſtantina vocata. In oſtiis clari amnis Sequanæ, [26] Neomagus, ſupráque eam vrbem vrbs [27] Rhotomagus, à Mago tertio Celtarum Rege à fundamentis iuſſa ſurgere. Proximi ad mare [28] Caletæ, è quorum portu antiqua ciuitas proſpicitur [29] Iuliobona, quam à Cæſare in locum Caletæ ædificatam Sigebertus prodidit, & altera [30] Lexubiorum, Vorganium. HINC incipit BELGICA, ſequanâ Rhenóque circumfuſa, ad Britannicum Oceanum oſtentans Itium, ſiue Iccium promontorium, cum [31] vrbe ſimul & portu, [32] Morinorum nauali, ſicut & Geſſoriacum, vbi [33] Bononia, Geſorigia dicta in Panegyrico Maximiani. Flumina in pelagus currunt nauigiorum capacia, [34] Scaldis, & [35] Moſa, maiórque [36] Vahalis licet pars [37] Rheni, ad cuius ſiniſtrum littus [38] Nouiomagum, & [39] Logodunum. In Rheni æſtuariis nobiliſſimæ inſulæ ſunt [40] Batauorum, [41] Cannenu-

* *Hodie*, Caen.

nenuſatum, " Friſiotum, " Cauchorum, " Friſiabonum," Sturiorum, & Morſatiorum, inter " Helium, & " Fleuum: ita enim appellantur oſtia, in quæ effuſus Rhenus à Septentrione in lacus, ab Occidente in amnem Moſam ſe ſpargit, medio inter hęc ore, modicum nomini ſuo conſeruans alueum. Batauorum veterum inſulas vno vocabulo Hollandorum, vel Statuum Hollandicorum, vel Statuum Inferioris Germaniæ, hodie complectimur. Metropolis " Dordtachum, ſiue Durdechtum, nec minori conditione " Batauodurum, tum " Lugdunum Batauorum, Caſtra Legionum Germaniæ: " Armamentarium Romanorum ad Cattorum vicum, vetuſtate collapſum reſtituerunt, L. Septim. Seuerus Aug. & M. Aurelius Antoninus Cæſar. Ante Albianam vrbem, Rheno diuortia faciente, " Mattiaces Inſulani, qui & Mattiaci appellantur, nunc Zelandi, apud quos vetuſtiſſima vrbs Mattiaburgum, & Meierum, hodie Middelburgum, Maginus, Metelli caſtrum putat. Alij " Mattiacum vocant Catthorum caput, quod ego minimè crediderim, cùm ea Haſſiæ, non Zelandiæ vrbs primaria ſit; ibi " Martinianus agger, forſan Martinianus, & fanum Herculis. Cauchi inſulas colebant, quæ poſtea recentiori Bataulæ attributæ ſunt: has quatuor fuiſſe ſcribit Ortelius. Primam, Maiorem, à Batauiâ veteri Rheno diſcretam, in quâ " Traiectum, Batauodurum, " Grinnes, " Vada, & " Arenacum, antiqua oppida. Eam à Cauchis & Chamanis habitatam, Cauchorúmque inſulam Plinij eſſe, omnes penè conſentiunt. Duæ è reliquis tribus inſulis Caninefatis, vel Cannenufatis attribuuntur: vltima verò ad oſtium Fleui, Morſatiis. Earum Inſularum partem pręcedenti ſæculo Oceanus abſorpſit, Anno ſcilicet Salutis MDXXXII. Teruntútque eminentiora ædificiorum à prætereuntibus nauigiis. Vltra ſunt Friſij, quorum vrbs præcipua Phileum, hodie Groninga. Deſcriptâ Belgicâ ad IV. Galliarum Tranſalpinarum partem decurro, nullo viarum compendio, quod fieri conſueuerunt ſcribentes, qui ad Mediterraneũ mare ab Oceano pennarũ remigio vno momento nauigant. Hæc NARBONENSIS ab vrbe eius pręcipuâ vocata eſt, protenditur à Pyreneis montibus ad Alpes: ſecundùm mare, quod Gallicũ appellatur, ſequentibus vrbibus, promontoriiſque, & fluuiis nobilitata. In " promontorio ſita eſt " Leocata, poſt " Salſulæ fontem, qui ſalſioribus, quàm marinæ ſunt, aquis, defluit. Iuxta campus minutâ arundine graciliſque peruiridis, ceterùm ſtagno ſubeunte ſuſpenſus: vndè piſces ſuffosâ terrâ ictu captantium, eruuntur. Strabonis, Ptolomæi, & Melæ temporibus Leocata littoris nomen erat, poſt vrbis, Antonini Imperatoris ætate, quod ipſe in Itinerario ſuo teſtatur, in quo & Salſulas oppidum appellat. In ea Regione decurrunt parua flumina Thelis, & Thicis, ſæua cùm accreuere:

Batiaui olim amici & fratres Pop. Romani dicebantur. Quod è veteri inſcriptione marmorea, quæ Lugduni Batauorum extat, Petrus Diuæus probat, lib. de Gall. Belgica Antiquit.

Foſſilium horum piſcium Mela meminit. Polyb. lib. 34 & Athenæus lib. 8. Strabo lib. 4.

creuêre. Colonia [62] Ruſcino, cum fluuio, [63] Ceruaria, [64] Eliberris, ſeu Illiberis, magna vrbs quondam, Hiſpaniámque à Galliis diuidens ad Pyrenei radices, Templum Veneris cum portu. Plura has terras flumina lancinant, Atages, [65] Orobius, ſiue Obris, [66] Araurius, quod & Arauraris dicitur, & Atax. Ad ripam vicini lacus [67] Monſpeſſulus, vrbs celebris extenditur, Subſtancion olim: diſiungit lacum ab alto agger, in cuius medio hodie caſtellum, [68] Magdalidis cum præſidio. Ad Setij montis infima [69] Agatha, quæ & Agatopolis, & ciuitas Agathenſis, colonia Maſſilienſium: nec longè ab eâ ſalis confectione vrbs memorabilis, [70] Halycidon, Maſſilienſium portus. Inter eam & Rhodanum maritima Auaticorum ſtagno inſidet [71] Maſtramela, ad foſſas manu factas, per quas Marius Conſul inuitauit mare, & rabiem Rhodani ſedauit. Aliqui putant (benè, an malè, iudicio legentium relinquo) Maſtramelam, non vrbis, ſed lacus, ſiue foſſarum Marianarum nomen eſſe, quæ & Aſtromela, & Meſtramelle dicuntur Ortelio, in theſauro Geographico: Stomelimna verò, hoc eſt, lacus oſtij, Rhodani ſcilicet, Straboni: contra alij, maritimam Anaticorum, nomen eſſe vrbis, non appellatiuum, ſiue epithethon Maſtramelæ. Ego nomen eſſe & ſtagni, ſiue foſſarum Marianarum & vrbis, quæ maritima Auaticorum fuerit, cum Stephano in nomine μαϛραμίλλη exiſtimo, quod & * Plinius cenſuit. Littus inde ignobile eſt Lapideum (vt vocant) in quo Herculem contra Albionem, & Bergiona Neptuni filios dimicantem, cùm tela defeciſſent, ab inuocato Ioue, imbre lapideo adiutum ferunt. Tribus alueis in mare Rhodanus exundat, duobus modicis, qui Hiſpanienſis, & Metapontinus; tertio ampliſſimo, qui Maſſalioticus. A dextrâ properantium ad mare [72] Narbo Martius Decumanorum, à Q. Martio Narbone Rege, qui Coſ. fuit cum M. Porcio Catone, Ann. V. C. DCXXXIII. deductis Colonis. Dicta & Iulia Paterna, in honorem Iulij Cæſaris patris, ab Auguſto: portus olim & emporium celebre, de quo Sidonius Apollinaris in vrbium catalogo. In Rhodano [73] Arelas, Salyorum Colonia, poſt & Sextanorum. Aliqui eandem Gallicam Rumam, ſiue Mamillariam, hoc eſt, Galliæ nutricem, ab abundantiâ omnium rerum vocauerunt Telinem primò dictam narrat Feſtus Auienus, à Graiis conditoribus. Gallulam Romam, quaſi Gallicam vocat Auſonius. Colonos deduxit Tiberius Claudius, Tiberij Imperatoris pater. Ibi nauale habuerat Iulius Cæſar, bello in Maſſilienſes. Tandem Regia Burgundionum noſtrorum fuit. Infra, quæ nomẽ Rhodano dedit [74] Rhoda, Rhodiorum colonia, ante Olympiorum inſtitutionem deducta ſtagna in oſtiis Rhodani, iuxta Volcarum, vbi [75] Ledum flumen, [76] Meſua collis, incinctus mari penè vndique, & niſi quòd anguſto aggere continenti annectitur,

* *Lib. 3. cap. 4.*
Aſtromela oppidum maritimum Auaticorum.

nectitur, inſula: ibi quoque [77] Heraclea, Caccabaria cognominata, & [78] Tricorium. A ſiniſtrâ nauigantibus Genuam, ſeiunctâ à Rhodano Maſſilia, Phocenſium Colonia, Ariſtarchæ, Dianæ ſacerdotis, monitu, ductoribus Phrurio & Perano: Athenopolis, ſiue Athenæ Gallicæ, dicta, ciueſque eius trilingues, quòd Græco, Latino, & Gallico ſermone vterentur, mater vicini Tauroentij, ſiue Taurentij, cuius nec nomen hodie, nec veſtigia extant. In eodem littore Regio Clamatulicorum, ibíque [79] Cythariſta, ſiue Cythariſtos promontorium cum portu, oppidum [80] Telonum, Coloniâ è Narbone acceptâ, dictum Telo Martius: [81] Olbiam fundauêre Maſſilienſes, ſicut & [82] Niceam, quæ Alpes tangit, è quibus, hęc quia lingua in mare procurrit, curuatúrque, [83] Curuum promontorium vocatur, vbi [84] Argentij, Plinio Pacenſis, fluminis oſtium. Numerantur & in antiquâ Narbonenſi Galliâ, [85] Forum Iulium, ſeu nauale Auguſti Cæſaris, Octauianorum Colonia, quæ Pacenſis, & Claſſica appellabatur: [86] Portus Romantinus, [87] Antipolis, quam Maſſilienſes ſtruxerunt, ab aliquibus Athenopolis, oppidum Latinum, ab Antonino reſtauratum, iuxtáque [88] Vari oſtia, portus eſt celebris, Oxibius, à Liguribus Oxibiis dictus. Ante, in mari, LERON, ſiue Lerone, Inſula, duas Antoninus facit [89] Leronem & [90] Lerinum. Iuxta, Themiſta, Pomponiana, & Hypæa, tres [91] STOECADES: Plinius primam Proten vocat, ſecundam Meſen, tertiam Pomponianam. Sparſæ ſunt à Maſſiliâ ad Ligurum oram, vndè Liguſtides Ptolomæo, Apollodoro verò Apſyrtides. Iis proximæ ſunt, [92] Sturium, [93] Phœnice, & [94] Phyla. Tum [95] Blaſcon, & [96] Agatha, ante vrbē eiuſdem appellationis. Hactenus de Tranſalpinâ Galliâ: CISALPINAM Padus interſecat. Populos habet, Boïos, Ligures, Venetos, Carnos, & Vmbros ad mare. Ab Oriente Italia, Arno, Rubicone, & Æſo fluuiis terminatur: Alpium montibus ab Occidente cōiungitur: à Septentrione Adriatico, à Meridie Liguſtico mari coërcetur, [97] LIGVRIA à Varo flumine ad [98] Macræ, ſiue Marcallæ amnis oſtium extenditur ad mare: hinc Apennino, inde Infero mari clauditur, quà ratione pars Inferi maris, [99] Liguſticum pelagus nominatur.

Cetera iſtius Cap. è Sabellico Enn. 4. lib. 1. Strab. lib. 4. & 5. Leandro Alberto in Liguria, Arnaldo, Milo, Blondo, Volaterrano, & Salmaſio in Solinum.

Varus ex Alpibus effuſus, haud procul à Niceâ, quæ Maſſilienſium colonia eſt, infunditur pelago, Alpes dorſo contingit: dehinc portus eſt [100] Herculis Monæci, vel Monæchi, ſic dicti, vel quòd pulſis incolis, illic ſolus Hercules habitauit, aut quòd in eius templo nullus alius Deorum coleretur. Poſt hæc [101] Monicus portus, imminet oppido caſtellum Torbia, quod Trophæa Auguſti à priſcis appellatum putant, patria Helij Pertinacis Imp. Romanorum. Sequitur in littore Mentonum, tum latus Albinimmij, ſiue Abintimilij, nunc Vintimilij, abluens [102] Rutuba. X. M. P. Infra [103] Mauricius portus, incertum an antiquus ſit, Petra caſtellum,

Ptolemæus duos hic quoq. portus facit, in tabula 6. Europæ, ſed primum Herculis tantum portum nominat, alterum Monæci.

lum,

lum, Finarium oppidum, Naulium ciuitas cum portu, à quà VII. M. Sauona diſtat, aliis Sabatia, & Sabatium: hîc quoque Ceruum oppidum, & Andoria, ſubter quod amnis labitur [104] Merula, vbi mari miſcetur, promontorio appellationem faciens, quod in nomen ſuum adoptat. Sequitur Spotronus vicus, Cellæ, oppidum Vulturnum, quod Cheruſa torrens interfluit, quíque Genuæ portum leni alueo ſubeunt, Portiſera, & Ferior, noua nomina, ambo vno vocabulo quondam, Biſamnis. Genua à Iano ibi culto, vel quòd totius Italiæ veluti ianua ſit, vel à Genuo Saturni filio conditore, vel à Genuino Phaëthontis ſocio, appellationem ſortita eſt. Deletam ab Annibale, C. Seruilius Conſul reſtaurauit. Quod arduum & ſaxoſum in mare procurrens, ſiniſtro poſt Genuam latere, erumpentes aquas anguſtis faucibus admittit, Caput montis appellatur, vbi [105] Delphini portus, [106] Entella, olim Labonia fluuius, Tigullia, ſiue Sigeſta Tigulliorum, [107] lucus Feroniæ. Luna vrbs vetus, Cariara ab Etruſcis, Selenes à Græcis dicta, è cuius ruinis vicinum oppidum Sarazana conſtructum. Aquas portus Macra auget, defendit inſula portui obiecta, in quâ [108] Veneris templum, & oppidum Portus Veneris, Genuenſium colonia, ſicut & Romanorum Luna, III. Viris P. Ælio, L. Ægilio, C. Sicinio. Ligurum alij Ingauni, horum Colonia maritima, [109] Albingaunum, Pompeij Magni temporibus ducta: alij Intemelij, quorum colonia [110] Abintimolium, ſiue Abintimilium. Inſulæ in Liguſtico mari, [111] Gallinaria, [112] Capraria, Ægilon à Græcis dicta, & [113] Vrgo, ſiue Orgoneſus. Iam ad alios Ciſalpinæ, ſeu Togatæ Galliæ populos deſcendo, qui Adriatici maris littus habitant, ab Aquileiâ, ad Ariminum, & Senam. Inter eos ſunt CARNI, & NORICORVM quidam, intimum Adriatici maris ſinum, & loca ad Aquileiam incolentes, à Nátiſone amne, vſque ad Formionem. Horum oppida versùs mare Tiſana, [114] Heraclea, quam Concordienſes, & Altinates fundauerunt, de nomine Heraclij tunc Imp. in Inſulâ Equilio, quæque ab aquis, quas velut in Sinu ſuo receptat, Aquileia dicitur, colonia Latina, deducta per III. Viros P. Scipionem Naſicam, C. Flaminium, L. Manlium Acidinum, Ann. V.C. DLXX. Proptèr hanc fluit Timauus, portui illabens ad Diomedis templum, & [115] Natiſo, & [116] Romatinum, & [117] Plauis, inter quorũ fluenta Concordia, nomen hodie conſeruatum, [118] Tergeſte Romana Colonia, & Silis, quæ Ortelio, fluuius. In Italiam inde eunti, occurrunt Veneti, Gallorum qui ad Oceanum ſunt Coloni, ab Occidente Atheſi, ab Oriente Adriatico, à Septentrione Natiſone flumine, à Meridie Pado circumuallãtur. VENETORVM vrbes maritimæ, Epiterpum, in paludibus, aliis Opitergium, Foſſonum, ſiue Foſſionũ portus, & [119] Brunduli, ad [120] Atheſis os, vel, vt Plinio placet, ad oſtia Padi. Supra, Verona, Cenomanis habitata, à Gal-

lieno

lieno Imp. reædificata, & Noua Gallieniana vocitata. Propè eſt [121] portus Edronis, Claudiana Foſſa, Ordia, Adria, quæ nomen vicino mari tranſmiſit, Thuſcorum opus: Vcetia, quam multi Liquentiam putant, Caput Gauri, intérque Padi ſuperbientis oſtia, in inſulâ, Comaclum ciuitas, nouum nomen, cùm olim vocaretur Cymaculum, quoniam in aquis iaceat, quæ Græcis κύματα appellantur. Hinc [122] Metamaucus portus, qui melius Metaumacus, Medoacum Straboni, à fluuio ſubeunte portum: [123] Butrium Rauennatis agri oppidum, Cenomanorum colonia: Fletrium, [124] Trini portus, Auruncum, Liminis oſtia, Gruarius portus, antiquis, Romatus, [125] Altinum, oppidum ſemotius à pelago, paludibus obſita & cælo nebuloſo Rauenna, gladiatorũ nutrix, Theſſalorum colonia, poſtea Vmbrorum, & Sabinorum, vt & [126] Ariminum. VMBRORVM Senonum littus extendebatur, à Rauenna ad Æſim fluuium, vbi olim Gallia Togata, nunc Romanula. In eâ littoris curuitate, Sarſina, Camerinum, mons Cigunus, [127] Sentinum, [128] Metaurus amnis, Fanum Fortunæ, Sena Gallica, ſiue Senegallia, quæ *Gallorum à populis traxit per ſæcula nomen.* & Ariminum, cum Æſi flumine, ybi primos Italiæ terminos fuiſſe * Plinius, poſt Strabonem, aſſeruit. Ceterum appellata eſt Vmbria, SENONVM GALLIA, à Gallis, qui, Duce Arunte, in Italiam penetrauerunt. Æſis, ab Æſi Picenorum Rege, hodie Flumeſinus: Sentinum, à fluuio prætercurrente nomen ſortitur. Fanum Fortunæ, è voto Furij Camilli conditum eſt, poſtquam ei aduerſus Gallos fortuna fauit; deiecit illud cum Piſauro Gothorum Rex Totila, reſtituit Beliſarius. Piſaurum, P. ſumpto, ab Iſauro amne appellationem cepit: vrbs condita à Romanis, Ann. V. DCXXXIII. Vltra, BOIORVM Gallorum portus Ceſenaticus, Philocolis, Romanula Spina, ab amne Spino, qui proptèr fluit vocata, Pelaſgorum Colonia, * ſi Plinio fides habeatur, Diomedes condidit. Hinc poſt Vatrenum flumen, Primarium, Carbonaria, Capraſia, Olana, & Paduſa, nomina oſtiorum [129] Padi. A quibus Inuentum inuenitur, [130] Forum Alieni, Oſtilia, [131] Forum Iulium, ſeu velis Liuium, cum portu, [132] Anemonis & Anaxi, ſiue Anaſſi fluenta, & ante ea [133] Æquilia, & Caprularum inſulæ. Diomedem circa illud mare ditionem tenuiſſe teſtantur inſulæ [134] Diomedeæ, & quæ de Dauniis, & Argo Hippio feruntur. Habet Flaminia, ſiue Romanula, locum Septemmaria ab incolis appellatum, ſic illi vocant paludes, per quas Eridanus fluuius ſeptem oſtiis in mare præcipitatur. Hadriatica ſtagna nuncupat Dionyſius Halicarnaſſæus: Gallicas paludes, Vitruuius: quòd illæ in Ciſalpina Gallia ſint: Plinius, Atrianas, ab Atriâ vrbe vicina: Tacitus, Tartari fluminis paludes; Strabo, Rauennæ: hodie Stagni Veneti. Quorum pars, Paduſa palus, nomen à Pado.

** Lib. 5.*
Silius lib. 8.
Albert. de Vmbris & Gall. Boiis.
** Lib. 3. cap. 15.*
Albert. in Romanulâ Transpadanâ.
Strabo lib. 5.

NOMINA PROPRIA SVPRA RECENSITA è Latino ſuo quæque ordine in hodiernum ſermonem traducta.

[1] Bajone ſur la Dour. [2] Lera. [3] Garonne. [4] Bourdeaux. [5] Ceux de ville & territoire de Tarbes. [6] Acs. [7] Le port des Xainthongeois, que les vns eſtiment eſtre la Rochelle, les autres Blaie, aucuns Maluaſon. [8] La petite iſle ou eſt la tour de Gordan, qui ſert de phare à l'embouchure de la Garonne: il y en a qui croyent, que ce ſoit l'iſle d'Oleron, mais elle eſt trop eſloignée de la Garonne. [9] Talmont. [10] Loire. [11] Nantes. [12] Virane. [13] Vilaine. [14] Ceux de Vannes en Bretagne. [15] Le Four. [16] Leon. [17] Blauet. [18] S. Mahé. [19] Auuray. [20] De Raiz. [21] S. Paul. [22] La Rance. [23] Ceux de la pierre d'Ingrande. [24] Kemper Corentin. [25] Cornuaille. [26] S. Sauueur. [27] Rouen. [28] Ceux du pays de Caux. [29] Honfleur. [30] Ceux de Liſieux. [31] Calais. [32] Ceux de Teroane. [33] Boulougne. [34] L'Eſcaut. [35] La Meuſe. [36] Vvael. [37] Le Rhin. [38] Nimege, Batauis, Mimmeghen. [39] Vtrich. [40] Hollandois. [41] kennemerlander. [42] Oeſtfriſen. [43] Goeylanders. [44] Vveſtfriſeland. [45] Staueren. [46] Die Melinghe. [47] Suyer See. [48] Dordrecht. [49] Duerſteden. [50] Leyden. [51] Thuys te Bretten. [52] Seclanders. [53] Martpurg. [54] S. Martens Dijck. [55] Maeſtricht, Rhenano, Vtrecht Hortenſio. [56] Groeningen, aliis Renen, Maximè Diuæo, lib. de Galliæ Belgicæ Antiquit. [57] Magening. [58] Arnhem. [59] Cap de Cruz. [60] Locate. [61] Salſes. [62] Perpignan, ville principalle de la Comté de Roſſillon. [63] La Corbiere. [64] Coliure. [65] Obre. [66] Aude. [67] Montpellier. [68] Do Maguelon. [69] Agde. [70] Peccaiz. [71] Martegues. [72] Narbone. [73] Arles. [74] Roſe, Dalechampio S. Foſſe de Rhoze, quod nollem aſſerere. [75] Lez. [76] Meſe. [77] S. Gilles. [78] Craux. [79] Vn lieu de la terre ferme deuant les Iſles d'Yeres. [80] Tolon. [81] Argenton. [82] Nice. [83] Cap Talliat. [84] Argens. [85] Frejus. [86] Port Marin. [87] Antibe. [88] Le Gar. [89] S. Marguerite. [90] S. Honorat. [91] Iſles d'Yeres. [92] Ribaude. [93] Porte croix. [94] Bonhomme. [95] L'anguillade. [96] Agde. [97] La coſte de Genes. [98] Magra. [99] Mar di leone. [100] Villa Franca. [101] Monaco. [102] Rodoria. [103] Porto Moriſo. [104] Meira, vel, Conta. [105] Porto Fino. [106] Lauania. [107] Pietra ſanta. [108] S. Venerio. [109] Albenga. [110] Vintemilio. [111] Iſola de Albenga. [112] Caprara. [113] Gorgono. [114] Citta noua. [115] Liſontio. [116] Limino. [117] Piaue. [118] Trieſte. [119] Brondolo. [120] L'Alice. [121] Porto ſablone Nigro, Chioggia Leandro. [122] Malamocho, dans lequel la Brente ſe deſcharge. [123] Butrio. [124] Trani. [125] Altino. [126] Rimini. [127] Sento. [128] Metra. [129] Le Po. [130] Ferraria. [131] Frioli. [132] Lamone. [133] Ieſulo. [134] De Trimite, dont les noms particuliers ſont S. Nicolao, S. Domini, Caprara, Credarij, Vechia.

CAPVT

CAPVT TRIGESIMVMQVARTVM.

Italiæ antiquæ vrbes, oppidáque maritima, cum portubus, fluuiis Sinubus, promontoriis, Inſulis.



ITALIAM à Ciſalpinâ Galliâ Arnus & Rubico fluuij dirimunt, cetera mare ambit, Tyrrhenum, Siculum, Adriaticum. Ad Tyrrhenum pelagus Tyrrheni, qui & Tuſci, & Etruſci. Thuſcorum gens è Lydiâ Aſiæ Prouinciâ, hano regionem, pulſis Vmbris, quondam incoluit, Tyrrheno duce, vnde Thuſcia, & Tyrrhenia, quæ poſtea Etruria, à thuris libatione, quòd ab ea gente primùm ſuffimenta thuris in ſacrificiis Deorum facta. Protenditur Tyrrhenia ab Arno ad Tyberim, primáque in littore, vrbs occurrit, Piſani portus, munitiſſima arx * Liburnium, ad quam, in ſcopulo, qui M. paſſ. à continenti recedit, turris Pharea, de nocte nauigantibus lumen præbens : Piſæ deinde naue teruntur, ab Alpheis conditæ, vel à Pelope, & Græcis,

E Magna Græciâ Goltzij. Strab. l. 5. & 6. Ptolemæo, Plinio lib. 3. Blondi, Clueriј, & Alberti Etruriâ. Praetereà è Mercatore, Ortelio, Frontino lib. de Coloniis, Gerbelio in ſua Græcia. Magino, & Merula.

** Ligurnum vocat Ptolomæus, hodie* Liuorno.

cis, ſtatim ab excidio Troiæ. Liburno intus contigua ſunt ſtagna, eius oppidi nomine appellata, poſtea Niger mons, fluuiúſque Cecinna, cui ad ſiniſtram hęrēt Vada Volaterrana, appellatione factâ [1] ab vrbe, quæ in propinquo eſt, & quæ Colonia Triūmirali lege aſſignata eſt, quam veterani pro parte habuerunt. Succedit [2] Vmbro fluuius, & in ſinu Barattus portus, oppidum inundat [3] Aprilis lacus, dum oſtium Vmbronis tutatur, velut in ſpeculâ poſita eſt Populonia, cum [4] nauali Tyrrhenorum veterum. Hanc Nicea Patritius Conſtantinopolitanus Dux nauali exercitus, regnante in Italiâ Bernardo, Caroli Magni Imp. nepote, funditus euertit, ita vt nulla hodie huius vrbis veſtigia extent. Deinceps maritimo in ſinu [5] Telamonis portus, Telamotoſa à Plinio appellatus, Senenſis populi emporium, ibíque ad promontorium eiuſdem nominis cum Telamonio portu vrbs Domitiana. Indè Argentarius mons, in peninſulæ formam mari immiſſus, in quo eſt vetuſti nominis Portus Herculis. Torrens Piſſia, mutilatæ hodie in patrimonium S. Petri Etruriæ limes. Sequitur fluuius Martha, olim ſine nomine, in lacum Vulſinenſium, nunc Bolſenæ, effuſus: mons Grauiſcarum, cum vrbe [6] Grauis, Grauiſcos, ſiue Grauiſcæ, à grauedine cæli appellata: in eam coloniam Romani deduxerunt III. Viri, C. Calphurnius Piſo, P. Claudius Pulcher, & C. Terentius Hiſter, poſt & alia ab Auguſto miſſa eſt. Solum ſimile Volaterrano, pretioſis lapidibus diues, mare verò corallo. Hinc quà ſeſe exonerat Minius, [7] Caſtrum Nouum, auctum [8] Tarquinij, vrbis priſcæ, ruinis, è qua Tarquinij Priſcus & Superbus oriundi erant: vrbs à Tarconte condita, qui à Tyrrheno Athys filio, Herculis nepote, præfectus fuerat deducendis in has oras Coloniis, vnde aliqui putant, Tyrrheniæ nomen fluxiſſe. Poſtea Lege Sempronia aſſignata Colonia eſt. Iuxta, Centumcellenſis portus, vrbſque [9] Centumcellæ, [10] Pyrgíque veteres, Romanorum colónia. Exinde [11] Caretanus amnis, oppidúmque [12] Cære, antea Agilla. Hæc inter Triturita Liguruo proxima, [13] Alſium, Faleſia, ſeu, Faleria, Faliſcorum Metropolis, [14] Scapræ, vel Scapris, Traiani portus, [15] Regis villa, Maleotti Pelaſgi quondam villa, [16] Coſſa, ſiue Coſæ, quam Vulſinenſes fundauêre, Romani ſuis ciuibus donauerunt, Fabio Druſone, Cl. Camina. Coſſ. A Gothis euerſa eſt, & ſub Deſiderio Longobardorum Rege refecta, vocatáque Alſidonia. Memoratur & Incitaria cũ portu, Quintiana, Algæ, [17] Fregenæ, quondam Perge, Colonis Romanis vrbs ampliata, Labro, Anxeris fluuius, [18] Romanúſque portus, à Claudio ædificatus, reparatus à Trajano, in loco paluſtri, quem Tiberis facit, ſciſſus ſupra Oſtiam. In Tuſcia lacus ſunt, Traſimenus, clade Romanorum memorabilis, nunc Peruſinus, xxx. M. Ambitu, littore maritimo ſimili, arenoſo, colorem

Digitized by Google

colorem maris æmulantibus aquis, quas neque recipit, neque refundit. Volſinius, XXIV.M. in circuitu habet, non minus piſcoſus quàm Traſimenus. Sabatinus, hodie Braciani, à quo olim Sabatina aqua Romæ deducta fuit. Medicatæ quoque ibi aquæ, Caiæ, Viterbini agri, nunc Bulicani, maximâ in laude Straboni: eodemque in loco Cæretana balnea, ſaluberrima, quæ nonnullis Thermæ ſtigianæ dicuntur, hoc noſtro æuo balnea Sabatina. In Tyrrheno mari Inſulæ ſunt, [19] DIANIVM, ſiue Artemiſia, ante Coſas, iuxta Corſicam: BARPONA, quæ & Carbania: MENARIA, COLVBRARIA, [20] ILVA, ſiue Æthalia, metallis opulenta, cum portu Argoo, ab appulſu nauis Argo dicto. VENARIA, [21] PLANASIA, ſiue Planaria, quæ à Corſicâ diſtat LX.M.paſſ. dicta, vel à ſpecie, vel ab eo, quòd nauigantibus imponat, eſt enim planus, Græcis æquè ac Latinis, impoſtor. [22] ÆGILIVM, vel Iginium: CORSICA, quam Romani, Pœníque coluerunt.

Paulus Merula in ſua Coſmogr.

Olim Phocaico tellus habitata colono.

Poſt Saracenis, Genuenſibus, Hiſpanis: quondam Cyrnus, Teraphne Ouidio, Cerneatis Lycophroni, Corſis Stephano. in ea oppida ſunt [23] Caſalum, à quo proximus Sinus [24] Caſalites: hinc Vrcinum, Fiſera, Palla, Rubra, Mantinum, Bleſino, Charax, Eniconiæ, Vapanes, [25] Mariana, Colonia à Mario ducta, & Aleria, à Dictatore Syllâ. Promontoria, Tilox, Actium, Viriballũ, Rhium, Marianum, Graniacum, Vagum, Sacrum. Fluuij, Valerius, Circidius, Locra, Ticarius, Pitanus, Tuola, Rotanus. Portus, Titanis, Syracuſanus, Philonius, Dianæ. Celebratur & in eo mari inſula [26] SARDINIA, peſtilenti aëre donata, obductáque caliginoſis vaporibus, Sandaliotis à Timeo, Ichnuſa à Myrſilo, vt Plinius refert, nuncupata. Incolæ Iolai, ſiue Iolaenſes, ab Iolao appellantur, etiam & Diagebres, cur ita? neſcio. Minus à Corſicæ extremis VIII.M. paſſ. diſtat, anguſtias eas arctantibus inſulis paruis, quæ [27] CVNICVLARIÆ vocantur. Vrbes præcipuæ in Sardiniâ ſunt, [28] Calaris, Libiſſus, à Romanis fundata, [29] Arborea, & Sulchis. Hanc inſulam Sandaliotim, à formâ ſandalij, quod genus calcei eſt, aliqui dixêre. Circuitus eius DLXV. M. In ea præter dictas ciuitates, Tilium, nunc S. Repara, Tarra, Vſellis, Oſæa, Pupulum, Nora, Feronnia, Olbia, Plubium, Iuliola, & Tibula. Promontoria, Gorditanum, Hermæum, Pachia, Cuniocharium, Colymbarium, Arti, & Errebantium. Portus, Nymphæus, Coracodes, Soloi, Biœa, Herculis, Suſpicius, & Olbianus. Fluuij, Temus, Thyrſus, Sacer, Sæprus, & Cædrus. Separata eſt Sardinia à Corſica M.VII. Eſt & in Tyrrheno pelago inſula [30] SACRA, quam diuiſus Tyberis proximus mari facit, eadem & Libanus almæ Veneris dicitur: ibi LATIVM incipit, nunc Campania, ab Occaſu Etruria, à Septentrione Aniene fluuio, ab Oriente Volſis, à Meridie æquore Tuſco cingitur,

Circuitus Corſicæ exactus hodie eſt Milliar. 325.

Gg

tur,in cuius littore vetus Romanorum nauale, oppidúmq; Oſtia, in Tyberis oſtio, ab Anco Martio Rege conditum, à Saracenis dirutum,reſtituit Leo IV. Pont.Max. Corſis habitatoribus: hodie vnica turris eſt,ad portus cuſtodiam. Subit [11] Antium, conditoribus Albanis, & Aſcanio Æneæ filio:ante Neronem,ſine portu fuit,ibi ille,tranſmiſsâ veteranorum Coloniâ,excauauit portũ. Olim iam quoq; Romanis cultoribus honorata, ſtatim ab interfecto Coriolano ann.V.287.III.Viris T.Quinctio,Aulo Virginio, P.Futio. Hinc Pontia vrbs,à qua proxima palus [12] Pontina dicta, Latio infeſta,ob vapores malignos,quæ Terracinam, ſiue Taracinam lambit: hęc linguâ Volſcorum Axur,ab Axurio Ioue,pręcipuum Volſcorum numen: Græci imberbem,ἄξυρον vocant,ſtatua inde Iouis Axurij,imberbis fuit. In eam vrbem Romani colonos miſerunt,L.Æmilio Mamercino, C.Plautio Proculo Coſſ. Terracinæ nomen hodie ſeruat,cùm antea Trachina,& Trachas, & Anxur diceretur. Iter populo non debetur,ager eius in abſoluto eſt dimiſſus. Proximè villa eſt [13] Spelunca,in quâ olim,repentinis ſaxorum ruinis,cænans Tiberius Imp.penè obrutus eſt,Prætorium alij appellari voluerunt. Iuxta,Amyclæ, à Laconibus, qui in comitatu Caſtoris & Pollucis erant,conditæ, & à ſerpentibus deletæ. [14] Formiæ quoque Laconicum ædificium,antea Hormiæ, Læſtrigonum ſedes,ab Ono portu appellatæ, quẽ Lacones,Euormon dicunt,Saraceni ann.Sal.856.ſolo æquarunt. Haud ita longè Caieta,nomen nutricis Æneæ,conſpicitur,Lacedæmoniis Caiatta, quo nomine cauitates ſignificant, vndè Caietanus Sinus: portum ejus Antoninus Pius inſtaurauit. Paulatim conſurgit inde [15] Circeium promontoriũ, *Et quod adhuc Circes nomina littus habet.* cum vrbe eiuſdem nominis, Circes fœminæ magæ habitatio, è promontorij radice,Storax fluuius,pacato lapſu mare ſubit, Auſénſque flumen. Aliqui memoriæ tradiderunt,conditorem Circeiæ, Tarquinium Priſcum. [16] Minturnarum verò ad Lirim fluuium reſtauratorem,Caium Cæſarem,cuius iuſſu militaris Rom. Colonia in eam vrbem iuerit. Hodie Traiettum ex eius ruinis ædificatum eſt. Cùm Auſonia,bellis attrita,cultores non haberet: medio tempore Tarentini & Punici belli,Latini ad eam incolendam miſſi ſunt,vndè factum,vt Auſonia,nouum Latium vocaretur. [17] Liris olim Clanius. At Cæcubus mons in Sinum Caietanum proiicitur,nobilibus vinis ad famam prouectus,Falernúmque,ab agro Campano diuidens,Vulturnus fluuius,qui & Caſulinus, ab oppido in eius ripâ ſito. Tum Cumæ,Colonia Chalcidenſium,& Eretrienſium,ante antiquam Troiam,Oſcis cultoribus eiectis.Sed & Chalcidenſes Thuſci eiecêre: ab Hippocle Cumæo Chalcidenſium duce appellatio vrbi facta eſt. Cùm in Campanorum poteſtatem veniſſet, incolis per bella necatis, Campanis colonis

habitata

habitata eſt. Ciuibus demùm pulſis, militaris Colonia ab Auguſto facta. Herodotus Theſſalos Cumarum authores, ait, qui ſtatim ab vrbe conſtructâ, nouam aliam erexerunt, in Sinu Hermæo, Theſeo Admeti filio duce, qui eam, è nomine vxoris, Smyrnam appellauit. Propè Cumas antrum Sibyllæ, & Apollinis templum. [38] Sinueſſam Goltzius inter maritimas Campaniæ veteris ciuitates numerat, dicítq; eam quondam Sinopem vocatam. Sinueſſa nominata, à ſinu Setano, cui imminet: Sinope, ab vrbe Pontici maris, eiuſdem appellationis. Facta eſt Romana Colonia, Q. Fabio Maximo Rulliano v̄. P. Dec. Mure iv̄. Coſſ. Vrbs eſt Grecæ originis, cuius ruinæ extant circa montem, cui nomen hodie, Caput Draconis, olim Promontorium Maſſicum. Hinc ſeſe pandit [39] Baianus ſinus, à Miſeno in intimum Auerni Sinum, quinis, & totidem ab Auerno in Puteolos M. productus. Nomen accepit à Baiis, impendente ſibi olim vrbe nobiliſſima, Bajo Vlyſſis filio conditore. In littore amœna domus Luculli, portus verò Baianus, opus Agrippæ. Conſtat Baianus Sinus duplice lacu, [40] Auerno, & [41] Lucrino, qui olim propter copiam piſcium, ingentia vectigalia præſtabant: ſed cùm maris impetus plerunque perrumpens, exinde piſces excluderet, & redemptores grauia damna paterentur, ſupplicauerunt Senatui, & profectus Cæſar, ductis brachiis excluſit partem maris, quæ antea infeſta eſſe conſueuerat, reliquítque breue ſpatium per Auernum, quo, & copia piſcium poſſet intrare, & fluctus nō eſſent moleſti, quod opus, Iulium dictum eſt, ſicut à veteri piſcium lucro, Lucrinus antea: cúmque denſitate & ſyluarum vmbrâ incluſus aër, etiam aues necaret, idem Cæſar, ſyluis deiectis, amœna loca reddidit, cum aëris libertate: & tum Auernus, qui ἄορνος, tanquam auibus contrarius dicebatur, volucribus frequentatus eſt. Interuallum, quod à Baiano ad Puteolanas moles porrigitur III. M. DC. paſſ. Caligula ponte coniunxit, contractis vndique onerariis nauibus, & ordine duplici ad anchoras collatis, ingeſtóque inſuper aggere terreno, ac directo, in Appiæ viæ formam. Eo loci Miſenum eſt promontorium cum portu, quibus tubicem Æneæ, olim ſuum nomen indidit, vbi Auguſtus claſſem inſtituit, quæ verſas in Tyrrhenum mare Imperij Prouincias, hinc Galliam & vtramque Hiſpaniam, inde Mauritaniam, Africámque, & interiectas Inſulas tutaretur, erat eius claſſis præfectus Plinius maior, quando Veſuuij incendio periit: quem montem hodie à Summa oppido, Summanum incolæ nominant. Diſtat Miſenum à Cumis V. M. paſſ. Infra, [42] Linternum & [43] Vulturnum, Romanorum Coloniæ, III. Viris T. Sempronio Longo, M. Seruilio, T. Minitio Thermo ductoribus. In vltimum colonos quoque deduxit Dictator Cæſar, muro facto, alueóque Vulturni purgato. At [44] Puteolos

Chalcidenſes, Athenienſium proles, condiderunt: Dicæarchia quondam à iuſto regimine dicebatur. Tempore belli quod Annibal in Italiâ gerebat, Q. Fabius Maximus de Sen. authoritate Dicæarchiam communiuit, impoſitóque præſidio, à multitudine puteorum, Puteolos appellauit: quamuis ſint, qui, eam à putore aquarum denominatam velint. Illic Romanorum Colonia tranſmiſſa eſt, P. Scipione Africano II. T. Sempronio Longo Coſſ. ex lege Aciliâ Tribunitiâ. Poſt victum M. Antonium, Auguſtus vrbanis rebus conſtitutis, cùm per Italiam XXIIX. Colonias ſparſiſſet, Puteolos quoque militarem Coloniam Auguſtam traduxit, aſſignauitque veteranis, & Tribunis Legionariis. Hæc poſtea Neroniana, & Flauia Auguſta Puteolanorum dicta eſt. Ibi olim Cumanorum, nauale. [45] Neapolis, Campaniæ caput, à Cumanis fundata in Sinu, qui ob crateris ſimilitudinem, Crater vocatus eſt. Parthenope antea, ex vnius Syrenes ibi ſepultæ nomine; poſtea & Palæpolis, quâ euersâ denuóque ab iiſdem Cumanis ſtabilita, hodiernum, quod retinet, nomen accepit: in monumẽtis antiquis Colonia Romana legitur. Prope [46] Veſuuius mons perpetuis flammis cognitus, Veſeuus, & Mæuius, & Beſbius nuncupatur, à Beſbio Pelaſgorum duce. Proximè [47] Heraclea Tarentinorum colonia, Herculanium, eadem omninò ſignificatione Straboni. [48] Pompeios tenuerunt quondam Oſci, deinde Etruſci, ac Pelaſgi, poſt Samnitæ, ibi commune nauale Nolæ & Nuceriæ. Stabias Sylla deleuit, pridie Kal. Maias, Cn. Pompeio, L. Carbone Coſſ. Campanorum nauale fuerat ad [49] Sarnum fluuium, ad quem ſitum eſt, [50] Surrentum, Græcis authoribus, cum Sinu eiuſdẽ appellationis, terræ [51] PICENTINORVM initium, quorum eſt [52] Mineruæ promontorium cum fano, ab Vlyſſe condito: cui vicinum caſtellum Almarinum, Stabienſe cognominatum, à vicinitate Stabiarum. Iuxta Salernum videtur, Romanorum Colonia, eodem tempore deducta, quo & Buxentum, per III. Viros, M. Sempronium Longum, M. Seruilium, Q. Minutium Thermum, ad amnem Silarim, à quo Marciana, ſiue Marcina, à Tyrrhenis ædificata, à Samnitibus habitata, Amalphis inde, vel Melphis, dubium nouáne, an antiqua ciuitas, Sinui proximo ſuum nomen tranſmiſit. Sed [53] Pæſtum, quæ Poſſidonia Græcis, antiquæ originis traditur, à Dorienſibus, ſi Solino credimus, à Sibaritis, ſi Straboni, condita, in [54] Sinu ſuæ quoque appellationis: Romani ex Adriâ colonos miſerunt: vrbs Neptuno ſacra, quem Ποσειδῶνα Græci vocant. A Pæſto [55] Velia, ſiue Hyela occurrit, Phocenſibus habitata, cùm Harpagi Cyri Perſarum Regis ducis tyrannidem fugientes, in has terras veniſſent. Hinc [56] LVCANIÆ principium, in quâ Pixiatonum, Pyxuntum Straboni, cum fluuio Melphi prominentia Palinuri, gubernatoris nauis Æneæ monumentum.

Iunonis

Iunonis Argiuæ fanum, ab Iaſone non longè à Silari conſtructũ. Ibidem olim [57] Buxentium, portúſque & flumen, Græcis πυξοῦς, primò Micythi, Meſſanæ in Siciliâ principis, Colonia, poſtea & Romanorum: Poſidoniate promontorium, nunc Caput Leucoſium, [58] Terina, Crotoniatarum colonia, cum ſinu eiuſdem denominationis, [59] Pandoſia, Oenotriæ principum quondam Regia, Lucanorum vrbs. Proxima occupant, [60] Petilia & [61] Crimiſa, quas Philoctetes condidit: ſupra Phocenſium ſinum, portus Parthenius, quíque Lucaniam à Bruttiis diuidit, [62] Laus fluuius, incolæ hodie Calabri vocantur, Magnæ Græciæ populi. Bruttiorum maritima ſunt, [63] Tempſa, ab aliis Temeſe appellata, primos conditores habuit Auſonas, poſt Ætolos Toantis ſocios, inde Ionas, tum Bruttios, poſtremò Romanos, P. Corn. Scipione II. T. Sempronio Longo Coſſ. A Crotoniatis exciſa, ruinas ſolas ſeruat. Ponè in mare currit [64] Cerſinus; paulò ſupra [65] Vibonem Bruttiorum nauale eſt, ab Agathocle Siciliæ tyranno ędificatum. Eam vrbem cùm Romani Bruttiis eripuiſſent, Coloniâ deductâ, cognominauerunt Valentiam. In eodem littore cernitur [66] Conſentia, & Hippon, ſiue Hipponium, Locrorum Colonia, à quâ ſinus maris Tyrrheni, qui ab Acherontis fluminis oſtio, ad Scyllæum promontorium curuatur, [67] Hipponiates dictus, qui antea Napitinus vocabatur. Hipponium & Vibonem Valentiam eandem vrbem eſſe multi putant, & ex eâ Græcos à Bruttiis pulſos, Bruttióſque à Romanis, qui colonos miſerint, C. Lutatio Catullo, Aulo Poſthumio Albino Coſſ. Eodem in ordine [68] Portus Herculis, [69] Nicotera, [70] Medama vrbs Locrorum cum nauali, & Bretton Tyrrhenorum, quæ appellationem regioni fecit, Brettiámque vocauit, hoc eſt, linguam: quòd veluti terræ quædam lingua ſit, versùs Siciliam excurrens. Poſteri corrupto nomine, vrbem Bruttium, regionem Bruttiam nuncupauerunt. A Bruttio iuxta fluenta [71] Metauri [72] Taurianum, ſiue Tauranium, portus Oreſtis, & Metauri, Zanclæorum labor, Palma vicus, oppidum Baniaria, vrbes Medma, & [73] Poſtropæa, à tropæis in eius littore quondam erectis, iuxtáque [74] Cratim fluuium [75] Cænis vltima, ad fauces freti, quod leuibus anguſtiis Italiam à Siciliâ diuellit, illud Siculum, & Mamertinum vocant. Hîc [76] Scyllæum, nomen Poëtis ad faſtidium vſque decantatum, in Iſthmo, quem Anaxilaus Rheginorum tyrannus, aduersùs alios tyrannos muro muniuit, nauibúſque tutam ſtationem reddidit. Propè, [77] Rhegium Chalcidenſes erexêre. Iſti in Italiam cum Meſſeniis exulibus aduecti, Zanclæis opitulantibus, in Rhegio promontorio vrbem eiuſdem nominis ſtabiliuerunt, Olymp. XXIV. Promontorio denominatio orta eſt, à dehiſcendo, ῥήγνυσθαι. Fuiſſe quippe eam Italiæ partem tenui Iſthmo à Siciliâ diuulſam hiſtorici produnt.

Vrbs à Dionyſio ſeniore euerſa, aliquandiu deſerta, à Dionyſio iuniore reſtaurata eſt, reuocatis, qui fugerant, ciuibus, Phœbiáque appellata. Sed diu nomen non permanſit, antiquum reddirum eſt. Cùm deinde ſecundo bello Punico Rhegini in fide Romanorum permanſiſſent, & poſtea Octauij Cæſaris partes eſſent ſequuti; debellato Sexto Pompeio, Cæſar, exhauſtam, deſertámque claſſiariis colonis impleuit. Hinc attollitur à candore ſaxi, [78] Leucopetra, aliis, Herculis promontorium, à quo LOCRI Epizephyrij, quòd in [79] Zephyrio promontorio Aiax Oileus Locrenſium dux [80] Locros vrbem condiderit. Infra vrbs Myſtia, & Conſulinum caſtrum. Amnes memorabiles, [81] Sagra, [82] Locanus, Crotalus, Arocha, [83] Alex, qui Carinus Plinij, Pauſaniæ, Cæcinus, Celebratur Mamertion oppidum, nomen à Mamerte, quod, Oſcorum linguâ, Martem ſignificat, numen Mamertinorum. Ab eo [84] nominatio freti. Inferiora tener mons Caulon, aliàs Aulon, cum ciuitate [85] Cauloniâ, ſiue Aulonia, ab Achæis, principe Typhone Æginenſi, condita: quâ euersâ, Dionyſius, Syracuſanorum tyrannus, agrum Locrenſibus conceſſit. Dionyſius iunior dirutam reſtituit, nouiſque ciuibus incolendam tradidit. Variâ inde fortunâ vrbs agitata, in Bruttiorum ditionem peruenir, hinc à Campanis obſeſſa, & æquara ſolo eſt: à Romanis reſtituta, mox deleta, quòd Annibali fauiſſet, nihil præter ruinas etiam Strabonis ætare habuit. Iuxta Dioſcoridis, & [86] Cocinthi promontoria, oppidúmque de nauium fragmētis ab Vlyſſe, ibi tempeſtate pulſo, conditum, [87] Scyllatium cum Sinu, Athenienſium poſtea colonia, duce Mneſtheo. Sinui nomen Scyllatio, ob ſimilitudinem Scyllæ ſcopuli, qui Charybdi oppoſitus eſt, Seruius putat. In dictam vrbem Coloniam Romanorum deductam Velleius affirmat, C. Caſſio Longino, C. Sextio Caluino Coſſ. Remotior à littore [88] Petilia, de quâ ſupra, niſi & aliam, quamuis & hæc, à Philoctete condita ſit, exiſtimes. At [89] Crotonem vrbem conſentiunt omnes, duce Myſcello Achæo, ex Apollinis oraculo ędificatam, Olymp. XVII. ad Eſarum, Neætúmque amnes: à Crotone Herculis hoſpire, cuius tempore Myſcelli, eò loci ſepulchrum extabat, nomen ſortita. A Locris euerſa, per Romanos nouâ Coloniâ frequentata eſt, III. Viris Coloniæ deducendæ, C. Octauio. L. Æmilio Paullo, C. Plætorio, qui, vt aliqui tradunt, vrbem Crotonem nominauerunt, cùm antea Laura diceretur. Inter duo flumina Crathin & Sybarim ciuitas eſt [90] Thurium, Athenienſium Colonia, qui vrbem in quatuor partes diuiſerunt, primámque Heracleam appellauerunt, alteram Aphrodiſiam, tertiam Olympiada, quartam Dionyſiada. Romani fugato Annibale, cùm eam vrbem recepiſſent, coloniam Larinam fecêre, III. Viris, A. Manlio, P. Æmilio, L. Apuſtio. Poſtea amnes occurrunt, Eſarus cum portu,

tu, Neæthus, oppidóque Inſulæ iunctus Tacina, [91] Tarentini ſinus inundator, minórque ſinus Salentinus, cum ſuâ [92] vrbe, quam Cretenſes fundauerunt. Author Tarenti, Taras Neptuni filius, militaris Rom. Colonia facta eſt, Nerone iv. & Coſſo Lentulo Coſſ. [93] Metapontium Pylios & Neſtorem conditores habuit: vrbs à Samnitibus euerſa, Achæos colonos recepit, à Sybaritis euocatos. Sed cùm Metabus vocaretur, Daulium, Criſſæ, quæ propè Delphos eſt, tyrannum, authorem habuit. Inferunt ſeſe pelago amnes, Triuns, [94] Siris, [95] Aciris, Acalandrus, & [96] Caſuentum. In hac orâ perdita & nobilis luxu [97] Sybaris, ab Iſeliceo Achiuo fabricata, deleta à Crotoniatis, mox & à Theſſalis, ab Athenienſibus reſtituta eſt, ducibus Lampone & Xenocrito, ab amne vicino denominata. Vltrà eſt [98] Lagaria, ab Epæo & Phocenſibus ędificata, [99] Heraclea quoque, Hercule authore, cuius nauale Troja, Trojanorum coloniæ, vel Tarentinorum. APVLIÆ tractus ad Ionium mare, Hydruntinæ dictæ, ab vrbe Hydrunto, ſupra ſe habet [100] Aletium oppidum, Syrin, vrbem ad Acrim fluuium, alteram à Sybari, Callipolim, vel Gallipolim, Græcæ, ſeu mauis, Gallo-gręcæ originis, ſi Plinio fides, vt ſanè habenda eſt, Senonum oppidum, quod ſuo tempore Anxam vocatum aſſerit. Sequitur Veratum, Acherontia, nunc Matera, mox Acra Iapygia, Salentinúmque promontoria, in quorum vltimo vrbs [101] Leuia. Ab Iapygiâ promontorio Salentini Iapyges appellati, de nomine Dædali filij, qui è Cretâ in hanc oram colonos deduxit. Dicti & Meſſapij, à Meſſapo Græcorum ductore: quorum vrbes [102] Vxentum, & Baſta, quæ à nonnullis Haſta. Hæc in Salentinis; in Apuliâ verò [103] Peucetiâ, quæ Auſonia ab Auſone; Apulia, quaſi ſine pluuiâ; Peucetia, à Peucetio Lycaonide dicta eſt, [104] Hydruntum oppidum, quod Ionium mare ab Adriatico diſcriminat, quà breuiſſimus in Græciam tranſitus eſt. Eum pontibus iactis, pedeſtri viâ ſternere, Pyrrhus Epirotarum Rex cogitauit, C.M.PASS. interuallo. Poſt hunc M.Varro, cùm bello Piratico Pompeianæ claſſi præeſſet: ſed vtrunque aliæ curæ impediuerunt. Hydrunti appellationem apud veteres variare obſeruo: ſunt enim qui Hydrus, ſunt qui Hydruntum, pro eodem oppido in Meſſapiis ſcribant. Primi Cretenſes ſterilitate coacti, ſuâ inſulâ relicta, illud inſtaurauêre. Succedit [105] Baleſium, [106] Cælium, [107] Soletum, Fratuertiũ, portus Tarentinus, [108] Lupia, ſeu Luſpia, vrbs prima ad Adriaticum Sinum, quà Ionium mare Italiam vrget, miſcetúrque ſocio mari, Menopolíſque & [109] Egnatia, à quâ apparet [110] Brunduſium cum portu à Cretenſibus primo habitatum Theſei ætate. Ætoli, poſt bellum Troianum, cum duce Diomede, tempeſtate ad hoc littoris adacti, vetuſtis cultoribus partim cæſis, partim fugatis, hanc vrbem occupauerunt, ſed

iſtos

iſtos Apuli expulerunt. Nomen datum eſt de capite ceruino, cuius formam loci ſitus exprimit, Meſſapiorum enim linguâ, Brenteſium, vnde Brunduſium, caput cerui ſignificat. Ibi colonia Romanorum tranſportata eſt, A. Manlio Torquato, C. Sempronio Blæſo Coſſ. Vbi prætergreſſus fueris, alia Ætolorum colonia, eodem duce Diomede occurſabit, Arpos Hippium, quæ & Argos Hippium, & Argirippa, in [111] APVLIA DAVNIA, in quâ olim Daunus regnabat, Diomedis ſocer. Arx Argirippæ, Lariſſa dicebatur, quam interfluit amnis [112] Cerbalus, portum faciens Agaſum, iuxta quem vrbs [113] Rhudia, ſiue Rudia, Ennio ciue nobilis, Garnæ, lacus [114] Pantanus, [115] Teanum, Larinum, Cliternia, Luceria, [116] Venuſia, Drium collis, cum ſacellis Calchantis & Podalirij, [117] Barion, antea Iapyx, cis [118] Auſidum amnem, ab Iapyge Dædali filio conditore. In hoc tractu [119] Canuſium, [120] Salapia Arpinorum colonia, Anduria cum oppido, [121] Sipus, ſiue Sipontum, Diomedis opus, alio nomine Sepius, à ſepiis, quæ ibi fluctu eiiciuntur. Deſertam vrbem nouis Colonis Romani refecerunt, per III. Viros, L. Scribonium Libonem, M. Titium, Cn. Bebium Pamphilum. Indè veluti diſcuſſis fluctibus proſilit [122] Apeneſte, ſupra [123] Garganum montem, Sarganum Plinio, niſi ſit error Typographi. Eodem penè volumine deſcendit in mare Hyrium cum vrbe à Cretēſibus, de Minois claſſe fundatâ, [124] Hyria, & Vria appellata, vbi & ſinus Vrias, ſupráque, Garganus portus, Gargarus Ptolomæi. Pluribus alueis exundant intrántq; pelagus amnes, [125] Frentus, ſiue Frento, [126] Tiphernus, vel Phiternus, [127] Sarus, [128] Aternus, [129] Matrinus, [130] Vomanus, Bathinus, [131] Potentia cum vrbe, Muſcius, [132] Æſus, ſeu Aſus, vltimúſque Italiæ [133] Rubico. Hos inter [134] Trinium oppidum portuoſum, quod Tranum, & Traianopolis antiqua putatur, [135] Bucca, alio nomine Buba, & Bucara, Iſtonium, Caprinum, Cognatium, Iſcitella ad Varanum lacum montis Gargani. In fronte verò promontorij Veſtia, quæ Veſta, & Veſtina, tum Aternum oppidum, hoc [136] Pelignorum, illa Marrucinorum nauale, ſicut Frentanorum, [137] Ortona, quorum præcipua ciuitas [138] Frentanum, [139] Corfinio populoſior. Apud Pelignos ad mare [140] Sulmo, Naſonis patria, à Sulmone Phrygio ſtabilita, [141] Cupra maritima cum fano, condito, dedicatóque ab Etruſcis, qui Iunonem Cupram vocant, [142] Maruuium, [143] Teate, vel Teatea, mons Paganus, [144] Firmium, ſeu Firma Colonia Auguſta, [145] Turdini, qui Plinio Iuuentius, oſtium, Flauianum, vbi quondam vrbs Caſtrum à Ptolomæo dicta, Adria deinde cum nauali, Romanorum colonia, quæ vicinum pelagus in ſuum nomen adoptat. [146] Truentum cum amne, Liburnorum colonia, Romanorum autem [147] Aſculum, Picenum denominatum, à Pico conditore, [148] Beneuentum, olim

Maleuentum,

Maleuentum, quam Diomedes conſtruxit, Concordia à Frontino cognominata, Neronis Claudij colonia, III. Virali lege veteranis aſſignatâ. Ab eâ [149] Potentia, & ipſa Colonia Romanorum, quadriennio poſt Bononiam deducta, per III. Viros, Q. Fabium Labeonem, M. Fuluium Flaccum, & Q. Fuluium Nobiliorem. Poſt Potentiam [150] Nomana, ſiue Numana, à Siculis ædificata, hodie tota ſolo obruta, olim [151] PICENORVM, quorum Metropolis Picenum, conditum à Syracuſanis Dionyſij tyrannidem fugientibus, vel potius à Pelaſgis, nam Syracuſani, non Picenum, ſed Anconam ædificauerunt in littore cubiti formam referente, vnde vrbi nomē, Gręci namque curuitates ἀγκῶνας vocant: quam authoritatem, Anconenſium vetuſtiſſima numiſmata confirmant, in quorum alterâ parte, humani brachij cubitus figuratur. Nonnulli à Dorienſibus Anconam conditam putant, alij à Theſſalis, multi ab Anco Martio Rom. Rege, vnde illi nomen, quod etiam hodie durat, non modò inter vrbem, ſed per totam regionem, quæ hodie Marca Anconitana dicitur. Poſt bellum ciuile Cæſaris & Pompeij, Coloniâ Rom. Ancona adimpleta eſt. Hinc Aſoni oſtia, [152] Cumerum promontoriū, Morcinum, Ripa Traſſonia, [153] Fortunæ fanum, Offida, Senogallia, à Senonibus Gallis fundata, vnde Sena Gallica Ptolomæo, initium Togatæ Galliæ, ab Italiâ ad Alpes properantibus, [154] Firmum cum portu ad oſtia Leti, Tennæ, & Aſij: vbi & portus Firmianus: oppidum Firmum, etiam Firmium dicitur, & Colonia Auguſta Firma, cui proxima & alia, denominationem à præterlabente fluuio accipiens, [155] Piſaurúmque appellata; deduxêre coloniam III. Viri, Q. Fabius Labeo, M. Fuluius Flaccus, Q. Fuluius Nobilior. Alteram ſuperduxit & M. Antonius, paulò ante bellum Actiacum, Colonia Iulia Felix in monumentis dicitur. Condidêre vrbem Senones noſtri, deſtruxit Totila, reſtaurauit Beliſarius. Tandem ad [156] Cruſtumij ripas iacet [157] Ariminum, vltimum in Adriarico mari Italiæ veteris oppidum, cum fluuio, ab Arcadibus, ſub Euandro, conditum: argumento eſt, quòd numus Ariminenſium, Pana, peculiarem Arcadiæ Deum, diſparibus fiſtulis ludentem, exprimit. Deducti ibi coloni à Romanis, P. Sempronio Sopho, Appio Claudio Coſſ. Paucæ inſulæ, ſi Siciliam aliáſque vltra Siciliam ſuſtuleris, circa littus Italiæ videntur. Dixi de Corſicâ & Sardiniâ, in eodem mari ante Oſtiam [158] PANDATARIA, ſiue Palmaria, [159] PONTIA nomen retinens, [160] PANDANA, & [161] PLANASIA. Pandataria & Pontia primos incolas habuêre Volſcos. Ante Campaniam ISCHIA, vel ſi mauis, Iſcla, Arime Homero, Ænaria à ſtatione nauium Æneæ, Inarime Virgilio, altiſſimis montibus vndique cingitur, figulinis olim vaſis celebris, nunc vino, alumine & ſulphure. Eius circumductio M. XIIX.

Hh Erithrien

Erithrienſes primos cultores habuit, deinde Chalcidenſes, poſtremò Siculos, qui in eâ Gerundam ædificauerunt. [161] CAPREÆ inſula cum vrbe eiuſdem appellationis, à Neapoli ad Meridiem XXX. M. paſſ. fugiens, deliciæ Auguſti putatur, qui vrbem publicis priuatíſque ædificiis ornatam, à loci amœnitate Aproxopolim, hoc eſt, apricam ciuitatem, nominauit. Ibi arx Tiberij Cæſaris. Variæ iſtius Inſulæ nomenclationes, enim Capriene, Caprea, Senaria, Telentea, & Telonis inſula dicta eſt. A Surrento ad fretum, quod iuxta Capreas, ab vno latere fanum Sirenum eſt, ab altero ad Pæſtanum ſinum, Inſulæ III. ſaxoſæ & deſertæ, [162] SIRENIDES & Sirenuſæ appellatæ, trium Sirenum ſedes, quarum cadauera variis littoribus iactata, mox in ſolum eiecta ſunt. Parthenopes exangue corpus eo loci applicuit, vbi hodie Neapolis: Ligeæ, ad Terinam vrbem; Leucoſiæ, ad Inſulam, quæ ab eâ Leucoſiæ vocata eſt. Has autem ſupradictas Inſulas, de nominibus dictarum Sirenum ferè omnes vocant, Iſacio, in ſuis Lycophronianis commentariis, excepto, qui eas Piſindem, Aglaopem, & Telxiepiam nuncupat. Vno nomine Ithaceſiæ Plinio, Antemoeſſæ Apollonio efferuntur, CC. ſtadiis in mari in conſpectu Nicoteræ vrbis ÆOLIÆ: infráque Sirenuſas DIOSCORON, ante Lacinium promontorium Locrorum: CALYPSVS, quæ Ogygia, & Nymphæa: in mari Ionio inter oras Salentinorum & Apolloniam Epiri, exigua inſula, [164] SASON: & ante oſtium Matrini [165] DIOMEDEÆ inſulæ.

NOVA NOMINA LOCORVM, VRBIVM, fluminum, portuum, ſinuum, promontoriúmque Italiæ.


1 *Volterra.* [2] *Vmbrone.* [3] *Orbitello,* [4] *Porto Ferrato.* [5] *Telamone.* [6] *Monſalto.* [7] *Corneto.* [8] eius veſtigia extant in agro Cornetano, locus *Tarquene* Leandro appellatur. [9] *Forcelle.* [10] S. *Marinello.* [11] *Eri.* [12] *Ceruertere.* [13] *S.Seuera.* [14] *Scarmo.* [15] *Rigeſuilla.* [16] *Lancedona.* [17] *Pale.* [18] *Ciuita Vecchia.* [19] *Gianuti,* Magino, *Januſi.* [20] *Elba.* [21] *Planoſa.* [22] *Giglio.* [23] *S.Florentio.* [24] *Golfo di ſanto Florentio.* [25] *Capo S.Maria.* [26] *Sardegna.* [27] *Sanguenares.* [28] *Calari.* [29] *Oriſtan.* [30] *Iſola.* [31] *Netuno.* [32] *Auſente palude.* [33] *Sperlunga.* [34] *Ciceron.* [35] *Cercegli.* [36] *Caſtro al mar,* aliis, *Cariola.* [37] *Garigliano.* [38] *Seſſa.* [39] *Golfo di Napoli.* [40] *Lago di Tripergola.* [41] *Lago Licola.* [42] *Torre della patria.* [43] *Caſtello al mar di Botorno.* [44] *Puzoli.* [45] *Napoli.* [46] *Monte di Somma.* [47] *Pelicori.* [48] *Caſtello al mar.* [49] *Scafati.* [50] *Soriento.* [51] *Principato,* vel, *Coſta de Amalfe.* [52] *Capo di Minerua.* [53] *Acropoli, Gripoli,* nonnullis, *Poſidonia* pluribus. [54] *Golfo Agropolitano.* [55] *Vlaſtra.* [56] *Baſilicata.* [57] *Piſciotta.* [58] *Teriana.* [59] *Ca-*

ſtro

ſtro Franco. [60] *Pelina.* [61] *Cirra.* [62] *Laino.* [63] *Maluito.* [64] *Sauto.* [65] *Biuana.* [66] *Conſenza.* [67] *Golfo di S. Euſemia.* [68] *Formice.* [69] *Nicodro.* [70] *Capo di Baticani.* [71] *Angiuolo.* [72] *Seminara.* [73] *Tropia.* [74] *Gratti.* [75] *Coda do Volpe.* [76] *Seglio.* [77] *Rigio.* [78] *Capo di Sparto vento.* [79] *Capo di Sole.* [80] *Gerazi.* [81] *Sagriano.* [82] *Proteriato.* [83] *Aleſſo.* [84] *Faro de Meſsina.* [85] *Caſtro Vetore.* [86] *capo di Stillo.* [87] *Scyllazo.* [88] *Bellicaſtro.* [89] *Grotone.* [90] *Terra Noua.* [91] *Mar grande.* [92] *Terra d'Otranto.* [93] *Torre di mar.* [94] *Senno.* [95] *Acri.* [96] *Buſſento.* [97] *Sabaro.* [98] *Cirniſaſo.* [99] *Pelicori.* [100] *Leſe.* [101] *Capo Leucofo.* [102] *Vſento.* [103] *Terra di Barri.* [104] *Otranto.* [105] S.*Caſtaldo.* [106] *celio.* [107] *Soleto.* [108] *Rocca,* aliis, *Leccio.* [109] Eius locus Nigro *Naſo*, Collenutio *Jouenaſe.* [110] *Brindizi*, Oliuario *Brindes.* [111] *Puglia Plana.* [112] *Ceruaria.* [113] *Ruja.* [114] *Lago de Leſina.* [115] *Tiano.* [116] *Venoſa.* [117] *Barri.* [118] *L'Ofanto.* [119] *Canola.* [120] *Salpe.* [121] *Siponto.* [122] *Manfredonia.* [123] *Santo Angelo.* [124] *Rode*, cum Sinu, *Golfo di Rode.* [125] *Fortoro.* [126] *Salino.* [127] *Sagri.* [128] *Peſcara.* [129] *Liberata.* [130] *Vomano.* [131] *Porto S. Lepideo.* [132] *Eſino.* [133] *Rucone.* [134] *Trani.* [135] *Secca.* [136] *Valua.* [137] *Ortone.* [138] *Francauilla.* [139] *Campi di S. Pelino.* [140] *Sulmona*, vel, *Sermoneta.* [141] *Gritto*, vel, *Grotte.* [142] *Marno, Maraſſo*, vel, *Magaraſſo.* [143] *Chieto.* [144] *Fermo.* [145] *Tordino.* [146] *Tronto.* [147] *Aſcalo.* [148] *Beneuenti.* [149] *Porto di S. Lepidio.* [150] *Humana.* [151] *Marca Ancona.* [152] *Monte d'Ancona.* [153] *Fano.* [154] *Fermo.* [155] *Heſaro.* [156] *Conca*, ſiue, *Catolica.* [157] *Rimini.* [158] *Palmerola.* [159] *Pontia.* [160] *Ventotiene.* [161] *Sarduni.* [162] *Capri* nautis, aliis, *Campanella.* [163] *Toro, Trozo, & Niſari.* [164] *Saſſo.* [165] S.*Maria de Trinita, Pelagoſa, Crimaſi, S. Giacomo, Gatiza, Capara.*

CAPVT TRIGESIMVMQVINTVM.

Sicilia cum circumiacentibus Inſulis.



E Goltzij & Fazelli Siciliâ.
E Ptolemaeo, Strabone, Plinio, Solino, & Ortelij theſauro Geograph.
Merulâ.

OMNIVM Inſularum Mediterranei maris longè maior eſt Sicilia, effigie triangulari, vnde olim Triquetra: curuatura brachij, triangulum formante, deſignatur in numis antiquis. Tria promontoria extremitates cuiuſque lateris occupaut, Pelorus Boream versùs, Italiæ imminet: Pachynus ad Ortum & Auſtrum, Peloponneſum reſpicit: Lilybæus, ad Meridiem & occaſum, Mercurij Africæ promontorio oppoſitus eſt. Inter [1]Pelorum & [2]Lilybæum, quà diſcuſſa de continenti tellus Tyrrheno mari adlatratur, [3]Meſſana, Meſſaniorum, qui Peloponneſum inhabitant, colonia, rectoribus Gorgo, & Manticlo, vndetriceſima Olympiade, ſtatim poſt Zanclam ab Anaxila deletam. Olympiade verò cxIV. à Mamertinis Locrorum populis, occupata eſt, à Carthaginienſibus diruta, per Dionyſium reſurrexit. At Zancla à Saturni falce denomi

denominata, vel à Zanglo Gigante, Siculis colonis exculta, poſtea à Cumanis piratis habitata, deinde à Samiis, & Phœnicibus, æquata ſolo à Meſſaniis, nomen perdidit, Meſſanáque appellata, ibi, à Romanis Mamertini coloni miſſi. Sic docti viri eandem fuiſſe voluerunt Meſſanam & Zanclam, ſed Cl. Aretius, Zanclam à Meſſanâ ſeparat, dicítque eam fuiſſe, vbi hodie Chiera, vicus prope Meſſanam. Mylas Zanclæi condiderunt, ad ripas [4] Mylæ, vnde vrbi appellatio, qui portum influit non longè à [5] Falacrio promontorio, vbi & Tyndaris Laconum colonia, duce [6] Tyndaro Ledæ patre, ponè oſtium [7] Heliconis, déque nomine Æoli filij Agathyrſum, ad [8] Timethi ripas: [9] Ægitharſum vicinum promontorium nominat Ptolomæus, de oppido nihil meminit. Proximè [10] Calata conſpicitur, Olymp. LXXXV. à Ducetio Siculorum Rege constructa, infra Chydam fluuium, qui nunc Roſinarinus, à copia huius fruticis, dicitur. [11] Aleontium, ſiue Aleuntium, Æolias reſpicit inſulas, Thuriorum vrbs, Patrone duce, Æneæ ſocio, in colle edito mari imminenti ſita. In flexu eiuſdem collis, Aleſa, nomen [12] fluuij vicini, Aletam Phazelus vocat, [13] Alæſam alij: Tyſſæ veſtigia tantùm extant, authoris nomen excidit: à cephale autem, quod caput ſignificat, [14] Cephalœdis, poſita in promontorio, quod Caput generali nomine omnibus nautis vocatur, dictam vrbem alij volunt à Cephalide amne, eam interfluente. Conſtat Himeram Zanclæorum coloniam, ab Annibale deletam, ciues, quos reliquos belli calamitas fecerat, Thermis, in eiuſdem Himeræ agris, aliquandiu occultatos, VI. M. PASS. ab antiquo oppido, aliud ædificaſſe, eíque à calidis aquis, quibus locus ſcatet, nomen feciſſe, nec tamen oblitos antiquæ ſedis fuiſſe, & ob id nouum oppidum [15] Thermas Himerenſes nuncupaſſe. Ibi fluuius Himera, etiam hodie ſeruatâ appellatione priſcâ, memorabilis. Olulis ſitus ignoratur, Sorantum tamen hodie dici ſcribit in theſauro ſuo Geographico Ortelius. [16] Solus, ſiue Soloentum in mare Alfano iacet, Pœnorum colonia, vt [17] Panormus Phœnicum, à quibus ſicut etiam à Pœnis & Græcis commercij causâ frequentata eſt, nomen vrbi à tutâ nauium ſtatione factum, latum portum amne [18] Eleuthero faciente: vel ab vbertate & pulchritudine ſoli hortibus abundanti, Pan enim Græcis totus, hormos hortus, & ſtatio. Territorium Panormitanum Imp. Veſpaſianus aſſignauit militibus veteranis, & familię ſuæ. Iam, quâ Sicilia in Africam tendit, ſinuoſo in littore Motya eſt, XX. M. PASS. à Panormo ſepoſita, à Pœnis fundata, vbi nunc Galli portus, & turris, ſiue [19] pharus. Iuxta [20] Hyccarus, Hyccaris & Hiccara, tot nominibus oppidum ruinoſum appellatum eſt, hinc Lais meretrix orta exiſtimatur. Poſt Hyccarum, Elyma, ad oſtium [21] Criniſij, ab Elymo Troiano vrbs facta, Thucidides & Halicarnaſſeus, ab ipſo Æneâ vrbem

fundatam ſcribunt, ab Egeſte verò Æneæ ſocio, ad eundem amnem, [22] Egeſtam, ſiue Segeſtam, à commerciorum frequentiâ Emporium vocatam: lego eam ab Agatocle exciſam, & tranſfugis ad habitandum conceſſam, ac Diceopolim appellatam. Infra [23] Drepanum, paulò ſupra Ægytharſi promontorium & Erycem montem, toties à Poëtis celebratum, ſpectatur, oppidum Grecæ originis, à falcis figurâ dictum, alluitur Sardoo mari, proximúmque habet [24] Lilybæum, oppidum à Pœnis ædificatum, extinctis ab Annibale Giſconis filio, Himerâ, & Selinunte. Neſcio an promontorio nomen dederit, an à promontorio acceperit: atque is tractus eſt à Peloro ad Lilybæum, à Lilybæo verò ad Pachinum alterum promontoriū, maritima ſic ſe habent. [25] Engium ad mediterraneum mare vergens, Cocalum, & Cretenſes fundatores accepit, à fonte verò mœnia alluente, nomen: ſunt, qui à ſoli pinguedine Eugyon vocant. Mazara oppidum & emporium, ad fluuium ſtagnúmque eiuſdem appellationis conſtructum, ab Annibale Giſconis filio captum & direptum eſt. [26] **Selinus**, ſiue Selinis, Megarenſium Hyblæorum colonia, qui ex Ioniâ ſinúque Megarico, cis ripas Selinuntis fluuij tentoria fixerunt, mox & domos erexerunt, regnante Syracuſis Archiâ. Vrbs dicta à fluuio, fluuius à ſelini copiâ, quod Latinis apium eſt, hac herbâ luxuriant, teguntúrque amnis ripæ: vnde in Selinuntinorum numis, apij folium & herba. Hanc quoque, ſicut & Mazaram, diruit, Giſconis filius, reparauit Hermocrates Syracuſanus, Dionyſij ſenioris ſocer. Succedente deinde bello Punico II. cùm M. Marcello Syracuſas obſidenti, Selinuntini Romanis auxilia miſiſſent, Siciliâ in Prouinciæ formam conſtitutâ, ibi Selinuntinorum colonia iure Italico deductâ eſt. Hodie Selini veſtigia extant, in agro Pulicorum, inter [27] Hypſam, & [28] Atyn flumina. Phyntiæ vrbis origo ignoratur, eam inter Atyn & [29] Soſſium amnes Ptolomæus collocat. [30] Heracleam, ab Herculis nomine dictam, Dorieus Spartanus gener Heraclidarum, in ruinis Minoæ vrbis, cis oſtium [31] Lyci fluminis condidiſſe memoratur. Minoa autem Cretenſium colonia erat, in gratiam Minois Regis à Coccalo ædificata, XL. annis ante Troiæ excidium. Heracleam à Pœnis euerſam nouo ciue Selinuntini impleuerunt. Confirmatum eſt, poſt Seruile in Siciliâ bellum, P. Rupilium Conſulem, in eam ciuitatem nouos colonos adſcripſiſſe, vrbe per bella habitatoribus exhauſtâ. [32] Agrigentum inter omnes Siciliæ ciuitates, exceptis Syracuſis, nobilior, nomen ab amne, qui mœnia præterlabitur, ſortita eſt: à Gelenſibus, ſiue Gelois condita, CVIII. annis, poſtquam Gela habitari cœpta eſt, creatis Ariſtone & Piſtillo II. Viris Coloniæ deducendæ, ea paulò ante tyrannidem Dionyſij ſenioris apud Syracuſas, à Pœnis populata & cremata eſt. Verùm poſtquam

quam Timoleon Siciliam tyrannis purgaſſet,& Pœnos vltra Lycum flumen ſummouiſſet, nouis ex Eleâ colonis acceptis, ciuibus Agrigentinis,qui diſperſi erant,vndique collectis,Megello & Pheriſto II.Viris,L.anno poſtquam deſerta fuerat,priſtino nitori reddita eſt: mox à Læuino Conſule deleta, T.Manlius Inſulæ Prætor,ex Sen.Conſulto,iuſſus eſt,ex oppidis vicinis colonos ducere,quod & fecit. Non amplitudine,ſed ſitu commendatur Camicus vrbs à Dædalo Cocalo Sicanorum Rege iampridem ædificata in petrâ, ita vt nunquam expugnari poſſet,ſed tempus benè fundatam expugnauit,detriuitque,proximum autem fluuium perpetuis licet vadis in pelagus currentem, ſempérq; inſtabilem, ſtabili nomine eſſe voluit, Camicúmque etiam hodie appellari: adeò benè ſtabilita corruunt,inſtabilia durant,non tamen omnibus, nam Camarina vrbs nomen ſeruat, Syracuſanorum Colonia, Daſcone & Menocolo II.Viris,ann. poſt conditas Syracuſas, cxxxv. Ab iiſdem exciſa, paulò poſt ab Hippocrate Gelæ tyranno,ædificiis, mœnibúſque ornata; iterum à Gelone,Hyppocratis ſucceſſore, euerſa, & ab eodem reſtaurata eſt. Poſita inter duos amnes Oanum & Hipparim,importuoſo in littore. Etymologiâ Græci vocabuli ſumptâ,ab eò, quòd poſt longos labores habitata ſit, quanquam non deſunt, qui à vicino lacu denominatam velint,cùm antea Heſperia diceretur. Sequitur " Inyctos, vel Inycus,Regia Coçani, Sicanis conditoribus, vrbs & fluuius " Elorus, " Motya altera à præcedenti,fundata ab Hercule,à Gnidiis reparata,ſupra " Pachyni & " Caucanæ portus, vbi & " Pachynus tertium Siciliæ promontorium, à quo in Peloponneſum proſpectus eſt; hoc intra & Pelorum littorales vrbes & coloniæ portúſque fuerunt. Inſulæ metropolis " Syracuſæ: Prima vrbis pars,à ſimilitudine balneorum Omothermon dicta,Ætolos,Ortygiâ profectos, primos incolas habuit,qui eam de ſuâ patriâ,vel à Dianâ,quam præcipuo cultu venerabantur, Ortygiam cognominauerunt. Duplici portu commendatur,ſed cùm ligula terræ iſthmum faceret, fluctuum impetu Iſthmo abrepto, inſula facta eſt, Naſóſque appellata,quòd Græci inſulam ita vocent. Altera pars vrbis, ſiue, vt alij malunt, ſecunda Syracuſarum vrbs,in ſummo vertice,qui Naſon muniebat collocata, Acradina dicebatur. Hæc poſt Corinthiorum aduentum, ob populi frequentiam,qui Inſulæ,ſiue Naſonis anguſtiis contineri non poterat,Ortygiæ acceſſit. Mari ab Oriente & Meridie alluebatur. Tertia Syracuſarum pars ab antiquo Fortunæ fano Tyche nominata eſt. In eius vertice arx Epipolæ, quòd ſuprà reliquas vrbis partes eminerer, vocitata. Quarta & vltima pars Syracuſarum Neapolis. Archias ex Apollinis oraculo, deductâ in Ortygiam Corinthiorum, & Dorienſium coloniâ,vrbis primus fundamenta iecit. Intra,circáque

que Syracuſas, fontes, Arethuſa, Temenitis, Archidemiſa, Margara, & Cyane. Nunc Syracuſis vicina Megara, in Iſthmi ſpeciem mare ſuſcipit, Megarenſium Hyblæorum Colonia, qui & Hyblam, paulò ſupra Syracuſas, condiderunt. Ab origine ſuâ CCXLV. ann. à Gelone exciſa, à Syracuſanis reparata, à Marcello, quòd Romanam ſocietatem neglexiſſet, petita bello & euerſa eſt. Aretius & Leander, Auguſtam hodie dici tradunt. Leontini vrbis initium, vt omnium totius Siciliæ antiquiſſimæ, à Læſtrigonibus repetunt, à Siculis habitata eſt. VII. poſt Syracuſas conditas anno, Chalcidenſes è Naxo eam occupauerunt, ductore Theocle. Ab iſtis, Catano duce conſtructa eſt ** Catana. Hiero ſenior, eâ expugnatâ, ex Gelenſibus, Megarenſibus, & Syracuſanis Coloniam nouam in eam tranſtulit, Æthnámque de vicino monte dixit, ad Aminam flumen conſtructa eſt. ** Naxon, Theocles Athenienſis III.M.paſſ. ab oſtio ** Aceſines, Olymp.V.condidit. Naxo deletâ, Olymp.XCIV. ſupra eam III.M.paſſ. Tauromenium conſtructum ab Andromacho creditur, conuocatis Naxiis, qui vrbem ſuam deſeruerant. Ibi Auguſtus, Sex. Pompeio profligato, Coloniam Rom. deduci curauit. Dicta vrbs, quaſi tauri fortitudo, à Tauro ſublimi monte, in quo fundata eſt. Et hęc ſatis, de vrbibus & Coloniis maritimis Siciliæ. Iam ex eadem inſulà in mediterraneum mare erumpunt, ** Achitius, Scamander, ** Agraga, Dirillus, Iporus, Metycanus: in Siculum pelagus, Orinus, Anapus, Symœtus, ** Acis: in Tyrrhenum, Elicon, Naſus, Monalus, Imera, Batheus. Milichiæ fons, ſiue Milines in Syracuſano potatur agro: infra portus Nauſtathmus, flumen Elorum, Hirminiúmque, & Gelas. Iuxta Tauromenium ſcopuli tres Cyclopum, portus Vlyſſis, cum Symætho & Teriâ fluuiis. In Freto, quod eam Inſulam ab Italiâ diuidit, ſcopuli Scylla, & Charybdis, in verticoſo mari, ambo claræ ſæuitiâ. De Coloniis Siciliæ antiquioribus, Silius.

Poſt dirum Antipathæ ſceptrum, & Cyclopeia ſaxa,
Vomere verterunt primùm noua rura Sicani,
Pyrene miſit populos, qui nomen ab amne
Aſcitum patrio, terræ impoſuére vacanti.
Mox Ligurum pubes, Siculo ductore, nouauit
Poſſeſſis bello mutata vocabula regnis.

Poſt hos in Siciliam colonias deduxerunt Græci, Argiui, Corinthij, Cretenſes, Troiani, Ephyræi, Carthaginienſes, Phœnices, Romani: & poſt eos Gothi, Nortmanni, Saraceni, Galli, Hiſpani. Ponitur in quarto climate, inter XI. & XII. parallelum. Septentrionale latus à Lilybæo ad Pelorum M. continet CCLXXXI. Orientale à Peloro ad Pachinum Milliar. CL. Meridionale à Lilybæo ad Pachinum M CXCIII. Sic tota Sicilia patet in circuitu Mill.

M.DCXXIV. Inter Pandoſiam Magnæ Græciæ, & Helieonem Siciliæ fluuiũ, inſulæ eſt, LIPARA, nomen dedit Liparus, Auſonis Italiæ Regis filius, qui à fratribus diſſidens, magnâ ſecum aduectâ militum manu, primus eam incoluit, oppidúmque Liparam cõdidit, in rupe prærupta. Seneſcente Liparo, Æolus, Hippotæ Heraclidarum generis filius, Iliacis temporibus, claſſe in Inſulam appulſus, Teleporam Lipari filiam vxorem duxit, vicináſque Inſulas, cum ipsâ Liparâ, in dotem acceptas, ÆOLIAS Nominauit, Græci Hæpheſtias, Itali Vulcanias vocant: nam & ipſæ naturâ ſoli igneâ, per occulta commercia, aut mutuantur incendiâ Ætnæ, aut ſubminiſtrant. Hîc dicta ſedes Deo ignium. Numero VII. quarum maxima cum oppido ciuium Romanorum dicta Lipara, quam L. Olymp. Rhodij habitauerunt, Melingunim, ob nigredinem ſoli antea appellatam, poſt & Thermiſiam, à thermis, ſiue balneis. Diſtat ab Italiâ XII. mill. paſſ. Alteram Æoliarum [46] HIERAM vocauerunt, ea præcipuè Vulcano ſacrata eſt, vnde Sacra Latinis dicitur, & plurimùm colle eminentiſſimo noctu ardet. Antea Theraſia vocabatur. Hanc non ab initio cum Orbe natam, ſed Coſſ. Sp. Poſthumio Albino, Q. Fabio Labeone, Ann. Vrb. Cond. DL. è pelago repentè emerſiſſe * Hiſtorici produnt. Tertia Æoliarum STRONGYLE, à formâ orbiculari appellatione deductâ, quæ adhuc durat: ambitur X. M. paſſ. M. verò ad æſtiuos ortus diuiditur à Liparâ. Flammis nitidioribus differt à ceteris. Hæc cauſa efficit, quòd ex eius fumo potiſſimum incolæ præſentiſcant, quinam flatus in triduo pertendant. Ibi Æoli Regia, cui hæc inſula peculiariter dicata eſt. Sequitur [47] DIDYME, à formâ, quia gemella, nomine facto, ambitur XII. M. paſſ. [48] ERYCVSA, quæ & Ericodes, ab arbuſtis vocata, diſtans à Liparâ XV. M. paſſ. [49] PHOENICODES, ſiue Phœnicuſa, quaſi Palmaria, à palmetis, æquâ diſtantiâ, quâ Strongile, Liparam aſpicit. Vltima [50] EVONYMOS. LX. M. paſſ. à Siciliâ diuulſa, circuitu verò XII. M. paſſ. Oſteades à Melâ vocatur. VSTICAM eandem eſſe cum Euonymo aliqui volunt, alij cum Ericusâ, plures ſpecialem inſulam ſcribunt, aiúntque ibi oppidum fuiſſe Vſticam, è quâ Inſulæ denominatio, ita vt octo ſint Æoliæ: quibus Fazellus addit VVLCANELLVM, quæ inſula ignẽ aliquandù vomuit, olim fida nauigiis ſtatio, nunc interiectâ ab Hieræ caminis cinerum lapidúmque mole, coniuncta illi. THERMISIA, Hiceſia Ptolomæo, noſtro ſæculo, Panaria vocatur, ambitur VI. M. paſſ. LISCA BLANCA, & BASILVSVS noua nomina ſunt, ob exiguitatem apud antiquos ſine honore vocabuli. Inter Vſticam & Siciliam exigua iacet Inſula FIMOSA olim, nunc Fœminarum. Hæc de Æoliis, aliæ propè Neapolitanum littus, paululum à Siciliâ recedentes, inter quas [51] PROCHITA, non procul

* *Plin. lib. 2. c. 90. Iſidor. lib. 14. Oroſius lib. 4. Eutrop. lib. 4.*

à Capreis ante Miſeni promontorium, à quo terræ motu olim diuulſa eſt. In eà oppidum eiuſdem cum Inſulâ nominis. Altius in mare, inter Siciliam & Sardiniam, duo magis ſcopuli quam inſulæ, vnde Virgilius.

Saxa vocant Itali, mediiſque in fluctibus aras.

In mari Sardoo, Drepanitanæ oræ accedunt, [12] LEVANSVS, ſiue Probantia, à Drepano promontorio XII. mill. paſſ. ſeparata. [13] ÆGVSA, ſiue Ægate, contra Lilybeum eſt. [14] HIERA, ſiue Hieroneſus, Latinis Sacra, longius in altum proiecta, cum duabus aliis, trianguli figuram efficit. Inter has & Drepanum, FORMICARVM inſulæ ſunt, ſcopulis ſimillimæ, V. priores Siculis hodie Aſini vocantur, IX. Mediæ, in orbis ſpeciem conglobatæ, Porcelli: ceteræ V. Formicæ: antiqua omnium appellatio, exigüitatem notans. Quâ Sicilia Africæ opponitur, media inter vtramque [15] LOTOPHAGITES, quæ Meninx, & Menix, Mirmix Stephano. Duæ in eâ olim vrbes, Gerapolis & Menix. Fazolarum III. Inſulæ ſequuntur, priſcis ſine nomine. [16] CERCINA Africæ continenti vicinior, vt pote, XVIII. M. paſſ. ab eâ ſecluſa, circuitu patet LX. mill. paſſ. Nomen accepit ab oppido ſuo. Medium æquoris [17] PELAGIÆ III. ſeruant, inter Cercinam & Siciliam, deſertæ omnes, nec multùm inter ſe diuiſæ, Tarichiæ à Strabone videntur appellari. LAMPEDVSA cum oppido, nomen conſeruat, in ambitu habet, XII. mill. paſſ. à crebris coruſcationibus nomen accepit, iis enim inſulani toto penè anno inquietantur. LALENVSA & SCOLA voces tantùm, neque enim harum amplitudo & ſitus à quoquam, quod ſciam, deſcribuntur. CYMBALVM & CYMBALOTVM de gurgite attolluntur, ante promontorium Mercurij, quod in Africâ eſt. Nec ab iis procul LANENVSIÆ totidem, quarum altera ſine nomine eſt, altera Mollium à nautis hodie vocatur. Inter Lilybæum & Mercurij promontoria, çquâ diſtantiâ fluctus ſupereminet COSYRA, Coſyrus aliis, Corſura Straboni, XXX. mill. circuitu. MELITA & GAVLOS, nunc Malta & Gozus, inter vtramque Syrtem Siciliámque occurſant. Diſiunctæ inter ſe, V. mill. paſſ. à Pachuno promontorio, C. M. Melitæ circuitus LX. M. à Sidoniis, poſtea à Carthaginienſibus habitata, vrbem habet ſui nominis. Gauli circuitus XXX. mill. Ibi oppidum quoque Gaulos, Phœnicum colonia. In Ionio mari Catanam inter & Xiphoniæ promontorium [18] III. Cyclopum ſcopuli. Alias circa Siciliam Inſulas addit Plinius, CÆNEN, GALATHAM, LOPADVSAM, OSTEADAS, BVCCINAM ÆTHNÆ & PARAPINON ad Africæ littora vergentes.

* * *

RECEN

RECENTIORA NOMINA SVPRADIC. tarum Inſularum, vrbiúmque & fluminum, & promontorium.

1 *Capo de la torre del Pharo.* [2] *Capo Boei.* [3] *Meſſina.* [4] S.*Juliano.* [5] *Raſo Culmo.* [6] *Oliuiero* Caſtello. [7] *Veria.* [8] *Traina.* [9] *Capo s.Vito,* vel, *s.Pradello.* [10] *Calatagirone.* [11] S.*Angelo*, s.*Philadelpho* aliis, Leandro verò, *Caſtello da Brolo.* [12] *Pittineo.* [13] *Caronia*: Nigro, *Siffalo.* [14] *cephalu.* [15] *Fontana Murata.* [16] *Solanto.* [17] *Palermo.* [18] *Ponte Potto.* [19] *Sferracauallo.* [20] *Garbolangi.* [21] S.*Bartholomeo.* [22] *Barbara,* Aretio, *Conterranea.* [23] *Trapani.* [24] *Marſalla.* [25] *Gange.* [26] *Salemo*, vel, *Terra di Pulici.* [27] *Bilici* incolis, Saracenis *Belich.* [28] *Carabi.* [29] *Caltabellota.* [30] *Terranoua.* [31] *Platina.* [32] *Gergento.* [33] *Camerata* Leandro, Fazello *Longobardo.* [34] *Alizo.* [35] Ibi nunc ædicula S.Ioannis. [36] *Porto Longobardo.* [37] *Scaramis* Siculis, Saracenis *Saracaramis.* [38] *Cabo Paſſaro.* [39] *Sarragoſa.* [40] *catania.* [41] *Tauernera.* [42] *Cantara*, Sarracenicè *Alcantara.* [43] *Birgi.* [44] *Drago.* [45] *Freddo.* [46] *Fauagnana, Chelbo* à Nautis. [47] *Saline.* [48] *Alicur.* [49] *Phelicure, Alicudie* Nigro. [50] *Stromboli.* [51] *Proſida.* [52] *Leuanzo.* [53] *Fauagnana.* [54] *Maretimo.* [55] *Gerbi.* [56] *Gamelara, Querquenes,* ſiue *Charcana.* [57] *Conigliari.* [58] *Li Faragliuni.*

CAPVT TRIGESIMVMSEXTVM.

Britanniæ, & Hyberniæ littoralis deſcriptio, aliarúmque proximarum Inſularum.



E Plin. l. 4. c. 16. Aubano Teutonico Coſm. lib. 3. c. 26. Pancir. in Notit. Occident. cap. 69. Ptolom. in I. tabul. Europa, & lib. 2. Geograph. cap. 3. Strabon. lib. 4. Solino cap. 22. Monſtero Coſm, lib. 2. Mercatore, Hondio, Ortelio tum in tabul. Coſmograph. tum in theſauro Geograph. Magino, & Polyder. Vergilio,

DESCRIPTIS Inſulis, quæ circa Italiam, Galliámque, & Hiſpanias ſunt, in Mediterraneo mari, ecce nunc ad Oceanum recurro, cuius cùm aliquot iam Inſulas memorauerim, præcipuas tamen, Britanniam & Hyberniam omiſi, hac de causâ, vt quæ ſequuntur Europæ, per partes ordinémque, ſine interruptione percurrerem, lectori fauens, ne ſubſultibus crebris perculſus, & veluti deluſus, tractus continuos littorum obliuiſcatur, dum nunc in Oceano, nunc in Atlantico, nunc in Mediterraneo mari inconſultius erro. BRITANNIA igitur à Britannis Galliæ populis dicta, clara Græcis Romaníſque monumentis, inter Septentrionem & Occidentem iacet, triangulari, vt Sicilia, formâ, ab albis rupibus, quæ Inſulam cingunt, Albion appellata, quã Prydain,

Prydain, & Prydaniam vetuſtiores dixerunt. Troes eam quandoque incoluerunt, qui, Troiâ per Græcos vaſtatâ, Palladis oraculo digreſſi, claſſe in Britanniam venerunt, Gigantéſque Inſulanos necauerunt. Sub Valentiniani Imperio Saxones Angliæ reginæ auſpiciis, occupatam Inſulam Angliam dixerunt. Græcos quoque illic perueniſſe, in Calidonio littore manifeſtat ara ab Vlyſſe erecta, litteríſque Græcis inſcripta. LXXX. & amplius M. paſſ. detinet, à Cantiis, ad Viruedrum promontorium, quâ ad littus noſtrum, Germanicúmque obiecta extenditur: circuitus à Solino exiſtimatur quadrageſies octies ſeptuaginta quinque millia paſſuum: tricies octies centena viginti quinque millia, Pytheas & Iſidorus, apud Plinium, tradunt: cuius tempore Britanniæ notitia, Romanis armis, non vltra vicinitatem Caledoniæ ſyluæ propagata erat. At poſteaquam magis explorata eſt, & in clariorem famam peruenit, circuitum eius, decies centenis & quinquaginta millibus, pluſquam Pliniana, Solina dimenſio animaduertit? lege apud Solinum, quadrageſies octies centena ſeptuaginta quinque millia paſſuum, & tum patebit Britanniæ circuitus. Inſula ab ortu Germanico, à Meridie Britannico, ab occaſu Occidentali, à Septentrionibus Hyperboreo, ſeu Deucaledonio pelago cingitur, Tria eius inæqualia latera, totidem promontoriis finiuntur: [1] Cantio, Heleno, & Orchâ. Primus eam Iulius Cæſar Romanis oſtendit: proximam continenti partem, Claudius Imperio ſubiecit: Hadrianus, Calidoniam à Britanniâ muro ſegregauit. Conſtantinus Magnus, quinq; Prouincias feciſſe ex eâ dicitur, Maximam Cæſarienſem, Valentiam, Britanniam primam, Britanniam ſecundam, & Flauiam Cæſarienſem. Britannia prima, à Tameſi ad Vallum extendebatur, nunc ſub Angliæ nomine cenſetur. Secunda, quæ & Minor, nunc Scotia eſt. Cantium & Atrebatenſis regio Maximam Cæſarienſem facit: Flauiam, Vveſt-Saxonum tractus, cum Vecti Inſulâ: Valentiâ, hodie Cambria creditur. Inæquale triangulum ante oram Gallicam figurant promontoria, [2] Bolerium & Ocrinum, hodie S. Iuſtini. Quâ Germaniam reſpicit, altera triangulari partem, tria conficiunt promontoria, [3] Berubium, [4] Vieruedrum, & Orchas, ſeu Taruidum. Tertiam trianguli partem claudit, in Oceano Deucaledonio, [6] Epidium promontorium, ab Helenâ Conſtantini matre, poſtea Helenum appellatum. Tractus, quâ Britannia Germaniæ & Galliæ vicinior eſt, ſic deſcribitur. Ocrinum promontorium, quod à Geſſoriaco Morinorum (Galliæ populi ſunt) littore abeſt, traiectu, L. M. paſſ, [7] Cemonem, ſiue Cenionem in mare mittit. Hinc [8] Sebaſta, quæ & Legio ſecunda Auguſta, Romanorum Colonia, [9] Tamarus fluuius, [10] Voliba vrbs, Iſaca, & [11] Alaunius amnes, [12] Hammonis, Hamonis, vel Magnus portus, [13] Dunium, Durnaria Antonini;

Salmaſius in Solinum.

Camdenus diligens huius littoris ſcrutator, ambitum eius 1836. millia paſſuum colligit.

nini: ante hoc oppidum [14] VECTIS Inſula, quæ & Vecta, Straboni Vectiſis, Romano Imperio per Veſpaſianum addita, dum ſub Claudio Imp. militabat. Proximæ huic & aliæ Inſulæ [15] CÆSAREA, cuius ambitus XXX. M. Incolæ algâ marina ad Solem ſiccata, pro ligno vtuntur: & [16] SARNIA, vbi Smiris lapis inuenitur, quo gemmarij, & vitrarij ſcindendis lapidibus vtuntur. Poſt Dunium, infra oſtium [17] Triſantonis, Nouus portus, [18] Dauernum, & in [19] Cantiâ regione, Cantium promontorium. Ibi in Oceano Germanico Inſulæ [20] Toliapis, & [21] Caunos, Counos Ptolomæi, ſyrtibus nunc obſita. At in littore ſupra [22] Tameſis oſtia [23] Camudalonum, vel Camoludunum, Colonia Romana. Tameſim, Ptolomæus Iamiſſam, Dio, Himenſam vocat, malè aliqui [24] Idumaniæ confundunt. Poſt Camoludonum oppidum, quod alij Camulodunum, aliqui Camalodunon, Ptolomæus Legionem VI. Nicephoriam appellat, [25] Vvintonia, ſiue Venta, Belgarum Colonia, quam ideò Antoninus, Ventam Belgarum nuncupat: altius, in Tameſi ripis, Londinum, Londonia Bedæ, Auguſtam Trinobantum, Danieli Rogerſio, contra Ptolomæum, qui eam ciuitatẽ Cantiorum facit. Sequuntur oſtia [27] Garienni, & Abupi, qui nonnullis Abos dicitur: Bedæ, hodie Vmber. In ore Abi [28] Rutupiæ portus, Condituum oppidum, quod Maximam Cæſarienſem vocitatum putat Pancirollus: [29] Ocellos promontorium, [30] Dunum & [31] Grambrantuicorum, ſinus duo, cum [32] Vedrâ fluuio, Angliam à Caledoniâ ſecernente. Iámque Scotiæ, ſiue Caledoniæ amnes, [33] Alaunus, [34] Tyuna, [35] Diua, [36] Celnius, [37] Loxa, [38] Iláque, ſiue Ilea. Inter quos [39] Orrea, [40] Eboracum, [41] Alata caſtra, [42] Tamia, [43] Tueſis, Ennerlotha, & Enerneſſa: ab Eueno II. Scotiæ Rege huius nominis, vltimæ duæ vrbes conditæ dicuntur, à nauibus, quæ ibi tutò morabantur, nomina acceperunt, naues enim Scoti *Enner* vocant. In eo tractu Promontoria ſunt [44] Taizalum, [45] Berubium, Viedrum, & Orcas, ſiue Taruidum. In mari verò Inſulæ, [46] OCETIS, quæ & Ocitis, SCANDIA [47] Dumna, Bergos, [48] Nerigon, [49] ORCADES XXX. quarum primaria [50] Pomonia, vltimáq; terrarum Romanis credita [51] Thyle, ſiue THVLE, vnius diei nauigatione à concreto pelago, quod alij Cronium vocant, ſemota, Graiis & Latinis celebrata carminibus. In ea quòd Sol longè occaſurus exurgit, breues vtique noctes ſunt, ſed per hyemẽ, ſicuti alibi, obſcuræ, æſtate lucidæ, quòd, per id tempus, iam ſe altius Sol euehens, quanquam ipſe non cernatur, vicino tamen ſplendore proxima illuſtrat: per Solſtitium verò nullæ, quòd tum iam manifeſtior, non fulgorem modò, ſed ſui quoque partem maximam oſtentat. Ante Orcades in Deucaledonium Oceanum ſeſe exonerant, Nanæus, & Itis. Tum ſinus Volſas, cuius in littore, variâ vmbrarum ludit imagine, celebris inter fabulas hiſtoriáſque

ſylua

ſylua Caledonia, quam terminat [52] Longus fluuius promontoriúmque [53] Epidium: in cuius fronte EBRIDES ſunt Inſulæ, ad numerum XLIV. Quarum præcipuæ, Monais, [54] Monaœda Ptolomæi, [55] Maleos, [56] Ricina, Lodhus, Hyrtha, [57] Epidium, Ebuda, Ionéque, aliis, ab oppido, Sodorẽſis inſula. VII. Iis proximæ [58] ACMODÆ, ſiue SILVRVM Inſulæ, Damonij promontorio obiectæ. In Scotia lacus prouectus ad famã, Ptolomæo Lelgouia, *Loumond*, vernaculè dictus, ſupra XXIV. M. in longitudinem productus VIII. in latitudinem. In eo XXX. Inſulæ, vicis, templíſque quondam nobiles. Piſces ibi Pinnis carent. Concitatur intrinſeco motu lacus, ventis ceſſantibus. Eſt & in eo mobilis Inſula, ad nutum vel fluctus, vel venti agitata, in antiquæ Deli ſpeciem. Iam quâ Britannia ab Hiberniâ ſeparatur, ab Epidio promontorio ad [59] Ocrinũ, [60] Nouantũ Cherſoneſus: inde tres ſinus Rerigonius, Vidogara, Lemannonius: flumina, Abrauannus, [61] Abrauannius Ptolomæi, [62] Deua, [63] Nouius, Tibius, qui & Tiſcibius, [64] Stucia, Touerobius, [65] ſiue Tuerobis, [66] Tobius, & [67] Ratoſtabyus. Oppida Caryćta, [68] Leucopidia, Retigonium, Oxellum, [69] Epiacum, vel Apiacum, [70] Mancunium, aliquibus Mediolanium, [71] Iſcha, ſiue Iſcalis. Portus Setantiorũ, & Herculis. Promontoria, [72] Caucanum, vel Ganganorum, Octopitarum, hodie S. Dauidis, Herculis, & poſt Ocrinum, Boleriũ, Britanniæ finis. Iis oppoſita eſt Inſula HIBERNIA, nunc IRLANDIÆ regnum, ab hiberno cælo, etiam Ierna, & Iuernia dicta, Iuuerna Plinio, Iris Diodoro Siculo, Incolæ hodie Eryn vocant, Conſtantini Magni tẽporibus Hibernia Minor appellata. Prima ante Britanniam promontoria, vnum ad Deucaledonium, alterũ ad [73] Verginium mare, Rhobogdium, & Hieron, hoc eſt, Sacrum. Ab iſto ad aliud, fluuij, [74] Modonus, [75] Oboca, [76] Bubinda, ſeu Buuinda, & [77] Vinderius, ſiue Indetius. Ab Auellano condita eſt vrbs [78] Menapia, Menapiorum, deinde Anglorum Colonia. Sequitur [79] Iblana Metropolis Hiberniæ, [80] Iſamnium promontoriũ, [81] Logiæ oſtia, [82] Pontana oppidum, intérque Rodogdium & Boreum promontoria, [83] Argita, & [84] Vidua: poſt vtrunque, [85] Libnius, [86] Suirus, [87] Daurona, Rauius, Libæus, [88] Auſoba, [89] Senus, Dur, & Iernus amnes, à quo Iuernia, & Hibernia Inſula, ciuitáſque [90] Iuernis: ſupra quã [91] Nagnata, vel Magnata. Poſt Notium promontorium, voluuntur in mare fluuij, Dobrana, & [92] Birgus. Habet Hibernia, ſecundum Camdenum CCCC. M. paſſ. in longitudine. CC. in latitudine. Ibi Erno lacus, XXX. M. paſſ. extenſus. Inſularum, quæ veluti vmbilici quidam ſeſe ſupra pelagus leuant, quod Hiberniam à Britanniis diuidit, nomina ſunt: poſt Acmodas, MAN, priſcis MONA, ſub Nerone virtute Paulini Suetonij, & Iulij Agricolę ſtipẽdiaria Romanis facta huius vrbs antiqua [93] Bellus Mariſcus. MENAPIA, [94] SILIMNVS, vel Limnos, ANDROS, ſiue Edros, [95] AXANTOS, & [96] SIAMBIS.

In

In Germanico mari [a] GLESSARIA, Græcis, Electrides, ab electri copiâ. [a] HEMODES VII. contra Germaniam proiectæ in Codano ſinu. Ex his CODANONIA, quam Teutones primi tenuêre, vt magnitudine alias, ita fœcunditate anteſtat. Quæ Sarmatis aduerſæ ſunt, ob alternos acceſſus recurſúſque pelagi, & quia ſpatia, quibus inter ſe diuiduntur, modò operiuntur vndis, modò nuda ſunt, aliquando Inſulæ, aliquando continentis pars videntur. Supra, propius Sarmatiam, [a] OPNÆ. Has omnes Inſulas à Græcis habitatas, ipſæ locorum, vrbiúmque, & fluminũ denominationes indicant, ibíque Iaſonem appuliſſe anonimus Poëta, apud *Hondium, teſtatur, dum introducit Hiberniam ſic loquentem.

* In Atlante Maiore tab. 5. Hibernia.

Illa ego ſum Graiis olim glacialis Ierne
Dicta, & Iaſoniæ puppis benè cognita nautis, &c.

Syluis Hibernia quondam obſita, Inſulæque circa littora eius iacentes: crebris cellulis poſtea culta eſt, mox & vrbibus. Celebris eſt, ob Regum Scotiæ ſepulturam, Inſula Mula, MALEOS Ptolomæo, metallis abundans, mari autem margaritis fœcundo.

NOVA NOMINA LOCORVM, VRBIVM, fluminum, promontoriorum, Angliæ, Hiberniæ, & aliarum Inſularum.

[1] *Nortforland.* [2] *Lands End*, id eſt, Finis terræ. [3] *Dunis Bei.* [4] *Hoya.* [5] *Dungisbehead.* [6] *The mul, of Canteri.* [7] *Vale*, aliis, *Vvallemouth.* [8] *Leskerd.* [9] *Tone.* [10] *Bodman.* [11] *Haleni.* [12] *Portſmouth.* [13] *Dorcheſtre.* [14] *Vvicht.* [15] *Gerzey.* [16] *Garnſey.* [17] *Soutampton.* [18] *Douuers.* [19] *Kent.* [20] *Sheppie.* [21] *Goeyinge*, ſeu, *Canuey.* [22] *Themps*, noſtris, *Tamiſe.* [23] *Vveſtceſtre*, aliquibus, *Cloceſtre.* [24] *Stone.* [25] *Vvinceſtre.* [26] *London*, nobis, *Londres.* [27] *Grent.* [28] *Sandvvich.* [29] *Kellenſey.* [30] *Crecke as Dunesbay.* [31] *Gesboro.* [32] *Tvveda.* [33] *Northtyne.* [34] *Tyne.* [35] *Vvanſpeck.* [36] *Ale.* [37] *Firth.* [38] *Vviſle.* [39] *Forſaire.* [40] *Torcke.* [41] *Edinburg.* [42] *Tanea.* [43] *Bravvick.* [44] *Buquebamneſſe.* [45] *The Cap Cornvval.* [46] *Sandes*, vel, *Ranalſda.* [47] *Vvays.* [48] *Normegen.* [49] *Orknay.* [50] *Mainland.* [51] *Schetland*, vel, *Tilemarck.* [52] *Lough.* [53] *The mul of Canteri.* [54] *Man.* [55] *Mula.* [56] *Raclina.* [57] *Ila.* [58] *Levves.* [59] Sorlinges, nautis Anglis, *Sylley.* [60] *Canter*, Mercatori *Ardemouthead*, Villanouano, *Cochermouth.* [61] *Riam.* [62] *Dee.* [63] *Nÿd.* [64] *Seynt.* [65] *Abedeni.* [66] *Tovve.* [67] *Vsk.* [68] *Caerleys.* [69] *Papcaſtle.* [70] *Mancheſter.* [71] *Exceſtre.* [72] *Bangar.* [73] *Mor Meridh*, Canalem S. Georgij Latinè nunc dicimus. [74] *Slaine.* [75] *Vvinkiligello.* [76] *Banaa.* [77] *Bay of Knocfergus.* [78] *Vvaterford*, aliis, *Vveiford.* [79] *Dublyn.* [80] *Pormuck.* [81] *Lough Foile.* [82] *Droghedaja*, vel, *Drogheda.* [83] *Banney.*

[83] *Banney.*[84] *Chrodagh.*[85] *Bay of Siegah.*[86] *Shouur.*[87] *Auen Mor.*[88] *Bay of Galuuay.*[89] *Shenyn.*[90] *Dunckren.*[91] *Connagihy.*[92] *Baroo.*[93] *Beaumariſh.*[94] *Limen.*[95] *Vshant.*[96] *Sayn.*[97] *Hetlant, Scetlant, Fare.*[98] *Seelandt, Fuynen, Langlant, Muen, Falſter, Loylant, Femeren.*[99] *Alandt.*

CAPVT TRIGESIMVMSEPTIMVM.

Germaniæ antiquæ littoralis deſcriptio, Sarmatiæ quoque, & Scythiæ Europææ, Tauricæque Cherſoneſi, & Cimmerij Boſpori, cum vicinioribus Inſulis.



GERMANIA Europæ regio ampliſſima, Rheno fluuio à Galliis diuiſa, à Rhetis Pannonibúſque Danubio, à Sarmatis Dacíſque, mutuo metu, & montibus ſeparata, quâ in Oceanum vergit, collecta in arctum, ſequentibus vrbibus, fluuiíſque & portubus littus ſuum ornat & diſtinguit. Fluuij poſt Rhenum mari ſe maritant, [1] Manarmanis cum portu, à parte FRISIÆ Maharna, olim nominatus: [2] Vidrus Groningam hodiernam interſecans; [3] Amaſius, ſiue Amiſius, Bructerorum, per Druſum debellatorum, ſepulchrum: [4] Viſurgis, qui & Viſuris, & Biſurgis, & Viſurigis, & Veſatis, & Itargis, & Iturgis: [5] Albis

E Strabon. lib 7. Ptolom lib. 2. c. 11. lib. 3. cap 5. Ortel. Mercator. Aubano, Munſtero Arriani Periplo. Strab. 30. Mela l 3. 4. c. 3 & 4. Magino.
Alias Manarmanis.

[5] Albis deinde. Inter Rhenum, & Vidrum Buſacteri, quorum vrbs [6] Naualia.: iſtos cum Bructeris multi confundunt, populis [7] orientalis Friſiæ, qui nunc Brockmerlandij. Inter Vidrum & Amaſium [8] Friſij occidentales, eorúmque ad Germanicum mare paululum ab orâ remotum oppidum [9] Phileum: terra multis impedita fluminibus, inter quæ, Iadera eſt, vulgo Iada. Inter Amaſium, & Viſurgim, Cauchi parui; inter Viſurgim & Albim Cauchi maiores. Illi hodie Friſij, Groeningenſes, iſti, Bremenſes, & Luneburgenſes appellantur; quorum vrbs [10] Phabiranum nouæ Saxoniæ. Poſt Albim, habitant Sigulones, Sabalingij, Iudtlandos Peucerus putat, Cobandi, Chali, [11] Cimbri, Marij Romani Conſulis victimæ, Phunduſij, & Charudes. Cimbrorum extremitas, & Cimbrica Cherſoneſus, nunc Iuttia, SAXONVM Inſulas, ALOCIASQVE à Scandiâ minori & maiori diuidunt. Inter Albim Cymbricámque Cherſoneſum [12] Codanus ingens ſinus, magnis paruíſque inſulis refertus: præcipuæ ſunt, III. SCANDIÆ minores, quarum hodiernæ appellationes, Fionia, Hallandia, & Blexingia. Maiorem SCANDIAM, ab oriente Balticum mare, ab occidente, Codanus ſinus ſuſtinent, nunc Scania dicitur. Inſulam eſſe, contra Ptolomæum, negat Maginus, affirmátque peninſulam eſſe immenſæ magnitudinis, Balthiam, Baſiliam, & Vergion antiquis appellaram, Procopio vero Thulem. Æquor ibi, quod gremio littorum excipitur, nuſquam latè patet, nec vſquam mari ſimile, verùm aquis paſſim interfluentibus, ac ſępè terras tranſgreſſis, vagũ atq; diffuſum, facie amnium ſpargitur, nunc littoribus, nunc aggeribus ſuperciliiſq; terrarum, ſeſe curuantium, impeditum. Receſſus eius extremos ad meridiem & occidentem Saxones occupant, quorum vrbs [13] Marionis altera, & fines eorum terminans [14] Chaluſus amnis. Hinc Pharodini, ſiue Parodini, Sidini, Ruticlij, Auxones, & Teutonoarij, horum terras incolunt hodie Inferioris Saxoniæ populi, Meckelburgenſes, Pomerani, & Vandali, ſeu Vandili. Oppida antiquiſſima, [15] Laciburgium, [16] Bunitium, & [17] Rugium. Flumina, [18] Sueuus, [19] Viadus, & [20] Viſtula. Ante has gentes, ignotæ antiquis Inſulæ, IVLINA, VSEDONIA, & RVGIA. Poſt Viſtulam, SARMATIA incipit, intus, quàm ad mare, latior. Populi maritimi ad Venedicum ſinum, Githones, Venedíſque, qui poſtea, Boruſſi, mox Pruſſi dicti ſũt, & Hoſſij, quos [21] Chronon, [22] Rubon, Turuntus, & Cherſinus alluunt. Sequuntur AORSI, aliàs SCYTHÆ degeneres, & à ſeruis orti, tum Agathyrſi, Sali, Careotæ, Carbones, Pagyritæ, Samogitæ, Maſſouij, Lituani, & Moſci, ſolis nominibus olim cogniti. Sic Sarmatia tot populos complexa, in Scytharum, penè etiam & Germanorum confinia, & nomen pertranſiens, à Septentrionibus Oceano, à meridie Myſia & Daciâ, ab occaſu, Viſtulâ amne, ab oriẽte Tanai, Mœotide & Põto terminatur.

De populis & regionibus ad mare verſus Septentrionem poſitis, quæ nomine tenùs antiquis cognita fuerunt, vel prorſus ignorata, dicemus libro ſequenti.

Sed

Sed antequàm ad Sarmatiam Europæam tranſeam, quæ duobus amnibus Tanai, & Tyrâ concluditur. Non omittenda eſt Gothia, omnium Inſularum, exundáti gentium variarum examine, celebratior; hæc in Venedico ſinu, ante Cherſini oſtia iacet, mater Gepidarum, Rugiorum, Vandilorum, Longobardorum, Herulorum, Turcilingorum, Hunnorum, Vinulorum, Viſigothorum, Oſtrogothorum, & Gothorum, infeſta & formidata terris nomina. Igitur Sarmatia, quæ ad Mæorim ſita, fluctus reſpicit, [23] Tanais, qui & Sylis, & Amazonius, cum vrbe eiuſdem nominis ad oſtium eius ſita, Inſuláque duplici alueo cincta, quam Græci habitatores Alopetiam vocauêre, quaſi Vulpium inſulam. Littus proximum Tanai Roxolani incolunt, cum Baſtarnis; Ruſſios & Ruthenios hodiernos multi exiſtimant. Horum vrbs prima Carcœa. Inde poſt Poritum amnẽ, [24] Iazyges incipiunt, quorum ciuitas ad [25] Mæotim [26] Hygris, media inter Porirum & Lycum flumina: ſicut Lucus Dei, inter Lycum & [27] Agarum, qui vicinum promontorium de ſuo nomine inſigniuit. Ab eo paludes Mœotides deſinunt, incipítq; Buges palus, aliàs Bycis: ibi [28] Lianum, Acra, & Cnema ciuitates: fluuij Gerus, Bycus, & Paſiaſtus, Paſiaſcus Ptolomæi, cuius impetum [29] Taurica Cherſoneſus ſuſtinet, prohibétq; in Carcinitum ſinũ labi, oppoſito breui Iſthmo. Propè Paſiaſtum, Heraclium Heracleotarum colonia, Zenonis promontorium, cum alio, cui nomen [30] Parthenij, & templo Virginis. Hinc [31] Cimmerius Boſporus interſecat terras, incertùm; an à Mœotidis palude, an verò ab Euxino aquas accipiat. In hoc tractu Mileſij [32] Panticapæum, vel Panricapæam cõdiderunt, metropolim Boſpori. Tyrictatæ author ignoratur, & Myrmecij, commune cum promontorio proximo nomen. Poſt [33] Nympheum, & [34] Theodoſiam Mileſiorum coloniam, Diámque, [35] Iſtrianus amnis, Corax promohtoriũ, Lagira, vel [36] Lagyra, [37] Arietis frons promontorium, à Græcis κριοῦ μέτωπον, ϗ βρίξαδα, forſan φρίξαδα, ab ariete Phryxi, vel à figurâ, frontem arietis præferente. [38] Charax oppidũ, Naubarúmque, & [39] Ctenis portus ad Halmirin, ſiue Halmitida lacum. Infra [40] Symbolorum portus, στενόστομος, hoc eſt, anguſti oris, Palacia vrbs, Dandaca, ſupráque Carcinitem ſinum, qui Nigropolitanus hodie dicitur, [41] Eupatoria, à Diophanto, Mithridatici exercitus ductore, condita, nec multo poſt deſolata, reſtauratáque à Pompeio Magno, à quo Magnopolis, & Pompeiopolis nuncupata eſt. Inter Bycin paludem & Carcinitem ſinum, Tauricam Cherſoneſum Iſthmus terminat; reliqua ambiuntur mari. Inde terræ Tauroſcytharũ nunc fluctus admittunt, nunc admiſſæ fluctibus, contortâ caudà verberant, repellúntque iraſcentes. Fecit nomen ſinui, Carcinius fluuius, maior [42] Hypane, vterque autem [43] Boryſthene minor, [44] Olbiam Mileſiorum

De vtraque Sarmatia, fusè ſcripſit Alex Guagninus.

vrbem alluit, dumque intrat pelagus, Inſulam facit, de ſuo nomine: infra quam [45] Leuca, ſeu Peuce Achillis. Hanc à Thetide matre Achillem accepiſſe Poetæ fabulãtur, Græcis δρόμος ἀχιλλεῖος, quòd Achilles, cùm infeſtâ claſſe mare Ponticum ingreſſus fuiſſet, victórque euaſiſſet, ibi ludicro certamine celebrauerit victoriam, nautico curſu ſe ac ſuos exercens. Ab extremo Carcinites ſinu, ad Boryſthenis oſtia, vrbes ſunt, [46] Cephaloneſus, quam alij exiguam Inſulam volunt, vocántque Cephalonneſum, Bonus portus, Noua mœnia, Tamyraca, ſiue Hypácyrno: infráque ad [47] Axiacem fluuium, Phyſca & Arpis. Tum [48] Tyras, & Iſter, ſiue Danubius amnes, Miſiæ Inferioris initia.

NOVA NOMINA.

1 *Campen.* [2] *Groeninghe diep.* [3] *Ems.* [4] *Vveſer.* [5] *Elbe.* [6] *Svvok.* [7] *Ooſtfriſen.* [8] *Vveſtfriſen.* [9] *Groeninghen.* [10] *Bremen.* [11] *Iuytlanders.* [12] *Belts.* [13] *Lubeck.* [14] *Eyder.* [15] *Roſtock.* [16] *Sund.* [17] *Humburg.* [18] *Spre.* [19] *Oder.* [20] *Vveiſel.* [21] *Crſe.* [22] *Duina.* [23] *Tana.* [24] *Iaz.* [25] *Mar del Zabache.* [26] *Sabardi.* [27] *Gezara.* [28] *Salnea.* [29] *Perocopſka.* [30] *Roſaphar.* [31] *Stretto di Caffa.* [32] *Voſpero.* [33] *Cyprico.* [34] *Caffa.* [35] *Calamita.* [36] *Giriconda.* [37] *Famur.* [38] *Cucagioni.* [39] *Saline.* [40] *Sibula.* [41] *Perocopia.* [42] *Bog.* [43] *Dnepr* Guagnino, aliis *Niper.* [44] *Strapenot.* [45] *Fidoniſi.* [46] *Rubea Iſola.* [47] *Ockakou.* [48] *Neſter.*

CAPVT TRIGESIMVMOCTAVVM.

Deſcriptio oræ maritimæ à Danubij oſtiis, ad Neſi oſtia, cum Inſulis proximioribus.

Ex Arriani Periplo, & eius commentator. Stukio. Ptolom. Geogr. l. 3. cap. 10 & 11. Strabone lib. 7. Plin. l. 4. c. 11. & 12. Mercat. & Ortel.

DANVBIVS ſex oſtiis in Pontum abit, primum oſtium exile ψιλὸν, Triagola vocatur, & Pſilon ſtoma: Secundum Borion ſtoma: Tertium Pſeudo ſtoma, inſulam faciens Conopona Diabaſim, quæ & eodem nomine cum ſuo oſtio appellatur: Quartum Calon ſtoma: Quintum ἄρηκος, ἢ νάρακον. Inaricium, & Naracum: Sextum Ieron ſtoma, ſacrum oſtium. Addunt Marcellinus, Statius, & Mela, ſeptimum oſtium, ſed illud languidum, nec perpetuum, Spireo ſtoma. Danubium Scythæ Matoam, Græci Ἄκιον, innoxium vocauerunt. Incertum an Iſter dictus ſit, ab Iſtriâ quam alluit, an Iſtria ab Iſtro flumine, cuius dextra ripa Romana, ſiniſtra Barbarica fuit. Ab vltimo Iſtri oſtio, Boſporum Thra-

cium

cium verſùs, 'Iſtria vrbs à Mileſiis ædificata, Iſtropolis Melæ, ad promontorium Pterum Myſię Inferioris, cuius præter Iſtriam maritimæ vrbes ſunt, ' Tomus, Tomea, & Tomi, appellata, à dillaceratione Abſyrthi Medeæ fratris, cuius nomen proximus fluuius ſibi vendicat. Hæc exilio Poëtæ Naſonis nobilitata, authores habet Mileſios, ſi aliis authoribus fides eſt, Tomyrin Maſſagetarum Reginam. Calantram, ſiue Calatim, quæ antea Acerueris dicebatur, Heraclienſes condiderunt. Hinc Caria portus, mox Tetreſias, quæ Tritonicę & Tiriſtris; Bizus, à Lucullo vaſtata: 'Crunos, ſiue Crulios, à ſalientibus aquis dicta, poſtea Dionyſiopolis appellata: Meſſembria, antea Menobria, Megarenſium Colonia: Anchialus caſtellum, ab Apolloniatis conditum, poſtquam vetus Sardanapali corruit. Propè, Mileſij Apolloniam ædificauerunt, LXXX. M. à Boſporo Thracio, ex quâ M. Lucullus Apollinem aduexit, dicauítque Capitolio. Nomen à Dei celebri templo, cultúque accepit: ibi Argonautæ aram Apollini ſtatuerunt, ad promontorium Cetirizin, infra 'Naulochum Meſſembriorum caſtellum, ripáſque 'Paniſi. His Thracia proxima eſt, eáque à Pontici lateris fronte vſque ad Melanis ſinum. Alij ab Anchialo oppido initium ſumunt, putántque Apolloniam Thraciæ vrbem, non Myſiæ eſſe: à quâ Cherſoneſus oppidum, oppoſitum Æmo mon-ti. Infra Aulæi mœnia, Andriaca, nunc Gatapolis, Thinias cum promontorio, Halmydiſſum littus, quod & Salmideſſum, Philopoliſque ad promontorium Philiam, proxima Daphnæ portui, Arginorióque promontorio. Et hæc eſt deſcriptio lateris Europæi ad mare Euxinum, dictum quaſi Axinum, hoc eſt, inhoſpitale, à barbarie vicinarum gentium, nunc mare Maius appellatur. Hîc mare non vt alibi amarum, Mœotidis influxu, & mixtione plurimorum fluminum.

Apollon. lib. 2.

Hic clauſo miſcentur flumina Ponto,
Vimque Fretum multo perdit ab amne ſuam.
Huc Lycus, huc Sagaris, Peneúſque, Hypanúſque, Cratéſque
Influit, & crebro vortice tortus Halys:
Partheniúſque rapax, & voluens ſaxa Cynapes
Labitur, & nullo tardior amne Tyras.
Et tu fœmineæ Thermodon cognite turbæ,
Et quondam Graiis Phaſi petite viris:
Cúmque Boryſthenio liquidiſſimus amne Dyraſpes,
Et tacitè peragens lene Melanthus iter.
Quique duas terras Aſiam, Cadmique ſororem
Separat, & curſus inter vtranque facit.
Innumerique alij, quos inter maximus omnes
Cedere Danubius ſe tibi Nile negat.
Copia tot laticum, quas auget, adulterat vndas,

Ouidius. 4. de Ponto.

Nec patitur vires æquor habere ſuas.
Quin etiam ſtagno ſimilis, pigræque paludi,
Cæruleus vix eſt, diluitúrque color.
Innatat vnda freto dulcis, leuiórque marina eſt,
Quæ proprium mixto de ſale pondus habet.

Thracio Boſporo adiacent Inſulæ [7] CYANEÆ, quæ Symplegades,& Planctæ,& Phineidæ,& Syndromades, & Synormades, & Petræ viuæ,& Planetæ,quaſi mobiles & erraticæ vocantur. Symplegadum appellationem fecit,coëuntium ſpecies: Cyanearum, terræ color cyaneus, & ſubnigricans. [8] In ore Boſpori, aliis,Boſphori, quà Darius ex Aſiâ in Europam copias ponte tranſmiſit, [9] Byzantium,Lacedæmoniorum opus,ductore Pauſaniâ: ampliata per Conſtantinum Magnum, reſtauratoris nomen acceptum conſeruat: aliquando Agios, Æthuſa, & Lygos appellata. Antoniæ nomen diu non ſeruauit, quod indiderant Impp. Seuerus, & Antoninus Seueri filius. In Alexandri Seueri numo non Antonia, ſed ANTONEINIA BYZANTION SEBASTA: æterna, regia, ſecunda Roma, Noua Roma, & Auguſta cognominata. Vicinum promontorium Chryſeon Ceras, hoc eſt, Aureum cornu, doctiſſimo Salmaſio noſtro emendante, nuncupatur, cùm antea Chryſoceras vno nomine vocaretur. Aureum, à capturâ thynnorum, vnde piſcatores diteſcunt: cornu, quòd multis ramis in ſinus reductis, ſcindatur, adinſtar cornu ceruini. In [10] Propontidem aquas ſuas euoluunt, Batinias, Pydaras, & [11] Atyras. Ex duobus vltimis Ortelius vnum facit. In hoc littore Thaſum & Parium Parij condiderunt: [12] Selymbriæ, quæ Selybria, & Olybria, & Eudoxiupolis dicitur, incertus eſt author. Galatam, quæ nunc Pera, Galli noſtri Brenno Rege ædificauerunt: deſertam, nouis colonis Genuenſes impleuerunt. Sunt qui Peram, acceſſione nominis proximiore, Perinthum vrbem antiquam putant, olim Paraliam, & Mygdoniam, & Heracleam appellatam, collocatámque àd Aræi fluminis oſtium. Sed cùm Galata vicina ſit Conſtantinopoli, Perinthus remotior, Galatam Peram hodiernã exiſtimauerim. Ab Aræo, Pactya vrbs, & Cherſoneſus, Propontidis finis. In Propontide Inſula eſt [13] PROCONNESVS, Plinij Neuris, Stephano Alone, & Prochone. Sequitur [14] Helleſpontus, VII. ſtadiis Europam ab Aſiâ diuidens. Ibi Calliopolis, corrupto nomine, pro Gallipoli, Gallorum coloniâ, quam appellationem nunc caſtigatior recipit: Cardia, Caridia hodie vocatur. Nomina mutauerunt priſca in totum, [15] Cælon, & [16] Maſtuſia: in extremo Cherſoneſi, vel Cherroneſi, nihil præter * Cynoſſema, ſiue canis, in
** hoc melius in Aſiatico littore, quam in Europæo, vt infra.*
quam verſa Hecuba, tumulum: ſtationem Achæorum, Turrim delubrúmque Proteſilai, & oppidum Elæum poſt ſe admittens. Seſtos Abydo oppoſita durat adhuc ſub antiquo nomine, amoribus

ribus Leandri famoſa. Inde Melanis, Latinis Niger, ſinum facit, adoptátq; in nomen ſuum: hîc, " Ænos ciuitas, Poltyobria, Straboni, ab Æneâ condita, à quo, in eo litore, Polydori tumulus extructus eſt. Ortaguream, quæ & " Maronia, & Maronea, " Hebrus alluit, portúmque tentoris facit, ſupra " Biſtonis lacum, oppidúmque " Abderam, eodem tempore, quo Tinda, ſiue Tirida à Chalcidenſibus, per Clazomenios & Teios ædificatum, nuncupatúmque à Diomedis ſorore Abderâ. Hyginus, Diomedis famulum authorem putat, Tzetzes, Herculem, Diomede occiſo. Clazomenem dictum quoque volunt, à Clazomeniis colonis, XXXI. Olymp. quâ & Lampſacus, constructa. Hebrum prouexit ad famam, caput Orphei detruncatum: Abderam verò, claram fecit Democritus ciuis, quam Porſulim, Imparim, & Pyrſum, poſtea Maximianopolim vocatam, aliqui tradunt. Tandem Thraciam claudit " Neſſus, Herodoto. Neſtus amnis, intemeratâ etiam nunc appellatione. Ante Helleſponti anguſtias, exigua Inſula, TENEDVS, Hydruſa Ariſtoteli, ab aquarum copiâ: Ægeum mare à meridie ſuſtinet, quod in immenſam altitudinem expanſum, hinc Thraciam Europæ regionem, indè Aſiam Minorem fluctibus ſuis pulſat. Vrbem admittit Æolicam, & portus duos, templúmque Apollinis Sminthei. Antiquitatis honor eſt, conſeruatio nominis. Olim Calydna, & Leucophrys appellabatur. " LESBVM, ab vrbe præcipuâ, Mitylenem dixerunt. Antiquiora nomina ſunt, Hemerte, Ægira, Pelaſga, Æthiope, & Macaria. Eam Iſſam, etiam Lycophron vocat. Ibi Pyrrha, Ereſſus, Metimna, & Antiſſa vrbes: promontorium Sigrium. Propior Thraciæ, ante oſtia Nigri & Hebri, " IMBROS, Mercurio ſacra, cum vrbe: ſicut & " THALASSIA, quæ ante Neſſum: hanc Plinius Thaſſum, Æriam alij, & Æthriam, & Ogygiam, & Chryſam, dictam ſcribunt. Remotior à continenti " LEMNOS, Vulcano conſecrata, à filia Thoantis, loci Regina, Hypſipylæa quondam nuncupata. Primi eam Cares habitauêre, à duabus vrbibus, Myrinâ, & Hæphestiâ, Dipolis vocatur in Etymologico. Vicinior terris " SAMOTHRACE, cum vrbe: Dardania, à Dardano, Ilienſium Regum parente, dicta: ab incolis Thraciis, primò Thracia, à Samiis deinde occupatoribus, Samothracia. Eius tria ſunt promontoria, Poſidonium, Cantharius, Ampelus. Appellationem " Ægeo mari dedit ſcopulus inter Tenedum & Chium Inſulas, AEX nomine, à ſpecie capræ, quæ ita à Græcis appellatur, repentè è medio proſiliens mari. Eum ſcopulum, inter Inſulas Coſmographi reponunt, putántq; aliqui, non ab eo, pelago nuncupationem factam, ſed ab Ægeo Theſei patre, qui in eo periit, vel ab Aegâ vrbe Eubeæ, vel à caprâ Porcaniâ, vel ab Ægeâ, Amazonum Regina. Ægei pars, " Myrtoum pelagus appellatur, ab Inſulâ exili, quæ à Gereſto, Macedoniam petentibus

petentibus aſpicitur, haud procul Eubœæ Cariſto. Romani hęc maria duobus nominibus vocant: Macedonicum, quod Macedoniam & Thraciam attingit: Græcienſe,quod Græciam. Euxino circuitum Varro facit,vicies ſemel L.M. Corn. Nepos III.M. L. adiicit. Artemidorus vicies nouies XIX.M. Agrippa XXXIII. LX. M. Mutianus XXVIII. LXV. M. Mœotidis paludis circuitus putatur, XIV. VI.M. ab aliis XI. XXV. M. Spatium Helleſponti & Propontidis ad Boſporum Thracium, CLXXXVIII.M. A Chalcedone ad Sigæum CCCLXII.M. Inſulæ Propontidis ante Cyzicum, ELAPHONESVS, de quâ ſub Proconneſi appellatione, diximus. OPHYVSA, ACANTHVS, PHOEBE, SCOPELOS, PORPHYRIONE, ALORE cum oppido, DELPHACIA, POLYDORA, & ARTACÆON. Eſt & contra Nicomediam DEMONESOS. Ante Antiochiam & fauces Rhyndaci, BESBICOS: XVIII. M. circuitu. ELEA, RHODIVSSÆ duæ, EREBINTHVS, MEGALE, CHALCITIS, & PITYODES. Circuitur Mitylene, LXVI.M. Imbros, LXXII.M. Lemnos, XXII.M. Samothrace, X.M.

NOMINA RECENTIORA.

1 *Donau.* [2] *Groſſea.* [3] *Tomiſnar, Kionia* Ciofano. [4] *Varna.* [5] *Coſacho.* [6] *Laniza.* [7] *Pauonarc* barbaris *Jarcazes.* [8] *Stretto di Conſtantinopoli, Bogazin* Turcis. [9] *Stimoili*, hodiernis Græcis, *Stambol* Turcis, *Czarigrad* Slauis. [10] *Mar di Marmora.* [11] *Acqua Dolce.* [12] *Selyos.* [13] *Marmora.* [14] *Stretto di Gallipoli.* [15] *Guiſa.* [16] *Jadena.* [17] *Enio.* [18] *Marogna.* [19] *Mariſa.* [20] *Golfo di Aſproſa.* [21] *Polyſtilo.* [22] *Caraſou.* [23] *Metelin.* [24] *Lembro.* [25] *Taſo.* [26] *Stalamine.* [27] *Samandrachi.* [28] *Archipelago*, Turcis *Acdeniz*, hoc eſt, Mare Album. [29] *Mar di Mandria.*

CAPVT

CAPVT TRIGESIMVMNONVM.

Cetera Ægei maris littora cum Inſulis.



INFRA Neſſum Macedonia eſt, quondam Migdonia, Edonia, Emathia, Pæonia, Pieria, Æmonia, & Macetia. Ab occaſu Ionio mari, ab Oriente à Neſſo ad 'Maliacum ſinum decurrit, ſecundùm hanc deſcriptionem. Poſt Neſſum Neapolis, OEſima, Poſidium, ſinus cum oppido Cermoro, Amphipolis, & terminus olim Macedoniæ, Strimon fluuius, in ſinum 'Edonicum labens. Proximum Strimonis oſtio Arethuſa, caſtellum, 'Santira, vel potius Stagyra vrbs, Panormus, Athos mons, à Xerxe Perſarum Rege continenti abſciſſus. Ambitus radicis CL. M. oppidum in cacumine, Acrothon. Hodie Athos, Mons Sanctus, proximúmque promontorium, Caput Montis Sancti, olim Nymphæum vocabatur, à quo 'Singiticus ſinus incipit,

E Strabone, Ptolemæo, Gerbelly Græciâ, Pauſania, & Magino.

cipit, in cuius arcu, Athoſa promontorium, Stratonice, Hadriano reparatore, [5] Hadrianopolis appellata: Achantus, Iſtria, Graſtonia, Heraclea, Caſſera, Singus, à quo Sinui denominatio, cuius alterum cornu facit Ampelus cum vrbe Derrâ, vnde alter Sinus, ab vrbe Torone, [6] Toronaicus appellatus. Oppida ibi Phiſcella, & Soggoſtedes: [7] Cherſoneſi deinde dorſus, & promontorium [8] Canaſtræum, portúſque Copos: cui vicina eſt Inſula Scyros, Neoptolemi patria, eodem nunc quo olim nomine. Ante in Iſthmo [9] Potidæa, poſtea Caſſandria appellata, factáque Romanorum Colonia ſub Auguſto. Hinc Sinus [10] Tharmaicus, ſiue Thermaicus, nunc ab vrbe Theſſalonicâ, Salonichus appellatus. Hæc olim Halia, poſt Therma, vnde ſinui appellatio. Circa oſtia Chabrij, [11] Echedori, [12] Axij, [13] Lydij, [14] Aliacmonis, Pharybi, & [15] Penei fluuiorum in eum Sinum ſeſe exonerantium, [16] Egonis promontorium: vrbes, Dicæa, Scione, Pidna, Dion Colonia, [17] Olympus, [18] Oſſa, & [19] Pelius montes, Gigantum prælio à Poëtis famoſi. Extremitatem terræ longo tractu ſubeuntis æquor, occupat [20] Magneſia, Theſſaliæ promontorium, ſicut & [21] Sepias, & Æantium. Oppida, Ormenium, Pyrrha, Methone, Olizon, Melibæa, Philoctetis patria. Rizus, Erymne, Homolium, Orthe, Theſpiæ, Pelinna, Tomaciæ, Acarne, Cranon, Gyrthon, & Iolcos. Eſt & ſinus [22] Pelaſgicus, ſiue Pagaſicus, à Pagaſis, vbi Argos compacta dicitur, vocabulo deducto: Pagaſæ nauale Pherarum, vt Demetrias, à Demetrio Poliorceta condita, nauale alterum, nimirum Regum Macedoniæ. Infra Pelium montem celebrantur Pharſaliæ campi, pugnâ inter Iulium Cæſarem & Pompeium Magnum celebrati, & poſt [23] Poſidium promontorium, vrbes, [24] Lariſſa, olim Argos, Echinus, [25] Sperchia, [26] Thebæ Phthiotidis, & [27] Sperchius amnis, [28] Theſſaliæ finis, quæ pars Macedoniæ fuit. In Pelaſgico ſinu Inſulæ tres, [29] Scyatos, [30] Peparethus, quæ & Euonus, & [31] Scopelos. A Sperchio amne incipit Achaia, Hellas Ptolomæi, hodie Romania Alta, Magino Liuadia, terminatúrque Iſthmo Corinthiaco, quà Eubœam ſpectat, reliqua enim pars Corinthiaco ſinui incumbens, in Peloponneſo deſcribetur. Sequentes vrbes, promontoria & fluuios miro Naturæ ordine diſpoſitos habuit, vnde Ægialos dicta. Hîc primùm occurrit Boagrij oſtium, aliàs Manes appellatum: ſequuntur oppida, Larymna, Thronium, Alope, Naricium, Scaphia, ſiue Scarphya, & Scarphea, & Pharigæ nuncupata, Locridíſque emporium, & Opuntiorum nauale, Cynus, in ſinu Opuntino, vbi & Cnemides oppidum aliud Locrorum. Tum Phocidis vrbs vna maritima, Daphnus. Deſcendunt inde in æquor fluuij Bœotiæ, quę Achaiæ Regio eſt, Cephiſus, Iſmenus, & Aſopus.

Hanc

Hanc Regionem Phœnices, Cadmo duce, iamdudum tenuerunt; littora nunc reſciſſa, nunc fluctus mordentia, vbi Aulis, Græcorum claſſe in Troiam paratâ celebris, oppidum Tanagræorum cum portu L. nauiũ capace: Antedon, Phocę, & in intimis [11] Oetei ſinus, [12] Oropus, & Sacer portus, qui Delphinium dicitur, cum [13] Sunio promontorio. Eſt & Græa locus Oropo vicinus, & fanum Amphiarai, & Narciſſi Eretrienſis monumentum, Sigelum dictum. In Atticâ, quæ portio eſt Achaiæ, Bœotiæ iuncta, [14] Megarico,[15] in ſinu vrbs Megara, cuius Nauale Niſæa, infra Hyphormum portum [16] Munichiæ, [17] Pyreæum Athenarum nauale, Illiſſi oſtia, portum Schœnum, oppida duo, Cremyona, & Scyronia ſaxa. In eodem ſinu, versùs Sunium promontorium, [18] Eleuſis, Cereri ſacra, & [19] Athenæ, Cecropis opus, nunc tantum piſcatorum caſæ: & in Atticæ montanis ad mare, Laurion, locus olim argentifodinis nobilitatus. Phalera portus, montéſque duo, Cerata, hoc eſt, cornua dicti, Atticam à Megaride diuidunt. Hîc Iſthmus Corinthiacus Peloponneſum ab Achaiâ breuiſſimo terrarum obiectu diſcriminans, Ægeúmque pelagus Ionio miſceri prohibens: dictus à Corintho nobiliſſima vrbe, medium Iſthmi occupante, quæ antea Ephyrea vocabatur, à Syſipho latrone primùm condita, poſt à Corintho, Oreſtis filio reſtaurata, vltimi nomen ſeruauit. Neſcio quid * fluctus in Ægeo mari ab Achaiâ Macrin Inſulam diuidit, hæc & Abantis, & Aulis & Hecateia, & Oche, & Ellopia dicta eſt, notiore autem nomine [40] Euboea, à Thracibus habitata, CCCLXV. M. paſſ. circuitu. Quà imminet continenti, grandi fronte procedens, contra Boagrij & Aſopi oſtia prouecta, vbi ſinus Oetheus, qui & Euboicus, ſpatioſis littoribus has vrbes ſuſtinet. Poſt [41] Cenæum promontorium, Neſos, aliàs [42] Atalantes, Pyrrha, Porthmus, Ocha, [43] Ædipſus, ſiue Ædepſus, ab Ellone Iouis filio conſtructa, intérque Cerona, Nileúmq; fluuios, & Euripum, Ariſtotel. morte cognitũ, Metropolis Eubœę [44] Chalcis, ab Athenienſibus ante bellum Troianum ædificata, regnante Athenis Cecrope. Alij Amaſis Ægypti Regis, aliqui Alabaudi opus putant, Oechaliámque vetuſtiori nomine appellatam. De Erethriæ authoribus non ambigitur, Athenienſes de Erethrienſi Curiâ diſtractos colonos miſerunt. Poſt bellũ Troianum, Æclus, & Cothus Athenis profecti, ille Erethriam, hic Chalcidem incolis frequentarunt. Amarynthum vaſtauerunt Perſæ, Arethuſæ vita longior. Petalia cum Inſulis eiuſdem nominis Leonum promontoria tenet, coniunctúmque habet Pulchrum Littus, Græcis καλὴ ἀκτὴ, ante quod Myrtos Inſula, adoptatrix vicini maris, quod ab eâ Myrorum nuncupatur. Iam in Eubœâ, poſt Cale Acte, [45] Cariſtus, prius Ægea, Gereſtúſque vrbes, cum promontorio [46] Caphareo, toties Poëtis decantato, ante quod Gyræ Petræ,

Thucydid. bell. Peloponn. l. 2. & 6. Perforare Iſthmum, prouerbium de re impoſsibili, quod Demetrius Rex, poſtea Iul. Cæſar, tum Caligula & Nero tentauerunt. Poſtremus omnium Herodes Atticus, infælici exitu, & vano.

** Euripum vocãt, rapidum mare, alterno curſu ſepties in die, & ſepties in nocte, fluctibus inuicem verſis, adeò immodicè fluit, vt ventos etiam, ac plenis velis nauigia fruſtretur. Tumulus Ariſtotelis, cauſas eius non capientis. Diuidit Eubœam à Bœotia.*

** Nauplius, Palamedis filij necem vlciſci vellens, ſicarios Græcos accẽſâ de nocte face, in hac ſaxa aduocauit, fecítque, vt penè tota Agamemnonis claſſis naufragio ibi periret.*

quæ & * Capharides. Hinc in Aſiæ littus vertitur Eubœa, Icario Ægeóque mari prætenta, Caua, ſiue Curua, ſe ſtatim à Capharæo oſtentans, cum vrbe [47] Cælâ, Cherſoneſo extremâ, Budori oſtio, Cerintho oppido, quod Ellopiam antea vocabant, ab Ellope Iouis filio conditore. Celebratur eodem in tractu Artemidis, ſiue Dianæ fanũ, Chalas fluuius, [48] Oreus, vel Soreus oppidum; vltimam denominationem corruptam puto: nam à monte dictum eſt, in quo conditum volunt, Græcis quippe mons, oros dicitur: Pauſanias Iſtiæam, Mela Hiſtiæam nominat, deductâ per Athenienſes coloniâ ex Hiſtiæâ Curiâ, veteri Ellopenſium, aut pulsâ, aut cæsâ. Tria omninò reſtant promontoria, Phalaſia, Dion, & Cæneum, in quo Athenas, cognomento Diadas, Athenienſes condiderunt. Ante Atticam, Inſula [49] THERA, antea Calliſte, & Theramene, in hac ciuitates duas Lacedæmonij condiderunt, Eleuſin, & Oeam. Ab Eubœâ mari auulſa eſt HYDRVSA, quæ Cia, [50] Cæa & Cæos: tres habet ciuitates, Careſſum, ſiue Coreſſum, Iulin, ſiue Iulida, & Carthæam, ſiue Carteiam. Ante Sunium Atticæ promontorium, Megaricóſq; ſinus, [51] CHIOS, vel Chius cum oppido. Ibi Apollinis fanum & Notium vrbs, ad Melænam promontorium; hanc Inſulam, ſicut & Cyclades, Cretenſes, poſtea Cares, mox Græci tenuerunt. [52] POLYEGOS, deſerta eſt. [53] CRANEÆ vetus nomen immutauit concubitus Paridis & Helenæ, Helenámque appellauit. [54] THERASIA cum oppido eſt; hæc ann. Sal. MDVII. terræ motu per medium ſciſſa, duas Inſulas fecit. [55] CIMOLIS, Plinij Cimolus, Inſula eſt Cretici maris, quondam Echinuſa. [56] Ios tumulus Homeri. [57] DIA. [58] MELOS, olim Melida, à mellis copia vocabatur, circuitus, mill. LXXX. in quâ oppidum Biblis, & proximiores Caphareo Eubœæ promontorio [59] CYCLADES, Minoides Apollonio, Sporades Suidæ, à quo ceteri diſſentiunt, alias Cycladas, alias Sporadas putant. Hæ numero L. Harum prior [60] ANDROS, cum oppido: variæ eius appellationes, Cauron, Antandron, Laſſiam, Nonagriam, Hydruſſam, & Epagrim dictam volunt: patere in circuitu, XCIII.M. paſſ. Habet & ciuitatem ſibi cognominem [61] TENOS, circuitus eius XV.M.paſſ. [62] RHENA, vel Rhenia, quæ & Arthemis, & Celaduſa. Inter hanc & Delon ſcopuli duo, XXX.mill.paſſ. circuitur. [63] SCYROS, Neoptolemi patria. [64] DELOS, antiqua fluctuatione, ortu, & oraculo Phœbi, variíſque nominibus memorabilis, tradit enim Plinius, eam Pyrpilen, Aſteriam, Pelaſgiam, Lagiam, Ortygiam, Cynethum, Cynthon, Chlamydiam, Scythiam, & Anaphen appellatam: circuitus eius V.M. paſſ. oppidum Delos, ſiue Aſteria, & aliud eiuſdem Inſulæ, Strongyle. [65] MYCONVS, vel Mycon, vrbes habet Myconin, & Phorbiam, cum monte Dynaſto. [66] CYTHNVS, alio nomine Dryopis, & [67] SYPHNVS, antiquitus Meropia,

Melos marmor habet, varij coloris maculis iniectis, habet & bitumen, & ſulphureas aquas medicatas.

ropia, & Acis, ambitu, XXVIII. M. paſſ. & [68] CLAROS, Apollinis reſponſis, nobilis ambitu, LXXV. M. paſſ. * & [69] NAXOS cum ciuitate, Thracibus primùm, poſt Caribus, Samo aduectis, habitata, Diáque, & Dionyſias, & Sicilia Minor, & Callipolis nuncupata, inter Cyclades recenſetur, ſicut & [70] OLIARVS, & [71] PAROS, L. mill. circuitu cum oppido, Pactia & Minois appellata, marmoribus candidis fœcunda. Reliquæ Cycladum ignobiles ſunt.

** 80 Milliar. in ambitu patet, ob vinearum fertilitatem Baccho ſacra, vnde & Dionyſia vocata. Marmor hic prouenit, quod Græcis Ophites, Serpentinum, Latinis dicitur, viridis coloris, liuidioribus maculis aſperſum.*

HODIERNA VOCABVLA LOCORVM
Inſularum, vrbium, fluminum, ſinuum.

1 *Golfo del Ziton.* [2] *Colfo de Conteza:* [3] *Libanoua.* [4] *Golfo de Monte ſanto.* [5] *Franco caſtro.* [6] *Golfo Aiomona.* [7] *Capri.* [8] *Caniſtro.* [9] *Caſiandria.* [10] *Golfo de Salonichi.* [11] *Vardaro.* [12] *Deuoda.* [13] *Caſtoro.* [14] *Palecas*, *Platamona* Mercatori. [15] *Salampria.* [16] *S.Georgio.* [17] *Lacha.* [18] *Otyra.* [19] *Petras.* [20] *Cabo Verlichi.* [21] *Cabo Monaſtier.* [22] *Golfo de Armiro.* [23] *Selaſsu.* [24] *Lazo*, vel, *Larizzo.* [25] *Phtelia.* [26] *Ziton.* [27] *Comen* Theueto, *Agriomela* Sophiano. [28] *Comenolitari* Caſtaldo, *Thumeneſtia* Geufræo, *Lamina* Lazio. [29] *Sciato.* [30] *Lemene*, *Saraquino*, vel, *Opula.* [31] *Scopelo.* [32] *Golfo de Negroponte.* [33] *Zucamini*, *Suſamino* Nardo. [34] *Capo delle colonne.* [35] *Golfo de Engia.* [36] *Macina.* [37] *Piro.* [38] *Lepſina.* [39] *Satines.* [40] *Negroponte.* [41] *Canaia*, *Cabolitar* Sophiani. [42] *Tolandi.* [43] *Lipſa.* [44] *Negroponte.* [45] *Cariſta.* [46] *Phalari.* [47] *Chimi.* [48] *Lorea.* [49] *Gozi.* [50] *Zea.* [51] *Scio.* [52] *Policandro.* [53] *Macroniſo.* [54] *Santorino.* [55] *Polino.* [56] *Nio* [57] *Siandia.* [58] *Milo.* [59] *Iſole del Archipelago.* [60] *Andria.* [61] *Titte*, *Tina* Sophiano. [62] *Phermene.* [63] *Scyro.* [64] *Sdiles*, aliàs *Soliles.* [65] *Micone.* [66] *Cythno*, *Cauro* Nigro. [67] *Sirna.* [68] *Calamo.* [69] *Nicſia.* [70] *Quiniminio.* [71] *Pario.*

CAPVT QVADRAGESIMVM.

Peloponneſi periplus, cum Inſulis vicinis.

TABVLA præcedenti capiti antepoſita, non modò deſcriptionem littoris memorati figurat, ſed & illius, quæ hoc Capite, & ſequentibus duobus, quibus Europa noſtra concluditur, repræſentat. Vnde hîc, & illis, figura nulla Coſmographica, vel, vt melius loquar, littoralis. Igitur inter Ægeum Ioniúmque maria, [1] Peloponneſus, poſt Megaridem, Peninſula: ob ſinus & promontoria, queis, vt fibris, littora eius inciſa ſunt, ſimul quòd tenui tramite in latus effunditur, mox

Plin. lib 4 c. 4. Ptol. l. 3. c 15. 16. 17 Strabo lib. 7. 8. 9. Mela lib. 1. c. 3. Ortel. Mercat. Gerbell. in Græcia, & Maginus.

creſcir in altum progreſſa, platani folio ſimillima. A Seprentrionibus, Megarico ſinu, & Iſthmo, ac deinde Cretico pelago: ab occaſu, atque meridie, Adriatico & Ionio: ab ortu, parte Cretici maris pulſatur. Habet in circuitu, DLXIII. M. paſſ. In ſinu Megarico inter Argiuos & Megarenſes, Inſulæ duæ, [2] ÆGINA, ambitu MILL. XXIV. olim OENONE, de nomine nymphæ Paridis amaſiæ: & quia Myrmidones incoluerunt, Myrmidonia: [3] SALAMIN alteram harum Inſularum nominant. Prima in Iſthmi receſſu, quà Megaricus ſinus lancinar rerras, poſt Illiſum fluuium, Cenchreæ ciuitas occurrit, nauale Corinthiorum, ad Aſianas negotiationes, ſicuti [4] Lechæum, ad Italicas, in ſinu Corinthiaco. Pars Megarici ſinus, alter quoque ſinus eſt, cui nomen Saronicus, vbi Schœnus, [5] Bucephalum, & Athenienſium portus tres: Spiræum promonrorium, [6] Epidaurus, oppidum celebre delubro Æſculapij, [7] Cherſoneſus, [8] Trœzena vrbs, quæ Aphrodiſia , Sarona, Poſſidonia, Apollonia, Anthia, Hyperia, & Antanis dicta fuit: Neptuno ſacram indicar, Poſſidoniæ, vel Poſidoniæ nomenclario: à Trœzene Pelopis filio condita, cum portu Pogoni, quòd in ſpeciem hircinæ barbæ minuitatim ſciſſum ſit. Dictus autem Saronicus ſinus, quia eius littus quercetis olim repletus fuerit, ita Græciâ antiquâ appellante quercum. Hunc ab [9] Argolico diuidit [10] Scyllæum promontorium, de naufragio Niſæ filiæ denominationem ſumens. In vltimo ſinu oppidũ Hermione, Carum, mox Ionum Colonia, [11] Phlius, [12] Nauplia, Argiuorum nauale. Fluuij Eraſinus, & Inachus. Oppida Lerne, Aſtrum, Praſia, Cyphanta, [13] Zarex, ſiue Zarax, Epidaurus, cognomento Limera, antiquitùs Epitaurus, Cares tenuerunt, [14] Argos Hippium, cuius arx Lariſſa, Dios Soteros, hoc eſt, Iouis Saluatoris portus , & [15] Minoa vrbs cum promontorio, Niſçæ portum conficiens, Niſi, Scyllæ patris, opus. Noti amnes in [16] Laconico ſinu poſt Maleam promontorium, Gythius, [17] Euroras, & [18] Aſopus. Promontoria, [19] Malea, [20] Onugnatos, ſiue Aſini maxilla, & Tænarium , in quo [21] vrbs eiuſdem nominis, Cereapolis denominata, & [22] Spelunca, Inferorum aditus. Oppida eiuſdem Sinus, Bœa, vel Boæ, Helos, ab Helio Perſei filio conſtructa, Biandyna, Acria, Trinaſſus, & Gythium, naualia Lacedæmoniorum, Las, Laan Homeri, Teuthrona, Cæne, & poſt celebres Amiclas, ſinus Ægilodes, & Gytheades, cum oppido. In ipſo Tænaro Neptuni remplum , & ſpecus, illi quem in Ponto Acheruſium diximus, facie & fabulâ ſimile. Hinc ad Methonem præternauigandus eſt ſinus Meſeniacus, cum vrbe [23] Meſenâ, quæ & Meſſenia, & Meſe. Oras ſtringunt oppida [24] Abea, Thuria in ſublimi colle ſita, vndè nomẽ, quaſi celſa, poſt [25] Leuctrum Bœotorum Leuctrorum Coloniam , cuius quoque authorem Pelopem memorant. [26] Pheras Taygetus mons , & [27] Paniſus fluuius

amplectun

amplectuntur. Inde Thiſbe oppidum legitur,cuius ſaxoſum nauale columbis refertum, loci appellationem fecit. " Coronem, Pedaſum ab Homero dici putant, Bœotorúmque Coloniam eſſe, poſt bellum Troianum deductam. Eiones pagus, nauale, & Colonia Micenæorum fuit, " Aſine verò Arcadum, ductore Driope, vnde Driopum domicilium appellatur. Succedunt poſt " Acriten promontorium, " Colone, " Methonéque, Straboni Metana,cognomento Macedonica,non aliam ob cauſam, quàm, quòd Macedonum Rex Philippus in eius obſidione oculum amiſerit. Eadem littora legenti, infra " Coryphaſium promontorium, κορύφη enim vertex eſt, occurret " Pylum oppidum, Abarmum alij vocant. Homerus Nelea dixit,Meſſeniacis nauibus antiqua ſtatio extitit, ſupra Selæ oſtium,& promontorium " Cypariſſium,in quo " Cypariſſæ oppidum,Meſſeniæ finis. Hinc Elis incipit, ab vrbe primariâ nomine accepto, cuius eſt " Alpheus, qui vrbem Elidem amplexus, Arethuſæ amore flagrans, furtiuo lapſu mare ſubit, intrátque Siciliam, potiturus amatâ. Propter eius oſtium " Ichthys promontorium, vbi ſeſe iterum impedit mare, curuátque terras, " Chelonitem ſinum faciens, quem " promontorium eiuſdem appellationis claudit, cuius radices lauat " Peneus, ſupra " Cyllenen, Mercurij patriam, Elienſiúmq; nauale, in mare ſe euoluens. Cetera Peloponneſi Corinthij poſſident, quorum vrbs Corinthus, olim opibus clara, poſt clade notior, Romana Colonia facta eſt: ex ſummâ arce, quam Acrocorinthon vocant, maria vtraque contuens. Poſt " Araxum promontorium, maritimas vrbes habent Corinthij " Dimam, quam qui incolerent, victi prędones à Pompeio Magno miſſi ſunt: " Olenum & Patras,nomine adhuc durante,ibi poſt Actiacam victoriam,Auguſti iuſſu Veteranorum Colonia tranſcripta, & traducta.Hinc Poſidonis,vel Neptuni Fanum,& poſt " Rhium promontorium, quod & Drepanum, à falcis figurâ dicitur,iidem tenent Erineum portum, " Ægium, & Hyperiſiam, quæ poſtea Ægira. Inter quam & Araxum promontorium,quidquid terrarum adiacet, peculiari nomine Achaia nuncupatur. Tum vera Corinthiorum regio auſpicatur, littoribus Septentrionem ſpectantibus. In his Sicyoniæ mater, ad amnem Syin,Sicyon, quæ Hellas,Telchinia,Micone,Mecon,Ægialia,Ionia,& tandem Demetrias,à Demetrio habitatoribus datis,appellata.Perfundit " Corinthum in medio Iſthmi collocatam,recepto Pyrenes fonte, habitatione Muſarum celebri,Aſopus,exonerátque ſe in mare,propter Lechæum nauale, Iunoníſque Corinthiacæ fanum. Diruit Corinthum L.Mummius,reſtaurauit D.Iulius,Circa Peloponneſum Inſulæ duæ,Plotæ & " Strophades appellatæ. " Prote, ſiue prima, harpyarum receptaculo memoratur. " Zacynthvs,

quæ

quæ Hyria & Caſſiopa, Elato monte gloriatur. Maginus Tyrrheam olim dictam putat, & circumnauigationem eius facit MILL. LX. Habet oppidum ſui nominis in colle ſitum, cum arce munitiſſimâ. Ager vuis & paſcuis ferax. SPHAGIA in Meſſeniaco ſinu collocata eſt. [53] ITHACAM celebrem reddidit, ibi natus Vlyſſes, circuitus eius XXV. M. Iuxta Cephaleniam, Ithacámque [54] LOTOA, ſiue Letoia: in Laconico ſinu [55] TEGANVSA, aliàs Tiganuſa, contra Acrytam promontorium: ante Meſſenem [56] OENVSSA, tres eius nominis Inſulas ibi conſtituit Plinius. In ſinu Aſinæo tres quoque Thyrides putantur. In Laconico [57] CYTHERA, aliis nominibus * Porphyris, Porphyruſa, & Schotera, nuncupata, ibi religioſê Amorum parens Venus culta eſt. V. MILL. PASS. à Maleæ promontorio ſeparata, difficulter nauibus aditur. Pineta [58] PITYVSÆ nomen fecerunt, Epla quoque vocatur, in ſinu Argolico poſita eſt cum aliis pluribus, IRINE, EPHYRE, TIPARENO, EPIROPIA, CORONIDE, ARISTERA, CALAVRIA, BELBINA, LASIA, BAVCIDIIS, ELEVSA, DENDRO, GRAVGIIS duabus, totidémque CÆCIIS: omnes ignobiles Inſulæ; nobilior [59] SALAMIS, olim Scyras, & Cychreia, quam Megarenſes, poſt Athenienſes, Solone duce, occupauerunt. [60] ÆGIALIAM, quæ Ægina, OEnone, & OEnopia, Argiui, Cretenſes, Epidaurij, Dorienſéſque incoluerũt: Colonis impleuerunt Athenienſes, veteri verò habitatore, pulſis Athenienſibus, Lacedæmonij. Omnium huiuſce maris Inſularum amplior, nobiliórque Ioui reptata [61] CRETE, centum vrbibus potens, Æria, Curetis, Macaros, Macaroneſos, Hecatonpolis, Idæa, Chthonia, & Telchionia vocata. Ab occaſu Adriatico mari, à Septentrione pelago ſuo, à meridie Lybico, ab oriente Carpathio cingitur. Hanc prius habitatam ab indigenis Eteocritibus, refert Diodorus, eorúmque Regem Cretem, quamuis alij à Cretâ Nymphâ Inſulæ appellationem deriuent. [62] Cyamum promontorium Maleę Peloponneſi promontorio oppoſitum eſt, curuatúrque paulatim ad meridiem, donec ad Liſſum littus perueniat. Inter [63] Liſſum & Cyamum promontoria, duo alia ſunt, æquis penè ſpatiis ab iſto & illo diſtantia, [64] Cocus, quod Cimarus eſt Straboni, & [65] Criu Metopon, Latinis Frons Arietis. Vrbes paucæ, Phalaarna, ſiue Phalaſarne, [66] Rhamnus portus, [67] Cherſoneſus, & [68] Inachorium. A Liſſo ad Samonium promontorium, Carpathio imminens tractus, vrbes ſequentes ſuſtinet; Liſſum, [69] Tarbam, Straboni Tapha, [70] Pecilaſium, [71] Phœnicis portum, ponè Hermæa promontorium; [72] Pſychium, [73] Mataliam, Lebenam, nauale Gortyniorum, & Inatum. Ibi Ieron Oros, & Iera Petra, hoc eſt, ſacer mons, & ſacra Petra, ſupra Erythreum, & Ampelum promontoria. Latus iſtud irrigant amnes, Maſalia, aliis Meſauus, Electra, [74] Catarractus, & [75] Lethæus. In orâ orientali

*Hinc Porphyrites marmor. Ambitus eius Mill. LX.

[76] Samonium

[76] Samonium promontorium, à quo vrbs Minoa cum portu, antro Minois,& nauali Amniſo. Hęc omnia conditorem antiquum Cretenſium Regem Minoëm clamant. Author [77] Camaræ, Olíque ignoratur. Hinc [78] Cherſoneſi extrema, & poſt [79] Zephyrinum promõtorium, quà Inſula Septentrioni inclinat, Heraclium, ſiue Heraclia, Lacedæmoniorum nauale: Panormus, [80] Cytæum, aliis Cydonia, Dorienſium oppidum: [81] Dion promontorium, Pantomatrium vrbs, [82] Rhitymna, [83] Amphimalis ſinus,[84] Drepanon, quod & Apteron promontorium, [85] Minoa oppidum,[86] Pycni oſtia, [87] Cydonis, Cydon Plinio, vrbs,[88] Dictamúmque, & poſt [89] Pſacum promontorium, [90] Ceſamus, nauale Aptereorum. Circuitus Cretæ DLXXXIX.M. paſſ. Vino & Labyrintho ſuo famoſa. Circa eam Inſulæ,[91] CLAVDVS, Claudia, Magino, Gaudos Plinio, [92] ANAPHE, [93] MELOS, & [94] SCARPATHVS, vicini maris mater, quam Minois milites, poſt Argiui, incoluerunt: eſt & DIA Inſula, nunc Standia.

NOVA NOMINA.

1 *Morea.* [2] *Engia.* [3] *Coluri.* [4] *Golfo de Patras.* [5] *Canalla.* [6] *Pigiado.* [7] *Phanar.* [8] *Predena.* [9] *Golfo de Napoli.* [10] *Damala.* [11] *Vaſilicon.* [12] *Napoli.* [13] *Saran.* [14] *Argo.* [15] S.Polo, ſeu, *Malueſia.* [16] *Golfo de Colochina.* [17] *Baſilopotamo.* [18] *Eſapo.* [19] *Capo Malio.* [20] *Xili.* [21] *Porto delle Quaglie,* vel, *Ereapoli.* [22] *Matapan.* [23] *Mattagia, Moſeniga* Nardo, mihi, *Miſſetia.* [24] *Calamata.* [25] *Maina.* [26] *Cheramidi.* [27]. *Stranio.* [28] *Coron.* [29] *Phaneromini, Anchora* Nigro. [30] *Capo de Gallo.* [31] *Griſi.* [32] *Modone.* [33] *Cabo Zunohi.* [34] *Nauarrino, Zonichia* Nigri. [35] *Cabo Conello,* aliis, *Philatra,* & *S. Elia.* [36] *Arcadia.* [37] *Rophea.* [38] *Jardan.* [39] *Caſtel Torneſo.* [40] *Cabo Torice.* [41] *Jgliaco.* [42] *Seline.* [43] *Cabo di Chiarenza.* [44] *Chiarenza.* [45] *Olena.* [46] *Trapana.* [47] *Voſtiza,* ſiue, *Boſtizan.* [48] *Baſilica.* [49] *Coranta.* [50] *Strinali.* [51] *Pruodo.* [52] *Zante.* [53] *Valle di Compare, Theacchi,* vel, *Porcacehio.* [54] *Guardiano.* [55] *Caurea.* [56] *Sapientia.* [57] *Cerigo.* [58] *Louo.* [59] *Coluri.* [60] *Cecerigo.* [61] *Candia.* [62] *Cabo Cheſin.* [63] *Phioniſſo.* [64] *Hermico.* [65] *Capo Leone, S. Jani,* Nigro. [66] *Porto Spachio.* [67] *Cornito,* vel, *Cornico.* [68] *Inachorio.* [69] *Traba.* [70] *Peulalo, Pentalo* Ortelio. [71] *Penico.* [72] *Fichino.* [73] *Matala.* [74] *Caphareo,* aliquibus, *Anapadore.* [75] *Lineo.* [76] *Cabo Salomone,* prope antiquam Minoam, nunc *Paleocaſtro.* [77] *Camera.* [78] *Cabo Altelino.* [79] *Cabo de Mirauello.* [80] *Candia,* vndè Inſulæ hodiernum nomen, *Thracia* tamen eſt Sophiano, *Cytie* Belonio: cur tam variè? [81] *Cabo de la Fraſchea.* [82] *Retimo.* [83] *S. Nicolo,* vel, *Golfo della Suda.* [84] *Cabo Meleca.* [85] *Minolo.* [86] *Cylario.* [87] *Saline, Canea* Belonij. [88] *Dictana.* [89] *Cabo Spati.* [90] *Ephithiſa, Chiſamopoli* Sophiano. [91] *Gozo.* [92] *Namphio.* [93] *Melo.* [94] *Scarpanto.*

CAPVT XLI.

Epiri, & Macedoniæ, quà Adriatico & Ionio mari pulſantur, deſcriptio, cum Inſulis.

Ex iiſdem authoribus, è quibus præcedens Caput.

POST Iunonis Fanum, in extremo Corinthiaci ſinus receſſu, [1] Bœotiæ vrbes, Hyampolis, [2] Creuſa, Creuſis Melæ, Theſpientium nauale, & Siphæ. Phocidis ad eundem ſinum, [3] Criſſa, quæ poſt Cyrra dicta eſt, Delphorum nauale, diuerſas tamen diſtinctáſque in tabulis Geographicis Criſſam & Cyrrham, vel Cirram inuenio, [4] Portus inde Chaleos, ſiue Chalæon, cum oppido Locrorum Ozolorum, & Euantia. In Ætoliâ [5] Naupactos, vicinúmque oppidulum [6] Antirrio promontorio, Molycria. Medio in ſinu recubat Opuntiorum Locridis ciuitas prima, opus gentis & ſinus nomen, cum nauali, inter fluuiorum duorum oſtia poſito, [7] Eueni, & [8] Acheloi. Vetuſtior prioris appellatio eſt, Lycormas, Calydonius amnis Ouidio, quoniam Calydonem vrbem alluat. Achelous Acarnaniæ in Epiro fluuius, Thoas, Acarnanas, Theſpius, & Axenus appellatus, pugnâ contra Herculem decoratur, & quòd, cùm geminato alueo curreret, coactus eſt ab Hercule vno currere, vnde dictus alterum cornu, in eo certamine, quod inter eum & Herculem fuit, amiſiſſe: cornua quippe fluuiorum non modo vndantes ripæ, ſed ipſi aluei ſunt. In Epiro nihil [9] Ambracio ſinu nobilius eſt, faucibus anguſtis, & MILL. PASS. patentibus grande pelagus admittit. Illi nomen venit ab oppido [10] Ambraciâ, in eo littore à Tolgo, ſiue Gorgo condito, quondam Epuia, & Paralia appellata, colonia Corinthiorum, poſtea Æacidarum, & Pyrrhi Regia. Poſt Acheloum Azelia, Halyſia Straboni & Plinio, de nomine Halyſei Icari filij, Penelopes & Leucadij fratris, à quo promontorium Loucas, cum [11] oppido, olim Neritium vocato, totáque peninſula Neritis, poſt recentiore vocabulo, Leucadia. [12] Actium promontorium victoria Auguſti in Antonium, trophæáque naualia ibi erecta Neptuno & Marti conſecrata, ampliatúmque Actij Apollinis templum, quod ab Argonautis conditum Callimachus cecinit. [13] Nicopolis vrbs illi oppoſita, monumentum victoriæ Auguſti cum portu [14] Aliziâ, Herculi ſacro. Nicopolis emporium ad Aracti oſtium, Anactorium, quod Corinthij haud procul Actio in peninſulâ condiderunt, per Cypſelum,

&

& Gargaſſum,duces,operi: dirutum, & penè orbum ciuibus , ab
Auguſto reparatum, Colonis ibi vndique conuocatis auctum ,
& Colonia Romana effectum. Additus lucus cum gymnaſio ex-
tra vrbem, & ſtadio , in quo ludi quinquennales celebrabantur.
Supra lucum tumulus Apollini conſecratus. Sunt qui Leucadem,
à petra candente,qua ſcopulus ſurgit , dictam volunt . Nota eſt
fabula Saphus,quæ ſe ab eo ſcopulo in mare deiecit, vt ab amo-
ris æſtu furoréque liberaretur. De quo Ouidius in epiſtola Sap-
phus. E lacu Theſprotiæ Acheruſia palus fluit, exoneratúrq; ſu-
pra Elçæ portum , in quem [15] Acheron feſtinat , amnis Carontis
cymbâ, & tranſuectione animarum illuſtratus. Poſt Torona vr-
bem,Sybota portus,& fluuius Thyamis cum promontorio, vndè
Theſprotorum regio incipit,quorum oppidum Ephyra,alio no-
mine Cichyrum : infra Pelodes portus, [16] Buthrotorum ſinus, &
[17] Poſidonium promontorium. Hinc Caonij Epirotarum vltimi,
ſi ab Acheloo amne inceperis , quorum tres portus , [18] Caſiope,
[19] Oncheſmus,& [20] Panormus Oreorum nauale. [21] Acroceraunij
montes Epirum à Macedoniâ,Ionium ab Adriatico mari ſeparãt.
Ab iis ad alios montes, qui Caluanij vocantur, oppidum [22] Ori-
cum, ſiue Oreum, à Colchis conditum, Macedoniæque primus
fluuius Cœlidnus,in mare Ionium erumpens,Amantia vrbs Ore-
ſtidis,Bullis,ſiue Belliaca Elymiotorum,Aulon nauale Tulantio-
rum, [23] Apollonia Corinthiis & Corcyreis colonis plena , ponè
[24] Loi oſtium , ſupra [25] Apſum, & Panyaſſum amnes. Tum Epi-
damnum ciuium Romanorum Colonia , alio nomine [26] Dyrra-
chium,Corcyreorum opus, ad flumen Aoum , ſiue Aeam , & is
finis eſt [27] Macedoniæ. Ante Macedoniam,Inſula [28] SASON. An-
te Epirum, [29] CORCYRA , vel Cercyra : dum hortus Alcinoi fuit,
Phæacia,Homero decantata : Scheria etiam, Drepanum, Cerau-
nia, Argos,Macris,& Caſſiope dicta. Macris,à Macride Diony-
ſij nutrice : Caſſiope, ab vrbe , & promontorio. Corcyra vrbs à
Cherſocrate LX. poſt excidium Troiæ condita: poſt Amphipa-
gus,& Ptychia : fluuius Ægeus. Media inter Ambracium ſinum,
& Corcyram, [30] Erituſa, ſi mauis,Ericuſa. [31] SCOPVLI IV. in quo-
rum vno Homeri tumulus. [32] ECHINADES,denominatæ à multi-
tudine echinorum piſcium,quinque numero ſunt. CEPHALENIA,
Melæna,Samos,Taphos,& Dulichium, vnius Inſulæ appellatio-
nes ſunt,populis habitatæ, Proniis,Samiis,Palenſibus,& Craniis:
Neſiotas addit Liuius. Vrbes eius,Cephalenia,Cyatis,Same,Cra-
nion , & Proneſus. ASTERIS ſi celebrata ab Homero non eſſet,
prorſus ignobilis, Ithacam proſpectat , vnâ vrbe contenta , cuius
nomen Alalcomenas.

Circumnauigatio Corcyra eſt Mill. 120.

NOVA VOCABVLA.

1 *Stramuſupa.* [2] *Liuadia.* [3] *Aſpropiti*, vel, *Aſpro Spiti.* [4] *Claueos.* [5] *Lepanto*, Sinui Corinthiaco hodie nomen faciens, *Golfo de Lepanto*, *Einebachthi* Turcis. [6] *Cabo* S. *Andrea.* [7] *Phidari.* [8] *Aſpri, Catochi* Nigro, *Geromlea* Kiriaco. [9] *Golfo de Arta.* [10] *Arta*, aliis, *Larata.* [11] *S. Maura.* [12] *Capo Figulo.* [13] *Preueza.* [14] *Natalico.* [15] *Velichi.* [16] *Butrinto.* [17] *Cabo Riſetto.* [18] *Cogniza.* [19] *S. Quaranta.* [20] *Porto Panorino.* [21] *Monte chimera*, aliter, *Chimariotti.* [22] *Orco*, Gerbellio, *Velona.* [23] *Polina.* [24] *Salnich.* [25] *Spirnaſſe.* [26] *Durazo.* [27] *Albania.* [28] *Saſeno.* [29] *Corſu.* [30] *Paxo, Pachſu* nonnullis. [31] *Formiche.* [32] *Cozzulari.* [33] *Didaſcalio.*

CAPVT XLII.

Ceteræ Europæ, Dalmatiæ nimirum Illyridis, & Iſtriæ, Coloniæ, vrbes, portus, promontoria, & ſinus, cum adiacentibus Inſulis.

Ex iiſdem authoribus è quibus & ſuperiora. Delineatio autem horum omnium littorum inſerta eſt, ante Caput XXXIV. huius Libri, cum deſcriptione Italiæ. Ideo hic non additur.

PRIMVS Dalmatiæ fluuius poſt Caluanios montes & Macedoniam [1] Drilon, exigui [2] Sinus littora findens [3] Scodram Romanorum coloniam interfluit, aliámq; infra ſe deſpectat, cui nomen, [4] Liſſus. [5] Vlconium, Plinio Olchimium, ante Colchinium dicebatur, quòd à Colchis conditum eſſet: poſtea Romanis ciuibus habitatum eſt, ſicut, & vicina ei [6] Bulua, ſiue Butua. [7] Rhizonicus ſinus nomen mutuatus eſt, ab oppido Rizinio. [8] Aſcruuium authorem non habet, vt neque [9] Catara. Supra Naris, vel Naronis fluenta, olim à Corcyræis [10] Epidaurus ædificata, poſtquam Romana Colonia facta, Legio IX. appellata eſt, hodie emporio & Rep. nobilis. Poſt [11] Onæum promontorium, caſtella ſunt, Rataneum, Narona Colonia, Piguntiæ, vel Piguntum, vrbs Salona, antiquæ appellationis etiam hodie conſeruatrix, appoſita cognomini fluuio, Romana Colonia, nauale Dalmatarum, collocata inter [12] Spalatum, Burnum, Mandetrium, Tribulium, duóque oppida ciuium Romanorum, Tragurium, & [13] Sicum. Recentior eſt Colonia Sicum, vt pote quæ deducta ſit Claudio imperante, veteranis in eam miſſis. [14] Dalminium ciuitas magna, vnde nomen genti. A Sico [15] Illyris incipit, antiquiſſima vrbs [16] Scatdona, quam à [17] Iaderâ, Liburnis habitatâ, diuidit

uidit Titus, vel Titius fluuius. Ad Pauſinum amnem [17] Euona eſt: hinc vetus nomen retinens Corninium, ſiue Corinium, [18] Argirutum, [20] Vegia, [21] Ortopla, ripíſque Tedauij proxima Ioſpica, ſiue Lopſica. Medius eſt, inter [22] Seniam, Volceram, [23] Tarſaticam, [24] Flauonam, & [25] Aluonam, Oeneus fluuius. In eodem latere Adriatici ſinus Iſtria eſt, quæ in Italiâ numeratur à priſcis Coſmographis, eius, ſicut, & Illyridis & Dalmatiæ, delineationem littoralem videbis, in tabulá Italiæ, quæ Capiti XXXIV. antepoſita eſt. Prima poſt Liburnos, quà ſinus Adriaticus versùs Alpes inflectitur, vrbs [26] Neſactum occurrit, Argonautæ fundauerunt. Vltra, ſinus Polaticus & Pola, à Colchis exulibus fundata, Iulia Pietas Romanis colonis appellata, qui Ægida quoque & [27] Parentium habitauerunt. [28] Æmoniam Æmon condidit, Vrani caſtelli cum portu incertus eſt author. Vmacum in ſcopulis marino fluctu circunfuſis, præcedunt [29] Formio & Dragonia amnes. Humagum Blondus vocat. Dragoniæ nouum nomen eſſe aſſero, legendum Draconiæ, quod tortuoſis flexibus radentem terras draconem fluuius is repræſentet. Reliqui amnes, Æas, & Nar. [30] Tergeſtũ intimo in ſinu Adriæ ſitum, finit Illyricum. Phanaticum ſinum hodie Carnarium appellant, à multitudine cadauerum, quæ tempeſtatibus ad id littus eiiciuntur, cum antea, à ventorum inſaniâ ibi dominantium, nomen haberet, vel quòd piratæ proximas Inſulas incolentes, hos fluctus cædibus infeſtent. Sic paternauigatâ Europâ, quacunquè pelago ambitur, raſíſque omnibus eius littoribus, paucæ Inſulæ reſtant, enumerandæ potius, quàm deſcribendæ, antequàm ad alteram Orbis partem, quæ Africa dicitur, proram torqueam. Igitur antè tractum Illyrici *ARBA, dubiũ an antiqua appellatio, certior [31] GISSÆ, de quâ Plinius meminit. [32] APSORRVS duas continet ciuitates, vnam ſui nominis, Crepſam, ſiue Crexam, alteram. Par eſt ratio [33] CVRICTÆ, ſeu Curictæ, Curico, & Fulſinio vrbibus claræ: Cerycticam appellat Strabo. PORTVNATÂ, quaſi in portu nata, exili circuitu. [34] SCARDONÆ aliqui duas ciuitates attribuunt, ſed Plinius vtraſque Inſulas aſſeruit, ARBAM, & COLENTVM. Dalmatiæ littori aduerſæ ſunt, [35] ISSA cum oppido. [36] TRAGVRIVM cum vrbe ab Ilienſibus conditâ. PHARIA, quæ & Parus, Pariorum colonia. [37] CORCYRA oppidum habet ſui nominis, Cnidiorum opus, Melæna, hoc eſt, nigra cognominatur, ad diſtinctiònem Corcyræ Scheriæ, quæ inter Inſulas Ionij maris hactenus numerata eſt. Pauci Coſmographi [38] MELIGENES, ſiue Melitinæ meminerunt. In orâ Liburniæ [39] ABSYRTIDES, abſyrti Medeæ fratris, ibi interfecti, teſtatio. CAPRARIAM, ſiue Pullariam, aliqui Inſulam, Peninſulam alij volunt, in quà vrbs Iuſtinopolis, à Iuſtino Imp. Iuſtiniani filio condita, incurrentibus vndique barbaris totius Iſtriæ munimentum. Ean-

Reliqua è Blondi, & Leandri Alberti Iſtria. Item è Caſtela, in itinere Ieroſolymitano.

* *Maginus* Giſſam *dicit*, Pago *vocari dicit, vbi ſalinæ Ambitum eius facit C. Mill.*

Phariam nunc Lexinam vocari aſſerit Maginus, faciſque eius circum nauigationē Mill. 150 Vrbem habet cum portu magnæ claſſis capacem.

dem Ægidem antea appellatam. Palladíque conſecratam, vetus monumentum, quod Nic. Florentius Iuſtinopoli ſe vidiſſe ait, teſtatur.

D. N. CÆSAR IVSTINVS P. SAL. PIVS
FELIX VICTOR AC TRIVMPHATOR
SEMPER AVGVST. PONT. MAX. FRANC
MAX. GOTTH. MAX. VANDALIC. MAX.
COS. III. TRIB. VIII. IMP. V.
CONSPICVAM HANC ÆGIDIS INSVLAM
INTIMO ADRIATICI MARIS
COMMODISS. INTERIECTAM VENERAN
DÆ PALLADIS SACRARIVM QVONDAM
ET COLCHIDVM ARGONAVTARVM
PERSECVTORVM QVIETEM OB
GLORIAM PROPAGANDAM IMP.
S. C. IN VRBEM SVI NONINIS EXCEL
LENTISS. NVNCVPANDAM HONESTISS
P. P. P. DESIGNAVIT. FVNDAVIT
C. R. P. Q. ET GENTE HONES
TISS. REFERTAM.

Ad Lemi oſtium FICARIOLA, olim Conueneria. ROVINIVM, olim Aurupina, cum oppido. SERORLÆ duæ, quaſi Sororiæ. BREONIA ante Polam eſt. Iſtriæ tractus XL. M. paſſ. Adriaticum oppidum ab Hunis, & Gothis deletum, appellationem fecit Sinui, cuius longitudo ſepties centena M. latitudo C. XL. M.


NOVA NOMINA.

1 *Drino.* [2] *Golfo de Londrino.* [3] *Scutari.* [4] *Aleſsio.* [5] *Dulcigno.* [6] *Budea*, *Buia* Fauonio. [7] *Golfo de Riſina.* [8] *Caſtro nouo.* [9] *Catharo.* [10] *Raguſi.* [11] *Cabo Cumano.* [12] *Spalato.* [13] *Sebenico.* [14] *Deuna*, vel, *Damna.* [15] *Sclauonia.* [16] *Scardo*, aliis, *Sardona.* [17] *Zara.* [18] *Nona.* [19] *Scriſia.* [20] *Vejo.* [21] *Ortopula.* [22] *Segna.* [23] *Ternouizza.* [24] *Fianoua*, [25] *Albon.* [26] *Caſtello nouo.* [27] *Parenzo.* [28] *Citta noua.* [29] *Rianno.* [30] *Trieſte.* [31] *Pago.* [32] *Ozero.* [33] *Vegia.* [34] *Malconſeglio.* [35] *Liſſa.* [36] *Trau.* [37] *Curzoli.* [38] *Moleda.* [39] *Vega, Pago, Cherſo, & Oſera.*

CAPVT

CAPVT XLIII.

Deſcriptio littorum Africæ cum adiacentibus Inſulis, à Nilo ad Columnas Herculis, & Atlantis montem.




SICVT Europam Inſulam eſſe vetant, Riphæi montes, & Sarmatiæ portio, Sic & Africam breuis Iſthmus, Ægyptium mare ab Arabico ſinu excludens. Hanc orbis partem non ſicuti ceteri à Mauritaniâ deſcribere incipiam, ſed à Nilo Ægyptóque ad Columnas Herculis, tum ab iis ad Arabicum ſinum progrediar, vndè per Indicum mare Aſiæ deinde circumnauigatio facilior ſit, & Scythici maris, Mœotidis, Ponti, Propontidis, Ægei, Cilicíque luſtratio minus confuſa, & periculoſa. A Nilo ad Columnas Herculis, tota ora antiquis Coſmographis, per victorias Romanorum feliciter cognita, ſinubus paucis & amfractibus interſciſſa directo penè tractu, in longitudinem habet LXXXV. M. paſſ. Menſura Iſidori opinioni conuenientior,

E Plinio lib. 5. Ptolomæo lib. 5. Strabone lib. 17. Leone Africano in deſcript. Afric. Mela. Mercat. Ortelio. Magino.

tior, qui Canopum à Tingi abeſſe aſſerit xxv. xcix. m. paſſ. Igitur in Ægypti littore à Peluſiaco Nili oſtio, quod Aſiam ab Africâ ſeparat, Taniatis oppidum, de cuius nomine ſecundum Nili oſtium appellatur Taniticum: hinc tertium, Mendeſium, ſupra vrbẽ [a] Tarichiem. Quartum, Pathmeticum, vel Pathnicum: quintum Diolcos, de nomine vrbis, quæ in proximo ſtat littore: ſextum, Pineptimum, vbi Pachnumenis oppidum: ſeptimum Sebenniticum, aliis Sybenniticum. Inde Perſei ſpecula, Mileſiorum murus, Cyaxaris Medorum Regis ætate à Mileſiis conſtructus. Subit octauum Nili oſtium, atque, vnde illi nomen eſt, Bolbitina ciuitas, hoc quoque alij Bucolicum vocant. Duo hinc promontoria, Agni cornu, & [a] Chereus cum oppido. Poſtremum denique & celebrius ceteris oſtium, [b] Heracleoticum, quod Canobicum, & Naucraticum dicitur. Et Canopicum quidem à Canopo, gubernatore Menelai, Heracleoticum ab vrbe Heraclia, ſicut & Canobicum, ab alterâ vrbe [c] Canobo. Qui nouem oſtia huic fluuio fecêre, dictum ordinem obſeruauerunt. Scio alios vii. tantùm dediſſe, ſed & aliquos vndecim: medium tenui. Sequitur [d] Alexandria, monumentum Alexandri Magni, quam Adrianus Imp. ſolo penè æquatam, priſtino decori reddidit, Vero & Auguro Coſſ. Diuerſæ eius ſunt appellationes, enim Magna, Racaſta, Racotis, Leontopolis, Pharos, Sebaſte, Auguſta, Iulia, Clandia, Domitiana, & Alexynteria vocata. Apoſtaſem, id eſt, receſſum, & Cibotum, hoc eſt, arcam, naualia habuit. A leuâ, dextráque duo promontoria, Acrolochias, & Lochias. Ante [e] Pharos, Inſula ponte continenti commiſſa. In eâ turris ex albo lapide, nominis eiuſdem, quam Soſtratus Cnidius poſuit, ad nauigantium ſalutem, fumo ibi de die, flammâ d e nocte apparente. Supra Alexandriam lacus, Arapotes, & Marcotis dictus. Ad littus Antiphra vrbs, in mari verò Antirhodus Inſula, ſic dicta, quaſi æmula Rhodi. In continenti ſubiacentes fluctus deſpectat [f] Necropolis, hoc eſt, vrbs Cadauerum, circa horti plurimi & ſepulchra. Proximè Xenephyris oppidum, Cherſoneſus promontorium, vbi hodie amœna & nobilis ciuitas Boſira. Antiquiores, Plinthine, cum promontorio, recentiori nomine, Turris Arabum appellato, [g] Chimo, & finis Ægypti Caportes. Ante Plinthinem Didymæ Inſulæ recumbunt. Ægyptiaco littori adhæret Marmarica, vicinúmque habet promontorium Glaucum. Leucaſpis ſequitur, theatrali modo cauato portu, tum Zephyrium, Antiphra villa, Pedonius portus, & ante eum Pedonia Inſula. Derris in extremo promontorij ſita eſt, appellatio à petrâ quadam, pellis imagine figuratâ. Hinc Pigneus pagus, Phœnicis portus, [h] Hermæa Acra, Leuce Acte, vel, Album littus; Cyzis portus, Zygis Ptolomæo, Callij promontorium, Greaſgony, ſiue Vetulæ portus, & poſt


& poſt Pythin Acran, Paræronium, aliquibus Hammonia portuoſa. In illius vicinia eſt Apis, Triſarchi villa, ante quam PHOCVSÆ Inſulæ duæ, Selinis portus, Zagylis villa, è quâ in Inſulas ÆNESIPPAS, ſcopulos tres, vel quatuor TYNDARIOS, & ÆNESIPASTAM, confuſum nomen puto, proſpectus eſt. " Eniſipiam apud Ortelium reperio. Zagylim, villæ aliæ ſequuntur, Cnętæa, Zygris, Æneſiſphyra ſtatio, Neſiſphyra Straboni, Catabathmos Magnus, Panormus, & Petræ portus, ſupra, Ardanis, ſiue Ardanaxis promontorium, alterúmque Catæonium huic adiacens, cum Scythranio portu," Antipyrgo, Tetrapyrgia Straboni, Petris Paruis, Batracho obiecto ANDRONI Inſulæ, Paliuro, ſiue Plyno, Phthiâ portu, " Cherſoneſo Magnâ, & Axyli villâ. Et hæc littoralis eſt deſcriptio Marmaricæ, quæ hodie Barcha dicitur, Regio prima Libyæ poſt Ægyptum. Succedit Marmaricæ " Cyrenaica, nomen etiam metropoleos, hinc Punicum, ſiue Libycum pelagus incipit. Digna memoratu, in eius littore, Zephyrion promontorium, Erythron oppidum," Apollonia, vaſtóque procurſu ęquor penetrans Phycus promontorium, à cuius tergo remotior à mari " Cyrene, quam Teræi Spartanorum Coloni condiderunt, malim tamen eius authorem Battum, Teræ verò Caliſtæ, indicantc hoc appellatione, Teræorum opus, nauale Cyrenes. Auſigda nomen ædificatoris perdidit," Barce reparatorē habet Ptolomęum, cuius nomen ſeruat, dicitúrque Ptolomais: ſicut Cleopatris "Arſinoë. Infra Lethen oppidum, Lethon, aliàs Lathon, poſtquam Berenices lauit mœnia, pelago ſe condit, in Syrtis extimo cornu, vbi horti Heſperidum memorantur. Syrtis Magna exordium habet, à Boreo promontorio, quod Borion, Hyporegium, & Hippon dicitur. Vadoſum, & noxium nauigantibus littus, accolunt Naſamones, quos antea Meſanimones Græci appellabant. Ibi Turris Herculis, Diaorea portus," Diacherſis cum pręſidio, " Dropanum promontorium, " Automalax præſidium Cyrenaicæ, ſiue Pentapolitanæ regionis, cuius & finis ab aliquibus ſcribitur, quos ego ſequor.



Igitur Africa peculiaris regio Africæ, quæ hodie Barbaria dicitur, ab interiore ſinu Syrtis Magnæ incipiens, quà mari alluitur, deſcriptionem hanc habet. [22] Phileni villa, aræque Philenorum, ex arenâ factæ, [23] Hippi extrema, Iſpolis, [24] Pharaxa, Charax Straboni, Pyrgos Euphranta, [25] Sacamaza, vici: Aſpis vrbs & collis, à ſimilitudine ſcuti appellatione factâ, [26] Macomaca villa, finiſque Syrtis, [27] Trierorum promontorium. Habet Syrtis ea in circuitu DCXXV. M. paſſ. Lotóphagi, quos Alachroas aliqui vocant, eius littora inhabitant. Hinc ad Syrtim Paruam tractus directior, in quo Cinſterne, Barathia, [28] Barathra Straboni, [29] Cyniphi oſtia, [30] Neapolis, quæ & Leptis Magna, Garapha portus, & celebrata ab Apuleio Heoa, vel Oea, cuius per arua Cinyps fluit. Hinc [31] Syrtis Parua, initium ſumens à promontorio [32] Piſidone, in cuius ſinu [33] Sabathra, [34] Zetha extrema cum oppido, Hedaptha ciuitas, Gyčthis, [35] Thacape, Tritonis oſtium, in intimo receſſu. Syrti huic Sinus eſt, C. M. paſſ. quà mare accipit, patens: CCC. quà cingitur. Verùm importuoſus atque atrox, & ob vadorum frequentium breuia, magíſque etiam ob alternos motus pelagi affluentis, ac refluentis, infeſtus. Supra hunc ingens palus amnem Tritonem recipit, ipſa [36] Tritonis dicta, vnde & Mi-

neruæ

neruæ cognomen inditum eſt, vt incolæ arbitrantur, ibi genitæ: faciúntque ei fabulæ aliquam fidem, quòd quem natalem eius putant, ludicris virginum inter ſe decertantium celebrant. Infra [37] Tritonis oſtia [38] Macodama, Thenæ & [39] Taphrura initium alterius littoris, in quo [40] Vſilla, Vſalitanum Plinij, Latinum oppidum, Bracodes extrema, Rhuſpe, Achola, Tapſus, Leptis Parua, Rhuſpina, Adrumetum, [41] Aphrodiſium, [42] Siagul, Neapolis, Curubis, [43] Aſpis, Hermea extrema, ſiue [44] Mercurij promontorium, [45] Clypea, vel Clupea, Niſua, ſiue Miſua, [46] Carpis, Maxulta colonia, [47] Catadæ oſtium [48] Carthago & [49] Vtica, ambæ inclitæ, ambę à Phœnicibus cõditæ: hęc fato Catonis inſignis, illa ſuo: vtraq; populi Romani Colonia. Has inter, Caſtra Lælia, & Caſtra Cornelia. Deinde [50] Apollinis promontorium, vaſtè proiectum in altum, & grandem ſinum efficiens, in cuius circumductione, Thiniſſa, olim Tharſis, caput hodie Tunetani regni; Hippon, vel equorum citatio, Neptuni aræ, initium latioris ſinus, vbi [51] Apollinis templum, [52] Tabraca, Sabathra, & Tabathra, oppidum ciuium Romanorum, tribus nominibus appellatum, tandémque [53] Rubricatus amnis, Africæ Minoris finis, cuius initium Aræ Philenorum, nomen ex Philenis fratribus tractum, qui contra Cyrenaicos miſſi Carthaginem, ad dirimendum conditione bellum, diu iam de finibus, & cum magnis amborum cladibus geſtum, poſtquàm in eo, quòd conuenerat, non manebatur, vt vbi Legati concurrerent, certo tempore vtrinque dimiſſi, ibi termini ſtatuerentur: pacti de integro, vt quidquid citra eſſet, popularibus cederet: mirum, & memoriâ digniſſimum facinus, hîc ſe viuos obrui voluerunt. Poſt Rubricatum amnem, Numidia eſt, altero amne clauſa, Ampſaga ſcilicet. Inter vtrunque iſta: [54] Hippos Regia, Romanorum Colonia, quæ ſuum nomen proximo ſinui tribuit, alteráque Colonia eorundem, Aphrodiſium. Promontoria, [55] Stoborum, & Hippi. Inter Armuam & Thuſcam, exigui curſus, alueíque amnes, vndè Latinis vltimum promontorium Dilutum, Diarrhytum à Græcis, quaſi Aquoſum dicitur. Hinc Siur portus, Collops Paruus, Tacatya, [56] Olcachites ſinus cum oppido, Vzicath, [57] Treton promontorium, Ruſicada, [58] Collops Magnus, vel Cullu, mediáſque ſecans Numidiam, & Mauritaniam Cæſarienſem [59] Ampſaga fluuius, ſinum Numidicum in duas partes penè æquales diuidens.



Littora Mauritaniæ Cæſarienſis ſequentem deſcriptionem habent, poſt Ampſagam, Azarath oppidum, os [60] Guli fluminis, [61] Igilgili vrbs ab Auguſto reſtaurata, Audum promontorium cum fluuio pari cognomine cum eo, [62] Iarſath & Chobath Siſar, & [63] Naſabath fluuij præterfluunt: [64] Salde Colonia eſt Auguſti, ſicut & Ruſarus, inter vtramque [65] Vabar, ſiue Nabar, colonos ſuos perdidit: aliqui putant Ruſazum, Ruſubyrſim, & Ruſuberem, vnius vrbis nomina eſſe, alij contra. Statim ab Iomnio, fluuius eſt [66] Serbes, quem Serbeton Ptolomæus, Sardabalam Plinius vocat. Ruſſocoru, ſiue Roſcurium ciuitate honoratum eſt à Claudio. Addyme, [67] Ciſſe, Modunga, & Ruſicibar oppida fuerunt etiam ignobilia, ſolúmque Ciſſe hodie mutato nomine durat. [68] Ruſtonium, Ruſconia Plinio, colonos habuit ab Auguſto, [69] Icoſium verò poſt [70] Saui oſtia, à Veſpaſiano Latij iure donatum eſt: Via, & Serſelus Romanorum coloniæ fuerunt, [71] Tipaſam in ius Latinum adſciuit Claudius, [72] Iol Regia quondam Iubæ, & quia in gratiam Auguſti, vel ſi mauis, Iulij Cęſaris ædificata, Iulia Cæſarea nuncupata fuit, deducti Claudij iuſſu veterani poſtea incoluerunt. Hinc ſeſe maritimis fluctibus [73] Chinalaph miſcet, ſupra [74] Canucim, [75] Caſtra Germanorum, [76] Apollinis promontorium, Coloniam Gunigi, [77] Lagnutum, Carco-

nam,

mam, [78] Carepulam, [79] Cartennam, in quam Legionem II. Auguſtus tranſmiſit, ad ripas Cartenni, [80] Arſenariam, vel Arcenariam Coloniam Latinam, Deorum portum, [81] Vuizam Coloniam, Ampſam Caſtellum, amnéſq; in [82] Laturum ſinum fluentes, [83] Sardabalem, & Chylemath. Inferius ad Fretum Magnum, Aſarath fluuius, & [84] Siga, cum [85] ciuitate eiuſdem nominis, Syphacis, quondam Regiâ, eadémque Romanâ Coloniâ. Gypſaria portus, Sigæ vicinus eſt, & Magnum promontorium, [86] Maluáquę fluuius, Cæſarienſis Mauritaniæ terminus, à quo Tingitana, vel Tinganica incipit. Cuius [87] Molachath flumen, Portúſque, cui Magno cognomen eſt, ob ſpatium, oppidum ciuium Romanorum. Tum ſeſe mari immittit promontorium [88] Metagonium, exiguóque ſinui impoſitum oppidum [89] Ryſſadirum, Ruſſadir Plinio, Ptolomæo Ruſader, à quo [90] Seſtiaria extrema, [91] Tæniolonga [92] Acrath, [93] Oleaſtrum promontorium, [94] Thaludæ, Tamudæ, ſiue Tamuadæ exoneratio, oppidum [95] Iagath, [96] Phœbi exttema, vbi totius Mauritaniæ primaria ciuitas à Romanis condita, [97] Septa, aduerſáque Hiſpaniæ ad os [98] Gaditani freti [99] Alybe columna, Latinis Abyla, ſimica cognomine, ob ſimiarium multitudinem: eam in Africâ, ſicut Calpen in Europâ, poſuiſſe putatur Hercules, qui iuxta Abylam ſacrum ſpecum habuit. Ad Fretum, Heptadelphi mons, hoc eſt, ſeptem fratrum, forſan ob id, quòd ſeptem paribus acuminibus findatur, illabente inter omnes æquore: vt alij malunt, quòd ibi ſeptem fratres cæſi, & ſepulti ſint. Exiliſſam malè multi cum Septâ confundunt, hæc enim hodie *Seuta*, illa, *Muſa* vocatur: Anſa Romanorum colonia nomen ſitúmque amiſit, conſtat eam ſupra oſtium Valonis fluminis collocatam, incerto tamen loco, nullis ruinis apparentibus. In eodem littore [100] Tingi, nomen Mauritaniæ faciens, oppidum quondam ab Antæo conditum, poſtea à Claudio Cæſare, cùm Coloniam ibi miſiſſet, appellatum, Iulia Traducta. Abeſt à Belone oppido Bæticæ, proximo traiectu XXX. M. paſſ. Eo loci multa oppida Hanno Dux Carthaginienſium condidit, vt è nauigatione, quam ipſe ſcripſit, manifeſtum eſt, Thymiateram ſcilicet, Murum Garicium, Gitten, Acram, Melitam, & Arambam, quas Soloëntis promontorium diuidit. Iam ad Oceanum Colonia Auguſti Iulia Conſtantia, prior poſt Fretum Herculeum ad ſiniſtram nauigantibus occurrens, [101] Zilis Regum ditioni exempta, & iura in Bæticam à Romanis petere iuſſa, variis cladibus memorabilis, à Gothis, Sarracenis, Anglis, Mahometanis, & Luſitanis diruta: eam Zelim Strabo vocat: Zilia amnis vrbem interſecat, infra promontorium pelago deuolutus, quod Cotes appellatur. A Zili XXXII. M. paſſ. Colonia à Claudio Cæſare facta, [102] Lixos: ibi Regia Antæi, certaminíſque locus cum Hercule, & Heſperidum horti. Affunditur

autem huic æſtuarium è mari, flexuoſo meatu, vnde draconis fabula, ſinuoſo volumine aurea poma cuſtodientis. Intus Inſula, quam ſolam in hoc tractu, æſtus maris nuſquam inundant. Extitit & in eâ Herculis ara, nec præter oleaſtros, aliud ex narrato illo aurifero nemore. Maiorem antiquâ Carthagine Lixon vrbem, aliqui tradidêre, quam [103] Lixus fluuius alluebat, à quo, L. M. amnis alter [104] Subur, pręter Banaſam Coloniã defluens. Hinc oppidum Sala, nomen retinens, vetus Romanorum Colonia, euersã Manſorus Califa reſtaurauit, Regibúſq; Marocci ibi mauſoleum extruxit, nuper hanc Raſilius Pro-prætor maritimus, ſub Illuſtriſſimo Cardinali Richelæo, littoris vtriuſque & commerciorum Præpoſito, Imperio noſtro domitam addidit, magiſtratibus creatis, qui de negociationibus, litibúſque inter Gallos mercatores motis, iudicarent. Iſta vrbs impoſita eſt fluuio eiuſdem nominis: vltra, ſolitudines, gregibúſque elephantorum quondam infeſta tellus, nunc vacua. Ad Emporicum ſinum, [105] Duus currit. E mediis hinc arenis [106] Atlas Minor in cælum attollitur, ſquallénſque, & aſper, quà vergit ad littora Oceani, cui cognomen impoſuit. Ex eius vertice [107] Ruſibim portum, qui aliis Rutubis, fluens intrat [108] Cuſa, [109] Azama fluuius, oppido, quod terit, nomen indidit, vbi Thymiateram Hannonis aliqui fuiſſe narrant. Præcedit [110] montem Solis, [111] Diur, vel Diux. [112] Fuut, aliis Phthut, hodiętnum Marrocum, Regni caput, interſecat. Subit inde Miſocoras portus, [113] Herculis promontorium, [114] Tamuſiga, [115] Vſadium promontorium, [116] Suriga, [117] Vna, Gna, cum Colonià, & [118] Sala amnes. Inter hunc & [119] Atlantem Maiorem, ab antiquis Afris erecta eſt vrbs Temeſte, in tres partes, veluti totidem vrbes diuiſa, nunc Meſſa nuncupata. Vltra Atlantem, qui vetuſtiori nomine Dyris vocabatur, tempore Plinij, Suetonius Paulinus vſque ad Nigrum flumen Romanum Imperium promouit, loca inhabitabilia feruore, iunctam Æthiopum gentem, quos Peroſos vocãt, antiquitas retulit. INSVLÆ in Africo mari ad Syrtim Magnam ſunt, GAIA, PONTIA, MISINVS. Ad paruam Syrtim, [120] LOTOPHAGITES, in qua ciuitates duæ, Mininx, ſiue Mermex, & Thoiar, vel Gira, quæ & Gerrapolis. Altius in mare penetrant [121] ÆTVSA, [122] LOPADVSA, LARENVSIÆ duæ, [123] ÆGVMNVS, ſiue Ægimurus, [124] DRACONTINVS, proprius terris: CALATHE, HYDRAS, HERCVLIS TEMPLVM, IVNORA, ſeu IVNONIS TEMPLVM, & GLAVCOIS, vel Glauconis: [125] CERCINNA, quæ & Circinitis, diuerſas alij malunt, Carthaginienſi ſolo ponte cõnectitur. Hæ inter Siciliam, Sardiniámque, & Africam poſitæ ſunt, inter Sardoum & Ibericũ pelagus, ſed continenti Africæ vicinior IVLIA CÆSAREA cum ciuitate. In mari Atlantico ante Mauritaniã Tingitanã, PÆA, & ERYTHIA, Plinij Erithrea, quondã Gerionis regnum.

NOMINA

NOMINA PROPRIA, QVÆ HOC CAPITE continentur, hodiernas voces admittunt, iſtas.

1 *Gihon*, Æthiopibus, *Sihor*, Iudęis, *Aloadexton*, Arabibus, *Mahara*, Georgianis. [2] *Tacarie.* [3] *Cabo de Bicchieri.* [4] *Roſeto.* [5] *Bochir.* [6] *Scanderia.* [7] *Pharioni.* [8] *Moneſtier.* [9] *Cacoberio.* [10] *Cabo bon.* [11] *Iſola de Colombi.* [12] *Lucho.* [13] *Cabo de Raxatimi.* [14] *Corene*, *Aſſadib*, Theueto. [15] *Bonodria.* [16] *Corene.* [17] *Tolomita*, vel, *Ptolemeta.* [18] *Toacara*, ſiue, *Trochara.* [19] *Cariora.* [20] *Cabo ſalinas.* [21] *Eſtani.* [22] *Licuria*, *Hernich*, Zardo, *Porto de Saba*, Oliuario. [23] *Cabo de Sorta.* [24] *Sibecca.* [25] *Zedicho.* [26] *Meſoreta.* [27] *Sudeyca.* [28] *Brata.* [29] *Magro.* [30] *Tripoli.* [31] *Golfo de Caps.* [32] *Zoarat.* [33] *Rakianabes.* [34] *Zerbi*, vel, *Potenzita.* [35] *Capis.* [36] *Caps.* [37] *Secche de Barbaria*, *Baxos de Barbaria*, Oliuario. [38] *Mahometa.* [39] *Fachs.* [40] *Monexi.* [41] *Africa.* [42] *Suſa.* [43] *Quipia.* [44] *Cabo de Nubia.* [45] *Cupla.* [46] *Cabo Saffran.* [47] *Carada.* [48] *Rocca de Maſtinaces*, *Almenara* Afris, eius portus *Marçia.* [49] *Biſartha.* [50] *Raſamuſath.* [51] *Tamaclati.* [52] *Bugia.* [53] *Guadilbabar.* [54] *Bona.* [55] *Stoora.* [56] *Alcon.* [57] *Cabo Brueramel.* [58] *Alcol.* [59] *Suf Gemar.* [60] *Collo.* [61] *Gigel*, vel, *Gegel.* [62] *Tedelez.* [63] *Saufsagia.* [64] *Tadelis*, aliis, *Alger*, hodie regni caput. [65] *Biſmeo.* [66] *Miron*, Caſtaldo, *Hued Icer*, Marmolio. [67] *Cerceli.* [68] *Breſca*, *Motafus*, & *Temen de Fuſt*, nonnullis. [69] *Orano*, Nigro, *Acor*, Caſtaldo. [70] *Saſfaia.* [71] *Taues*, Mercatori, *Saſa*, Morali. [72] *One*, aut *Albora*, Nigro, *Tiguident*, Marmolio. [73] *Cephel*, vel, *Acafran* [74] *Sargel.* [75] *Brexar*, *Berſac* Arabicè. [76] *Raſamuſath.* [77] *Tenes.* [78] *Battalie*, *Gira Flumar*, Barbaris. [79] *Mazzagran.* [80] *Arſen.* [81] *Orano.* [82] *Golfo de Eſtora.* [83] *Mina*, *Rio de Cena*, Mauris. [84] *Rio de Areſgol.* [85] *Humain*, *La Guardia*, Oliuario, *Areſgol*, Marmolio. [86] *Melitia*, Teiſero, *Muluya*, vel, *Mululo* aliis. [87] *Molocath*, Ortelio, nunc *Nocore*, *Mululaca*, Arabibus. [88] *Cabo de tres arcas*, aliis, *de tres forcas.* [89] *Melilla*, *Deyrat Milila*, Afris. [90] *Galba.* [91] *Meſenna.* [92] *Alſema.* [93] Ibi hodie oppidulum, *Gebha.* [94] *Bedie.* [95] *Targa.* [96] *Cabo de Targa.* [97] *Seuta.* [98] *Freto di Gibraltar*, aliis *Zibaltar.* [99] *Sierra Dalmarſa*, *Alminna*, Cluſio, *Alcudia*, Arabibus. [100] *Tanger.* [101] *Arzila.* [102] *Larache*, *Arays*, incolis. [103] *Luſſo.* [104] *Subbu.* [105] *Guir.* [106] *Lante.* [107] *Eſtezo*, *Vmarabea*, Marmolio. [108] *Omirabib.* [109] *Azamor.* [110] *Margazen.* [111] *Deime.* [112] *Tenſiſt.* [113] *Cabo de Cantin.* [114] *Tifeldedt*, *Feſſa*, Nigro. [115] *Cabo de Alguer.* [116] *Abet*, Caſtaldo, *Gor Porto*, Curioni. [117] *Suz.* [118] *Buragrag*, *Buregreg*, vel, *Sumir.* [119] *Maiuſle.* [120] *Zerbi*, ſiue, *Gerbi.* [121] *Limoſa.* [122] *Lampedola.* [123] *Galetta.* [124] *Chelbi.* [125] *Gamelara*, *Querquenes*, & *Carcana*, nonnullis.

CAPVT.

CAPVT XLIV.

Cetera littoris Africæ cum Inſulis ad antiquis cognitis, ſcilicet ab Atlante Maiore trans Æquatorem gradibus XV. *cum vnâ tertiâ, hinc ductâ lineâ ſub eodem gradu & diſtantiâ, deſcriptio littoris cogniti à Praſſo promontorio, ad ima ſinus Arabici.*



E Ptolemæo, Plinio, Melâ, Arriano, Iambulo, & Petro Larric in Hiſt. Indiar.

POST Atlantem Maiorem, Getuliæ & Libyæ interioris littus ſic à Ptolomæo & aliis deſcribitur, [1] Suburis & Salathi oſtia cum vrbe Salatho: infra hãc, Chuſarus fluit, ſupra [2] Gamnariam extremam, Chuſarim alij, Coſenum Plinius vocat. Begazi ciuitas inter duos amnes ſita eſt, Ophiodum & Nuiium. Sequitur [3] Saluentia extrema, [4] Maſſæ oſtium, Iarſitha ciuitas, [5] Daradi, ſiue Darati oſtia, [6] Magnus portus, ſiue Orarani, Babiba vrbs, [7] Aſinarium, ſiue Arſinarium promontorium, aliud quoque Ryſſadij nomine: & in [8] Heſperico ſinu poſt Stachirim flumen,

Perphoſij

Perphoſij portus, Catharum promontorium, Nia fluuius, * Heſperi Ceras, ſiue Cornu extrema, Maſſitholi oſtium, Hippodromus Æthiopiæ: & hæc eſt deſcriptio interioris Libyæ, quà Oceanum pulſat, continétque hodie Agiſymbæ Regnum, partémque Manicongi, quam Pangelungi populi habitant. Sequuntur Nigritæ in multos populos diuiſi: ad mare ſunt, Autolatæ, ſiue Autololes, Syrangæ, Mauſoli, Rabij, Malcoæ, Mandori, Sophucæi, & Leucoæthiopes. Præcipuum eorum flumen in Atlanticum pelagus currens, ** Niger, Nigir alio nomine, & Aſtapus appellatus, eiuſdem cum Nilo naturæ, nam & calamos, & crocodilos gignit Lata eſt Regio Nigritarum, ſic vocatorum ab exuſto colore, vel ab exuſtâ terrâ, vel ab amne Nigro: hæc, à flumine Datato, qui hodie Senega dicitur, ad Caput S. Ioannis extenditur, duóq; Regna complectitur, Mellis & Guineæ. Hanc interſecant Bagrada, Cyniphis, & Gyra amnes: littori incumbunt ciuitates, Autolala, Thuillath, Tagana, Magura, Vbrix, Anygath, & Gyra metropolis, pari cum ſuo fluuio appellatione, interiêre antiqua illa vocabula, tam miſerè, vt & noua etiam ignorentur. Inde ingens & ſine cultoribus tractus, dubium aliquandiu fuit, eſſétne vltra pelagus, caperétne terra circuitum; an exhauſta fructu ſine fine Africa ſe extenderet. Hanno Carthaginenſis exploratum miſſus à ſuis, cùm per Oceani oſtia exiiſſet, magnam partem eius circumuectus, non ſe mari, ſed commeatu defeciſſe retulit; & Eudoxus cum Lathyrum Alexandriæ Regem fugeret, Arabico ſinu egreſſus, Gades vſque peruectus eſt, ideò totius Africanæ oræ littora coguita, ſed cùm à paucis illud iter ante Conſtantini non modò tēpora, ſed & ante præcedens hoc ſęculum, tentatum, aut peractum ſit, ideò promontoriorum, ſinuum, portuum, oppidorum, atque Inſularum, quæ ab Hippodromo Æthiopiæ, ad Praſſum promontorium occurrunt, nulla apud antiquos authores nō modo nomina extant, ſed ne mentio quidem vlla: ſeu quia, qui Afrieam ab Erythræo mari ſtrinxerunt vſque ad Hetculis Fretum, nihil de his ſpeciali ſermone miſerunt in litteras: ſeu quia eorum ſcripta, ſi quæ compegerunt, periêre: ſeu quòd portus non attigerint barbarorum metu: ſeu etiam, quòd & externos incolas, intelligere, nec ab iis intelligi poſſent, vndè & muti ij populi exiſtimati, quibus pro eloquio nutus eſſet, aut cohærentibus labris inexpeditus ſonus, & ſuſurris tinnientium apium, quam hominum vocibus ſimilior. Igitur priſcos Coſmographos ſequutus, poſt Hippodromum Æthiopiæ, Bambotum flumen crocodilis & hippopotamis refertum, * Deorúmque currum, nomē Promontorij, quod Græci Theon ochema vocant, longo terrarum in mare procurrentium tractu reſciſſo, eiúſque deſcriptione in aliud caput reiectâ, ad Anthropophagorum littus " Praſiſque promonto-

Iſtius ora incolæ nudi incedunt toto corpore cicatricibus diſſecto, ab iis Hollandi, coria, ebur, ceras, aurum, ſuccinúmque permutatione aliarum mercium accipiunt.

* Sierra Lionna, *hodie appellatur.*

rium celerrimo volatu deſcendam, quod trans Æquatorem poſitum, diſtantiâ graduum xv. cum vnâ tertiâ, ſinum Barbaricum, qui ad orientem vergit, longo cornu tegit, ſummouétque Æthiopicum pelagus. Raptum promontorium longo humero procumbens in mare Barbaricum, hodierni Pretioſi Ioannis Regnum, quod Abiſſinorum dicitur, claudit, terminátque: Anthropophagi quondam & Raptij tenuêre, quorum Metropolis [12] Rapta, fluménque nobile [13] Raptum. Inde [14] Tonice emporium, Arriano, Niconis Dromos, ſiue portus, altérque magnæ claſſis capax, cum promontorio Serapio, vel potius Sarapio, de nomine Sarapionis legati, qui cum Dioſcoride à Ptolomæo ad Achillam miſſus fuit. Vltra, [15] Eſſina emporium, Magnum Littus, Paruum Littus, Noti Cornu, Apocopon vrbs, Phalangis mons, promontorium Tabæ, hoc eſt, Petroſum, [16] Zingis extrema, aliàs Zigis, Opone vrbs, cōmerciis famoſa, Emoſaydiorum, qui ex Arabiâ profugientes eò ſe contulerunt, opibus aucta & amplificata, Magadaxum hodiernam puto, contra Mercatoris opinionem, qui eam Opin nunc quoque dici exiſtimat. Vaſtum tandem [17] Barbaricum ſinum finit ſinus Panouicus, à quo alter incipit, cui nomen Aualites, vbi promontorium & emporium [18] Aromata, Azaniam nonnulli, ſunt & qui Hiſpalium appellant, Troglodytarum ſedes, quos à cauernis, in quas ob calorem Solis fugiunt, viuúntque, ita vocatos tradunt; Erembos, Homerus; Volgios, Diodorus vocat, Molgios, Bolgios, & Bolpios, alij. Poſt Aromata, Niloptolemæum, Acanæ emporium, [19] Elephas cum promontorio & fluuio, Tapatige, à fluminibus terrā eam irrigantibus vrbs denominata, Pſygmus portus, Daphnos paruus cum amne, lauru ripas eius inumbrante, vnde illi nomen, Auſtri Cornu promontorium, aliúdque cum vrbe [20] Cobe, tertiúmque, cum vrbe quoque, Moſſilon. Emporia tria Mondi, Malao, Aualites finis, noménque ſinus. Inde, [21] Dire ciuitas, in maris Rubri anguſtiis. Proximè Adulicus ſinus, in cuius extremis versùs mare Rubrum, vrbs Arſinoë, Mandaith vicus, Antiochi Silen, Chroni, vel Saturni promontorium, [22] Adulis, Plinij Aduliton, Trogloditarum emporium, poſita medio in ſinu, qui ab eâ nomen accipit, hanc dominis iratis ab Ægypto profugientes ſerui condiderunt. Hinc montuoſa Cherſoneſus, Sabátq; ciuitas. Iámque extra Adulicon, ſiue Aduliton ſinum, Colobon promontorium, Magnum littus, βωμὸν ἔρωτος, hoc eſt, Ara Amoris, promontorium, Sabaſtricum os, Sabaiticum Straboni, [24] Ptolomais Epitheras cognominata, quam ad elephantorum venationē Ptolomæus Philadelphus conſtruxit: etſi aliqui eiuſdem conditorem Eumenem ſcribant. Sequitur Ευαγγίλων, hoc eſt, Bonorum nunciorum portus, altérque Deorum Salutarium, Deæ Sotiræ, id eſt, Salutaris, vocat Strabo, quem Principes, incerti quinam

nam illi fuerint, à periculis pelagi ſeruati, ſic nominauerunt. Infra montes tres, Gautus, Monodactylus, Pentedactylôs, Plinio, & Satyrorum, ſupra Diogenis, Aſpidis, & Dimetris, ea Ceres eſt, promontoria, vltimum Scopiam cognominat Ptolomæus. Iunguntur huic portus duo, Dioſcurum, Latinis, Caſtoris & Pollucis, Bathúſque, ſiue profundus. Partem aliquam Mnemij promontorij Iſius mons facit, Bazij vero Prianotus, Cherſoneſo ſubditus. Inde ad intima ſinus, [25] Berenice, à Ptolomæo Philadelpho in honorem matris appellara, olim Hylana vicus: poſt hanc, vel ante hanc, non ſatis inter Coſmographos conuenit, in eadem parte Superioris Ægypti, nauale μυὸς ὅρμος, Muris portus, à murium marinorum abundantià, ſupráque Leptem extremam Iſidis templum, Seſoſtris opus, & in vertice promontorij longè procurrentis Epidires, duóque montes Tauri, qui eminus taurorum figuram oſtendunt, ſupra Smaragdum montem collocati, inter quem & alium montem, cui nomen Acabe, vrbs eſt Nechefia. Monti annectitur, imò in montem intromittitur, Leucos, ſiue Albus portus, quem ab altero claudit mons Aias, aliis Aiax, vndè nomen, incertum. Eius ima exeſa ſalo, portum habent Philoteram, cum vrbe Æno, Mela Philoterim appellat, Satyrus condidit, nuncupauítque de nomine ſororis Ptolomæi ſecundi. Miſormus Drepanum promontorium in viciniâ inde habet: hinc præſidium Clyſma, [26] Arſinoë vrbs, quam Cleopatrida vocauit poſtea Ptolomæus Philadelphus, in memoriam ſororis: ſita eſt in exiguo ſinu morientis ibi maris, in quo nihil aliud præter Daucon portum, Heroúmque vrbem reperies, quæ & Heropolis, & Hæmos. Hinc Iſthmus Africam & Aſiam diſterminans, communicandis Arabico & Syrio æquoribus, primùm foſsâ à Seſoſtride Reginâ inciſa eſt, ante bellum Troianum. Nonnulli à Seſoſtridis filio Pſammiticho inchoatam putant: Darium verò Perſarum Regem incœptum penéque abſolutum opus reliquiſſe, ob id, quòd Arabicum æquor Syriaco Ægyptióque ſublimius eſſet, vnde periculum ſubiectis Regnis, ſi fluctus admitteretur. Negant hoc alij, tradúntque Ptolemaicos quoſdam Reges Iſthmum aperuiſſe, rurſúmque operuiſſe pro libito, ad vtriuſque pelagi promptam nauigationem. Sed neque in totum permiſſa nauigatio, ne aqua Nili, quæ ſola Ægyptiis potum præbet, amarâ corrumperetur. Timoſthenes omnẽ ſinum Arabicum in longitudinem quadriui nauigatione, latitudinem, quà diffuſior eſt, bidui taxauit. Dictus ſinus Arabicus, quòd Arabiam Fœlicem tangat. Hodie, *Mar di Mecha*, ab eiuſdem Arabiæ vrbe, quæ Μοχύρα Ptolomæo. Stephano Σεάχια dicitur. Paulus Merula in diſſertatione de Maribus nuper ædita, in ſacris litteris Caricoſum mare vocari aſſerit, à caricis, genere iunci. Nugæ ſunt di-

ctum mare Rubrum, vel ab arena, vel ab aquæ colore. Curtius lib. 8. Hiſt. *Mare certè, quo alluitur, ne colore quidem abhorret à ceteris, ab Erythro Rege inditum eſt nomen, propter quod ignari rubere aquas credunt.* In eo mari Inſulæ ſũt,[27] ASTARTE, AGATHARCHIDES tres,[28] GYPSITIS, SCITALA, SASPIRENA,[29] GOMADEORVM Inſulæ duæ, Arriano, Generatio Deorum, Ortelio, Tomadeorum: VENERIS Inſula, ARA PALLADIS, LAMBÆ, MYRONOS, OPHIODES, aliis Ophiades, eb euentu appellata, cæſis ibi ſerpentibus, in eà topaſius lapis naſcitur: CATHATRÆ quæ & Chelonitides, ab hirundinum multitudine,[30] CYTIS, topaſio etiam ferax, alio nomine Gythites: THRISITIDES duæ, MAREN AQVOSA, MAGORVM, CASITIS, DAPHNINE, à lauretis, quibus conſita eſt, nuncupata: ZYGENA,[31] ACANTHIVE, Acanthina, Ortelio, vbi obſidianus lapis, lucidus, & niger, quem * Iaieum dicimus, reperitur: nomen hic obtinuit ab Obſidio, qui prior eum in Æthiopiâ inuentum, vertit in luxum. Infra MACARIA, ſiue Fortunata, CARDAMINA, ORNEON, Latinis, Auium inſula, SOCRATIS, BANCHI, & ANTIBANCHI, PANIS, DIODORI, cuius hodie appellatio *Babel Mandel*, quo nomine etiam ſinus Arabicus nunc appellatur: circa quam[32] ORINE, ſiue Orene, picini, hoc eſt, vnionum piſcatione celebrata,[33] ISIDIS, vbi Iſis Dea in magno cultu fuit, ALALÆI, EXVSTA, & MONDA. Hactenus de Inſulis Arabici ſinus, quæ Africum littus ſpectant, vſque ad Aromata promontorium, poſt Aromata, Inſulæ, AMICI, MENAN, ſiue Menæ, PYRALAON, MYRSIACE, &[34] DIOSCORIA, aloës abundans. Ab oriente earum Inſularum, proximum pelagus, Hippadis vocatur. In ſinu Barbarico, vbi aſperum mare, ante Praſſum promontorium,[35] MENVTHIAS celebris Inſula. Reliquum maritimi tractus vſque ad Bamboti oſtia & Heſperios Æthiopes, ſine nomine apud antiquos fuit, vt & Inſulæ hodie cognitæ, quæ in mari iacent à Praſſo promõtorio ad eiuſdem Bamboti oſtia. Supra Heſpericum ſinum vſque ad Soloëncia promontorium, in æquore Inſulæ VI. quas FORTVNATAS vocauêre, nos à canum multitude, vel ab earum primariâ, Canarias dicimus. Earum nomina[36] APROSITVS, vel Inacceſſibilis Inſula, Ombrio, Iubæ:[37] HERÆ, ſeu Iunonis Inſula:[38] PLVITANA, Plinio, Pluuialia, in quâ aquæ non ſunt, niſi de cœlo cadant:[39] CASPERIA, CANARIA, nomen retinens, &[40] PINTVRIA, quæ & Planaria, à plano ſitu. Caſperiam aliqui Caprariam, à caprarum multitudine, vocauerunt. Sunt qui duas Inſulas Pinturiam & Planariam exiſtimant, & primam quidem Gomeram hodie dici, poſteriorem verò, nomine propius accedente, Palmam: fides ſit penes eos. Nam & alij Fortunatas ante Atlantis Maioris montem collocant, Gorgones verò ante Soloëncia promontorium: contra multi antiquorum hîc Fortunatas, ibi Gorgonides conſtituunt. Si Coſ-

* *du Iaié.*

mographis

nographis noſtris credimus, GORGONES, quæ & Gorgades, & Satyrides, & Gorillæ, & Dorcades, hodie vocantur, Inſulæ Capitis Viridis, quamuis & eò loci multi quoque HESPERIDAS fuiſſe velint, nauigatione Herculis, & hortorum commendatione à Poëtis decantatas, & ab Atlante Rege Atlantidas vocatas. Libyæ adiacent,[41] CERNE haud procul Atlantis montem, Hannoni Carthaginienſi cognita, & [42] AVTOLAA, quæ & Iunonis Inſula, ſaccaro diues.

Luſitani has Inſulas occupauerunt Ann. Sal. 1446. Harum hodie prima eſt S. Iacobi, vbi vrbes S. Thome & Praya cum portu, eam nunc Hollandi tenent. Vltra dua Inſula Ignis vocata, nobili vino fertiles.

PRISCA NOMINA NOVIS REDDITA.

1 *Saba*, Caſtaldo, *Sur*, Curioni, *Cebit*, Teiſero. [2] *Cabo de Non.* [3] *Cabo albo.* [4] *Maſatar.* [5] *Rio de Senega.* [6] *Marſacubi.* [7] *Cabo Verde*, accolis, *Mandaga.* [8] *Golfo de Guinea.* [9] Mihi placet, *Cabo verde.* [10] *Gambra*, Iouio, *Hued Niſar*, Arabibus. [11] *Moſambique.* [12] *Magale.* [13] *Quilmanci*, *Zanquebar*, aliis: *Buyl Manei*, incolis. [14] *Zazella.* [15] *Aſun.* [16] *Golfo de li Arabi.* [17] *Golfo de Melinde.* [18] *Cabo de Guardafu*, vel, *Guardafuni.* [19] *Folles.* [20] *Barbora.* [21] *Diran.* [22] *Babel Mandel.* [23] *Ercoco.* [24] *Suachen.* [25] *Choſair*, Barbaris, *Alchaſer.* [26] *Sues*, Saracenicè *Barraarn.* [27] *Caiſſa.* [28] *Ginamante.* [29] *Soridan.* [30] *Genamani.* [31] *Angetiua*, *Angotina* Stuckio. [32] *Macſua.* [33] *Paſeoa.* [34] *Zocotora.* [35] S. *Laurenzo*, *Magadaſcar*, Inſulanis, hoc eſt, Lunæ Inſula, quia oppoſita eſt vicinis montibus Lunæ, vnde Nilus oritur. [36] *Iſola di ferro.* [37] *Del Pico.* [38] *Lanzerotta.* [39] *Forte Ventura.* [40] *Gomera.* [41] *Porto Santo.* [42] *Madera.*

CAPVT XLV.

Ventum ad Aſiam, littoralia ſinus Arabici & Perſici cum Inſulis.



Ex Arriani Periplo maris Erythræi lib. 5. & 6. & eius Commentatore Stukio. Item è Solino, Ptolomęo, Strabone, Plinio, Mela, Georgio Braun, & Salmaſio.

AB alterâ parte ſinus Arabici Aſia eſt, prima eius regio Munichiatis, in quâ Mamphara villa. Infra, Pharanitæ, quorum vrbs pręcipua Phara: inter Nigros, ſiue [1]Melanes Montes [2] Sinai, & deſertum [3] Sur, ad mare Catapharna promontorium. Sub eo [4]Arabia Petræa, cuius [5]Elana villa, vel Læana in ſinu Læanite, qui ab aliis Elaniticus, & Alaniticus dicitur. Hinc altera [6] Arabia, quia lætior & ditior, Fœlix cognominata, hæc vrbes plures admittit, ibi Onne, Modiana, Hippos mons & vicus, Phœnicum oppidum, Rhaunati pagus, Cherſoneſi extrema, Iambia, Copar, & Arga vici [7]Zabram Regia, Centos vicus, Thebæ ciuitas, [8] Bætij oſtium, [9]Badeo Regia, Ambæ ciuitas, pagi, Mamala & Adedi, Pudni ciuitas, Æli vicus, Napegus oppidum, Sacacia, Muza emporium, thuris

thuris & odorum cõmerciis nobile, [10] Soſippi portus, Pſeudocelis, [11] Ocelis emporium, & Palindromos extrema, inter Arabicum ſinum & mare Rubrum. Sequitur Acila, Poſidium promontorium, Sanina ciuitas, Cabubathra mons, ciuitates, Madoce, & Mardache, Lees vicus, [12] Ammonij promontorium, [13] Arabia emporium, Agmaniſphe vicus, Melan mons, Abiſama ciuitas, aliàs Ebiſma, Magnũ Littus, Mada vicus, Eriſthæ ciuitas, Paruum Littus, Cane emporium & promontorium, Trulla portus, Mæthath villa, Prionotus mons, [14] Prionis oſtium, Fontes fluuij, Embolon vicus, Tretos portus, Thialemath oppidum, [15] Moſca portus, [16] Syagros extrema & portus. Inde naues, [17] Sacalitem ſinum ſubeunt, in quo [18] Metacum vicus, Auſara ciuitas, Ange & Aſtoa vici, Neogilla nauale, Hormani oſtiũ, Didymi montes, qui hodie promontorium Duorum Capitum appellantur, Coſeude, Vaticicinium, ſiue oraculum Dianæ, Abiſſa, & [19] Corodamum promontorium. Iam in anguſtiis Perſici ſinus, Cryptus portus, [20] Mons Semiramidis, τρογγύλος Græcis, hoc eſt, rotundus, Melanes montes, qui & [21] Aſaborum vocantur, de nomine vicini promontorij, à quo [22] ſinus Perſicus, longo & flexuoſo meatu erumpit in terras: circumiacentia incolunt Ichtyophagorum populi, qui piſcibus veſcuntur, aliíque Macarum, Anaritorum, Ægeorum, Gerreorum, Thęmorum, Læanitanorum, & Abucæorum. Vacuum primò littus, mox vrbibus decorum, diſtinctúmque amnibus & promontoriis. Ibi Rhegama ciuitas, Sacra Solis extrema, [23] Laris oſtium, vrbes, [24] Capſina, Cabana, nonnullis Cauana, Sarcoa, Carada, corruptè Cadara, & poſt Attam vicum, Magindana, & Gerra, de quâ proximo Sinui nomen: hanc Caldei extorres Babyloniâ, domibus è ſale factis excitauerunt. Claruerunt in eodem tractu ſtationibus tutis commendatæ, [25] Bilbana, Bilæna Ptolomęi, & Ithar, penè impoſita Magorum ſinui, Iſtriana, ſupráque Cherſoneſi extrema, & Læanites ſinum, Mallada. Clauditur inter Itamon portum, ſinúmque Sacrum, Adari ciuitas: quem ſubſequitur Coromanis, montes & clauſtra Arabiæ Fœlicis ad [26] Meſanitem ſinum tangens. Iam Perſico mari ſeneſcente, atque extremo vndarum pulſu verberante terras, Arabia deſerta paucas habet vrbes, ſolitudines in causâ ſunt: tres omninò vrbes celebratas inuenio, Ammæam, Idicaram, & Iucaram: quas Babilonia ſequitur, montibus magnis ab Arabiâ deſertâ diſcreta, Regionis nomen à præcipuâ ciuitate. [27] Tigris [28] Euphrate ad Apamiam, vrbem, & aras Herculis ſuſcepto, pelagi fluctibus miſcetur, iuxta vrbem [29] Teredona, Diridotin vocat author Peripli. Poſt montana Babyloniæ Ciripa, propior mari, remotior Altha, impoſitáque Tigri Aſſyriæ quondam nobiliſſima ciuitas, à Nino, [30] Niniue. Infra [31] Suſiana eſt, cuius Agra oppidum ſupra Vallum Paſini,

Moſai

Moſæi fluminis exonerationem. Infra Pelodes, vel Cenoſus ſinus, plurimùm limi, deferentibus Brixiâ, & Ortaceâ amnibus: à quibus non longè fluit, & tertius amnis [32] Eulæus, Vlai Danieli Prophetæ. Vrbes Soſirate & Seleucia, quas Plinius in littore Elymaidis Regionis, quæ pars eſt Suſianæ, collocat, cuius finis Tenagos arenoſus, & Oroatidis oſtium: hunc fluuium Oroatem alij, Ptolomæus Ruatem, Arrianus, Aroſim; Ammianus Vatrachitem vocant. Nomen Regioni mediterranea ciuitas fecit, quæ [33] Suſa dicitur, licet & ea Regio à Ptolomæo Memnonia nuncupetur, incognitâ mihi vocis huius origine. Suſianæ Perſis adhæret, ab alterâ Oroatidis ripâ, ad eundem ſinum, quem à ſe Perſicum, dici gaudet, vſque ad [34] Bagradam fluuium excurrens. In eius littore, Toace extrema, Rhogomanis oſtium, Cherſoneſus, Ionacapolis, Ptolomæi Ionaca, [35] Briſoana fluuius, Aſuiſáque vrbs ponè Bagradam amnem, à quo [36] Carmaniæ initium, cuius eſt Dara fluuius in Perſicum illabens ſinum, Hytanis portuoſus, auróque fœcundus: ab eo Septentriones, ab Auſtro ad noſtras plàgas nauigantibus, apparere incipiunt, neque totis noctibus Arcturus cernitur, putat Ortelius hunc amnem eundem eſſe cum Andani Ptolomæi. Vſque ad Armuſam nulla oppida, fluuij Cathrappis, Corius, ſiue Carius, Achindana, & Saganum. Carmaniam diuidunt in partes duas promontoria, Carpella, & [37] Armoſon, vel Harmaſon, cũ vrbe cognomini [38] Armuza, vel Armoſuſa, in anguſtiis Perſici ſinus ſita, vbi Paſitigris diuerſus à Tigri, in mare Perſicum aquas mittit, ſi doctiſſimo * Salmaſio noſtro credimus, Plinius tamen, & Arrianus partem Tigris Paſitigrim volunt, nec hodie qui nauigant diuerſos amnes faciunt. Iuxta, an in ipſo Arabico mari, dubium penè eſt, vtrum ſequentes Inſulę ſint: Æni, Timagenis, Dæmonvm, Polybii, Maliachi duæ, totidémq; Adani, hodie nomina abolita, nec alia iuſſa accipere, vel quod Inſulæ illæ contemnuntur ſuâ ignobilitate, aut ſterilitate, vel quòd, id ſolùm memoriâ dignum putatur, quod vtile gulæ aut luxui eſt. Nobiliores inuenies in Rubro mari, Agatoclis Geminas, Cocconati tres, aliis Cocconagi, [39] Triten: atque ante Sachalitem ſinum Arabiæ Felicis, [40] Zenobii Inſulas vii. quas ob id, quòd earum incolæ in cõmune viuunt appellatas ſcripſêre Coſmographi, qui malè & eas Sarapidis vocant: Organam, Ogyrim, Plinius nominat, quam Oaractam, vult Arrianus, habitatam, & celebrem Erythrâ Rege ibi ſepulto; Tyrrhinam eandem Strabo nuncupat: qui addit, Calæi duas, & [41] Serapidis, à fano Dei dictas, non Sarapidas. In ore autem Perſici ſinus Papia eſt, intra, Apphana, Colonia Armauſanorum: [42] Ichara, Tharro, Tylvs, aliàs Tyrus, à Tyriis aduenis è Syria, qui margaritas quærebant, habitata: Philos, Cassandra, Aracia, quæ, & Aradum,

* *in exercitat. Plinian.*

Mare Rubrum ſiue Arabicum Geographi noſtri, vt & veteres, vocauerunt, quidquid pelagi inter Arabicum Perſicúmq. ſinus interiacet, imò & ipſum Perſicum ſinum, partémque Indici & Æthiopici maris. Quod probat Paulus Merula diſſertatione de Maribus, cap. 22.

dum, & Aracha, & Arathos, TAXIANA Suſianæ adiacet, ad Pelodem ſinum: ante Perſidem verò videntur, TABIANA, SOPHTHA, Phara, ni fallor Marcellini, APHRODISIAS, & ALEXANDRI, quam nonnulli cum Araciâ confundunt, voluntque eam Deo Neptuno ſacram. Ante Carmaniam Inſulæ duæ: vna, in quâ Miltus ciuitas, cui nomen SAGDANA, altera VOROCHTHA.

NOVÆ APPELLATIONES, VRBIVM, fluuiorum, promontoriorum.

[1] *Phaſga.* [2] Turcis, *Turla*, Arabibus, *Gebel Thor.* [3] *Thur.* [4] *Bariata.* [5] *Aila.* [6] *Aden.* [7] *Zorma.* [8] *Eda.* [9] *Bardoni.* [10] Ibi hodie fluuius & ciuitas *Zibit.* [11] *Ziden.* [12] *cabo de Fartach.* [13] *Aden.* [14] *Prim.* [15] *Moſcheto*, aliis, *Moſcate.* [16] *Sfacalat.* [17] *Curia Muria.* [18] *Materqua.* [19] *Razagalti.* [20] *Iacquette.* [21] *Macadan.* [22] *Elcatif.* [23] *Om.* [24] *Quiximi.* [25] *Berou.* [26] *Golfo de Sandra.* [27] *Tegil*, vel, *Tigil.* [28] *Phrat*, aliis, *Phrataa.* [29] *Balſera.* [30] Hebræis *Rahaboth*, *Muſſula* hodie, Nigro *Moſſe*, Leoni *Moſal.* [31] *cus*, Nigro, *Zaqueiſmael*, Moletio, *Suſay*, Sardo, *Cuſiſtan*, Mercatori, *Arphaſſad*, in Bibliis. [32] *Tiririri.* [33] *Suſtra.* [34] *Bintmir*, vel, *Bubmir*, *Biſerti*, accolis, *Biquelmic*, Arabicè. [35] *Sirt*, fortaſſis. [36] *Dulcinde*, à Girauâ, à Iouio *Narſinga*, à Nigro, *Cherman*, ab Hebræis, *Rhagma* dicitur. [37] *cabo Iaſquete*, Ortelio. [38] Ibi hodie *Ormus*, Inſula & Regnum, Inſulani *Gerum* vocant, *Zamri*, Tartari, ſi Theueto fides ſit, *Rohoboth*, Caldæi. [39] *Tre Iſole.* [40] *Mazira*, Ramuzio, *Coue* & *Alcoſan*, Theueto. [41] *Turgana.* [42] *Baharem*, *Bacharam*, Oroſio.

CAPVT XLVI.

Indici maris littora cum proximis Inſulis, ab anguſtiis Perſici ſinus ad terram incognitam.



[1] E Ptolem. l.6. & 7. Arriani Periplo maris Erythræi, eiuſque commentatore Stukio: Plinio quoque lib.6. Strabone lib.15. & 16.

[2] Mela lib.4. c.17.

IN Indico porrò mari poſt ſinum Perſicum, in eiuſdem Carmaniæ littora terráſque ſeſe intromittit ſinus[1] Paragonticus, qui Arriano Terabdon dicitur; hic geminis lateribus ſequentes vrbes complectitur: [2] Canthapim, Agrim, quam Agriſam Stephanus vocat, Nommanam, ſiue Combanam, Maſin, ſiue Magidam, Samydacem, & Tiſam, vel Teſam. Rigatur amnibus Salari, Samydace, Caudriace, aliis, Caudriaco, Hydriaco, Marcellino, portus Cyiza, promontoria duo Bagia, vbi rupes Soli ſacra, & Alabamtera, Paragonici, vel, ſi mauis, Paragontici ſinus cornu vltimum. A quo reliquum Carmaniæ ſic ſe habet: Deranebilla, ſiue Deranobilla, Cophanta portus, Zorombæ, aliàs Zorámbi oſtium, Badara vrbs, fortaſsè Barna, vicus tempore Arriani,

ni, & Muſarna. Huic iuncta eſt [3] Gedroſia, in cuius littore [4] Arabius, qui & Arbis, & Artabium amnis: Ragiana ciuitas, portus Mulierum, Coëamba, & Razana vrbes, Ab [5] Indo flumine initium & nomen accipit [6] India, quæ intra Gangem: ex monre Paropamiſo exortus, plurimorum fluuiorum tributa ſuſcipit, ingénſque & rectus deſcendit, donec ad læuam dextrámque ſe diducens, duobus oſtiis longè diſtantibus exeat, quæ verior opinio eſt plurimorum Coſmographorum, tum antiquorum, tum Neotericorum, quamuis ſeptem oſtiis ſubire pelagus Ptolomæus tradiderit, quorum nomina ſunr, Sagapa, Sinthon, Chryſum, id eſt, aureum, Chariphron, Saparages, Sabalaſſa, & Lonibare: pro Caripbro, Saparage & Sabalaſſa, alij legunt Cariphi, Sapara, & Sabalaëſſa. In iis oris [7] Bardaxema ciuitas, [8] Syraſtra vicus, [9] Monogloſſum emporium, Mophidis oſtium, Pacidare oppidum, ponè ad mare meat [10] Namabus, quà Mareum promontorium inflectitur, magnóque latere [11] Barigazenum ſinum ſuſtinet, huic appoſitæ vrbes, [12] Camanes, emporium aromarum torius Orbis celeberrimum, Nuſarina, ſiue Nuſaripa, Pulipula, Suppara, [13] Dunga, [14] Simylla emporium & promontorium, Timula quondam incolis, Baleptana, [15] Hippocura, [16] Mandagora, Byzantium Toparum ad Cherſoneſum, Armagara, Nitra emporium, Tyndis impoſita promonrorio, Bramagara, vel Aramagara, quæ iugo Calecariæ promontorij, veluti brachio cingitur: tum Muziris emporium, hodie Cauanoris Regni metropolis, eiúſque in nomen nouum adopratrix, Podoperura, Semne, Cereura, Bacare, Melcynda, Elancorum emporium, Cottiara metropolis, [17] Bamala, quam longo dorſo ab Eoi pelagi fluctibus defendit Commaria extrema, Arriano Comari, nomen etiam hodie ſeruatur. Tam vaſtè procurrentia littora pauca flumina admittunt, iniqua cum vrbibus proportione, perdurant in æquor Gaor, ſiue Goar, [18] Binda, qui & Vindia, [19] Nanaguna, vel Naguna, Regnorum Goæ & Decan nouus diſcriminator, Pſeudoſtomus, & Baris. Annectitur, pulſátque [20] Commariam extremam Colchicus ſinus, vbi vrbs [21] Soſicure, & Colchi emporium, hodie *Chuchina* vel *Cochin* ciuitas Regia, licet alij iſtam *canamcinam* putent, *Chuchinam* verò Cottiaram, de quâ ſupra. Huic ſinui immoritur amnis Solenis, qui & Solenus, & ipſe alterius ſinus, qui Argaricus dicitur, ex parte hoſpes, appellationem fecit ſinui, [22] Argari ciuitas, [23] Colaicum promontorium, ſiue Cory, ſiue Calligirum à tergo relinquens; ante ſe verò, veluti in orientem pellens, procliui, ſed immobili propugnaculorum pendentium in mare impulſu, vrbes, Salur emporium, Nigammam, aliàs Nicama, Batorum Metropolim, Thelchirim, Curulam, *Caulami* Regni recentioris caput, [24] Chaberim Soringorum, cum fluuio eiuſdem nominis, Soburam emporium, alte-

rúmque Aruarum " Poducam, " Melangem, quam à Cottie diuidit Tyna fluuius; Maliarpham præterea, non longè à Meſoli oſtio," Contacoſſylam, " Codduram, & Aloſignem, ſiue Aloſangam emporium. Hinc terræ receſſu lato " Gangeticum ſinum recipiunt, in parte, quæ in orientem nauigantibus occurrit, Palura, Nanigæna," Caticardama, vbi corpus S. Thomæ quieſcit, " Canagara, ſiue Canagora, Cottobara, Sippara, Mapura," Minagara, Cocala, & " Coſamba vrbes: flumina, Tyndis, Doſaron, à quo forſan Doſarena Regio, quæ hodie *Paleacate* vocatur, Adamas, & longè iſtis nobilior, ampliórque " Ganges, in Hæmodo Indiæ monte conceptus, quando anguſtiſſimè fluit, x. m. paſſ. patens, in ora ſeptem diſperſus, inter vtramque Indiam violentus currit, donec ſinus accipiat aquas eius & nomen, qui nunc Bengala: Primum oſtium quondam vocabatur Cambyſum: ſecundum, quia " Paluram vrbem irrigat, appellationem ab eâ ſumebat: tertium, ab amplitudine aluei, Magnum: quartum, Camberycum, in quo " Tilogrammum ciuitas: quintum, Pſeudoſtomum: ſextum, Antiboli: vltimi nomen intercidit, hic Indiæ intra Gangem finis: initium verò " Indiæ extra Gangem, quâ ſinus vlteriore amplexu excurrit in terras, grandis appellatio eſt, Pentapolis, ſupra Catabedæ, vel Latamedæ fluminis oſtium vrbs conſpicua: ſuccedunt & aliæ, " Baracura emporium, non ita diſſita ab eo loco quo " Tocoſanna fluuius deficit, inter quem & Sadi oſtia, Sabba, hinc de nomine interfluentis fluuij, Sada, & Berrabonna, Temelæ amni vicina, promontorióque, quod ſine appellatione fuit. " Sabaracum, ſiue Sabaricum ſinum incingunt ciuitates & oppida ſequentia, Sabara, Begynga cum fluuio, & Berobe, promontorio ignobili fulta. Indè ad Perimulicum ſinum, Aurea Cherſoneſus, leuibus montium iugis, vel littorum amfractibus, amniúmque alueis interſciſa, variis oppidis diſtinguitur, " Tacolâ, leni montis dorſo ab Eoo cardine penè tectâ, è quo " Chryſoana fluuius demiſſus, illicò tumulatur mari, " Sabanâ emporio, " Palande cum fluuio cognomini, Coli, & " Perimulâ, quæ promontorio, & Sinui fecit appellationem: in iis etiam locis Maleucolon extrema, & Attabas amnis, " Leſtorum & piratarum Regio. In altero latere Perimulici ſinus, Samarade ciuitas, ſicut & " Pagraſa, " Sobanni oſtium, fontes fluuij, Thipinobaſti emporium, Acadra, & Zabæ vrbes. Tum " Magnus ſinus, qui & Chryſe terris in omnem partem vaſtè, & penè æquâ proportione recedentibus, ingentis pelagi imaginem reddit, in iis plagis, qua in æquor conſpectus eſt, Tagora, " Balonga, " Throana, " Cortatha, vel Cortacha, infra Doanæ oſtium, Synda, " Pagraſa, vicina Dorio flumini, & " Aganagara vrbes: tum Indiæ extra Gangem finis amnis " Serus, & Alius fons: à Sero amne Seres

aliqui

aliqui denominatos volunt,quòd in eorum Regno ſcaturiginem, & primos curſus habeat. Magnarum gentium terminus eſt,fons Alius,Indos inter & [56] Sinas fluens,quorum vrbs,& amnis [57] Aſpitaras, olim Aſpithra,[58] Bramma ciuitas,Ambaſti oſtium,Rhabana vrbs,Sænus fluuius,Notium promontorium,Ferini Sinus interior receſſus,Satyrorum promontorium,Sinarum ſinus,amníſque Sina, vndè aliqui putant appellationem Regno Sinarum factam, immixtus Cutiari fluuio,qui non Sinas,ſed antiquorum Coſmographorum ſcientiam notitiámque terminat,quibus vltra Cattigaram Sinarum ſtationem, nihil eſt: vndè in tabulis Geographicis Strabonis, Ptolomæi & aliorum, tellus incognita opponitur nauigaturis,quaſi finis Mundi, quæ hodie nauigabili pelago ſuſtentata,non modò multas Inſulas facit,ſed & immenſum hinc & indè continens, quòd à meridie ſolum Auſtrale dicitur,ab Occaſu America. Inſulæ in Indico æquore priſcis cognitæ iſtæ fuerunt. Carmaniæ vicinæ CASCANDRVS, quæ & Socaicandros, POLLA, STOIS, vel Tois, CARMINA,& LIBA, Gedroſiæ, ASTHÆA, & CODANE. In oſtiis Indi fluminis [60] PATALA, Pattalena Straboni, vbi Nearchum Alexandri Magni claſſis præfectum funeratum aiunt, [61] & BARBARIS, Praſiane Plinio, maior Petalâ. In Canticolpo ſinu, [62] BARACE. Proximæ huic MILIZIGERIS, HEPTANESIA, [63] TRICADIBA, [64] PEPERINA, [65] TRINESIA, LEVCE, NANIGERIS. In ſinu Argarico [66] CORY. Indiæ extra Gangem oppoſitæ ſunt, [67] BAZACATA, [68] SYNDÆ III. [69] BONÆ FORTVNÆ, cuius circuitus II.M.CD. paſſ. BARVSSÆ v. Philippinæ hodie, ſi noſtris negotiatoribus creditur, [70] tres tantùm, qui & numerus eſt Anthropophagorum, SABADIBÆ aliis appellatæ, quarum noſtro ſæculo celebratur maximè *Cainan*. Inde [71] IABADII, hoc eſt, hordei Inſula, cuius metropolis Argyra, ſiue, Argentea. Ad Tamon promontorium CHRYSE, ad Gangem ARGYRE, altera aurei ſoli, altera argẽti ferax: quibus * Plinius adiungit, ſed incerto ſitu, CROCALEN arenoſam, BIBAGAM, ſiue Bibactam oſtreis, & conchyliis refertam, & TORALIBBAM. SATYRORVM Inſulas tres nemo hodie nouit. [72] MANIOLÆ x. celebrantur, quòd in iis nauigia clauis ferreis compacta detineri canant magnete, ſiue lapide Herculeo: vndè earum accolæ, quíque per has plagas nauigant, ligneis clauis compaginant naues, ne ſubiectorum, aut vicinorum ſcopulorum, qui è magnete ſunt, occultà vi detineantur, quòd multis accidiſſe Luſitanorum nauigationes tradidère. Omnium Indici maris inſularum SYMONDI Inſula maior, hæc poſtea TAPROBANE dicta eſt, poſt noſtro æuo Sumatra, & Zamatra, Zeilan aliqui eſſe volunt, pars orbis alterius Hipparcho putatur, ſed poſtquam circum eam nauigatum eſt, mutata antiquorum opinio, & inſula credita. Oppoſita eſt Cory Indiæ promõtorio, cui alterum offert, Boreum nomine: * lib 6. cap. 2[illegible]

Colaicum à Plinio appellari multi exiſtimauerunt: hinc Galiba extrema, Margana, & Iogana vrbes, Anariſmondi promontorium, Soanæ oſtium, Sindocanda ciuitas, Priapidis portus, Anubingara, Praſodes ſinus, Iouis extrema, Narbatha ciuitas, Azanus fluuius, vrbs Hodoca, Horneon, ſiue auium extrema, Dagana ciuitas Lunæ ſacra, Corcobara, Dionyſi, ſiue Bacchi, oppidum, Cetæum promontorium, Baraci oſtia, Bocana vrbs, Mordi portus, Baraththa ciuitas, Solis portus, Rocuri promontorium cum vrbe, Rhizala portus, Oxia extrema, Gangis oſtium, Aſatana portus, Agadiba ciuitas, Panti ſinus, Anubingara ciuitas, Paleſimundus, iuxta oppidum eiuſdem nominis effluens in portum tribus alueis, Lebis ſtagnum, [73] Mandutti emporium, Phaſis amnis, & Talacori, aliud emporium. Hæc Inſula antequam ab Oneſicrito, Alexandri Magni claſſis præfecto, detegeretur, nauibus è papyro Niliaco compactis ab Ægyptiis & Arabibus petebatur. Hanc penè mediam interſecat Æquinoctialis circulus, Syderum Ægyptiis in hanc nauigantibus nulla antiquitus obſeruatio, ſed volucres ſecum deuehebant, maximè columbas, emittentes ſæpius, meatúmque earum terras petentium comitabantur intenſo viſu. Ante Taprobanem innumeræ Inſulæ iacent, quarum nomina recentiora pauciſſima leguntur, vetuſta ſic habent. [74] VANGALA, ſiue, Vangalia, [75] CANATHRA, [76] ORNEOM, vel Auium, ÆGIDIORVM, à caprarum abundantiâ, MONACHE, à ſolitudine, vel quòd à ceteris remotior ſit, AMMINE, [77] CARCVS, PHELICVS, ERENE, CALANDADRVA, [78] ARANA, in quâ ciuitas Aram, vel melius Aran, BASSA, [79] BALACA, ALABA, GVMARA, ZABA, ZIBALA, NAGADIBA, & SVSVARA.

VOCABVLA RECENTIA, VEL BARBARA, locorum, vrbium, fluuiorum, *&c.*

1 *Golfo di Gurigath.* [2] *Calecut.* [3] *Geſl*, Mercatori, *Circan*, Caſtaldo, *Cuzerat*, vel, *Cuzaret*, Girauæ & Moletio. [4] *Berbero.* [5] *Surrate, & Cambaia, & Indu.* [6] *Jndoſtan.* [7] *Cambaia*, nonnullis. [8] *Saurac*, Caſtaldo. [9] *Mangalor*, ſed male, ni fallor. [10] Olim quoque Namaduſ, nunc, *Amandaune.* [11] *Amadauche.* [12] *Calecut*, propriè. [13] *Dabul.* [14] *Sintacora.* [15] *Onor.* [16] *Mangalor.* [17] *Balbata.* [18] *Gate.* [19] *Mandona*, ſiue *Mandoua.* [20] *Comori.* [21] *Iaquamcuri.* [22] *Bengala*, verùm peſſimè Mercatori. [23] *Cabo de Colle.* [24] *Calapate, Maber*, Nigro. [25] *Podefetan.* [26] *Malipur.* [27] *Cayl.* [28] *Gandauari.* [29] *Golfo de Bengala.* [30] *Chiromandel.* [31] *Canago*, Caſtaldo, *Gangiga*, Mercatori. [32] *Maciquopatan.* [33] *Satigan, Tarnaſſari*, vel, *Aracan*, diuerſa eſt interpretatio. [34] *Cane, Guenga, Cantan*, Incolis, *Gualgas*, in ſacrâ paginâ *Phiſor*,

ſon, antiquiore vocabulo, Chliarus. [35] *Coromandel*, ſeu, *Colmendel*, Belleforeſto. [36] *Satiga*, pari cum flumine vocabulo. [37] *Heuila*, vel, *Heuilath*, Hebræis, *Maeyn*, aut *Magyn*, hodie. [38] *Bangela*, Appiano, *Bacala*, Caſtaldo. [39] *Mantaban*.. [40] *Nigraes*, malim, *Golfo Sauolas*. [41] *Malacha*. [42] *Tauai*. [43] *Saendebar*. [44] *Pari*. [45] *Patane*. [46] *Pegu*, Regnum. [47] *Perperi*, aliquibus. [48] *Sian*. [49]. *Mare Sin*, vel, *Mare de Sur*. [50] *Pegu*, vrbs. [51] *Taigyn*. [52] *Tartabo*. [53] *Perperi*. [54] *Aganata*. [55] *Coromaran*. [56] Regnum quod Barbaris, *Sin*, *Tame* Incolis, nobis, *China*. [57] *Aſpida*. [58] *Brema*. [59] *Canton*, vel, *Cantan*. [60] *Petacal*. [61] *Bermet*, *Meti*, Reſendio. [62] *Diu*, *Diuxa* Malabaribus, Mercatori, *Bacaim*, vel, *Baſaim*. [63] *Queilloa*. [64] *Qualpenca*. [65] *Rheſiphe*. [66] *Nicouat*, [67] *Baſſe*, *Paloha*, Mercatori, aliis, *Puloaym*, &, *Calamiane*. [68] Malè, niſi me mea fallit opinio, apud Mercatorem *Celebes*, *Gilolo*, & *Ambon*, quia longè illæ Inſulæ, quas Moluccas dicimus, ſepoſitæ ſunt ab Indiâ extra Gangem. [69] *Borneo*. [70] *Mindanao*, *Cailon*, & *Subut*. [71] *Jaua*, Nigro. [72] *Jſlas de Pracel*. [73] *Pynder*. [74] *Enganno*. [75] *Carcata*. [76] *Pulo Pinaom*, vel, *Pulo Sambilaon*, vel, *Pulo Tujo*. [77] *Cramata*. [78] *Cambab*. [79] *Banca* fortaſſis,

CAPVT XLVII.

Periplus Aſiæ à Sinenſium regione vſque ad Scythicum mare: mox Caſpij, ſiue Hircani pelagi littoralia antiquis nota recenſentur.

PER dictas Inſulas, totáſque ferè Indiarum, Sinarúmque maritimas oras, innumera negotiatorum turba, inuehentium res externas, aut ſuas euehentium. Fluminum plerumquè in ripis, aut in arenis littorum merces ſuas exponunt, permutatione aliarum rerum tolli placet, non aliter: ibi enim, nec aurum, nec argentum cuſum, ſignatúmve, pretium facit, ſed illud quidquid ſit, quod ſine ſermone exæquatum venalibus, aut gratum exponenti, iuxta merces collocatur. Fœlices, quibus nec contractus emptionis ſunt, nec venditionis, nec ſtipulationis, nec fideiuſſionis, enormis litium materia. Eadem quoque apud [1] Seres Sinenſibus vicinos obſeruantur, gens iuſtitiæ plena, intus, quàm ad mare latior, vbi Pſitaræ oſtia, & Carabi, & Lani, & Chryſeſini, & Cymabæ: ſinus vnus, Attanus, nihil præter: hîc artes pacificæ regnant, tractus cæli penè ſemper æqualis, & ſimilis Verno, non ſtatæ ſedes, ideò neque oppida, ſed vbi cuique placuit tabernacula & tentoria excitat, quod & Scythæ Seris, & Scythis Sarmatæ coniuncti

E ſupra allegatis authoribus. Noua Tartarorum aliorúmque, qui circa Caſpium mare habitant, nomina, habet Magnus in Tartariæ deſcriptione.

coniuncti etiam hodie obſeruant: ſed iſti armis habiles, maríque ſuo, & cæli aſperitate ſimillimi, vt inuitauêre pabula, vt cedens & ſequens hoſtis exigit, ita res, opéſque, & familias, plauſtris, vel cymbis ſecum trahentes, ſemper caſtra habitant, liberi, indomiti, bellatores, & etiam cùm fugiunt victores. Vterque populus, cùm vix vllis terrarum æquoríſque ſpatiis teneretur, tamen diſcretus nominibus & confiniis, nunc in vnum populum coalluit, & formidabili appellatione Scythæ, Sarmatæque, * Tartari vocantur. Igitur poſt Sericum mare & Attanum ſinum, fretum Anian, nouum nomen, vſque ad Tabyn promontorium, neſcio cur antiquitùs cognitũ: quidnam ad Septentrionem eſſet, idémne Oceanus, an tellus infeſta frigoribus, ſine ambitu ac ſine fine proiecta, dubitatum diu. Sed præter Phyſicos, qui vniuerſum orbem mari circumfuſum dixerunt, Q. Metello Celere, cùm in Galliis Proconſul eſſet, ab Indis, illi dono datis à Rege Sueuorum, requirendo, vnde in has terras deueniſſent, cognitum eſt, vi tempeſtatum ex æquoribus Indicis abreptos, emenſóſque quæ intererant, tandem in Germaniæ littora exiiſſe. Reſtat ergo pelagus, ſed reliqua lateris eiuſdem aſſiduo gelu durantur, & ideò deſerta ſunt. In Aſiatico littore primi Hyperborei ſuper Aquilonem, Riphæóſque montes, ſub ipſo penè ſyderum cardine iacent, vbi Sol non quotidie, vt nobis, ſed primùm Verno æquinoctio exortus, Autumnali demùm occidit, & ideò ſex menſibus dies, & totidem aliis nox vſque continua eſt, vndè & ipſi Cimmerij Scythæ appellantur. Ibi per Ver & Æſtatem, noctis exiguo tempore, & penè nullo, durantis, ſpecies: per Autumnum & Hyemem interuallũ aliquod dubiæ lucis, cetera tenebræ. Ij populi non ſe vrbibus tenent, ſed in perpetuo otio viuentes habitant ſpecus, & ſyluas. Mare * Caspium, longo freto, quaſi fluuius è Scythico Oceano, antiquis creditum eſt in terras erumpere: poſteritas lacum in mediterraneis, & vndique ab æquoribus remotum, totiúſque orbis maximum cognouit, atrocem, ſæuum, raris portubus, procellis vndique ac belluis expoſitum. Lacum illum in tres ſinus priſci Coſmographi diuiſerunt, in Hircanum, Scythicum, & Caſpium. Ad Hircanum Albani, Moſci, & Hircani habitauêre: in Scythico, Amardi, Pæſici, & Derbices: ad Caſpium, Caſpij & Amazones, quas Sauromatidas dixerunt. Multi in eum lacum magni paruíque amnes fluunt: ſed qui famam habent, * Iaxartes, & * Oxus per deſerta Scythiæ ex Sogdianorum Regionibus in ſinum Scythicum exeunt. Iſte ab occaſu ad Septentrionem conuerſus, inter Amardos & Pæſicas os aperit. Suos hîc quoque fluctus huic Sinui inſerunt, Rhymnus, ſiue Rhemus, nunc *Hedelis*, Magino, *Laych* dictus, * Daix, * Iaſtus, Straboni, Iuſtus, * Polytimetus, id eſt, multi pretij, & Rha, qui ſe

Iaxartis, Oxique ripas cum parte Caſpy maris, hodie occupant Tartari, qui Zagathai dicuntur: quorum hodie regia eſt Samarcanda, quam Maracandam antiquam aliqui putant, ex qua ortum habuit Tamburalnes, Temir Cutlu, *vocatus.*

* Hîc

** Hîc quoque bis decies & quinque per oſtia Ponto*
Inſerit Hircano, fluuiíſque ingentibus armat.

* Michaelius 3. de re Nautica.

Ciuitas in eo littore Aſpabota, ſiue Sacarum. Quæ deinceps ſequitur [9] Margiana, Sariphi montis extremum latus in dictum Sinum porrigit, ſequuta Oxum fluuium; eius ciuitas Derbice. Inde [10] Hircania eſt, Hebræis *Adoram*, quæ mari nomen generale fecit. Propter ripas Oxi Saramanne ciuitas, Maxeræ, ſiue Mazeræ oſtium, vrbs Caramana, Socanda amnis, Inſuláq; iuxta littus poſita, Talca. Ab occaſu incipit [11] Media, à Septentrionibus Hircani ſinus parte terminata, vbi ſe Charinda, Straton, vel Staon, Amardus, ſiue Mardus, [12] Cyrúſque & Cambiſes, Regum nomina, euoluunt. Hi ex radicibus Coraxici montis vicini editi, in diuerſa abeuntes, pérque Iberos & Hircanos diù & multùm diſtantibus alueis fluentes, poſtea vno ore in Hircanum ſinum perueniunt, in quem & [13] Cyrrus illabitur. Inter ea flumina, [14] Mandagarſis, Oratana, Accola, Amana, Zalacca propè Marcianes, ſiue Sphantiæ lacum, Cyropolis, quæ Perſis dicitur Cyrcebata, Tazináque vrbes: Caduſiorum inde vallum, & Sabçæ arx. Hircano quoque mari [15] Armenia Maior ab oriente terminatur: Huius eſt [16] Araxes, Tauri latere demiſſus, primo placidus, mox cautibus illiſus, adeò citus deuoluitur, vt plus iugeris ſpatio vltra alueum ſuſpenſus & ſublimis, arcuato amne deſcendat in campos, poſtremò lenis immoritur pelago. Nomina alia olim habuit, Bactri ſcilicet, Halmi, & Doringis. Noua ciuitas *Bachu*, recens nomen intulit mari, hæc in [17] Albaniâ collocata, Gangara, & Getara nuncupabatur. Præter eam, [18] Caſſios illabitur, de nomine vrbis, quam interſecat, Albanus, vnde quoque Albaniæ appellatio. Inter Cæſium, & Gerrum amnes vrbs Gelda conſpicua eſt; exindè Teleba, Thelbíſque aliæ vrbes: poſtea Saonæ oſtium, Albaniæ finis. Extra Albaniam Vdon fluuius, & Alonta, & [19] Rha. Tempore Plinij Caſpium mare vix Romanis cognitum fuit, quippe quod doctiſſimus author, ſicuti & Mela, affirmauerit, id erumpere è Scythico Oceano, qui à Septentrione Aſiam claudit. Sunt qui credant aquas Septentrionalis Oceani Caſpio excipi, & exonerari occultis ſub terram alueis criptíſque in Euxinum. Claudius Cęſar à Cimmerio Boſporo ad Caſpium mare CL. M. prodidit, eáque perfodere excogitaſſe Nicanorem Seleucum, quo tempore à Ptolomæo Ceraunio ſit interfectus. Caſpij maris ambibitus hodie decem dierum nauigatione perficitur, contra veterem opinionem.

Herodot. in Clio, longitudinem eius 15. dierum nauigationis, latitudinem 8. ſtatuit.

* *
*

NOMINVM PROPRIORVM appellationes recentiores.

[1] *Cattaia*, Caſtaldo, *Cambalu*, Girauæ. [2] *Beſarmani*, incolis, vel, *Diſt*, Arabicè *Athor.* [3] *Mar de Bachu.* [4] *cheſel.* [5] *Xa*, *Daiſtan*, *Geichon*, ſiue *Abian.* [6] *Taick.* [7] *Iaicubi.* [8] *Amo.* [9] *Ieſelbas*, vel, *Tremigan.* [10] *Diargument*, *Caßon* Girauæ, *Hyrach*, Erythræo, *Cur*, Nigro, *Elcur*, Ramuſio. [14] *Moſadran.* [15] *Aram*, Hebræis, *Turcomania*, vulgo. [16] *Arais*, *Achlar* Leonclauio, *Colachz*, incolis. [17] *Zuiria*, *zitracha*, nonnullis. [18] *coban.* [19] *Volga*, &, *Edil*.

CAPVT XLVIII.

Sarmatiæ Aſiaticæ, Colchidis, Galatiæ, Ponti, Bithyniæ, vtriuſque Myſiæ, Troadis, Æolidis, Ioniæ, Cariæ, & Doridis, cum Inſulis, littoralis deſcriptio.

E Ptolomæo, lib. 5. Arrian. in Periplo maris Euxini, Stuckio eius comm. Plinio, Mela, Strabone, Xenophonte, Agathone in Ponti Periplo, Paulo Merula in Diſſertat. de Maribus, & aliis. Locorum in hoc Capite memoratorum, delineationem habes in tabulà Capiti 37. huius libri, antepoſitâ.

POST Albanos Scytharum genus, Aſiatica [1] Sarmatia eſt, inter Hircanum mare, & [2] Mæotidem paludem: à Septentrionibus terminatur terrâ incognita: ab occaſu Sarmatiâ, quæ in Europâ eſt, vſque ad oſtium [3] Tanais, quod Sylis Scythis, aliis Amazonius, ab Amazonum Regione dicitur. Ipſe ex Riphæo monte deiectus, adeò præceps ruit, vt cùm vicina flumina, tum Mæotis, & Boſporus, tum Ponti aliqua, brumali frigore durentur, ſolus, æſtus hyeméſque iuxta ferens, idem ſemper & ſublimis incitatúſq; decurrat. Ab eo Paniardis vrbs, Marubij oſtium, [4] Patarue, [5] Rhombitus & Theophanius, ſiue Theſpanis, fluuij: Azara, ciuitas, Rhombiti parui oſtium, Axabiteſinitra, [6] Tyrambe, [7] Atticitus, vel Anticeitas amnis, [8] Geruſa vrbs, Pſathis, ſiue Pſapis fluuius, [9] Mapeta, Vardani exoneratio, Cimmerium oppidum & promontorium, quod antea Cerberion appellabatur, ſedes antiqua Cimmeriorum, ſiue Cimbrorum, qui poſtea & nunc in Europa penè ſub ipſo axe degunt. In ore Boſpori Cimmerij, ſiue Mæotici, Achilleon [10] colli oppidum hærens, vbi fanum Mineruæ Diſſipatoriæ, à Megarenſibus, ob diſſipatos hoſtes, excitatum: duæ exinde vrbes [11] Phanagoria, & Corocondame. Habet [12] Boſporus Cimmerius LXXXVII. M. D. paſſ. longitudinis, latitudinis nuſquam intra II. iugera. Minui laudem Herculis putant, qui ſciſſis

ſciſſis montibus in mediterranea immiſit Oceanum, ex hoc, quòd mare Mediterraneum non tam oriri ex Oceano quàm ex Mæotide palude, & Ponto Euxino videatur, ſemper decurrentibus in Propontidem, & inde in interiora pelagi fluctibus. Vnde iſtud Lucani:

Quáque fretum torrens Mæotidas egerit vndas
Pontus, & Herculeis aufertur gloria metis,
Oceanúmque negat ſolas admittere Gades.

Deſinente Boſporo, in ore Euxini, pendet in fluctus [13] Hermonaſſa, tum Mileſiorum Colonia portus Syndicus, oppidúmque Synda, ſiue Syndos, à Syndonis huius plagæ habitatoribus conditum. Hinc vrbs cum portu Batâ, hoc eſt, profundo, Pſychrus amnis, Latinè, Frigidus, [14] Achæa vicus, ab Achæis Phthiotidis conditus, [15] Cercetidis ſinus, Portus Sacer, [16] Tazos, Toretice extrema, Ampſalis ciuitas, Burcæ oſtium, [17] Oenanthia, amnis Theſſyris, Fortia Mœnia, Coráxque fluuius. Poſtea Colchi habitant, Regio [18] Colchis appellatur. Coraxi populi iuxta fluuium Antemunta, in Dioſcuri Regione Æam vrbem incoluerunt, & [19] Dioſcuriadem appellauerunt. Condita fuit ab Amphito & Telchio, Caſtoris, & Pollucis aurigis, à quibus ortam Heniochorum gentem conſtat. Mela in ipſorum Heniochorum finibus, à Caſtore & Polluce pontum cum Iaſone ingreſſis, ſitam auſus eſt affirmare. In eodem latere [20] Sebaſtopolis, & Pityus à Mileſiis fundatæ inueniuntur. Vltima à pinicetis Pityuſa etiam dicta eſt. Hàc ingreſſos, Hippus amnis, & [21] Cyaneus excipiunt, Vrbes. [22] Siganeum, [23] Neapolis, Æapolis, quæ & Ææa, Circes quondam Regia, margini [24] Cariiuſti, ſiue Cariſti fluminis, vix propior, quàm mari. Hinc [25] Phaſis erumpit, ad Thermodonta imperium Amazonum prætendens; appellatus eſt à Nymphâ in eum conuersâ, immò in eò naufragium paſsâ, ſed Poëtis fingere licuit, & licebit ſemper,

Barbarus in patriis ſectatur finibus Euan
Phaſis, amore furens, pauida iacit illa pharetras
Virgineo turbata metu, diſcurſibus & iam
Deficit, & volucri vitam Deus alligat vndâ.

Valer. Flacc. in Argonaut.

Antea Arcturum dictum aliqui volũt, & ob id Phaſim nuncupatum, quòd ibi Phaſis Solis & Ocyroës filius, matre in adulterio interemptâ, inſequentibus Furiis demerſus ſit. Alij à diuerſis coloribus, quoniam variæ eius φάσεις, hoc eſt, modò hoc, modò illo appareat colore, ſecundùm colores terrarum quas alluit, deuehítque ſecum. Menſuram Ponti à Boſporo ad Mæotim aliqui fecerunt, XIV. XXXVIII. M. L. paſſ. à Chalcedone ad Phaſim, X. M. Circuitus autem Euxini ſecundum Ammianum Marcellinum, poſt Eratoſthenem & Ptolomæum, XXII. M. ſtadiorum. Dulcius

mare ceteris, quòd concreſcat aër ex humorum ſpiramine, & irruentium fluminum multitudine temperatus. Hinc ingens copia piſcium, aquarum ſuauitate, & tranquillitate allectorum. Ad hunc ſeceſſum pariendi gratiâ coëunt, ſecuri voracium belluarum, nihil enim in Ponto Euxino huiuſmodi, & in cauis receptaculis, ſi quæ eſſent, tuti. In Phaſidis faucibus " vrbs eſt eiuſdem nominis, ibíque templum Dianæ Phaſianæ, ab Iaſone ob interfectum Cizium Helleſponti Regem, placandi Numinis gratiâ conſtructum. Ibi quoq; eadem, quâ & amnis appellatione, Atheniſtagora, Mileſio deductum oppidum. Hic Phryxi templum, & lucus, fabulâ vetere velleris aurei nobilis. Idem littoris flexus " Cappadociam habet, à fluuio, qui per eam fluit, dictâ, antiquum illi nomen fuit Leucoſyria, nunc à Barbaris Romelia, à noſtris, Noua Turchia nuncupata. Ad mare, Apſorus ciuitas cum fluuio, in Glaucum, & Lycum amnes diuiſo, appellatóque aliis nominibus: Tum Ægialius, & Abſyrthus, nomen fratris Medeæ: ſupra Archadis oſtia vrbs Xyline, infra Morthula, Cordube, Cordyla Arriano, à cordylis piſcibus, quorum, in eo portu magna copia. Tum Athenarum promontorium cum vrbe ab Athenienſibus conſtructâ: " Rizzus portus, " Pityuſa, " Trapezus, Metropolis Prouinciæ Turcorum, Colonia Sinopenſium, ad promontorium Genetæum, dictum à Genete fluuio. Hinc Hyſſi portus, Melanthium flumen, Tripolis caſtellum cum amne, Philocalia, Liniopolis, " Pharnace, ſiue Pharnacia, de nomine Mithridatis Regis filij, eius conditoris, appellata. Cui proxima " Ceraſus, locus ceraſis fertilis, à Sinopenſibus ædificata. Ex hoc ſolo ceraſum arborem primus in Italiam deportauit Lucullus. Hoc attingit " Iſchopolis, & ab vxore Samandri Mitylenæi nuncupata " Hermonaſſa. Amnis inde " Iaſonius, cum Iaſonio promontorio, Iaſonicæ expeditionis teſtimonium. Vltra, " Polemonium vrbs, à quâ ab Herculis promontorio ad " Iſtropolim, quidquid pelagi iacet, Pontus Polemoniacus appellatur. Confinis eſt Mons Sacer, cui Teches nomen, opúſque Herculis Heraclia, vaſto iugo immiſſa. Tum " Temiſcyra, gaudens Amazonum Reginâ conditrice. In Galaticum pelagus erumpit Iris, quem Lirium hodie vocant. In orâ Leucoſyrorum Ancon, ſiue cubitus, angulum facit, vbi vrbs Phazemonitis, quam Pompeius Magnus, Megalopolim, hoc eſt, Magni vrbem, vocauit, & de Phazemone pago oppidum condidit Neapolim. Has terras Amiſus irrigat, in cuius ripis Eupatoria à Mithridate conſtructa eſt: mox oppidum & amnis " Chadiſia, caſtellúmque " Lycaſtum, Themiſcyræ Regionis finis. Loca vicina occupant " Gallogræci, ſiue Galatæ, auorum noſtrorum vetus propago: Eorum vrbs " Enetia, è quâ Veneti Adriatici maris accolæ, niſi eos à Venetis Armoricæ noſtræ

ſtræ incolis deducas: Amiſus poſtea, ab amne vicino, Mileſiis
conditoribus, appellata: mox ab Athenocle & Athenienſibus re-
ſtaurata, Pyrææ nomen habuit. Secundum Halys ripas Lycaſte, &
" Galolum: poſt " Halyn Græco cognitum, ignotus penè amnis
Zaliſcus. In littore fuerunt, " Gyptaſia, " Synope, Diogenis Phi-
loſophi patria, quæ & ortum dedit, & tumulum Mithridati: Aſo-
pi filia, poſtea Mileſij condiderunt: Armene Sinopenſium vicus,
" Cimolis, aliis Cinopolis, " Abroni, vel ſi velis, Aboni mœnia,
Calliſtratia, Zephyrium, " Carambis extrema, vadoſo excurſu,
" Theuthrania, caſtellum Clymax, id eſt, Scala, Cytorum ciuitas,
à Pharnaciis vicinis extructa, & à Cytoro Phryxi filio nuncupa-
ta. Quo loco fuerit oppidum Cygnum, vix dixerim, in his mari-
timis Regionibus conditum affirmauit Mela, cygni voce per tem-
peſtatem auditâ, Græci mercatores, ignari, quæ terra eſſet, illud
conſtituerunt. Vlterius, Pontus " & Bithynia eſt, in orâ, Maſtyam
Mileſij poſuerunt, " Crommámque ei vicinam: " Seſamum, A-
maſtrim vocauit Amaſtris, Amazonum Regina, reparatrix eius,
vel Dionyſius Siciliæ tyrannus de nomine vxoris. " Parthenius
amnis, vel à Diana, quæ Parthenis, hoc eſt, Virgo, vel à floriferis
pratis appellationem ſumpſit.

Ante alios Triuiæ, ſic creditur, amnis *Valer. Flaccus.*
Fidus, & Inopi maternâ gratior vndâ.

" Tios ſacerdos Mileſius, Tion oppidum excitauit. Sepulchrum
Bebryci Regis, ab Amico occiſi, " Pſyllium memorabile fecit.
Mariandinæi vrbem habitant, ab Argiuo Hercule datam, voca-
támq; "Heraclæam: id famæ fidem adiecit, iuxta ſpecus Acheru-
ſia, ad Manes peruius, vnde extractum Cerberum exiſtimant: poſt
Herculem Megarenſes, Mileſiíque vrbem eam colonis impleue-
runt. Inde Elatam fluuium recipit mare, in cuius ore vrbs "Elęa,
nauale Bithyniæ, Hippium quoque, ab Hippiis montibus, vnde
fluit, appellatione ſortitâ, & Lycum, à Lyco, & " Sangarium, à
Sangiâ pago, è quo fontes habet: hic & Xerobates, & Sarcerius,
& Coralius appellatus. Poſt hos amnes, palus de Lyci ſorore An-
themoiſiâ, ibi ſuffocatâ, nomen ſumens. Proximè ſuas aquas in
mare euoluunt, " Calpas " cum portu, & " Pſyllis: quibus ab
læuâ eſt Artace caſtellum, extremúmque Euxini & "Bithyniæ
promontorium Artemidis, hoc eſt, Dianæ fano nobile. Ab eo
promontorio, quod Melanam, ſiue Nigrum Arrianus vocat, exi-
turi in Pontum pelagi canalis anguſtus, Europam ab Aſiâ ſta-
diis v. diſterminans, oppoſita Aſiæ Thracia, hunc " Boſporum
Thracium dixit. Ipſis in faucibus " Daphne, & " Chalcedon,
olim Proceraſtis, vtraque à Megarenſibus ædificata, Archiâ ipſis
regnante. Celebratur Chalcedonium Iouis templum, condito-
re Iaſone. Hinc altius mare, quod " Propontis appellatur, Be-

 brycium

brycium mare, Tzetzæ. Marmora,quod hodiernum nomen eſt, iam inde & Græcopalati ſcriptori dictum, quaſi marmoreum,à ſcopulis circumſidentibus,marmore fetacibus,vel ab Inſula Proconneſo,tota marmorea;ob id Marmora quoque appellata. Inſident littori Acritas promontorium, ſubſequuntur amnes, Eluis, Briaſon, Plataneus, Areus, & Scyros. Tararium oppidum cum promontorio. [68] Aſcanius in pelagus delapſus de ſe ſinum nominat: ibi vrbs [69] Nicæa, vetuſtiori vocabulo Antigonia, Olbia, & Ancore nuncupata. Mons proximus in vertice fert Neptunis fanum,in gremio Aſtacon, à Megarenſibus & Athenienſibus vrbē conditam,à Dedalſo reſtitutam, matrémque ſinus vicini, qui ab eâ [70] Aſtacenus dicitur. Succedit & alius ſinus Craſpedites, quoniam ibi oppidum velut in laciniâ erat, nihil illum magis nobilitat,quàm [71] Libyſſa oppidum, in quo Hannibal ſepultus, [72] Nicomedia nomen habet à Bithyniæ Rege: in huius viciniâ Conſtantini Magni Imperij ann.xx11.quæ antea Drepanum appellabatur,de matris ipſius Imp.nomine Helenopolis vocata eſt. Infra [73] Poſidium promontorium, cum oppido,& templo, aráque: hæc à Neleo poſita, illud à Mileſiis, vtrumque autem Neptuno ſacratum. Poſt Placia,& Scylace,paruæ Pelaſgorum coloniæ: quibus à tergo imminet mons Olympus,vt incolæ vocant, Myſius,is flumen Rhyndacum emittit.Trans Rhyndacum eſt [74] Daſcylos,aliàs Daſcylion,&,quam Colophonij collocauêre,Myrlea. Antiochus Soter in memoriam matris Apameam excitauit. In Myſiâ Minori ad ceruicem peninſulæ [75] Cyzicon, nomen Cyzicus indidit, quem à Minyis imprudentibus, cùm Colchos peterent,fuſum acie,cæſúmque accepimus, Arctoneſos vocabatur,antequam Mileſij dirrutum reſtaurarent. Iidem [76] Parium, marmoribus fetax oppidum condiderunt,Adraſtiam Homerus vocauit. [77] Lampſacus,vel Lampſacum,& Pæſus,vrbes Graiæ. Lampſacum Phocæis appellantibus, nomen ex eo traxit, quòd conſulentibus in quas terras potiſſimum tenderent, reſponſum erat,vbi primùm fulſiſſet, ibi ſedem capeſſerent. Tum rurſus fit apertius mare Propontis,in id Æſipus, ſiue Æſapus,& Granicus effunduntur,vltimus ex Idâ monte lapſus, pugna, quæ primùm inter Perſas, & Alexandrum fuit,nobilis. Cion Mileſij poſuerunt,Phrygiæ haud longè iacentis oportuniſſimum emporium. Rurſum in anguſtias æquor cogitur,quod [78] Helleſpontus, ab Helle Phryxi ſorore ibi demerſâ, nuncupatur. Seſtiacum & Abydi fretum vocat Auſonius, ab oppidis ſiue caſtellis ab vtroque freti latere conſtitutis, quæ Helleſponti clauſtra nominat Ennius. Plinius ſeptingentorum ſeptuaginta quinque paſſuum,hoc eſt,ſtadiorum ſeptem has anguſtias facit. Huc ab Idæo monte demiſſus [79] Scamander exit, & [80] Simois, famâ, quàm naturâ, maiora flumina. In Aſiatico

littore

littore Abydos, oppidum Græcorum, magni quondam amoris commercio inſigne. Illud poſt Troica bella tenuerunt Thraces, mox Mileſij. In propinquo ęſt Dardanum cum promontorio, vbi Hecubæ ſepulchrum, quod è fictione Poëticâ, quæ eam in canem mutatam voluit, Cynoſſema, id eſt, Canis monumentum appellatum eſt. Rhetæo littori appellationem indidit propinquum mari [81] oppidum. In Sigeo fuit [82] Æantion à Rhodiis cõditum, Aiace ibi ſepulto, vbi ipſe ſtationem habuerat. Vltra, [83] Ægæum pelagus, Phrygiáq; Minor, quæ Troas dicitur: cuius maritima ſunt [84] Priapos Mileſiorum Colonia, Deo Priapo dedita, Alexandri Troas, Alexandrea Straboni, [85] Lectum promontorium, & [86] Aſſus cum promontotio, vrbs à Methymnæis condita. Diximus ſupra in Europæ deſcriptione, quà Ægęum tangit, ęquor illud à Theſei patre denominatum. Addo Varronem, ſic vocatum exiſtimauiſſe, ab Inſulis, quæ in hoc mari crebræ, procul aſpicientibus ſpecies caprarum videntur. Iſidorus vnam Inſularum prodidit, quæ Homero Ægas, hoc eſt, Capra dicitur, Neptunóque ſacra eſt, vnde Ægeo nomen. Iſacius in Lycophronem, quòd αἰγὸς inſtar, fluctu laſciuiat, vel quod vndæ vento alleuatæ, criſpatæ, candidæ, ſaltantium caprarum imaginem referant, vel ἀπὸ τοῦ αἰγίζειν, quòd naues ſoleant ſubuertere, & in breuia impellere, maximè circa Cycladas: vnde ipſum mare Ægon Valerius Flaccus vocat:

quanto fremitu ſe ſuſtulit Ægon.

Poſt Troadem autem [87] Myſia Maior eſt, in cuius orâ, [88] Larganum, Scepſis, ſiue Palæſcepſis, vrbis & Regionis appellatio: [89] Autandrus, cuius nominis duplex cauſa iactatur: alij, Aſcanium Æneæ filium, cùm ibi regnaret, captum à Pelaſgis, eâ vrbe ſe redemiſſe memorant. Alij, ab iis putant conditam, quos ex Andro inſulâ, vis, & ſeditio exegerat. Gremio interiore iacent [90] Adramyttion, Aſtyra, Poroſelene, fortaſſe Proſelene, mons Ida, [91] Pitane, & quæ dudum interciderunt, Lyrneſos, quondam Mynetis, & [92] Miletos. Claudit hanc Myſiam [93] Caicus amnis, inter Eleam decurrens & Pytanem illam, quæ Archeſilam tulit, nihil affirmantis Academiæ clariſſimum antiſtitem. Fuit & Achilleon oppidum, iuxta tumulum Achillis à Mitylæneis conditum, & mox ab Athenienſibus eo loci, quo claſſis eius ſteterat, tranſportatum. Tum in promontorio Cene, Æolidis vrbs eſt, Canæ, vel, ſi Melæ creditur, Canna, findit terras, lambítque mœnia vrbis cognominis fluuius Pitane. Hinc Pergamenſium nauale Elea, à Mneſteo, & Athenienſibus, qui cum eo ad Ilion venerant, ædificata. Iſtam attingunt Pergami, Teuthrania, Myrina, à Myrino excitata, Sebaſtopolis, & Atarna, ad extrema Hydræ, appellationes vrbium extinctarum. Sequentem

tem Pelops ſtatuit, victo Oenomao reuerſus ex Græciâ, Cymen nominauit Cyme, dux Amazonum, pulſis qui habitabant: antea à Penrhilo condita fuerat, & à Locridis monte Phriconis dicta, poſt vrbs Folia Noua, ad diſtinctionem Foliorum Veterum, quæ Phocæa antea dicebatur, authore Philogene Attico. Proximè fluit [94] Hermus, Pactolo flumini iunctus. Æolidem [95] Ionia pertingit: in ipsâ peninſulâ eſt Corina, in Sinu, [96] Smyrne, & Hermos, amnis & vrbs Leuca. * Meles fluuius Smyrnam interſecat, condidêre illam Epheſij, vel, vt Callino placet, Amazonum Regina Smyrne: dirrutam Antigonus reparauit. [97] Clazomenem Paralus fundauit ſuper anguſtias peninſulæ, vbi & [98] Teos, quam Athamas extruxit, reſtituit Naudus, Codri Athenienſium Regis filius ſpurius: & quia vrbes illæ terga iungunt confino adnexæ maris, diuerſis frontibus diuerſa maria proſpectant: quo in loco Alexander Magnus intercidi planiciem eam iuſſerat, VII. paſſ. longitudine, vt duos Sinus iungeret, Erythráſque cum Minante coniungeret. Promontorium Ægæi maris Argenum putatur: vrbs verò [99] Icarij pelagi, [100] Erythræ, quæ quoniam à Gnopo quodam reſtaurata eſt, Gnopopolis alio nomine vocatur. Ibi [101] Cayſtros amnis, & Geſſus, oppidum Manteum, Clariíque Apollinis fanum, quod Manto Tireſiæ filia condidit, cum fugeret victores Thebanorum Epigonos: hinc [102] Colophon, quam Mopſus eiuſdem Mantus filius ſtatuit, ad promontorium, quo ſinus clauditur, quod alterâ parte alium, quem Smyrnæum vocant, efficit, anguſtíſque ceruicibus reliqua extendit. Alij Colophona volunt ab Andremone Pylio conditam. [103] Lebedos authorem non habet, contra, [104] Priena Philotam Bœotum gloriatur conditorem, immò reparatorem. Cadme enim antea vocabatur. Ibi eſt Panionium, ſacra Regio, & ob id eo nomine appellata, quòd eam communiter Iones colunt. Ibi à fugitiuis condita Phygela. Ibi [105] Epheſus, & Dianæ clariſſimum templum, quod Amazones Aſiâ potitæ conſecraſſe traduntur: antea Epheſus, Alope, Ortygia, & Morge dicebatur, primùm ab Androclo Codri Regis Athenienſium filio ſuſcitata, aſſerente Strabone, qui & [106] Miletum à Neleo Pylio fundatam ſcripſit, contra alios, qui eam Sarpedonem extruxiſſe aiunt, miſſis in eam colonis è Cretâ & Cariâ: quondam Lelegeis & Anactoria dicebatur. [107] Mæander flexuoſus ad x. à Mileto ſtadium lenis illabitur mari, maligno fluctu ſteriles radens arenas. Huius & [108] Lyci coniunctionem præcedit Trogilium promontorium. Iuxta Caria littus occupat, habitatores incertæ originis: quidam Pelaſgos, quidam Cretas exiſtimant. Qua [109] Myrtoo mari premitur, præter Miletum, vrbs Pyrrha, Poſſidium, vel Poſidium promontorium, & oppidum, oraculum Brancidarum appellatum, nunc Dydimi.

*In iſtius ripa natus & expoſitus Homerus.

dimi. Hic etiam ad Lathmon montem, Endimionis à Lunâ, vt ferunt, adamati, fabulâ nobilem, [110] Heraclea vrbs, & Iaſus, à quâ ſinui nomen, & Bargylos, ſiue Bargylia, & Mæandropolis, & [111] Myndus, & [112] Creſſa, cum nauali. Vltrà, Doris eſt, Regio amœna, poſt Scopiem extremam [113] Halicarnaſſos ſurgit, Regia dominorum Cariæ, olim Zephyra vocitata: conditores Anthes cum Trœzenis habet. Argiuorum Coloniam ait Mela: cur miranda ſit, præter conditores, Mauſoleum efficit, Regis Mauſoli monumentum, vnum de miraculis ſeptem totius Orbis. [114] Cnidus in cornu peninſulæ, intérque eam & Ceramicum ſinum in receſſu poſita Euthane. Larumna oppidum, Pandium collis in mare emiſſus. Tum tres ex ordine ſinus, Thymnias, Schenus, & Bubeſſus. Promontoria duo, Pedalium & Crya, fluuiúſque, cui ex vrbe quam amplectitur, Thiſſamiſſa cognomen eſt. Nunc ad Inſulas dictis littoribus penè impoſitas recurro. Ante Iaſonium promontorium, ſupra Polemoniacum Pontum, [115] Areos nesos, id eſt, Martis Inſula, Aria Melæ, Calcitis, vel Chalceritis, Plinio, Arrhentias aliis. Ante Bythiniam ſupra Boſporum, Thynias, Thyneis Orpheo, aliis Daphnvsia, & Apollonia: iuxta ſcopuli Erithni, ſiue Erithyni, hoc eſt, rubri. [116] Icaria mari Icario appellationem fecit: hanc aliqui ab Icaro Dædali filio, in eo demerſo fluxiſſe volunt. Myndvs hodie ſine nomine eſt. Chios vltimâ literâ demptâ ſuum retinuit, Pelaſgis è Theſſaliâ præfectis habitata, vrbem ſibi cognominem habuit, ab Egertio Ionio conditam. Posidivm eandem cum Pathmo putant multi. In Samo vrbem, Tembrio, poſt Patrocles ſtruxit. Ampelos, nomen fuit pueri à Baccho adamati: & hæ Inſulæ quondam fuerunt in Icario pelago, ſequentes in Myrtoo inueniebantur. Arcesinæ, Minva, Begialis, & Astipalæa. Inter Leſbon & Aſiam Inſulæ paruæ ſunt xx. Timoſthenes xl. dicit. Hæ vno vocabulo Hecatonnesi nuncupantur, voce, vt Peloponneſus, compoſitâ. Hecatvs inter præcipuos Deos Apollinem & Dianam, quæ & Hecate, coluit. Cariæ littori proximæ, Ethecvsa, Lepsia, Leros, & Argiæ xx. Ioniæ ora ante ſe habuit, Ægæas, Corsæas, Laden, quæ prius Late vocabatur, Camelidas ignobiles II. Mileto vicinas: Mycalen, Trogylias, Trepsilion, Argennon, Scandalion, & Samon liberam, Iunoni ſacram, hodie nomen retinentem, antea Parthenia, Dryuſa, & Artemuſa dicebatur. In eodem mari cenſentur & iſtæ, Arvsa, Stephane, Rhypara, Nymphæa, & Achillea. Ante Rhodum, Cyclops, Cordylvsa, Diabetæ iv. Hvmos, ſiue Amos, Calce cum oppido Seutluſâ, Nartecvsa, Dymastos, & Progne. Ante Cnidum, Ciservsa, Therion, Archia, & Calvdnæ.

Inſulas in Ponto Aſiaticas nominat Plinius, PLANETAS, ſiue Cyaneas, ſiue Symplegadas: deinde APOLLONIAM Thynniam, ad diſtinctionem Apolloniæ, quæ eſt in Europâ. Diſtat à continenti paſſ. M. cingitur III.M. Nominat & contra Phernaceam CHALCERITIN, quam Græci Ariam dixerunt, Marti ſacratam. Ceterum ſi dictarum Inſularum totiúſque oræ hic deſcriptæ imaginem aliquam habere velis, ſubſequens tabula partem vltimam continet, tabula verò quæ præpoſita eſt Capiti XXXVIII. huius Libri, primam partem oſtendet: ſatis fuit ſemel propoſuiſſe, quod doceret.

ANTIQVA NOMINA RECENTIORIBVS immutata.

[1] *Sargatia.* [2] *Mar de Sabache*, Italis, *Mar delle Tana*, [3] *Tana*, *Aſoph*, & *Azac*, Stephano. [4] *Tocari.* [5] *Copa.* [6] *Trapano.* [7] *Lasiti.* [8] *S.Georgi*, Interiano. [9] *Copo.* [10] *Cabo Croſe.* [11] *Matriga.* [12] *Bocca S.Ioanni*, *Stretto di Caffa*, Caſtaldo, *Veſpero* Tartaris, authore Georgio Interiano. [13] *Mardaque.* [14] *Lotho.* [15] *Cerchaſi.* [16] *Suſaco.* [17] S.*Sophia.* [18] *Mengrelia.* [19] *Sauatopoli*, Ortelio. [20] *Sebaſtropoli.* [21] *Cicabo.* [22] *Garbendia.* [23] *Negapontino.* [24] *Tamaſa.* [25] *Faſſo*, *Debbaſſetia*, Scythis. [26] *Poliſtbonia.* [27] *Almaſia.* [28] *Riſſo.* [29] *Fionda.* [30] *Trapezonda*, *Genech*, Turcis. [31] *Platena.* [32] *Cerazo*, Italis, Barbaris *Ormidis.* [33] *Tripoli.* [34] *Sirizonda.* [35] *S.Thoma.* [36] *Leona.* [37] *Groſſea*, Nigro, *Strauico*, Caſtaldo. [38] *Fadida.* [39] *Phadiſa*, idem fortaſſe quod pręcedens nomen. [40] *Do Caſtelli.* [41] *Galatia*, *Giangare*, & *Gelas.* [42] Simiſo, *Amid*, vel, *Emid.* [43] *Garipo.* [44] *Lali.* [45] *Caroſa.* [46] *Sinopi* [47] *Quinopoli.* [48] *Aromi*, *Boli*, Stukio, cum vrbe ſequente quæ hodie *Caſtellas.* [49] *Cabo Piſello.* [50] *Tripoli.* [51] *Turchia*, & *Natolia.* [52] *Comana.* [53] *Suyaſtro.* [54] *Portemi.* [55] *Tio.* [56] *Picillo.* [57] *Pendarachia.* [58] *Riſo Carpaſſo*, vicus. [59] *Zagari.* [60] *Carrathaſſan.* [61] *Porto de Carrathaſſan.* [62] *Feneſia.* [63] *Cabo de Potimo.* [64] *Stretto di Conſtantinopoli*, à Turcis *Bogazin*, à recentioribus Græcis *Laimon.* [65] *Scutari.* [66] *Calcidonia.* [67] *Mar di Marmora.* [68] *Aſcu.* [69] *Nichea*, Sophiano, *Iſnich*, Leonclauio. [70] *Golfo di Comidia.* [71] *Diaribe*, Belonio, *Diacibyſſa*, Gillio, *Gebyze*, Buſbequio, *Lebuſſa*, Leonclauio. [72] *Comidia.* [73] *Cabo Pagona.* [74] *Diaſquilo.* [75] *Spiga.* [76] *Pariſa.* [77] *Ciree.* [78] *Stretto di Gallipoli*, Turcis hodie, *Bogas Oſſar*, vt notat Alexander Sardus. Gallis noſtris, *Bras ſainct George*, ab oppido imminenti ſancto Georgio ſacrum, *ἱερὸν*, Ptolomæo. [79] *Chiſme.* [80] *Simoores*, aliàs, *Paleſcamandria.* [81] *Peſkiam*, Turcis, [82] *Janizzari.* [83] *Archipelago*, *Acdoniz*, Turcis, hoc eſt, Mare Album. [84] *Laſpi.* [85] *Scorpiata.* [86] *San Quarants*

ranta. [87] *Burſia.* [88] *Cabo de S. Maria.* [89] *S. Dimitri.* [90] *Landrimiti*, Nigro, *Edromit*, Leonclauio. [91] *S. Georgio.* [92] In eius ruinis hodie *Melaxo.* [93] *Girmaſtri, Caſtri*, Nigro. [94] *Sarabat.* [95] *Sarchania*, Turcis *Quiſcon.* [96] *Lamira*, Villanouano, *Smirne*, Sophiano. [97] *Gryne.* [98] *Suſor.* [99] *Mar di Nicaria.* [100] Hodie promontorium, *Cabo Bianco*, *Colire*, Nautis. [101] *Chias*, *Chaici*, aliis. [102] *Altoboſco.* [103] *Lacerea*, Græcis noſtris *Lebeditzi-chizar.* [104] *Palathia.* [105] *Fiena.* [106] *Melaſa.* [107] *Madre.* [108] *Chelit.* [109] *Mar di Mandria.* [110] *Haſsio porto.* [111] *Menteſe.* [112] *Porto Malfetan.* [113] *Coſmeti.* [114] *Cabo de Chio.* [115] *Farnaſia.* [116] *Nicaria.*

CAPVT XLIX.

Doridis reliqua, cum maritimis Lyciæ, Pamphyliæ, vtriuſque Ciliciæ, & adiacentibus Inſulis.



HINC ſe in ſiniſtrum dilatat mare, quod Rhodium & Carpathium appellatur, ab Inſulis Rhodo, & [1] Carpatho. Hîc Onugnatos, ſiue Aſini maxilla, promontorium [2] Xili, [3] Cnidus oppidum, [4] Lorema, Creſſo portus, Phœnix caſtellum, [5] Phyſcus cum portu, & luco Latonæ, *Ex iiſdem Authoribus.*

Rr 2 fluuius

fluuius Calbis, [6] Caumus nauale, Imbron caſtellum, Cretenſium opus. Poſt, Calydna eſt, Calymna, Straboni, Lyciæ ciuitas, Crya, aliis Carya, [7] Sybdæ, vel Chydæ, Dædala, Thelmeſſus cum ſinu, Satatos, quæ & [8] Patara, Pattaro conditore, Ptolomæus Philadelphus cùm eam auxiſſet, de nomine vxoris Arſinoëm dixit: inſignem eam fecit delubrum Apollinis, quondam opibus & oraculi fide, Delphico ſimile. Succedit [9] Antiphellus, primùm Habeſſus dicta Lymiria flumen & ciuitas, [10] Andriace, [11] Apiræ, Olympus, Phaſelis, à Mopſo condita, Sydæ portum claudit mons Taurus. Ibi mons alter Cragus, & promontoria Hiera, ſiue Sacra: fluuius Xanthus cum oppido. Sydam alij vrbem, non Lyciæ, ſed [12] Pamphyliæ volunt, Mineruæ templo memoratam, Coloniam Cumæorum, ita à Seruilio dirutam, vt ſolùm eius nauale ſuperfuerit. Hinc inuenies Plataniſtum, Pergam, vbi templum Pergeæ Dianæ, montem Sardemiſum, Leucolam promõtorium, Olbiam, Lyrneſum, [13] Attaliam, ab Attalo Philadelpho conditam, Magydim, Oeſtri, Catarractíque oſtia, vrbem Aſpendum, ab Argiuis conſtructam, [14] Eurymedontémque amnem, famoſum Cymonis Athenienſium Ducis victoriâ nauali aduerſus Phœnicas & Perſas, à quo Ciliciæ Aſperæ, ſiue Lelentidis Trachiæ vrbes iſtæ: [15] Coraceſium, Sydra, Hamaxia cum nauali, & Elæuſſa, aliis Eleuſa ab Archelao condita. In orâ pelago Pamphylio pulſatâ Ciliciæ Campeſtris vrbs prima occurrit [16] Iotape, infra quam Selenus, ſiue Selinus amnis ſubit mare: oppidum Antiochia, ſuper Trago flumine, Nephelis, [17] Anemurium, [18] Arymagdi, ſiue Orymagdi oſtium, Arſinoë, [19] Celenderis & [20] Natidos Samiorum Coloniæ, melius Nagidos, [21] Aphrodiſias, Venerea Latinis interpretatur, Sarpedon promontorium, quondam Regni Sarpedonis finis, [22] Calycadni oſtia, Zephyrium promontorium, proximáque huic Anchiale, Sardanapali Colonia, olim Parthenia & Tarſus dicta. Non longè hinc, Corycos oppidum, portu, ſalóque incingitur, anguſto tergore continenti adnexum. Supra, ſpecus eſt, nomine Corycius, lucis pubeſcentibus ſemper virens, fragránſque croci floribus. Sebaſte, Latinis Auguſta, ſiue Auguſtopolis, impoſita penè Lami oſtio, altera vrbs deinde, ab Achæis & Rhodiis ædificata, deſolata à Tigrane, reſurgere iuſſa à Pompeio Magno, qui deuictis piratis, eos in coloniam ibi tranſmiſit, nunc Pompeiopolis, tunc Soloë erat. Iuxta in paruo tumulo Arati Poëtæ monumentum. Procul inde Amanoides Promontorium, inter [23] Pyramum, [24] Cydnúmque fluuios iacet. Pyramus [25] Mallon præterfluit, quæ Mopſum & Anphilochum Troiâ profectos conditores habet. Cydnus vltrà per [26] Tarſum exit, maríque miſcetur ad locum, qui Rhegma, hoc eſt, ruptura, dicitur, ibi nauale eſt Tarſi, acceptis à Iulio Cæſare colonis, Iuliopolis appellatum, olim con-

diderant

diderant Argiui: velut in ſtagno videtur: [27] Sari, Pyrami, qui & Leucoſyrus, & Cydni aquis paludem facientibus. Sequitur Cerrepolis, Plinio Caſſipolis, [28] Ægæ, & in receſſu intimo locus, magni aliquando diſcriminis, fuſorum ab Alexandro Perſarum, fugientíſque Darij ſpectator & teſtis, ibi ne minima quidem vrbs, tunc [29] Iſſos celebris erat, vicino indens Sinui nomen. Inde Nicopolis ſubit, & Mopſuheſtia vrbes, quæque Pylæ, ſeu Portæ dicuntur, Syriæ proximæ. Inſulæ in Rhodio mari, ſiue Carpathio, CALYMNÆ II. SCYME, [30] SCYROS, olim Porphyris dicta: [31] CASOS, CARYANDA cum oppido: Coos, quondam Calydna, Meropis, & Nymphæa: [32] CARPATHVS, quæ nomen indidit pelago, cuius Poſidium ciuitas, promontoria Thoantium, & Ephialtium. PIDOSVS, PRIAPONESOS, HIPPONESOS, PSYRA, MYA, LAMPSEMANDVS, PASSALA, CRVSA, PYRRHE, SEPIVSSA, & MELANO. Deſcriptio ſpeciali digna RHODVS, Ophiuſa, & Thelchinis primis ſæculis dicta, ſed pauca eius attingam, quia Inſula illa famâ maior, quàm circuitu fuit. Rhodum cum nauali, idem qui Piræum Athenienſium, extruxit. Ibi miraculum Mundi, Apollinis ſtatua, portui inſidens. Camirum, Lyndum, [33] Ilyſſúmque vrbes Cercaphi filij conſtruxerunt. Et hæ quidem Inſulæ in Rhodio & Carpathio mari. In Ceramico ſinu CYNEDOPOLIS, probroſis ibi relictis ab Alexandro Magno. LYCIÆ adiacent, MEGISTA, Latinè Maxima: PACTYÆ, ELYSIA, MOERIS, ILLYRIS, NYMPHALIS, TELANDROS, DOLICHISTE, Doliche nonnullis, CHYROGILIVM, RHOGE, CYPRIÆ III. ſteriles: ENAGORA, DÆDALEON II. CHELIDONII ſcopuli V. & DIONYSIA, prius Caretha nuncupata. Ante Pamphyliam, CRAMBVSA, CRIEON III. STRONGYLE, ANTIOCHIA, LEGVSA, MACRIS, DIDYMÆ, APELBVSA, Atelebuſa, Plinij, HELBO, COPÆ, ASPIS, & CYNORODVSSA. Inter [34] Ciliciam & Syriam Venere habitata [35] CYPRVS, ab occaſu Pamphilio pelago adlatratur, ſecundùm hanc deſcriptionem: [36] Acamas promontorium, [37] Paphos Noua, Drepanum promontorium, nomen etiam nunc retinens, Hierocepia vrbs cum exigua Inſulâ, [38] Palepaphos, ſiue, Vetus Paphos, antea Erythra vocata, Zephyrium promontorium, Veneris templum, & [39], Boſura oppidũ, cum monte, in pelagus excurrente. A Meridie Ægyptiacum, & Syriacum maria erumpunt, tractúmq; vexant, in quo promontorium [40] Phrurium, Tretan oppidũ, [41] vrbs Carium, vel Curium, Lyci, nomen ſeruantis exoneratio, [42] Curias extrema, Marium vrbs, [43] Amathus Veneri conſecrata, à quâ tota Inſula olim Amathuſia dicebatur. Hæc à Ricardo Anglo circa ann. Sal. M.C.IIXC. dirruta, à Guidone Luſignano reædificata eſt. Poſt [44] Tethij oſtia, oppidum Citium, [45] Dades extrema, [46] Throníque ciuitas cum promontorio Veneri dicato. Ab oriente, pelago Syriaco pulſa-

ra,incipit à promontorio [47] Pedalio, ſiue Pedaſio, Ammochoſtũ aliqui vocant,ab eo Portus Leucola,vrbs Arſinoë, Pediæi os , [48] Cenchrea,poſtea Tamaſſus & Salamine dicta , Elea , Dinarctóſque,& [49] Clide promontoria duo,ante Iſſicum ſinum. A Septentrionibus eadem Inſula anguſto Ciliciæ Freto ſeparatur à terrâ,in hoc latere Carpaſia,Achæorum littus,vbi primùm Teucer appulit,cùm à patre Telamone eiectus in mente haberet,Salaminem in Cypro condere. Sequitur Olympus mons , [50] Aphrodiſium, [51] Macaria, [52] Ceraunia, Lapithi oſtium cum oppido & nauali , à Laconibus & Praxandro conſtructis : infra Crommyorum promontorium,alteri oppoſitum qui in Ciliciâ eſt, vocatúrque [53] Anemurium.Hinc Solus,ſeu Soli vrbs,Phalero & Acamante Athenienſibus excitata : tum Veneris & Iſidis fana , [54] Callinuſa promontorium, [55] Arſinoë deinde. Hæc Inſula Regnorum IX. olim ſedes fuit. Circuitum eius CCCCXXIX. M. paſſ. Timoſthenes prodidit. Iſidorus CCCLXXV. M. Antea dicebatur Acamantis, Ceraſtis, Aſperia, Amathuſia, & Macaria. Abeſt ab Anemurio Ciliciæ promontorio L. tantùm paſſ. Mare quod prætenditur vocant, Aulona Cilicium. Exiguæ circa Cyprum Inſulæ CLIDE , ELEVSA, STIRIA, & CARPASIÆ.

PROPRIA NOMINA SIC HODIE efferuntur.

1 *Scarpanto.* [2] *Cabo Crio.* [3] *Chio.* [4] *Maxi.* [5] *Phieſco.* [6] *Magri.* [7] *Giua.* [8] *Patera.* [9] *Antiphelo.* [10] *Corante.* [11] *Phinica.* [12] *Zina*, Arabibus. [13] *Antali*, Turcicè. [14] *Zachut*, Barbaris. [15] Scandeloro. [16] *Lombardo.* [17] *Stalemura.* [18] Sequino. [19] *Palopoli.* [20] *Nigde*, Turcis, noſtris, *Nigidia.* [21] S. *Theodoro.* [22] *Saleſo*, vel, *Salepho*, *Saphet* Matthæo Pariſio. [23] *Malmiſtra.* [24] *Caraſu.* [25] *Malo.* [26] *Terſis*, *Teraſſa*, Danidi Chitræo , *Hama*, Bellonio , *Maleſtras*, Beniamino. [27] *Adena.* [28] *Laiaſſa.* [29] *Aiazzo.* [30] *Scyro.* [31] *Caſſo.* [32] *Scarpanto.* [33] *Vxilica.* [34] Pamphylia & Cilicia vno nomine hodie vocantur, *Caramania.* [35] *Cypri.* [36] *Cabo S. Epiphanio.* [37] *Glano.* [38] *Macunda.* [39] *Punta Malota.* [40] *Cabo Bianco.* [41] *Cormia.* [42] *Cabo delle Gatte.* [43] *Limißo.* [44] *Tonus.* [45] *Cabo Chito.* [46] *Cabo de la Groda.* [47] *Cabo de la Griega.* [48] *Famaguſta.* [49] *Cabo S. Andrea.* [50] S. *Peuſo.* [51] *Coronia.* [52] *Cerines.* [53] *Cabo Cornachiti.* [54] *Cabo de Aleſſandreta*, aliis, *Cabo S. Eleni.* [55] *Aleſſandreta*, vel, *S. Eleni.*

CAPVT

CAPVT VLTIMVM.

Syria, Phœnicia, Iudæa, & Ægypti vſque ad Peluſiacum Nili oſtium, maritimus tractus.

NVNC ab Iſſico ſinu ad Peluſiacum Nili oſtium decurrendum eſt, vt tandem ad eundem locum redeam, à quo Aſiæ antiquæ circumnauigationem incepi, Orbi, libróque primo huiuſce operis finem facturus. Igitur poſt Iſſum Alexandria, hodie nomen ſeruans ; Myriandrus, ſic vocata, quia ibi Xerxes per myriadas, hoc eſt, militum X. M. exercitum numerauit, Rhoſſus, Roſus Straboni, Scopulus Rhoſſicus, liberáque ciuitas in promontorio conſtituta [1] Seleucia Pieria, de nomine Seleuci Nicatoris conditoris. Ibi Conſtantius magnum portum excauauit, ne fiſcale onus periret. Sequuntur vrbes Syriæ, cui Antiochiæ cognomen additur, poſt Seleuciam Poſidium, Heraclea, Charadrus, [2] Laodicea, opus dicti Seleuci Nicatoris, qui eam de nomine vxoris vocauit, [3] Gabala, Paltos, Carne, [4] Berytus, Fœlix Iulia à Plinio nominata, Aradus, Sidoniis exulibus ædificata, amnéſque inter eas [5] Lichos, Hiatos, & [6] Orontes: [7] Balançæ, ſiue Balanæa, cum Carano Aradiorum nauali, vrbs non obſcura [8] Marathos Phœnicum colonia, eorum terris proxima, nam & ſtatim illi littus tenent, ſequentéſque vrbes, [9] Ortoſiam, cum caſtello Cimyrâ, Taximyra Straboni: contráque Aradum, Antaradum oppidum cum Inſulâ, ad oſtium Magoræ: [10] Tripolim quoque, nomen ab eo accipientem, quòd trium vrbium ruinis ædificata ſit, Tyro, Sidone, & Arado. Ad promontorium Euproſopon [11] Botrys, vel Botrus, Leontos, Gygartha, Trieris, Calamos, &, de nomine amãtis Byblydis, [12] Byblus, cui vicina Palæbyblos, partìm vrbes, partìm oppida littori inſident. Vici occupant vlteriora, donec [13] Sydona videas, hæc antequam caperetur à Perſis, maritimarum vrbium maxima, artifex vitri, & Thebarum Bœotiarum parens. Succedit [14] Sarepta, ad fontem hortorum Libani, hinc Tyros, [15] Sor Hebræis, aliquando Inſula, nunc annexa terræ, quondam iactis ab Alexandro in mare intermiſſum arboribus, ſaxíſque, & arenis, factóque aggere. Ipſa Phœnicum colonia, partu clara, vrbibus genitis, Lepti, Vticâ, & illâ Romani nominis æmulâ Carthagine, etiam Gadibus extra Orbem conditis. Solers ibi olim hominum genus ad pacis bellíque artes: maria adire, claſſe confligere, imperitare gentibus, quas commercio adierat, ſuetum. Poſt Tyron, oppidum [16] Ecdippa, & aliud

Totum hoc Caput ex ſupra allegatis authoribus deſumptum eſt.

aliud [17] Scandalium, imminens promontorio Albo: quo deficiente Ptolomais vrbs apparet, [18] Ace Plinio, colonia Claudij Cęſaris. Indè Ornithon, & Sepulchrum Memnonis, & [19] Sicaminon cum paruo [20] promontorio, tandémque vrbs cum fluuio Dorâ, etiam hodie eodem nomine appellato. Amnes in mare deferuntur, [21] Eleutherus, [22] Adonius, vel, Adonis, Læon, & [23] Corſæus torrenti propior. Ante Syriam vna Inſula [24] Aradvs, Paria, Plinio, nauale habens Caranum. Phœniciam excipit Iudæa, quæ & Palæſtina, hodie Terra Sancta, ibi ad mare [25] Stratonis turris, ampliata ab Herode, in honorem Auguſti, Cæſarea vocata eſt, at poſt quam coloniam Veſpaſianus deduxit, Prima Flauia appellari cœpta. Sequitur Apollonia, & [26] Ioppe ante diluuium, vt ferunt, cõdita: ibi Cephea regnaſſe, eo ſigno accolæ affirmant, quòd titulum eius, fratríſque Phinei, veteres quædam aræ cum religione plurimâ ad tẽporá Traiani conſeruauêre: quinetiam rei celebratæ carminibus ac fabulis, ſeruatæque à Perſeo Andromedæ clarum veſtigium, belluæ marinæ oſſa Plinij ſæculo oſtentata: inſidétque vrbs colli præiacente ſaxo, in quo partem vinculorum Andromedæ olim vidiſſes. Iuxta Iamnes duæ, ſiue Iamnetorum portus, * Zaniam, & Caſtrum Beroaldi poſtea Veneti dixerunt. His penè committitur Azatus, aliis Azotus oppidum liberum, & maius eo [27] Aſcalon, [28] Anthedónque, quod & Agrippias. Inde Angaris mons, Maionia, ſiue Maiuma xx. ſtadiis à Gaza diſtans, quæ ſic dicta eſt, quòd cùm Cambyſes armis Ægyptum peteret, huc opes ſuas ad bellum contulerat, eſt autem Gaza Perſis ærarium. Vrbs iſta reſtituta, & cincta mœnibus à Conſtantino Magno, longo poſt tempore, à quo diruta ab Alexandro fuerat, Conſtantia nuncupata eſt. Poſtea vrbanis Iulianus Imp. ius ciuitatis ademit, voluítque eam vrbem appellari Gazæ portum. Contermina huic & confinis pars Ægypti Aſiatica, cuius vrbes Facidia, [29] Oſtracine, Bitilium, & poſt eruptionem Sirbonidis paludis Pentaſchænum, Caſſium, ſiue Caſium, in monte Caſio, in quo etiam Iouis Caſij templum, & Pompeij Magni ſepulchrum; ſupra Rhinocoluram, Gerram, Adipſon, terminúmque Aſiæ, libríque huius [30] Peluſium, cum oſtio Nili Peluſiaco. Atque iſta circumuectio eſt totius Orbis terrarum antiquis cogniti. Polybius à Gaditano freto ad os Mæotis, longitudinem ponit xxxiv. xl. m. paſſ. Longitudo Aſiæ in confeſſo eſt, lxiii. m. d. cccl. m, paſſ. De circuitu autem terræ vniuerſo, aut nulla, aut incerta priſci authores referunt, nondum nauigato pelago, quo Nouus Orbis noſtris apparuit, * Plinius ab Indiâ ad Herculis columnas octuageſies quinquies centena ſeptuaginta octo m. paſſ. prodidit. Iſidorus, Ptolomæus, & Strabo aliter. Artemidorus à Gadibus circuitu Sacri promontorij ad promontorium Artabrum, quò longiſſimè

* *Maſius ad 12. Ioſue.*

* *Lib. 2. cap. 109.*

Hiſpaniarum frons procurrit, octoginta M. nonaginta vnum. Id menſuræ, duplici currit viâ. A Gange amne, oſtióque eius, quà ſe in Eoum Oceanum effundit, per Indiam, Parthyenémque, ad Myriandrum vrbem Syriæ, in Iſſico ſinu poſitam, quinquageſies bis V. M. PASS. Vniuerſorum autem circuitum Eratoſthenes, in omnium quidem litterarum ſubtilitate, & in hac vtique præter ceteros ſolers, ducentorum quinquaginta duorum millium ſtadiorum taxauit. Quæ menſura Romanâ computatione efficit, trecenties quindecies C. M. PASS. Improbum auſum, verùm ita ſubtili argumentatione comprehenſum, vt puduerit etiam Plinium ei non credere. Hipparchus, & in coarguendo eo, & in reliquâ omni diligentiâ mirus, adiicit paulominus ſtadior. XXV. MILL. Quàm autem antiqui ſcriptores in longitudine aberrauerint, apparebit ex Americæ deſcriptione, Libro ſequenti, quæ quarta pars terrarum, tres reliquas penè adæquat in circuitu, nam Orbis totius longitudo penè hodie tota cognita eſt, contrariâ viâ per ortum & occaſum pari penè ſpatio ad Molucas ducente. At latitudo, quæ dimidio ferè minor, à priſcis illis ſcriptoribus ipsâ longitudine exiſtimata eſt, multa vapore, multa rigore auferente, nunc par longitudini coniicitur, habitatis, quæ ſub Arcto ſunt Inſulis, & Auſtrali terrâ licet nondum per circuitum cognitâ, tamen ex eadem coniecturâ, quâ & Septentrionalis, habitari manifeſtum, globúmque terrarum pari ob id longitudine & latitudine eſſe, ſi quid enim deeſſet telluri, non eſſet globi forma. Hoc forſan poſterior ætas oſtendet, cùm ſtudioſa curioſitas ad incognita gentes trahet, quas auaritia in eas regiones deduxit, quæ gemmas & aurum nuper tulerunt: iam enim opibus natiuis ſpoliatæ, nihil præter bella ſpirant, quæ luxus & abundantia genuêre. Aliqui per ſinus, & amfractus littorum, nuper Mediterraneum pelagus, partéſque Eoi, Æthiopici, & Atlantici, ad certam menſuram redigere conati ſunt, omnis portus & receſſus gnari. Sed quantùm in ſupputando aberrent, præter numeros, haud numerabiles, ſiue in leucarum, ſiue in ſtadiorum, ſiue in paſſuum æſtimatione, quotidie vndæ deterentes ſolum, aut addentes ſolo, iniquè eos agere etiam in minimis, iudicio ſunt: cum ſemper fallax ſit computatio in mutatione.

Ss NOMINA

NOMINA ANTIQVA VOCABVLIS, quibus hodie cognoſcuntur tranſlata.

1 *Soldi.*[2] *Rhamata*, Hebræis, Barbaris *Liche.* [3] *Gebol*, & *Gibel.*[4] *Baruth.*[5] *Tarſaro.*[6] *Soldino.* [7] *Bagnias*, Poſtello, Nigro *Velania.*[8] *Margath.* [9] *Tortoſa.* [10] *Trapoli, Tripoli*, Italis. [11] *Boteron*, Volaterrano, *Elpatron* Syris, *Botrum*, Chriſtianis, ſi Poſtello creditur. [12] *Saites*, Oliuario, *Giblec*, Brocardo, *Zibelleto*, Giſtellio, adeò tam variè. [13] *Sidoni.* [14] *Saphet.* [15] *Sur.* [16] *Lambarti, Achzib*, Incolis.[17] *Scandalio.* [18] *Acon.* [19] *Syche.* [20] *Cabo Carmelo.* [21] *Valania.* [22] *Canis, Naracellebe*, vulgò. [23] *Chiſon.* [24] *Ar.* [25] *Azor*, Pineto, *Beline*, Thetueto. [26] *Iapha.* [27] *Eſcalona.* [28] *Geth.* [29] *Stagioni*, Hebraicè *Aſedoch.* [30] *Damietta.*

ORBIS

ORBIS MARITIMI

SIVE

RERVM IN MARI ET LITTORIBVS GESTARVM.

LIBER SECVNDVS.

CAPVT PRIMVM.

Gothorum Imperium, geſtáque in Mari & littoribus: eorumdem in Africâ & Italia excidium.

NVNC verò illis curioſius excuſſis, quæ ad antiquitatis cognitionem circa res maritimas pertinebant, reſumenda & continuenda eſt hiſtorica narratiò, cuius finis fuit caput vigeſimum libri ſuperioris. Ceterum non vt ante res geſtas pro temporum ſupputatione ſimul deſcribam, ſed ſingularum nationum geſta victoriáſque ſpeciali capite complectar. Cùm enim multæ ſimul nationes in Imperium Romanum irruerint, lacerauerint, occupauerint: difficile eſt omnium inundationes & incurſus, incrementa quoque & decrementa dillucidè tradere vno lectionis impetu, eadémque veluti paginâ. Singulorum itaque populorum Imperia diuiſi, & in capita ſpecialia contuli, vt vniuſcuiúſque exor-

De Gothis, qui Septentrionale Imperium tenuerunt, Cap. 15 dicemus.

 dium

dium & excidium, per annorum ſeriem innoteſcat, ſciátque, qui hæc leget, quomodò & quandò inceperint Imperia, creuerint, perierint, quæque hodie per plura ſæcula conſeruata, ad hæc noſtra tempora perdurent. Initium autem à Gothis ſumam, vt antiquioribus, quorum nomen iam ab Alexandri Magni temporibus notum tardè, & per partes extinctum eſt. Hæc natio è Scandiâ, ſiue Scandinauiâ, ſiue Scanzia, Germanici maris Inſulâ originem duxit, Beatus Rhenanus in præfatione Procopianâ, Zelandiam, vel Sueciam hodiernam putat, alij eam Cherſoneſum eſſe exiſtimant, quæ nunc à Germanis Gottlandia appellatur, Codanonia Melæ. Ex hac Inſulâ Gothi cum vxoribus & liberis erumpentes, Vlmerugos, littoralem populum, Vandalóſque profligauerunt, quibus mixti, Vandalicam gentem, ſuæ gentis partem, formidabilem Europæ fecerunt: námque pro Regionibus occupatis, varia nomina ſumpſerunt. Iſtro tranſuecto, Getíſq; ſubactis, Getæ appellati ſunt, vndè Claudianus, & Sidonius Apollinaris, variíque hiſtorici Gothos Getáſque confundunt, quos Gothunos, ab eodem Claudiano dictos manifeſtum eſt. Alanis proximis Gothiæ deuictis, Gothi Alani vocati, hoc, Syllâ apud Romanos Dictatore, eueniſſe multi prodiderunt. Nomen autem Gothorum incorruptum perdurauit in Inſulis Baltici, ſiue Pruſſici maris; in Tranſyluaniâ, quæ olim Dacia, in Germaniâ, quà Viſtulâ, irrigatur; in Thraciâ, Græciâ, intráque Mæotim paludem, Ionium, Adriaticúmque maria, Noricum, Illyricum, Italiam, Hiſpaniam, Gallias, & Phrygiam. Nam ſeditione inter Gothos in Daciâ coortâ, pars trans Iſtrum bellum portauit, Scythiámque, & Thracias occupauit, vndè origo Veſogothorum, ſiue Viſigothorum, hoc eſt, Occidentalium Gothorum, quod nomen iis ceſſit, qui circa Mæotim & Euxinum ſedes poſuerunt: qui verò permanſerunt in Daciâ, cum Athalarico Rege, hi Oſtrogothi, hoc eſt, Orientales Gothi appellati ſunt, & hoc multis annis factum eſt, antequam Gothi in Gallias, Hiſpaniáſque penetrarent. Iam verò, qui Eutropij hiſtoriam continuauit, Gothorum quatuor gentes facit, nomen tantùm, & nihil aliud mutantes, Gothos ſcilicet, qui Pannoniam Thraciámque tenuerunt: Hypogothos, qui poſt Alaricum Romam depopulantes, in Gallias abierunt: Gepidas, qui loca circa Singidonem & Sirmium habitauerunt, ex quibus poſtea Longobardi, & Auares originem duxerũt: & Vandalos, qui Alanis Germaníſque ſibi ſociatis, Mogodiſclo duce, in Hiſpanias irruperunt. Fuerunt & alia Gothorum nomina, nam & Gutæ à * Ptolemæo appellãtur, & Gotini, & Vandili, Sarmatæ, Melanchlæni, Daci, Geloni, Peuci, Heruli, Maſſagetæ, Sueui, Longobardi, Scythæ, Borani, Carpi, Vrugundi, quos Burgundos, ſiue Burgundiones noſtros cenſeo: Picti, Taifali, Styri, & Rugi, qui omnes

Lazius de gẽtium migrat. lib. 10.

In deſcriptione Orbis Theodoſij iuſſu factâ.

** Geograp l. 2. c. 11. Zozimus hiſtor. lib. 1. & 4. Lazius de gentium migrat. l. 11. & 12. Iornandes de rebus Geticis, alia Gothorum etiam nomina recenſent.*

omnes è Gothis oriundi ſunt, de quibus aliqua iam diximus, Capite xx. prioris Libri, quo vſque ad mortem Conſtantini omniũ nationum res in mari geſtas complexus ſum. Nunc verò quæ, poſt eundem Conſtantinum ad propoſitum noſtrum faciunt, aggrediar, ducto à Gothis initio. Hi poſt Conſtantinum, tellure partâ ſatis quietè vſi, pauca bella geſſerunt, eáque præcipuè circa Rheni ripas, in Daciâ, Thraciâque, in quâ iuxta Antiochiæ muros Valens Imp. cum exercitu à Gothis cæſus eſt. Imperantibus verò Arcadio & Honorio, Viſigothi ex Iſtri ripis mouẽtes, Thraciáque relictâ, duce Alarico, Romam capiunt, Attalúmque Romanum ciuem, Romanorum Imp. creant. Hinc Galliam, Adaulpho duce, petunt. Interea Vandili, & ipſi Gothorum gens, circa Mæotidem conſidentes, Alanis ſibi iunctis, duce Gogidiſco, in Hiſpaniam penetrant; vndè Gothia, ſiue Gotlandia in Hiſpaniâ eſſe cepit, quam Romani ſcriptores deprauatè Catalaniam vocãt. Priuſquam iſtorum geſta exponam, iſtud prœmittendum eſt: nimirum; Gothis tribus nauibus è Scanziâ primùm exiuiſſe, quarum vna tardiùs vecta, nomen genti fertur dediſſe, nam linguâ eorum, pigra, Gepanta dicitur. Hinc factum eſt, vt paulatim & corruptè nomen eis ex vitio naſceretur, Gepidæque ſint appellati: Vandili verò, ſiue Vandali, ab erroribus continuis, mutatiſque ſubinde ſedibus, hi in alterâ primæ profectionis naui fuerunt. In tertiâ demùm quicunque Gothi ſederunt, Burgiones, ſeu Burgundiones vocati ſunt, à conſtructis pluribus caſtellis, quæ hodie etiam apud noſtrates Burgi dicuntur. Nunc ad Vandilos, ſiue Vandalos redeo. Hi Hiſpaniis occupatis, variâ claſſe vecti, fuſis maritimo prælio vbique Romanis, præſidiis eorum cæſis, Gades Sardiniam, Minoricam & Maioricam, Corſicam deinde, & partem Siciliæ circa Panormum inuadunt. Hinc à Bonifacio, ſub Valentiniano III. Africæ præfecto, in Africam euocati, Gizericho Rege, cuncta bello proſternunt, Romaniſque fugatis, in ditionẽ ſuam tertiam orbis partem redigunt, regiámque locant in ipſa Carthagine. Quibus inflatus * Gizerichus, in Italiam tranſiit, Romáque captâ, ingentia ſpolia, nauibus ſuis impoſita, in Africam tulit. Ibi auditâ Valentiniani morte, multas excurſiones claſſe fecit, nunc Siciliam, nunc Italiam applicans, plures vrbes diripuit, æquauítque ſolo. Vnde in Orientis plagas conuerſus, Illyricum, Peloponneſum, omnéſque circum iacentes Inſulas, cum reliquâ Græciâ ſuæ ditionis fecit. Ad Italiam rurſùs Siciliámque reuertens, quidquid reliqui fuit vaſtauit. Has iniurias vlturus Leo Conſtantinopolitanus Imp. claſſem Baſiliſco ad bellum commendat, Verinæ coniugis fratri: alteram item in Sardiniam mittit, Marcelliano Præfecto, quâ confeſtìm expulſi ſunt Vandili. Tertia claſſis Heraclio commiſſa eſt. Hic ante Tripo-

Iordanus lib. de reb. Geticis, narrat. Gallieno Imperante Gothos Reſpa, Veduco, Taruaróq. ducibus, ſumptis nauibus in Aſiam tranſiſſe, multas vrbes cepiſſe, Epheſi Dianæ templum, Amazonum opus, ſuccendiſſe, Bythiniámque & Chalcedoniam ſubuertiſſe.

ANN. Vrb. C. 1132. Salutis verò, 382.

Procopius lib. 1. belli Vandalici. Pantaleon Candidus Gothiberidos lib. 1.

ANN. 434.

Lazius de gẽtium migration. lib. 10. & 11. Krantz. Sueciæ lib. 1. 2. 3. & 4. Roderic. Archiepiſc Toletanus, de rebus Hiſpaniæ.

Procopius lib. 1. belli Vandalici. Iornandes de regnor. ſucceſſ. Idem de reb. Get. Lazius de gentium migration. lib. 11. Krantzius Vandaliæ, lib. 1.

* Genſericus *aliis.*

lim Africæ Vandilos fugat, & ſi Baſiliſcus Carthaginem ſtatim appuliſſet, quidquid Vandili occupauerant, vno penè momento rediiſſet ad Romanos. Sed Leone interea hæc ſatisfuncto, & vtroque Imperio, Occidentis ſcilicet & Orientis per ambitum & diſcordias petito, quietè poſtea, ad obitum vſque, Gizerichus in Africâ regnauit, protulitque Imperium in Ægyptum & Æthiopiam, ſeruauírque integrum ſucceſſoribus, ad Imp. Iuſtiniani tẽpora. Hic contra Gilimerem Vandilorum in Africâ Regem quingentas naues miſit, quibus præerat Calonymus Alexandrinus: erant & cum ipſis nauigia longa nonaginta duo, contecta, ne remiges ab hoſtibus lædi poſſent, ea dromonas, hoc eſt, curſorias naues, vocant. Erat & pedeſtris exercitus. Cunctorum verò dux Beliſarius. Gilimer autem iam Tripoli per Pudentium, & Sardiniâ per Godam, priuatus, naues cxx. armat, iiſque fratrem Zazonem præficit. Poſtquam autem Epiphanius, Conſtantinopolitanus Præſul, claſſi de more benedixit, benéque precatus eſt, de littore vrbis Imperatoriæ Beliſarius ſoluens, Perinthum applicuit, quæ vrbs poſtea Heraclea dicta eſt: hinc Abydum, vnde iuſſit tres naues præire, quæ ſe commeatúſque ferrent. Harum trium nauium mala triangulari formâ conſtituit, minióq; infecit, ac ſublicis in puppi erectis faces accendit, vt nocte ac die naues Prætoriæ viderentur, quas ceteræ ſubſequi poſſent. Quandò verò è portu ſoluendum erat, hoc ad tubæ ſignum fieri imperauerat. Igitur Beliſarius ex Abydo Methonem hoc ordine petiit, vbi Valeriano & Martiano, qui tutandæ Græciæ præpoſiti erant, ſeſe coniunxit. Hinc in Siciliam venit, deinde Africam, vbi milites, nauale prælium recuſantes, in terram expoſuit, Carthaginem cepit, victúmque cum fratre Zazone Gilimerem in triumphum Conſtantinopolim duxit. Mox Per Cyrillum ducem Sardiniam recuperat, & Corſicam: Mauritaniam per Ioannem, per quem etiam Gades & Septum recipit. Apolliciarius, eiuſdem Beliſarij dux, Ebuſas, Maioricam & Minoricam Vandalis eripit. Hæc Beliſarij victoria ingentibus titulis Iuſtinianum decorauit, quibus ille initio Codicis inſignitur. Nam & ex eo Gothicus, Anticus, Alanicus, Vandalicus, & Africanus appellatus eſt: tantùm adeò decoris vnus Beliſarius Imperatori ſuo detulit. Sic Africa poſt centeſimum ferè annum ab occupatione, Vandilico iugo erepta, in Imperium Rom. reducta eſt. Reſtabat Italia, cuius littora Gothi à Rauennâ ad Bruttios, à Bruttiis ad Ligures vſque tenebant, reſtabat & Sicilia: hanc Theodahato, illam Vittigi Regibus Beliſarius eripit. Vt verò Byzantium reuocatus eſt, & in eius locum Demetrius miſſus, cum claſſe Armeniorum, Thracum & Hunnorum in Italiam venit: tum Gothi Totilâ rege, quidquid abſtulerat Beliſarius victor, receperunt, claſſem Demetrij adhorti, ad littus

Procop. lib. 2. belli Vandalici.

Idem de bello Gothorum. Agathias, Guido Rauennas, Blondus, Leonardus Aretinus, de bello Italico aduerſ. Gothos. Rodericus Santius, & alter Roderic Archiep. Tolet. in hiſt. Hiſp.

littus Neapolitanum lacerant, omnéſque obtruncant, iis exceptis, qui in lembos ſub initium pugnæ deſilierant, inter quos fuit & Demetrius claſſis Præfectus: naues autem omnes Gothi cepêre. Parte aliâ Maximinus, & ipſe à Iuſtiniano contra Gothos miſſus, Præfectus Prætorio Italiæ, Syracuſas cum claſſe appulit, quæ vrbs adhuc in Siciliâ Romanis obſequebatur. Ibi Conon, qui Neapoli ſeruandæ à Beliſario relictus fuerat, auxilium contra Gothos, qui tum in eius vrbis oppugnatione erant, à Maximino precatur. Miſſi Erodianus & Demetrius cum claſſe, quæ fortè tempeſtate ſæuiente littori impactâ, in quo hoſtes ſtatiua habebant, ſtatim à Gothis intercepta eſt, plurimi cæſi, plures captiui, inter quos & Demetrius claſſis Præfectus inuentus eſt, quem Totilas, reſte collo iniectâ, ante vrbis mœnia obſeſſis oſtendens, ad deditionem hortatus eſt, cum nulla iam eſſet auxilij ſpes: quod Neapolitani, quíq; præſidio vrbi erant, non ita multò poſt fecerunt. Sic in dies Romanorum rebus diminutis, ipſâque Româ à Totilâ obſidione preſsâ, faméque ciuibus laborantibus, vni Beliſario Italiæ ſalus commiſſa. Is annonam in vrbem laturus, naues duas magnas, quas Græci acatas vocant, inuicem coniunxit, quibus tignis roboratis, firmatíſque, ligneam turrim ſuperædificauit. Naues deinde cc. quas * Drodamas iidem Græci dicunt, in Tyberim iecit, ligneis circumſeptas muris, & iis vndique perforatis, vt ex foraminibus ipſis milites hoſtem tutò ferire poſſent, frumentíque multùm & cetera obſeſſis neceſſaria in eas impoſuit, militéque generoſo compleuit. Alios prætereà pedites equitéſque vtrinquè circa fluminis ripas conſtituit. Ipſe nauem ingreſſus, ſubſequentem claſſem funibus, per milites qui in littore erant, trahi iuſſit. Addidit & lembum ſulphure, reſinâ, ſeuo, aliíſque incitamentis flammarum fartum, quem in faſtigio turris ligneæ locauit. Beliſarius igitur Romanáque claſſis ingenti labore nauigabat aduerſo flumine, Gothis nullibi occurſantibus, ſed in ſuis quieſcentibus caſtris: cùm verò ad pontem veniſſent, quo vtraque Tyberis ripa iungebatur, in hoſtium cuſtodias incidunt, qui hinc & inde ante pontem ferreas cathenas, ne aditus in vrbem hoſtibus eſſet, iniecerant. Hîc pugnâ, barbari fugati: mox vbi turris lignea cum lembo ad pontem applicata, concepit ignem, turres ligneas Gothorum, aliáſque hoſtium machinas, in ponte cremauit, ruptæ cathenæ, & pons in vndas excuſſus, auxilio liberum in vrbem aditum fecerunt. Hæc proſpera aduerſis ſtatim commixta ſunt. Nam Iſaaces, vnus è ducibus Beliſarij, iniuſſus cùm hoſtem adortus fuiſſet, captus & occiſus eſt, vnde terror obſeſſis, & mox vrbis ſequuta deditio. Inde vario euentu pugnatum, fortunâ nunc Beliſario, nunc Gothis fauente, qui Corcyram Inſuláſque Corcyræ circumiectas, littoráque Epiri, Acarnaniæ, & Ætoliæ incendio & rapinis

* *Fortaſſè dromadas, vel dromonas.*

Sabellic. Enn.8. lib 4. E Procopio lib.3. belli Gothor. & Aretino belli Italici, lib.4.

& rapinis fœdauerunt. Tum verò Narſeti Gothicum bellum delatum, ſub quo Valerianus, Illyricæ claſſis Præfectus, quæ duodeviginti nauium erat, & Vitalianus, qui Rauennæ preſidebat, cum XII. nauibus ad Anconem cum Gothicâ claſſe conflixerunt, cui Alidas & Gothildus imperabant. Contis gladiiſque cominus dimicatum eſt, marte ancipiti, donec Gothorum naues in arctum coëuntes ſibi ipſis impedimento eſſe ceperunt. Hinc fuga, x. celeri circumactu proras ad littus deflexêre, ceteræ aut captæ ſunt, aut in alto depreſſæ. Quæ ad littora refugerunt, à Gothis iniectâ flammâ corruptæ ſunt, ne victoris in manus venirent. Græca claſſis portum ingreſſa, ingenti Anconitanorum lætitiâ excepta eſt, Gothorum, qui vrbem obſidebant, caſtra direpta. Valerianus Rauennam cum ſuâ claſſe,* Vitalianus Salonas petiêre. Artuades quoque Iuſtiniani dux cum claſſe in Siciliam miſſus, Gothos per Inſulam diſperſos vicit. Narſes è Dalmatiâ per Liburniam, Hiſtriam & Iapidiam, Italiæ fines ingreſſus, circa Aquileiam conſedit, quam ab Atiliano deſertam, & iacentem, reſtaurauit: Rauennam dein petiit, vbi Valerianus & Iuſtinus duces confeſtim cum eo copias iunxerunt. Hinc variæ vrbes expugnatæ, interque eas Roma, tunc Italiæ, olim verò orbis caput. Totilas, poſt Teias, moriuntur, ambo victi. Receptus Totilæ theſaurus, qui Cumis erat. Capraria Inſula à Buoelino capta, in quam nuper Hiſtri Sclauonico tumultu confugerant, & in Iuſtini Principis gratiam oppidum condiderant, de eius nomine Iuſtinopolis appellatum. Exacti tandem Italiâ Gothi, & trans Padum amnem habitare iuſſi, anno altero & ſeptuageſimo poſtquam Theodorici ductu Italiæ Regno potiti fuerant. Vviſigothorum nomen & Regnum in Hiſpania diuturnius, hodiéque primum durat, Prouinciâ è Gothis & Alanis Catalaniâ dictâ. Multi poſt extinctam in Italiâ Gothorum & Oſtrogothorum nationem, in Hiſpaniâ Reges Imperitauêre ab Atanagildo, ad Flauium Reſcindendum, ſub quo Hiſpania à Vviſigothis reſciſſa eſt, eo ab Abdiramâ Sarracenorum Duce pulſo. Finitum inde Regnum maximâ ex parte, quod annis CCC. in Hiſpaniis Gothi Occidentales, hoc eſt, Vviſigothi tenuêre. De geſtis Gothorum Barlæus.

** Hunc, Ioannem Procopius vocat, dicto lib.3. Artuadem verò, Artabanem.*

ANN. Sal. 552

ANN. 554. *Krantz Suec l.4.*

ANN. 710.

In tumulo Guſtaui Adolphi Suecor. Regis.

Horribiles populis Gothi, Dominique Trionum
Continuant feriem gentis, quam priſca celebrant
Sæcula, quæ victo rapuit diademata Mundo.
Exuit Auſoniam titulis, & paupere terra
Iuit in Imperium magnum, per Regna cucurrit
Bætica, per Druidum ſaltus, per inhoſpita Mauri
Littora, & Arctois Abylam parere coëgit
Iuſsibus, edomuitque ſuis Atlanta maniplis.

Namque pulſis Galliâ & Græciâ ipſis Vandalis, Sueuis, & Alanis fugatis,

fugatis, Gothi in Gallias à Stilicone euocati, Narbonenſis Galliæ partem, quæ nunc Languedochium corruptè dicitur, occuparunt, Gothiámque appellauerunt. Alanos iterum Luſitaniâ & Celtiberiâ, Suecos Gallecîâ, Vandalos Silingues Bæticâ, in Africam tranſire coëgerunt. Româ ab Alarico direptâ, Campaniâ, Lucaniáq; depopulatis, in ipsâ vrbe vrbium principe Româ Imperij ſede ab Ataulpho conſtitutâ, Gothiáque mutato nomine dictâ, Africâ ſub iugum miſsâ, vt ſunt caduca etiam Regna, maieſtatis Gothicæ gloria, in ipſis quas ſubegit terris, extincta eſt per Saracenos, natalíque dudum ſolo contenta, triumphis ſuis ſuperuixit, vt poſtea XV. Capite iſtius Libri demonſtrabimus, donec noſtro tempore in atauorum gloriam ſub Guſtauo Principe reſurgens, iterum patriam relinqueret, faceretque metum Rom. Imperio.

Ioan. Vaſæus in Chronico Hiſpan. Roderic. Archiep. Tolet. in Oſtrogoth. hiſtor. & de reb. Hiſpania.

CAPVT SECVNDVM.

De Longobardis, eorum excurſiones, quomodo Italiam occupauerint, & perdiderint. Aliqua item de Hunnis.

GOTHIS in Italiâ ſucceſsêre Longobardi à Narſete euocati, qui, Iuſtiniano mortuo, inſolentem Sophiæ Imperatricis cauillationem vlciſci volebat. Iſti Gothicæ & Vandilicæ originis primùm, ſicut & illi, è Scanziâ, ſiue Scandinauiâ venerunt, Ibore & Agione ducibus. A Bardis Sacerdotibus gentilitiis, vel à longis barbis dicti, alio nomine Vvynnili. Ego Langobardos Taciti puto, corrupto vocabulo, populos Baltici maris. Prima gentis ſedes, Schonlandia. Secunda, Liuonia & Pruſſia. Tertia, Mauringia. Quarta, Rugilandia. Quinta, Polonia. Sexta, ad Rheni fluenta, vbi hodie Palatinatus inferior. Septima, Morauia. Octaua, Pannoniæ, è quibus vocati ſunt à Narſete, vt in Italiam tranſirent, ſub decimo eorum Rege, cui Alboini, ſiue Albuini nomen, qui Hunnis comitantibus, quibus iam contra Gepidas vſus fuerat, in Venetorum terras appulſus, Aquileiam, vrbem ad ſeneſcentem maris Adriatici fluctum ſitam, Forúmque Iulium, illius Prouinciæ oppidum, quondam à Iulio Cæſare conditum, capit, Regio in formam Ducatus redacta, & Giſulſus Alboini nepos, Foroiulienſis Dux primus inſtitutus. Vincentia, inde Verona, Tridentum, & alia Venetorum oppida expugnata. Abduâ demùm flumine traiecto, in Liguriam itum eſt. Ligures conſternati, deſertis vrbibus in paludes ſeſe receperunt, tuti, vt putabant, ab Alboini ar-

Paulus Diacon. in hiſtor. Longobard. Krantz. l. 3. Dania

Corn. Tacit. de morib. Germanor. Lazius de gent. transmigrat. l. 12.

AN. Sal. 565.

Sigon. de Regno Italiæ, l. 1. 2. 3. & 4.

ANN. 567.

ANN. Sal. 570 mis, quòd illi nauigia non eſſent. Erant tum vaſtæ Cremonam inter & Laudem paludes, ab Olio, Serio, Abduáque exundantibus amnibus intumeſcentes in ſpeciem maris, & in iis plures Inſulæ, quarum, quæ vaſtior in fluctus procumbebat, vicinis populis refugium fuit. Ibi domus, mox etiam vrbs conſtituta, & à Cremete, ſingularis tunc apud Ligures authoritatis viro, Crema nuncupata. Erat & Inſula in Lario lacu, quem nunc Comenſem dicimus, nomine Comacina, in quam & alij confugerunt. Dum hæc aguntur, Brixiam, Comum, Mediolanúmque & reliqua Liguriæ oppida, vno penè armorum tumultu, Alboinus inuoluit: quo facto, Italiæ Rex à ſuis appellatus eſt, Longino, poſt Narſetis obitum, Præfecto Italiæ à Iuſtino facto, occurrere contra non auſo, & Rauennæ commorante, vbi Præfecturæ ſuæ ſedem poſuerat, non Romæ, vt alij ante eum P. Prætorio Italiæ: túmque primum Exarchatus Rauennatis initium fuit. Sicque Romæ, & per reliquam Italiam, vetus adminiſtrationis forma, cum magiſtratuum nominibus, & Populi Romani gloria ſimul interierunt. Tandem Alboinus, Etruriâ Vmbriáque occupatâ, ſuorum fraude periit. Huic Clephis ſucceſſit, Latio potitus, Româ & Tibure exceptis. Quo cæſo, Longobardorum Imperium ad Duces rediit: ſub quibus Neapolis, ipſáque Roma, in eorum manus peruenit. Poſtea Imperio ducibus abrogato, Antaris Longobardorum Rex creatus eſt; quem alij ex ordine Reges ſequuti ſunt, ſub quorum poteſtate Comum cum lacu, & Co-

AN. Sal. 752. macina Inſula fuerunt. Exarchatum quoque Rauennatem Aſtulphus eorum Rex occupauit, finémque fecit huic Præfecturæ, quæ per CC. annos Italiæ, ſed præcipuè Romæ, impotenter imperauerat. Nec multò poſt ſub Deſiderio Rege, Longobardorum nomen & Imperium virtute Caroli Magni Francorum Regis extinctum eſt, cui Occidentis Imperium ab Orientali di-

ANN. 776. uulſum ceſſit, & in gentem noſtram traductum eſt. Deſierunt Longobardi in Italiâ regnare ann. CCIV. ab eo quo Alboinus rerum in Italiâ potitus eſt. Ceterum, quia iam iſto Capite diximus, Longobardos ſociis Hunnis in Italiam veniſſe, quoniam vtrumq; nomen ſimul viguit, de Hunnis hîc aliqua inſerere non extra rem erit. Scythicum genus hominum, ſedes ab initio habuit Ryphæis montibus propinquas. Horum pars vltra Mæotidē per Orientem & Aſiam peruagata eſt, ſedítque iuxta Perſas, eúmque illis ſæpius in Romanos belligerauit. Altera, Gothos victos circa

ANN. 300. Iſtrum, vectigales fecit. Hæc ſub Valentiniano III. Romanorum

Sabell. Enn. 8. L. 1. Imp. maximè floruit, Rege Attilâ, qui Europam populatus, Oc-

Hi Hunni, Euthalitæ à Zozimo cidentis Imperium tributarium reddidit. Nam & Imperatores

dicuntur lib. 1. quotannis tributum ei dare perſeuerauerunt: talem ei felicitatē

belli Perſici.

Idem lib. 4. hiſtor. Aquileiâ primùm direptâ præbente. Ab eo excidio Illyricum populatum,

populatum, Gallia direpta, occupatáque Pannonia, vnde recens *Sabellic. Enn.8. lib.1* nomen ſortita videri poteſt, vt ab Hunnis & Gatis, qui cum eâ gente militaſſe dicuntur, Hungaria ſit appellata. Dalmatiæ quoque ſub eodem Rege, littorales vrbes, Hunnis in prædam venerunt. Tragurium, Sibiuicum, Iadera, Signia, Pola, Tergeſtum, incenſæ. Fuſæ claſſes, quæ Phanaticum ſinum, & Arſiam Italiæ cõfinium, tutabantur. Opiterginos & Altinates eadem tempeſtas abſorpſit. Vterque populus amiſſis vrbibus ad mare compulſus eſt. Sex Inſulæ ſuburbanæ, portarum amiſſæ vrbis nomina receperunt, ab Altinatibus indita: Torcellum, ſiue Turicellum, Amorianum, Maiorbium, Boreanum, Conſtantiacum, & Amianum vocatas legimus. Hos imitati Opiterginorum primores, & ipſi ſe amiſsâ patriâ ad æſtuaria contulerunt, atque ad Plauis amnis oſtia prouecti, locatis ſedibus vrbem ex Magni Epiſcopi ſui authoritate ſibi condiderunt, quam è nomine Imperatoris Heracliam appellauerunt. Agreſtes homines aliquot Opiterginos cum pecoribus ſuis ſequuti, cùm Heracliæ muris contineri non poſſent, alium ſibi locum muniuerunt, eúmque Equilium nominauerunt. Iam antea Patauini ad primum Hunnorum tumultum, in Riuum-altum receſſerant, coloniámq; ibi conſtituerant, Venetias appellatam. Mortuo demum Attilâ, Hunnorum opes dilapſæ ſunt. Sub Iuſtiniano verò in totum fractæ. Cùm enim Cherroneſum terrâ maríque oppugnaſſent, auſi vimineas iunceáſque rates contexere, & iis contra Græcos nauali prœlio decertare: naues leues, vt harundineæ, ideóq; in fluctu vix ſubſiſtentes, impulſu ratium ſubmerſæ ſunt, militéſque in æquor excuſſi. Remi præterea ex perticis, maioribus remis deterſi; ruptíque fugam impediuère. Si quæ viminea ratis incorrupta prouecta eſt in mare, recuruatis, latíſque ſpiculis præfixa, reſtibus ſolutis, laxatíſque harundinibus, vndis, quibus potuit, obruebatur. Sic Hunni omnes aut in profundum demerſi, aut gladio cæſi ſunt, per Germanum Iuſtinianeæ claſſi Præpoſitum. Ceteri, qui vrbem terrâ obſidebant, datâ à Iuſtiniano pecuniâ, venditíſque captiuis, in patriam versùs Iſtrum abiuerunt. Vbi diſcordiâ inter eos ortâ, mutuis viribus debilitati, ne nomen quidem priſcum retinuerunt, próque Hunnis Hungari appellati ſunt.

Margin notes: *Ann. 450.* *Sigonius lib. 2. Regni Italiæ.* *Ann. 638.* *Ann. 420.* *Agathias lib. 5.* *Ann. 536.*

* * *

Tt 2 CAPVT

CAPVT TERTIVM.

Saracenorum Imperium, quibus littoribus concluſum ſit: quas terras, Inſuláſque tenuerint. Eorum pugnæ nauales, & victoriæ. Quis genti bellorum & nominis finis fuerit.

E Calij Augustini hiſtor. Saracenicâ. E Thomâ Fazello rer. Sicular. Dec. 2. l. 6. c. 2. Goltz in hiſt. Sicil. Hæc accidit circa AN. Sal. 600.

GOTHORVM, Hunnorúmque & Longobardorum temporibus, in Africâ ſurrexerunt Saraceni, à Sarâ Abrahæ vxore, vel ab Agare eiuſdem ancillâ, nomen ſortiti. Arabiam iſti per multa ſęcula ſine nomine coluerunt, donec Mahometes Turcicæ gentis, ſed antea Perſarum & Saracenorum falſus Propheta, Arabs, an Perſa, dubium, ex vxore locuples, religioníſque nouæ prædicatione commendatus, Coſdroæ Perſarum Regis caſtella aliqua cepit, nactúſque Heraclij Imperatoris deſidiam, Arabiam, partémque Syriæ occupauit, auxiliantibus Perſis, iam veneno eius ſectæ imbutis, & armis ſubactis. Quo facto Mahometes, Califa, hoc eſt, Rex & Pontifex Saracenorum primus creatus eſt. Quatuor Admirantes, hoc eſt, militum prefecti, illi attributi, qui eius auſpiciis terrâ maríque pugnarent. Hinc fortè apud nos Admirantis, ſiue Admiralij nomen, pro præfecto militum, qui in claſſem collecti ſunt, quíque bella maritima ſub Chriſtianiſsimo Rege tractant. Mahomete mortuo, Eubocar ſucceſſit, huic Homar, alíſque longo ordine. Prima eorum expeditio maritima funeſta illis fuit, nam cùm Herculeum fretum tranſgreſſi eſſent, à Bambâ Hiſpaniarum Rege claſſe accenſâ deleti ſunt. Hoc Poëta * Candidus expoſuit verſu, vbi eos non Saracenos, ſed Mauros vocat, quo etiam nomine ab aliis etiam appellantur.

ANN. 634.
* *Gutbiberides l. 2.*

Gens iacet Herculeos quondam comitata labores
Sola longè à terris vaga littora circum
Arctatas maris ad fauces, anguſtáque Porthmi
Murmura; et rapidi curuata fluenta Maluchi,
Atlantis ſubter prærupta cacumina montis,
Mauris nomen ineſt, gens non imbellis in armis.
Hæc ſubitum innumeris veſtibat claſſibus æquor,
Emicuítque ſali ſuper alta, ferentibus Auſtris
Littus in Heſperium, finéſque Malacidos vrbis,
Hiſpanas latè irrumpens vaſto agmine terras
Mota velut rapidi verrunt ad littora venti,
Hinc Boreas, grauis hinc incumbens flatibus Eurus

Vndarum

Undarum ingentes ſcopulos atque æquora miſcent
Vi validâ, hac illac & agentes cuncta pererrant,
Et paſſim inſanis feruet rapida æſtibus vndâ.
Haud aliter ſubitis terroribus omnia complent
Improuiſi armis Mauri; & tumidum enſibus æquor,
Ipſe perhorrebat tergo tot claſſica Nereus
Ferre; ſimul longè trepidos miſeratur Iberos.
Iámque adeò campos paſſim obſedêre patentes:
Cum Bamba infando totis ſe viribus hoſti
Feruidus opponens, fælici marte potitur,
Atque omnem læto ſuccendit in æquore claſſem;
Et dulci è patriâ infeſtos eliminat hoſtes.

At verò poſtquam Oſmenus Califa mare tentauit, omnia Saracenis proſperè ceſſerunt: Aliquid tum etiam in Africâ Conſtantinopolitani Impp. tenebant, ſed eorum duces contemptâ maieſtate Imperij Reges agebant. Præerat Africæ Carthaginienſi Gregorius Patricius, aduerſus hunc Hucbam Admirantem Oſmenus miſit. Victus Gregorius, deleta Carthago, Tunis, ſiue Tunetis occupata, mox ſpecialis Regni caput. In Ægypto verò Oſmeni Admirans Muauias, LXX. nauium claſſe Cyprum petit, Inſuláque populatâ, Damaſcum ad hyberna exercitum reduxit. Vere aduentante eandem repetit, captâ eâ, & vaſtatâ, Phœnicem Lyciæ portum petiit, vbi Conſtans Imperator cum claſſe erat; quem Muauias aggreſſus, tantam Græcorum ſtragem fecit, vt mare per ingentia ſpacia cæſorum ſanguine rubuerit. * Conſtans in vili veſte, paruo nauigio, ſaluus ægrè Byzantium peruenit. Hinc victor occupat Rhodum, coloſſum demolitur, quem Chares Lydius olim fecerat, Cycladas, Siciliámque flammâ ferróque peruagatur. Occurrit eò Olympius Italiæ Exarchus, naualique prælio cum Barbaris congreſſus, adeò cruentam victoriam adeptus eſt, vt propior victo, quam victori, Inſulam ſit ingreſſus. Ceterum cùm Muauias, Oſmenó & Ali defunctis, ex Admirante, Califa creatus eſſet, vt erat Imperij amplificandi cupidus, * Conſtantium Imperatorem tributarium fecit. Lyciam & Ciliciam ſubegit. Byzantium claſſe & terrâ oppugnauit, per Admirantes duos, quorum alter terreſtribus copiis, alter naualibus imperabat. Sed Chriſtianis proſperè pugnantibus, & Saracenorum claſſe partim præliis, partim tempeſtatibus ad ipſum portum, & ad Chium, Ægæi maris Inſulani, diminutâ, fractáque & ſubmerſâ, Admirantes infectâ re ad Muauiam redierunt, poſt productum circa Byzantium in ſeptem annos bellum. Adiuuit Chriſtianorum fortunam Calinici proditio, qui cum Saracenicis nauibus in Syriâ præfectus, eâ clade auditâ, claſſem, cui præerat, incendit, Byzantiúmque confugit. Sic geminâ claſſe perditâ, tertia tantum

**Hunc Conſtantium Sabellicus vocat, Enn. 8. l. 6.*

ANN. 651.

**Hunc dicto loco Sabell. Conſtantinum IV. nominat.*

ANN. 669.

Saracenis reſtabat, quæ tum, Fadalâ & Caballo ducibus, Cretæ inhiabat. Iámque Romani Imperij maieſtas reuireſcere videbatur, niſi imminens excidiũ, infelici Chriſtianis pace, cum Iuſtiano Iuniori factâ, Muauias redemiſſet. Si enim Chriſtiani victoriâ ſuâ vſi fuiſſent, haud dubiè Saracenicum Imperium in ſuis, vt ita dixerim, cunis, extinctum foret, quod hodie etiam in ſucceſſore Turcâ, non alio quàm Dei ſpeciali munere contundi & extingui poteſt. Vix inter Califam & Imperatorem pax fuit, cùm Muauias apud Damaſcum, Regni ſedem, deceſſit. Hic primus Saracenorum Regum ſub Homare & Oſmeno, mox ſuis auſpiciis, Romanas prouincias cum exercitu ingreſſus eſt. Primúſque Imperij Saracenici fines ad Occidentem, ad Ægyptum ſcilicet & Africam: ad Orientem, in Meſopotamiam: & ad Septentrionem, in Aſiam promouit. Quieuerat Saracenica Imperij propagandi cupiditas, domeſticis diſcordiis afflicta, & in perniciem ſuam armata, variis tyrannis nouum Imperium lacerãtibus: cùm Iuſtinianus Imp. Abdimelico Califâ fruſtrà precante, ne pactum fœdus & pacem nuper iuratam violaret, contra Saracenos infelicitèr pugnauit, fugatúſque, mox à Leontio, qui Imperium occupauerat, in Inſulam Cherſonem relegatus, diu ruptam fidem & temeritatem luxit. Elatus noua victoriâ Abdimelicus, exercitum Muamate duce in Thraciam miſit, celeríque delectu fartis milite nauibus, Admirantes iuſſit Africæ littora, & Mediterraneum mare tutari; quos Ioannes à Leontio Imp. cum claſſe in eandem Africam miſſus, prælio tentare minimè auſus eſt. Abdimelico ſucceſſit Vlitus, hic Mucam, ſiue Muſam Admirantem Mauritaniæ, in Rodericum Gothum Hiſpaniæ Regem, ad quem etiam Tingitana prouincia vltra fretum Herculeum pertinebat, ire iuſſit. Fauebat Saracenis Iulianus Ceptæ comes, iratus Roderico: qui filiam eius violauerat. Non modò itaque Tingitana Prouincia in Barbarorum poteſtatem venit, ſed & Hiſpania tota, quà vtroque mari alluitur, & Narbonenſis Gallia, quæ tunc temporis Gothorum erat. Hæc ſub Vlito Califâ. Sub Zulcimio verò Saraceni ſecundò Byzantium obſederunt, terreſtres copias Malſanâ; maritimas verò Homare, educentibus. Eorum quidem impetus Leo Armeniæ Prætor aliquantum repreſſit: ſed poſtquam Malſanæ in ſubſidium ipſe Califa Zulcimius venit, tota Thracia à Propontide ad Boſporum, ab Iſtmo ad Metopicum promontorium, ſub eius claſſe verberauit: ipſa denique Conſtantinopolis III. M. nauigiorum claſſi ceſſiſſet, ni Zolcimius Imperium cum vitâ reliquiſſet Homari: ſub cuius Pontificatu, ſiue Imperio, Leo Imperator nouo artificio, per ſpecula Solis radiis obiecta, conglobatis iis in vnum punctum, & in mare repercuſſis, hoſtium claſſi ignem intulit, coëgítque duces milite ſq; ad mortem

Ann. 679.

Ann. 688.

Ann. 712.

Ann. 721.

Eadem Egnatius refert lib. 2. Romanor. Principum. Pantaleon quoque

tem, vel ad deditionem. Hac clade acceptâ, Gizidus Admirans, *Candidus Gothiberidos lib. 4. verùm iſte non ſub Leonis, ſed ſub Anaſtaſij Imperio hoc accidiſſe dicit.*
ſupplementum exercitui ſuorum, qui ante Conſtantinopolim erat, deuehens, in Bithyniam cum nouâ claſſe CCCLX. nauium proficiſcitur, vbi fuſus fugatúſque eſt à Græcis Romaníſque legionibus, ad Bithyniæ præſidium tunc in littore ſtantibus. Omitto hoc ipſo tempore, à Carolo Martello, Pipinio & Carolo Magno, Principibus noſtris, ante Auenionem, Narbonem, variiſque in locis Galliæ, & in ipsâ etiam Hiſpaniâ ad Byrrham fluuium: Abderamam, Atinum, alióſque Saracenorum Duces ad internecionem cum maximis exercitibus cæſos. Ipſos quoque Saracenos à Turcis, nouum tunc nomen, de Caucaſi iugis egreſſis, in Armeniâ colliſos. Sed neque multi cadebant, qui vincebantur, neque exſcindi in totum poterant, qui iam in maximum Imperium & decus ſurrexerant. Diſcordiæ Græcorum Romanorúmque tutam illis tyrannidem & audaciam faciebant. Thomæ, qui Conſtantinopolitanum contra Michaëlem Imperium ambiebat, auxiliares facti, Græcam claſſem ad Abydum fregerũt, cæſis aut captis M. LXXX. hominum: quin & Imperatoris exercitus, quibus Albianus & Catacella imperabant, aliámque inſtructiſſimam claſſem torrentis in morem prouecti peſſum dederũt.

ANN. 800.

Cùm autem ex Mauritaniâ in Corſicam & Sardiniam Inſulas deſcendiſſent, vt in iis colonias facerent, à Bonifacio, Pipini Caroli Magni filij, Italiæ Regis, claſſis præfecto, claſſe victi, Corſicâ Sardiniáque ceſſerunt. Paulò poſt reparatis nauibus Cretam appulſi, in eâ Candiam vrbem condiderunt, è cuius nomine hodie Creta, Candia dicitur.

ANN. 807.

Hinc proximas Inſulas occupare conati ſunt: ſed eos iuxta Sardiniam Carolus Pipini Italiæ Regis frater, Buchardi Comitis ductu, maritimo prælio cecidit. In ipsâ verò Cretâ, Craterus, Michaelis Imperatoris Præfectus claſſis poſt aſperam & dubiam pugnam, Chriſtiani nominis hoſtes ſuperauit, fugauit, occidit, cepit: extinxiſſétque ferocem gentem, quæ in vrbem ſe receperat, niſi incurioſus victoriâ, nocte pugnã ſubſequente, inter lætitiam, pocula & ſomnum ab erumpentibus ex vrbe Candiâ Saracenis, cum toto exercitu oppreſſus fuiſſet. Hanc cladem Oryphas, in Crateri Præfecturam ſuffectus, aliquantulùm leuauit, Saracenos paſsim per alias Inſulas prædatum excurrentes, partim locatis inſidiis, partim aperto marte conterens & demetens.

ANN. 827.

Hæc inter Euphemius Siculus, Imperatoris iram propter crimina, metuens, apud Ambulacum Mauritaniæ Califam transfuga, ſe Saracenis Siciliam traditurum promittit, ſi per eos Imperium adipiſceretur. Igitur Euphemij ductu Ambulacus Siciliâ potitur, Calabriâque & Corſicâ populatâ, cùm rediret ad ſuos, onuſtus ſpoliis, eum in alto mari Ermengarius, à Bernardo Italiæ Rege Balearibus Inſulis Præpoſitus, intercepit, captiuíſque

ANN. 828.

captiuiſque Chriſtianis poſt victoriam libertate donatis, magnũ ſibi decus peperit. Nec ob id tamen quieuêre Saraceni, Centuncellas, in Etruriæ ora, ferro igneq; vaſtant. Narbonenſis Galliæ oppida, quæ in littore ſtabant, iterúmque Sardiniam inuadunt. In eos licenter nimium vagantes dictus Ermengarius, Inſulanorum collectâ manu, impetum fecit, paruóque labore ita contudit, vt pauciſſimæ Saracenorum naues in Africam redierint;

ANN. 830. quas etiam ſequutus Corſicæ Comes Bonifacius, cùm aſſequi non potuiſſet, inter Vticam & Carthaginem expoſitis in terram militibus, tot præliis hoſtes fatigauit, vt non ſecus ac Pœni olim Annibalem, ſic Saraceni tunc ſuos è Siciliâ in auxilium reuocare coacti ſint. Vt verò victricem claſſem Bonifacius in Corſicam reduxit, Saraceni vindicaturi ignominiam, Centuncellas iteratò capiunt, Romam obſident, Vaticanum, & templa in eo monte ſita, igne prophanant, ſuburbiiſque & vicinis oppidis vaſtatis, in altum abiuêre. Mox Sabâ duce è Mauritaniâ ſoluentes, Tarentum obſederunt. Soluendæ obſidioni, Græca Venetáque claſſis accurrunt.

ANN. 843. Tum Sabâ metum fingente, atque obſidione ſolutâ, in Crotoniatem ſinum recedente, prælio commiſſo, diſſipata Græcorum claſſis, Venetique generoſè in ſuis nauibus pugnantes ad vnum cæſi. Alias quoque Venetorum naues Syriacis mercibus onuſtas, & in patriam redeuntes, paulo poſt idem Saba in Tergeſtino ſinu cepit, trucidatis negotiatoribus ſociiſque naualibus.

ANN. 846. Anconam inde captam diripit. Poſt hæc Baſilius Macedo, qui in Oriente imperabat, bello contra Saracenos

ANN. 865. Cretenſes ſuſcepto, maritimis præliis victus, penéque captus eſt. Sed victricem Saracenorum claſſem non multò poſt Græca claſſis incendit, fregit, demerſítque in Ægeo mari. Qui pugnæ ſuperfuerunt, irati malæ ſuæ fortunæ, Peloponneſum, vicináſque Peloponneſo Inſulas furiati vexauerunt, donec triplici prælio ad Methonem, Pylon & Patras, à Byzantinæ claſſis Præfecto delerentur. Hac clade auditâ, Saraceni qui in Mauritaniâ erant, perterrito * Narsâ, Byzantinæ claſſis Præpoſito, Baſilio imperante, Manuelem patricium in Siciliam cum validâ claſſe miſſum, cum toto exercitu fugauerunt, ingenti cæde factâ. Hinc in Dalmatiam, Iſtriámque claſſe prouecti, dum Gradum obſident, ab Vrſo Particiaco, Venetorum Duce, vincuntur; mox & circa Græciam Italiámque à Narsâ, qui ſuam victoriam ſequutus, plura Calabriæ & Apuliæ oppida, multáſque arces, hoſtium præſidio munitas, recepit. Sub Romano verò, Orientis Imperatore, cum Fatlo Saracenorum in Africâ Principe, pax fuit. Satis Fortuna Saracenis pugnauerat, nunc demùm laſſata, munera, quæ improbis, vt cæca & inconſtans dederat, repetit. Námque primùm dum è Rhegio Meſſanam nauigant, omnes propè fluctibus abſorpti ſunt. Acceſſit

** Hunc Naſarem Fazellus vocat, rer. Sicular. Decad. 2. lib. 6. cap. 1.*

Sabellic. Enn. 9. l. 1.

ſit huic cladi altera clades, Nicephoro Phocâ Conſtantinopoli imperante. Eorundem enim claſſis ab Hugone Italiæ Rege, capto Fraxineto, exuſta eſt, Cilicia, Natolia, & Antiochia illis ereptæ. Deinde per Nicephorum Carantenum, ab Argyropilo claſſi Præfectum, iidem circa Cycladas nauali prælio ſuperati ſunt. Antea quoque Cretam amiſerant, peneque totâ Italiâ ab Othone I. Germanorum Imperatore pulſi fuerant, claſſíſque Daberis, Saracenorum in Ægypto Principis, iuxta Cycladas à Sami Duce fracta fuerat. Hoc malum diſcordia dominantium faciebat, diuiſo enim in varia Imperia Saracenorum Imperio, attritæ mutuis viribus vires, hoſtibus frangi faciles fuerunt. In Perſide enim Syriâ, Ægypto, & Africâ Turcis ceſſerunt: Siciliâ, Calabriáque & Apuliâ à Normannis Principibus cedere coacti ſunt, In Hiſpaniâ, Sanctius IIII. Saracenum Regem Ieſſæ, nauali prelio vicit. Elegans eſt apud * Pantaleontem Candidum huius pugnæ deſcriptio.

ANN. 963.
Egnatius Rom. Princip. lib. 2.
ANN. 1031.
Sabellic. Enn. 9. lib. 2.
Fazell. rer. Sicul. Decad. 2. l. 6. c. 2. & l. 7. c. 1.
ANN. 1287.
**Gathiberid. l. 6.*

Poſt vbi ſceptra tulit, claræ cui regia Jeſſæ
Ingenti appeteret Hiſpanica littora claſſe
Horribilem toto minitatus ab æquore ſtragem,
Sanctius occurrens, ſignis ſublimibus, illi
Obſtitit, & forti opponens naualia bello
Claſsica, commiſit felici prelia marte,
Et tota hoſtiles immiſit in æquora turmas,
Triſtis & eſt atro fœdatus ſanguine pontus,
Torſit & ad ſiccas proiecta cadauera arenas
Jndignans, pauide, & ſubitâ formidine Phocæ
Extimuêre, fugámque ſuper vada ſalſa dedêre.
Ipſe caput totóque abſcondit gurgite Nereus,
Et triſtes imis Nymphæ latuêre ſub vndis,
Multa execrantes humentibus impia Regnis,
Bella hominum, & liquidos damnari in prelia campos,
Sanctius oppreſſum ſignis ita repulit hoſtem,
Et patrios ſaluo aſſeruit tutamine colles.

Sed neque in totum ex Hiſpaniâ gens Saracenica expulſa eſt, durauit enim vſque ad tempora Ferdinandi, qui regem Saracenum Melem nomine, cui Regia Granata, mari & terrâ domuit. Quomodò autem & quando Reges noſtri, aliíque, omnibus penè in terris & æquoribus inuiſam nationem extinxerint, de ſingulorum rebus geſtis tractantes, ſuo loco memorabo. ANN. 1492.

* * *

CAPVT QVARTVM.

Notitia Imperij Occidentalis ante Carolum Magnum: In quâ claſſes, magiſtratus claſſici, & littorum, legiones item claſſicæ recenſentur, ab anno Salutis CCCVIII. ad ann. DCCCVIII.

TRIBVS præcedentibus capitibus oſtendimus, Italiam, Siciliam, Gallias, Hiſpaniam, Africámque à Romano Imperio diuulſas, Hunnis, Gothis, Longobardis, & Saracenis ceſſiſſe. Æquum autem mihi videtur, idémq; lectori vtile, priuſquàm ad Gallicum, hoc eſt, noſtrum Imperium, deſcendam, cui Occidens venit, notitiam vtriuſque Imperij litteris tradere, ne ignoretur, quis ſtatus illius fuerit, ſub iis Imperatoribus, quibus regnantibus, in Italiam, Galliáſque & Africam concurſum eſt, ereptæque Prouinciæ Imperio. Et multa quidem ante Conſtantinum Magnum ad rem naualem pertinentia, per Impp. Romanos benè conſtituta, poſt Conſtantinum etiam durauêre: vnde hîc quoque pars eorum repetenda eſt, quæ XXIII. Capite prioris Libri tractaui, vt clarius per ordinem elucеſcat, quæ claſſes, qui magiſtratus naualibus præfecti, reiecti, retenti, innouati, & ſtabiliti fuerint, per D. annos, hoc eſt, à Conſtantino Magno ad Michaelem Curopalatem, ſub quo Occidentis Imperium ad Carolum Magnum tranſlatum eſt. Veteris autem Occidentalis Imperij notitia, quatenus ad rem maritimam attinuit, ſic ſeſe habuit. Conſtantini Magni filij Imperium Romanum diuiſerunt, hos ſequutus Valentinianus, fratri Valenti Orientem, ſibi Occidentem reſeruauit. Arcadio deinde Oriens, Occidens obuenit Honorio, hoc eſt, Italia, Galliæ, Hiſpania, Britannia, & Africa, à Gadibus vſque ad fines Africanæ Tripoleos, ab alterâ Herculis columnâ ſecundùm Europæ littus, vſque ad ſinum Ionium. Occidentis Prouinciæ LVIII. fuerunt: ex quibus XXIX. P. Prætorio Italiæ parebant, totidem Præfecto Galliarum. Sub diſpoſitione Præfecti Prætorio Italiæ, Italia fuit, cuius XVII. Prouinciæ fuerunt: Africa quoque, cuius Prouinciæ VI. & Illyricum Occidentale, in quo totidem quot in Africâ Prouinciæ numerantur. Dalmatia videlicet, Pannonia Prima; Pannonia Secunda, Valeria, & vtrumque Noricum. XVII. Italiæ Prouinciæ erant, Venetiæ, Æmilia, Liguria, Flaminia, Tuſcia cum Vmbriâ, Picenum Suburbicarium, Campania, Sicilia, Apulia cum Calabriâ,

Lucania

Lucania cum Brutiis, Alpes Cottiæ, Retia Prima, Retia Secunda,
Samnium, Valeria, Sardinia & Corſica. Africæ porrò VII. Byza-
cium, Numidia, Mauritania Sitifenſis, Mauritania Cęſarienſis, &
Tripolis. Sub iſtius P. Prætorio diſpoſitione Pręfectus vrbis Ro-
mæ fuit, ſub quo Comes riparum, & aluei Tiberis, & Cloacarum *Sueton. in Auguſt.*
ab Auguſto primùm inuentus, ſub nomine Curatoris aluei & ri- *cap. 43.*
parum Tiberis. Huius officium erat munire ripas, alueum pur-
gare, vt facilius aqua curreret, & operam dare, ne vſus publicus,
& nauigatio impediretur: cloacas quoque mundare ad ſalubri-
tatem & tutelam vrbis. Sub eodem vrbis Præfecto Comes item
portus fuit, cuius inſtitutio à Claudio Cæſare originem ſumpſit.
Nam cùm ferè frumentum omne aliundè in vrbem aduceheretur,
neque Regio, quæ erat ad Tiberis oſtia, tutas ſtationes haberet,
& portus commodos, forétque propterea inutile maris impe-
rium, Claudius in Etruriâ propè Oſtiam ad læuam Tiberis foſsâ, *Idem in Claudio,*
factâ, muríſque firmatâ, eò mare intromiſit: deinde in ipſo ma- *cap. 10.*
ri factis vtrinquè magnis aggeribus, ac multo fluctu concluſo, *Plin lib. 36. c. 9.*
in eo inſulam fecit, atque in eâ turrim ædificauit, ex quâ lumen
nauigantibus nocturno tempore pręberetur. Ad reparandum ve-
rò hunc portum, & Pharum, Tarracinenſes quotannis calcem eò
vehere tenebantur. Comes autem huius portus curam mercium *L. 3. C. de calcis*
habebat, dabátque operam, ne mercatores & naucliiri graua- *coctorib.*
rentur, ne cui in portu iniuria inferretur, vt ſaccarij (ita baiulos *Caſſiodor. l. 7. for-*
appellabant) ſoli, merces in portum vectas, iuſto precio com- *mul. 23. L. 1. C. de*
portarent. Habuit hic Apparitores, qui Portuenſes vocabantur, *patron. horreo. por.*
ad tumultus compeſcendos, & iniurias coërcendas. Generaliter *L. 1. C. de ſaccar. port. Romæ.*
verò portubus præerant, qui à Gręcis Limenarchæ vocantur, quo- *L. 4. ff. de ſeruis*
rum erat ſollicitudo, ne lattones aut delinquentes fugerent, in- *fugitiu. L. 1. & 2.*
hiberent eos qui oleum, vinum, liquamina, aut ferrum ad hoſtes *C. quæ res export.*
defferrent, à portubus piratas arcerent, fugientéſque ſeruos reti- *L. vlt. ff de muner. & honorib.*
nerent: ad quod illis centum ſtationarij milites, qui Irenarchæ *Caſſiodor. l. 7 Va-*
Græcis vocantur, cum Centenario portus, ſiue Vicario, attribu- *riar.*
ti, qui latrocinia prohiberent, turbas ſedarent, factioſos, & crimi-
na patrata indicarent Comiti portuum. Hos autem Limenarchas
* Ariſtoteles λιμενοφύλακας, hoc eſt, portuum cuſtodes, vocat. Si- ** Lib. 6. Politic.*
militer & Rauennæ Comes portus erat, cum Vicario, ſiue Cen-
tenario, qui militibus centum præerat, ad cuſtodiam portus: is *Bulenger. de ve-*
naues priuatorum ad tranſuehendas ſpecies, vel res Principis re- *ctigal. Pop. Rom. cap. 6. 7. & 8.*
tinere poterat: à mercatoribus conſuetudines exigebat: nauium
copiam procurabat, & ſi quid noui negotij emergebat, confe-
ſtìm per lembos, phazelos, dromones, aliáque nauigiola, ſummâ
celeritate Romam nunciabat. Huic dabantur à mercatoribus Xe- *Caſsiodor. lib. 7. form. 9.*
nia non debita, quæ voluntarium munus vocabantur. Comites
illi portuū liberâ Rep. non erant, ſed tantùm Portitores, qui mer-

ces in portum inuectas, aut è portu euectas inſpiciebant, rationémq; ſubducebant portoriorum per vrbes. Portoria autem, vectigalia erant, pro inuectione & euectione mercium dari ſolita, nos vocamus *la Doane*, à dando. *[* 2. Oeconom.]* * Ariſtoteles portorium, ἐλλίμενον appellat, portitores ἐλλιμενιστάς. In his portubus, pręcipuè tamen in Oſtienſi, claſſes fuerunt, frumentariæ appellatæ, ad frumentum decumanum, ſiue vectigale, emptum, & æſtimatum in Italiam ipſámq; Romam deuehendum. Decumanum erat, quod quiſque arator ſine pretio ſingulis annis dare cogebatur: emptũ, quod aratores vendere ex imperio Principis cogebantur, ad alendum Romæ populum: æſtimatum, quod æſtimabat magiſtratus, in cellam ſuam in vſum familiæ, cùm interdum pro frumento pecuniam acciperet. Omne autem frumentum canonicum, ſiue decumanum, emptum, aut æſtimatum, ę Siciliâ, Sardiniâ, Africâ, Galliâ, & Ægypto Oſtiam deuehebatur. In Ægypto Romani à ſingulis Regionibus Ægypti ex ęre publico alueos in Nilum fluuium ducendos curauerunt, quibus triticum Alexandriam inueheretur: immunitate illis conceſsâ, qui ſubuehendo frumento inſeruirent. *[L. 5. D. de iure immunit.]* E Galliâ inuectum frumentum *[* lib. 2. in Eutrop.]* * Claudianus ait:

Inuecta Rodani Tiberina per oſtia claſſes,
Cyniphiiſque ferax Araris ſucceſsit ariſtis,
Teutonicúſque vomer, Pyrenéique iuuenci
Sudauêre mihi.

Idem in laudibus Serenæ oſtendit, Arcadio & Honorio Impp. Ægypto clauſo (nam claſſis Alexandrina ſolis Conſtantinopolitanis ſeruiebat, iam inde à diuiſione Imperij, ex Africâ frumentum quæſitum) ſi Africa non reſponderet, è Galliâ noſtrâ, & Hiſpaniis. De Siciliæ & Sardiniæ frumento, multa Cicero in Verrem. Si hęc omnia ceſſaſſent, horum vices Macedonia ſupplebat. *[Lib. 3. Epiſt. 55.]* Ex Symmacho: *Ager qui me tenet Tiberim noſtrum iuncto aquis latere proſpectat. Hinc lubens video quid æternæ Vrbi in dies frugis accedat, quid Romanis horreis Macedonicus adiiciat commeatus.* Ceterum curabant iudices Prouinciales, vt alimentorum inuectio apto tempore fieret. Vt verò intrabat onuſta claſſis Oſtienſem portum, illi, vt præcedente libro iam memini, obuiam ibat populus cum Senatu, magnáque veneratione alimenta vrbis excipiebat. *[Symmach. lib. 10. epiſt. 22. 31. & 44. Idem l. 3. epiſt. 55.]* Tum demùm nautici Romæ apud Præſidum, aut Magiſtratuum acta profitebantur, incorruptas ſpecies eſſe: quod & faciebant illi apud quos frumentum deponebatur. Vandilis autem Africam tenentibus, Africana claſſis, quæ ſubſidio Alexandrinæ foret, à Commodo inſtituta, in totum ceſſauit: *[Lamprid. in Commodo.]* nec ita multo poſt Ægyptiaca, Hiſpanica, Gallica, Sardiniaca, & Sicula. Dum fuit Ægypto Præfectus, is curabat fœlicem embolam, hoc eſt, frumenti ex Ægypto tranſuectionē, Conſtantinopolim, quo tempore

pore Roma ab Hunnis, Gothiſque tenebatur. Nulla nauis quæ plus 11.M.modiorum caperet, ab hac embolâ, ex edicto Iuſtiniani, non ipſi nauicularij, hoc eſt, nauium domini & rectores: non dromonatij, exercitores, excuſabantur. Fuerunt & aliæ claſſes, quæ arma è fabricis Occidentis deueherent, quò illarum vſus erat, præcipuè è Syrmio vrbe Illyrici, Concordiâ Venetiæ oppido, Cremone, & Mantuâ. Item & aliæ, quæ largitiones Principibus fieri ſolitas, deferebant, quarum cura ad Comitem Sacrarum Largitionum attinebat: ſub quo diuerſæ baſtagæ fuerunt, hoc eſt, onus transferendi res publicas, aut Principis, à quo nemo excuſabatur. Vnde Baſtagarij dicebantur, qui res illas curru, aut equis, aut nauibus ad præſcripta cuiuſque Prouinciæ loca deducebant, quos milites præſidij causâ comitabantur. Nam in Occidente legio 111.Italica, ſub Duce Rhetiæ tranſuectioni ſpecierum erat deputata. Deferebant autem veſtes Principis, ſericum, purpuram, byſſum, margaritas, lapillos, gemmas, & alias ſpecies, arma, annonam, & cetera etiam militibus neceſſaria. Dicta baſtaga, à βαστάζω, id eſt, porto. Has indicebat Tertiocerius officij Comitis largitionum, & ſingulæ ſingulos habebant præpoſitos. Igitur ſub Comite Sacrarum Largitionum Occidentis erat præpoſitus baſtagæ primæ, & quartæ Gallicanorum. Item & præpoſitus baſtagæ ſecundæ & tertiæ Gallicanorum. Hæ baſtagæ per Occidentem nauigabant, aliæ verò quatuor ab Occidente ad Orientem, ſed earum cùm mentionem Notitia faciat, nominum tamen non meminit. Erant & aliæ duæ baſtagæ ſub Comite rerum priuatarum, quibus tranſuehebantur res priuatæ Principis, vt pecunia ex priuato patrimonio exacta, & alia quæ hic Comes ære Principis priuato, in eius, aut Auguſtæ atque aulicorum vſus emebat. Armatæ porrò claſſes in Occidente ad Prouinciarum tutelam, piratas arcendos, hoſtes ſubiugandos, variæ fuerunt. Ad tutelam Pannoniæ Secundæ, quatuor: Valeriæ Ripenſis, vna: Pannoniæ Primæ & Norici Riparenſis, tres: cum ſuis Præfectis. In Adriatico ſinu, vna: Rauennæ ab Auguſto poſt Actiacam victoriam inſtituta. Claſſis altera Aquileiæ: Miſeni, ad defenſionem Superi & Inferi maris. In Liguriâ item claſſis Comenſis, quæ per lacum Larium (vulgo dicitur, *Comi*) nauigabat. Claſſibus quatuor Pannoniæ Secundæ, ſub Duce vno, totidē Præfecti imperabant. Præfectus claſſis Flauiæ primæ, cum ſuâ claſſe, Firmij morabatur: Præfectus Flauiæ ſecundæ, Graio: Præfectus claſſis Iſtricæ, Murſæ: & Præfectus claſſis Primæ Pannoniæ, ſeruitij claſſis Ægetenſium, ſiue Secundæ Pannoniæ, nunc Sciſciæ. Eſt autem Pannonia Secunda, ſiue Inferior, vltra Æmonem fluuium: ab Oriente Drauâ, & Danubio clauditur: vbi Drauæ Iſter miſcetur, nunc Boſſina & Senia eſt. Sauia verò inter

L. iubemus. C. de ſacroſ. Eccleſ.

Pannonia Prima, ſiue Superior, hodie Auſtriâ, Carinthiâ & Carniolâ. Secunda, ſiue Inferior, Hungaria eſt. Valeria, nunc Styria: Noricum verò Bauaria.

Ortelio malè videtur dici Firmium hodie Fermo, *de Graio nihil reperi, ſicut neque in Pannoniâ Firmium. Corrige* Sirmij, *hodie* Sirmiſch. *Sirmienſis quoque ager, nunc* Syrmi-

giis in Pannoniâ II. hoceſt, Hungariâ, inter Sauum, Drauum, & Danubium fluuios: authore Lazio, non longè à Murſâ, quæ hodie Mutrouiza, *Simlero.*
Sauiam Slauoniam, ſiue Sklauoniam putat Ortelius.
Strabo lib. 7.
Plin. lib. 4. c. 25.
Vindomana, quæ aliis Vinundria, oppidum Pannoniæ Superioris, vulgo Vvindiſchgratz.
Liber Præfecturarum ſub Honorio & Arcadio, Vindobonam legit, in quam tranſlatam ait, à Carnunto Coloniam primæ claſſis Pannoniæ, factúmque municipium.
** hodie Saltzburgum in Bauariâ.*
Arlape, Pechlarn, *Lazio. Magino forſan* Zika.
Lauriacum, Bruſchio, Ens, Lorch, *Simlero.*
Marcellin. l. 30. Stephanus, & aly.
Cicero in Verrem.
** hodie Andaluſia, Portugallia, Galicia.*

Sauum & Drauam, nunc Croatia, eadémque olim Riparenſis dicta. Primus Impp. Romanorum Cæſar Auguſtus in bello contra Dacos duas in Sauo claſſes inſtruxit, alteram ad Segeſtam, ad Sirmium alteram: poſteriores verò Principes IIII. ad Sirmium ſcilicet, Graium, ſiue Graiam, Murſam, quæ hodie Mutroniza eſt, & Sciſciam. Duæ claſſes Flauiæ dicebantur, vel à Flauio Veſpaſiano, vel à Flauio Conſtantino authore. Tertia Iſtrica, quòd per Iſtrum nauigaret. Quarta verò Ægetenſis. Sub diſpoſitione verò Ducis Valeriæ Ripenſis claſſis altera Iſtrica fuit, quæ Florentiæ degebat, & per Iſtrum nauigabat. Sub Duce Pannoniæ primæ & Pannoniæ Ripenſis, altera quoque claſſis Iſtrica Carnunto ſtationem habuit, quæ Vindomanæ poſtea tranſlata eſt. Sub quo etiam Legio XIV. Gemina militum Liburnariorum, cohortis partis ſuperioris, quæ Carnunto degebat. Legio quoque ſecunda Italica militum Liburnariorum, cuius ſtatio erat Iouiacum: item Legio prima Noricorum militum Liburnariorum cohortis quintæ partis ad * Iuuenſe: Legio Liburnariorum primorũ Noricorum, Faſianæ commorans: claſſes præterea, Arlapenſis, Maginenſis, & Lauriacenſis. Ibi milites Liburnarios Notitia vocat, vel quod à Liburnis, gente Illyrico conterminâ, contracti eſſent, vel quòd nauibus liburnis veherentur. Vindomanam, Viennam Auſtriæ aliqui putant, quod mihi diſplicet, Vienna ciuitate longè à mari ſepoſitâ. Lauriacum oppidum fuit ad oſtium Anaſi fluminis in Illyrico. Iuuenſe, vt aliis placet Iouenſe, vbi erat Gyneceum in Dalmatiâ: ſicut & Arlapa: Magia verò, ſiue Magina Illyrici vrbs fuit. Florentiam porrò, non illam Etruriæ metropolim exiſtimo, ſed vrbem Pannoniæ, de quâ hiſtorici tacent: nihil enim ad Pannoniam pertinet Etruria, toto pelago ſemota, cùm ceteræ vrbes ſupradictæ, in quibus claſſes morabantur, ad tutelam Illyrici & Pannoniæ, ſicut & Carnuntum, aut Illyrici fuerint, aut Pannoniæ, aut Dalmatiæ. Ceterum omnes ſupra memoratæ claſſes, eorúmque præfecti, ſub diſpoſitione P. Prætorio Italiæ fuerunt, ſicut & iſtæ quæ ſequuntur: vt Sicula, quam ſuo ære nautis, militibus, & aliis ad res maritimas pertinentibus inſtruebant Siculi. Tarentina, ſub correctore Calabriæ, & Apuliæ. Sardiniaca, Corſica, Alexandrina, & Carthaginienſis, ſiue Africana: quæ ann. Sal. CCCCLVII. Africâ à Vandalis occupatâ, nomen perdidit. Hæc ſub Præfecto Prætorio Italiæ: ſub Præfecto verò Prętorio Galliarum, Vicarij tres fuerunt, Hiſpaniarum, XVII. Prouinciarum, & Britanniarum. Vicarius Hiſpániarum quinq; claſſes regebat, * Bæticam, Luſitanicam, Galleciacam, Tingitanam, & Balearicam. Vicarius Galliæ, ſiue XVII. Prouinciarum, Comenſi claſſi imperabat, & eius Pręfecto, qui Comum ad lacum Larium, nunc Comum, habitabat: item & claſſi in flumine Rhodano

dano Viennæ ſtationem habenti: & alteræ in eodem flumine, quæ Arelate morabatur: claſſi quoque Barcariorum, Ebrudini, ſiue Ebroduni reſidenti, quæ vrbs Sabaudiæ fuit: hæc per Rhodanum, Lemanúmque lacum excurrebat, exiguis cymbis, quæ Barcæ hodie etiam à noſtris vocantur. Sub eodem Galliarum P.Prætorio eiúſque Vicario, fuit Præfectus claſſis Araricæ, qui Caballodunum, ſiue Cabilonum habitabat, hodie Cabilonem dicimus. Præfectus claſſis Andretianorum ſub eodem Vicario fuit, Pariſiis ad Sequanam: Anderenicianos alibi Notitia vocat: ſed quodnam genus hominum fuerint, nec ipſa, nec eius enucleator explicant. De claſſibus in Rhodano, Ligeri, Arari & lacu Comenſi, meminerunt ſequentia marmora, iſtis titulis inſcripta:

Eborodunum Heluetiæ vrbem ſcribit Simlerus, vulgò Yuerdum ad lacum Neocomenſem.

Barcas Latinum vocabulum facit Iſidor. Etymolog. lib. 19. de re nautica.

Lugduni in Galliis.

L. TAVRICIO FLORENTII TAVRICI TAVRICIANI F. VENETO ADLECTORI GALLO PATRONO NAVTAR. ARARICOR. ET LIGIRICORVM. ITEM ARECAIRORVM ET CONDEATIVM II. PROVINCIA GALLIÆ.

Ibidem.

L. HILVIO L. F. VOLTIM. FRVGI. CVRATORI NAVTARVM BIS II. VIR.* VIEMENS. PATRONO RHOD. ET ARARICORVM.

** fortè Viennenſi.*

Mediolani.

D. M.

EPITHVNCAN. M. M. SER. CISALPIN. I. L. T. TRANSALPIN. PATR. COLL. NAVTAR. COMENS. HÆRED. FAC. CVR.

Brixiæ.

P. CLODIO P. F. FAB. SVRÆ Q. FLAMINI DIVI TRAIANI PONTIF. II. VIR. QVINQ. TRIB. LEG. II. ADI. PIÆ FIDELIS CVRAT. REIP. BERGOM. DAT. AB IMP. TRAIANO CVR. REIP. COMENSIS DAT. AB IMP. HADRI. COLLEGIA FABROR. CENTONARI.

De Centonariorū & Dendrophororum Collegiis libro ſuperiore diximus.

Sub diſpoſitione eiuſdem Præfecti Prætorio Galliarum, eadem Notitia præſidia plura ad tractus maritimos ſeruandos nominat, in Sequanæ alueo, vnum: in Armorica, decem: in Belgica II. tria: in Galliis, & Belgica I. viginti vnum. In Hiſpaniis, ſex. * In littore Saxonico per Britanniam, nouem. Quis fuerit Comes littoris illius Saxonici, vnde nomen littori, quodnam officium & poteſtas eius Comitis, poſtea dicemus, vbi de maritimo Britannorum Inſulanorum Imperio agetur. Certè Danis, Pictis & Scotis ante ipſum Theodoſium Imperatorem partem Britanniæ Inſulæ obtinentibus,

** Præſidia alia 37. ſub Duce Britanniarum in medio Inſulæ nominat Notitia.*

Pancirol. in Notit. Occid. cap. 72.
Vide quæ dicturus ſum, Cap. 18. iſtius Libri.

nentibus, Saxonibus verò Orcadas Inſulas mariáque circumiacentia infeſtantibus, præſidia illa littori, quod Romanum erat impoſita, & quia contra Saxones inſtituta, inde Saxonicum littus in Britannia appellatum: durauítque nomen illud, & præſidia vſque dum Romanis irati Britanni, in auxilium Saxones euocaſſent, qui cæſis fugatíſque Romanis, & Nectarido Comite, Bulchobaude Duce necatis, Inſulam cum Scotis diuiſerunt, ínque Orientali eius parte ſedes conſtituerunt, à Cantio nempe promontorio, ad Boderiam æſtuarium. Quo autem tempore Comes littoris Saxonici ſub P. Prętorio Galliarum erat, eodem quoque, & ſub eodem, Dux tractus Armoricani, littora Britanniæ minoris, & Normanniæ, nam vtraque Armoricæ, ſiue Aremoricæ nomine continebatur, ſeruabat: & hoc etiam littus Saxonicum dicebatur. Vnde Notitia: *Sub diſpoſitione viri ſpectabilis Ducis tractus Armoricani, Tribunus cohortis Primæ nouæ Armoricæ, Grannona in littore Saxonico.* De cuius Ducis officio, poteſtate, & præſidiis infra dicemus. Dicebatur & littus Saxonicum, quidquid inter Sequanam & Moſam extenditur, tantus olim terror Saxonum fuit, vt terræ littoráque de eorum nomine vocarentur, ob gentis metum. Is autem tractus à Sequana ad Moſam in diſpoſitione Ducis Belgicæ II. fuit, ſub dicto P. Prætorio Galliarum, & ſub eo Duce: *Equites Dalmatæ Marcis,* excubantes, *in littore Saxonico.* Item, *Præfectus claſsis* * *Sambricæ, in loco Quartenſi, ſiue Hornenſi.* Quodnam oppidum fuerit Marci, adhuc in incerto eſt. Quod autem in dictâ Notitiâ fuiſſe reperio ſub Duce Britanniarum Tribunum cohortis primæ Æliæ claſſicæ * Tunnocelo, iſtud antequam vllus Comes eſſet maritimi tractus exiſtimo factum, Æliámque hanc cohortem ab Ælio Adriano nuncupatam, quod ab eo reſtaurata ſit, ante à Nerone inuenta, tractáque è legione Claſſicâ eiuſdem Neronis, quæ legio iam ab eo tempore claſſem Britannicam comitari ſolebat. Sub dicto Adriano, & Antonino Pio, Prefectum eius claſſis inuenio, Seium Saturninum, eúmque Archigubernum; ſiue Archigubernium appellatum in iure. Antiquior mihi videtur inſcriptio ſequens, cuius hoc tantum fragmentum extat in Palatio Capranenſi. Nomen Præfecti claſſis adraſum eſt.

** La flotte du nom de Sambre ſeiournoit tantoſt à Vveerdt, tantoſt à Horn ſur la Meuſe.*
** In Britanniâ vrbs hodie* Tinnemouch, *Camdeno.*
L. 46. D. Ad S. C. Trebellian.
Hanc Ian. Gruterus habet. pag. 493.

: :

PRÆF. CLASS. BRIT. ET MOESIC
ET PANNONIC. ET PRÆSIDI
ALPIVM. SVBPRÆF. CLASS
PRÆT. TRIB. LEG. XVI
FL. ECPREPVSA.

Sub Diſpoſitione verò Comitis Africæ, Comitis Tingitanæ, Prę-

ſidis

ſidis Prouinciæ Mauritaniæ, Duciſque Tripolitanæ multi præpoſiti erant limitum, qui limenarchas plurimos habebant cum claſſibus, ad tutelam littorum. Quot autem claſſes fuerint, qui numerus claſſicorum militum, Notitia ipſa reticet, contenta dicere omnia ſub P.Prætorio Africæ fuiſſe, donec illa à Vandilis occuparetur. Concludamus ipſis verbis * Panciroli: *Ut verò omnium ſummam colligamus in toto Occidente, quæ in Notitia numerantur, erant præſidia* CCLXIX. *Claſſes quoque* XVIII. *per diuerſa Occidentis loca nauigabant, quæ vix minus ſexaginta hominum millia capere poterant.*

* *c.90. Notitia Occident.*

CAPVT QVINTVM.

Notitia Imperij Orientalis maritimi à Conſtantino Magno, vſque ad eam diem, quâ Conſtantinopolim Turcæ occupauerunt. In quâ claſſes Annonariæ, & Militares, Legiones Ripenſes, & claſsici Magiſtratus.

ORIENTIS Imperium ſub Romanis Principibus à finibus Cyrenes ad Epidamnum, ſiue Dyrrachium protendebatur. Huius Prouinciæ LX. ſcilicet ſub P.Prętorio Orientis L. ſub P.Prætorio Illyrici X. Sub iis maritimæ Diocæſes fuerunt: Oriens, Ægyptus, Aſiana, Pontica, Thracia: Claſſes verò XII. Claſſicorum numerus ex incenſitis, hoc eſt, inopibus, & accreſcentibus, ſeu filiis remigum, complebatur. Nondum mare ſceleratis pœna erat. Sex claſſes Magiſter primus militum per Orientem rexit, Seleuciam, Ponticam, Arabicam, Syriacam, Alexandrinam, & Carpatiam. Sex reliquas Magiſter militum per Illyricum tenuit, Scythicam, Mœſiacam I. Mœſiacam II. & Dacicam, ceteras Notitia non nominat, neque coniicere ſatis poſſum quænam illæ fuerint: quod enim dicit Pancirollus Seleuciam vnam fuiſſe, alteram Ponticam: non meminit, ſe iam vtramque nominauiſſe, inter ſex primas claſſes, quæ ſub Magiſtro primo militum per Orientem fuerunt. Quod iterum putat, vel Hiſtriam, & Stradenſem; vel Stradenſem, & Germenſem fuiſſe ſub Duce Mœſiæ, in eundem errorem incidit, cùm vtramque iam ſub Magiſtro militum per Illyricum locauerit, ſub nominibus claſſis Mœſiacæ primæ, & Mœſiacæ ſecundæ: quarum prior Stradenſis etiam vocabatur, & in Margo oppido & fluuio ſtationem habebat. Hic fluuius Mœſiam primam interſecat, vt * ille confitetur: in Margo verò oppido eiuſ-

L.1.C.de off. claſſicor.

Commentar. in Not. Orient. Imp.

* *Comment. in c.70. & 175. in dictam Notit.*

dem Mœſiæ fabrica erat armorum ad bella cum terreſtria, rum maritima, Arcenale vocamus. Secunda autem Mœſiaca, Hiſtria, quod nomen ſine aſpiratione alibi ſcribitur, ſiue Germenſis nuncupabatur, ab Iſtro flumine, quod Mœſiam illam interluit. * Hæc Viminacij oppidũ pro ſtatiuis habuit. Nunc ad x. prędictas claſſes, quæ ſub Imperio P. Prætorio per Illyricum & Orientem fuerunt, redeamus. Priorum ſex Seleucia, ſiue Seleucena, vt prima ordine, ſic & celebrior ceteris fuit. Illa ad Comitis Orientis vſum ſub P. Prætorio Orientis, ad oſtium Orontis fluuij parata ſtabat in anchoris ad purgandum piratis Orientem. Dicti olim Comites, qui Proconſules, aut Prætores in Prouincias euntes comitabantur. Deinde vox Comitis ad magiſtratus tum vrbanos, tum prouinciales referri cepit, fuerúntque in Oriente Comites largitionum, Comites rerum priuatarum Principis, Comites domeſticorum equitum, domeſticorum peditum, Orientis, & rei militaris: vnde apparet eorum duo maximè genera fuiſſe: alij Palatini in comitatu Principis, alij per Prouincias. Fuerunt & Comites primi, ſecundi, & tertij Ordinis, à Conſtantino primùm inuenti. Item & Comites ſacri ſtabuli, ſcholarum, excubitorum, ſolemniorum, ſacræ veſtis, officiorum, commodi fiſcalis, diſpoſitionum, caſtrenſis rei, maritimi tractus, Inſularum * Curritanæ, & Celſinæ, diuinæ domus, theſaurorum, Conſiſtorij, ſacri palatij, commerciorum, ſiliquatariorum, Archiatrorum, numerorum, vtriuſque ærarij, metallorum, horreorum, &c. Eorum autem omnium maximus Comes Orientis, qui Antiochiæ, quæ Syriæ metropolis eſt, morabatur, præerátque Seleuciæ claſſi, vt diximus. Secunda claſſis Pontica appellata eſt, quæ nauium XL. fuit, nomen ſortita à Ponto Euxino, cuius tutelæ excubabat. Tertia à Traiano in Rubro mari inſtituta, ad Saracenicum vſque Imperium ad Orientis commercia permanſit. Quarta Syriaca, ſiue Euphratenſis, ob id, quòd in Euphratis oſtio excubaret. Quinta Alexandrina, ſub Duce, mox ſub Comite Ægypti poſita. Annonaria & Frumentaria dicta. Et hæc olim nondum diuiſo Imperio cum Africanâ annonam & frumentum Romam portabat, poſtea verò, relicta Romanis Africanâ, Byzantinis, ſiue Conſtantinopolitanis ſeruiuit. Hinc Romæ querela apud Claudianum de bello Gildonico:

Tot mihi pro meritis Libyam Nilúmque dedere:
Vt dominam Plebem, bellatorémque Senatum
Claſſibus æſtiuis alerent, geminóque viciſſim
Littore diuerſi complerent horrea venti.
Stabat certa ſalus: Memphis ſi fortè negaret,
Penſabam Pharium Gætulis meſſibus annum.
Frugiferas certare rates, latéque videbam
Punica Niliacis concurrere carbaſa velis.

Cum

* *Lazio*, *nunc* Vvcziderna.

L. vn. C. de claſſi.

Bulenger. de Imperio Rom. lib. 4. cap. 24. & 25.

Euſeb. lib. 4. c. 1. de vita Conſtantini. Bulenger. de Imperio Rom. lib. 4. c. 26. 27. 28. 29. 30.

* *Inſulę Illyrici maris in Fanatico, ſiue Flanatico Sinu, 1. hodie* Vegia, *vel* Vegla, *Corrictanam Bertrandus in Epiſt. vocat 12. ſect. 6.* 2. Silua, *dicitur.*

Ægeſippus de excidio vrbis Hieroſolimitana, lib. 2. cap. 9. & lib. 13. cap. 19.

Sext. Rufus.

Vide Cap. 23. Lib. 1. iſtius operis.

*Cùm ſubitò *par Roma mihi, diuiſáque ſumpſit*
Æquales Aurora togas. Ægyptia rura
In partem ceſsêre nouam: ſpes vnica nobis
Reſtabat Libyæ.

** Conſtantinopolis, qua & noua Roma.*

Quæ diuiſio facta eſt haud dubiè ab ipſo Conſtantino, poſt tranſlationem Imperij, cùm à bellorum curis vacuus, in vrbe ſui nominis Populo ſæpiſſimè annonam diſtribuerit. Sexta demùm claſſis per Carpathium mare diſcurrebat, media inter Cretam Rhodúmque, Carpathiam eam aliqui vocant, Rhodiam alij. Hæ itaque ſex claſſes ſub P. Prætorio per Orientem fuerunt; ſequentes verò ſub P. Prætorio per Illyricum. Prima, Scythica, nauium cxxv. in quâ milites nauclarij, ſiue nauicularij Flauiani appellabantur, à Flauio Veſpaſiano, vel à Flauio Conſtantino, inſtituti, & denominati, vel etiam à Flauiâ oppido trans Danubium, in quo claſſis ea ſtatiua habuiſſe creditur. De Secundâ & Tertiâ claſſe, Mœſiacis iam dixi, hoc iſto Capite. Quarta & vltima, nam reliquarum nomina reticentur, Dacica nominata eſt, in ſecundâ Daciâ, quæ & Ripenſis inſtructa, ſub Duce Daciæ, ſicut & Scythica ſub Duce Scythiæ: ſub quibus etiam variæ Legiones fuerunt, à ripis quas ſeruabant, Ripenſes, ſiue Riparenſes dictæ: ipſáque caſtra Riparenſia. Nam ſub diſpoſitione viri ſpectabilis Ducis Scythiæ Riparienſes Legiones cum ſuis Præfectis, iſtæ, vt ex Notitia colligitur, Fuerunt. Legio ſecunda Herculiana, quæ Troſmis morabatur. Præfectura ripæ Legionis ſecundæ Herculiæ, cohortis quintæ Pedaturæ inferioris, quæ Axiupoli. Præfectura Legionis Herculiæ, cohortis quintæ Pedaturæ inferioris, quæ Troſmis. Præfectura Legionis Primæ Iouiæ, Nouioduno. Præfectura ripæ Legionis Primæ Iouiæ, cohortis quintæ Pedaturæ ſuperioris, Nouioduno. Præfectura ripæ Legionis Primæ Iouiæ, cohortis quintæ Pedaturæ inferioris, Acciſſo. Præfectura ripæ Legionis primæ Iouiæ, cohortis ſecundæ Herculiæ, Muſculorum Scythicorum, & claſſis in Platipegiis. Sub diſpoſitione verò viri ſpectabilis Ducis Daciæ Ripenſis, geminæ erant Præfecturæ Ripenſes celebriores. Præfectura claſſis Hiſtricæ, Agetæ: & Præfectura claſſis Ratiarenſis. In primâ militabat cuneus ſcutariorum, cum parte Legionis XIII. Geminæ. In ſecundâ, pars etiam dictæ Legionis Geminæ cum alio militum præſidio, à *Ratiaria oppido, vbi excubabat, nomen habuit. Inter ea quæ de Duce Scythiæ retulimus, hæc occurrunt notanda. Primò, Triſmas, ſiue Troſmas ad ripam Danubij fuiſſe, in quâ vrbe cùm ſtatiua haberêt milites ſecundi Conſtantiniani, videtur pro Troſmis, Tomis legendum, quæ vrbs Scythiæ eſt ad Euxinum, Ouidij exilio memorabilis. Secundò per Pedaturam, pedationem, ſeu munitionem ex aggeribus & pedamentis factam ad ripam intelligi.

Zoſimus lib. 2.

L. 4. C. de Nauicular.

L. cum ſupra. C. de re militari. L. contra. eod. tit.

Triſmis aliis, Myſiæ Inferioris opp. nunc Trachina. *Axiopolis Lazio à quo Pontus Euxinus, ea vrbs illi dicitur hodie,* Galacz, *Oluario* Colonamich, *vterque malè, vt infra addam.*

** In Myſiâ Superiori* Reſſana, *Lazio* Nicopoli, *Niger.*

Lib.4.cap.12.

L.1.C.de veſtib. holoberis.
Marcell.lib.37.
Plin.lib.6.c.7.

Muſculorum Cæſar, & Liuius paſſim meminerunt.

ligi. Pedationem * Columella pro fulcimento, quo pedamentis vinea fulcitur, accipit. Notitia igitur per pedaturam inferiorem cohortis quintæ, Axiupoli, ſtationem exprimit quintæ cohortis Legionis Herculiæ, in eâ vrbe, quæ in Troglodytis ſecundum Danubium eſt, citra Axium Macedoniæ fluuium, in ſinum Termaicum, authore Ptolomæo, erumpentem: vndè Axiupolis, id eſt, Axij ciuitas. Tertiò, Nouiodunum ciuitatem eſſe ad ripas Danubij in Pannoniâ ad Occidentem, ab aliquibus Nouimdunum, ab aliis Nebiodunum vocatam. Quartò, Acciſſum, ſiue Acciſum, oppidum eſſe ad Mæotim paludem, propè amnem Menotharum. Quintò, Per cohortem ſecundam Herculiam Muſculorum Scythicorum, & claſſis in Platipegiis, interpretandum eſſe, Legionem, quæ præerat muſculis, id eſt, minoribus machinis, quibus tecti milites foſſas complanabant. Claſſis quoque ſtationem habebat Platipegiis, quæ vox Latinè ſonat, latam plagam, qui locus erat ad Pontum Euxinum, vbi morabatur claſſis CXXV. nauium, quæ hoc ordine curâ Ducis Scythiæ, & eius officij reparabatur. XVII. quotannis nouæ fabricabantur naues, ita vt per ſeptennium compleretur numerus nauium CXIX. Ex illis dictis XVII. quinque iudiciariæ erant, totidem agrarienſes, fortè, quòd iudices & domini pro numero agrorum ad eas conſtruendas ſtipem conferrent. Naues illæ annis ſeptem durabant, & quotannis pars renouata claſſem continuò integram conſeruabat. Sed neque tantùm ſub Ducibus Scythiæ & Daciæ Riparienſes Legiones, quas Græci Limenarchas vocant, fuerunt, verùm & aliæ ſub aliis Ducibus, Comitibúſque. Habuit quippe Dux Mœſiæ ſecundæ milites tertios Nauclarios Appiariæ, in ripâ Danubij: milites Nauclarios Altinenſes, * Altino: Præfecturam Legionis primæ Italicæ cohortis quintæ Pedaturæ, Nouis, quæ vrbs eſt Mœſiæ, poſtea Theodoſiopolis appellata. Præfecturam ripæ Legionis Primæ Italicæ, cohortis quintæ Pedaturæ inferioris, Sexagintapriſtæ. Præfecturam ripæ Legionis XI. Claudiæ, cohortis quintæ Pedaturæ inferioris, * Tranſmariſcæ: & Præfecturam nauium amnicarum, & militum ibidem deputatorum, ad tutelã quatuor oſtiorum Danubij. Sub Duce Mœſiæ primæ, Legio Præfecturæ claſſis Hiſtricæ, * Viminacio fuit: item & Legio Præfecturæ claſſis Stradenſis, & Germenſis, ſic appellatæ à locis in quibus claſſes morari ſolitæ erant: quamuis & Germenſis dicta credatur à Marge Mœſiæ ſuperioris fluuio, per quem hęc claſſis nauigabat, luſoriis nauibus. Sub diſpoſitione clariſſimi Conſularis Paleſtinæ, Legio X. Fretenſis, Ailæ morabatur, quod oppidum eſt in littore maris Erythrei, vndè ex Ægypto in Indiam nauigatur. Sub Duce Thebaidos Legio prima Maximiana, Filis ſtatiua habebat: Inſula eſt Ægypti in magno flumine Tritone, quod in paludem Tritonidem

** Tolna, Lazio, Boſock, Simlero, opp. in quo L. Verus Imp. obiit.*

** Matice hodie.*

** Vvcziderna, nunc.*

Qui Germam vrbē in Helleſponto collocant Germaſti à Turcis vocari aiunt.
Ælanum, & Ælana aliis.

Tritonidem fluit. Sub Pręfecto Annonæ, limenarchæ quoque fuerunt, ſiue præſidia ad tutelam fluminum & littorum impoſita cum claſſibus annonariis, ſiue frumentariis. Similiter etiam Comitibus largitionum, Comitibus commerciorum per Orientem & Ægyptum, per Mœſiam, Scythiam, Pontum, & Illyricum, ſub Præfectis theſaurorum, Comitibus metallorum, Rationali ſummarum Ægypti, Præpoſitis baſtagarum, ad tranſuehendas res publicas & Principis Legiones claſſicæ, claſſéſque & baſtagæ traditæ ſunt. Eſt autem baſtaga nomen corruptum ex βασταγμα, quod eſt ferculum portandis rebus fiſcalibus accommodatum. Dicti baſtagarij, quibus id oneris incumbit, vt ſcilicet vecturis rerum ad ærarium pertinentium ſeruiant, quas iumentis faciebant. Hoc quoque nomine appellatos eos putat Alciatus, qui neceſſaria militibus portabant, quíque veſtes ad tincturam ferebant, & referebant. Prępoſitos baſtagarum ſub diſpoſitione Comitis ſacrarum largitionum Notitia collocat. In Helleſponto, vulgo, Arctum, ſiue ſinum Gallipolis nuncupant, Conſularis vir præfuit, & ſub eo, Pręſes circuniacentium Inſularum, quæ XVII. fuêre. Tenedos, Leſbos, Icaria, Poſidium, Samus, Arceſine, Begialis, Minya, Aſtipalæa, Sime, Geſi, Coos, Rhodus, in qua Pręſes iſte morabatur, & tres aliæ, quarum oblitus eſt Notitiæ Commentator. Sub Comite rerum priuatarum Principis, baſtaga priuata fuit. Præpoſiti omnes Orientalis Imperij tranſportari curabant ſpecies ex Oriente quater quolibet anno, vt lanam, ſericum, byſſum, purpuram, ſaccarum, cynamomũ, & cetera quæ à * Marciano recenſentur. Primus præpoſitus primam tranſuectionem curabat, ſecundus ſecundam, & ſic de ceteris. Præpoſiti duo, vnus priuatæ rei Orientis ſuperioris, alter priuatæ rei Orientis ſuperioris, alter priuatæ rei Orientis inferioris, ſub viro illuſtri Comite rerum priuatarum Orientis fuerunt, transfretandis rebus priuatis principis creati: vt pecunia, ex priuato patrimonio exacta, in fiſcum transferretur, & quidquid in vſum domus principis Auguſtæ, & Cęſarum emptum, & coactum erat. Quemadmodum & alia ad vſum publicum, & militum tranſuehi procurabat Comes ſacrarum largitionum, qui Quæſtoribus & pręfectis antiquis ærarij ſucceſſerat, ſicut Comes rerum priuatarum procuratoribus Auguſtalibus, vel Cæſaris, vel Rationalibus, Patrimonialibus, Fiſcalibus, priuatæ rationis, Diſpenſatoribus, Magiſtris rei priuatæ, Comitibus rei dominicæ, Imperalium theſaurorum, Curatoribúſque, quibus nominibus dicti Comites rerum priuatarum in iure vocantur. Erat & Drungarius nauigiorum Conſtantinopoli, Drungarius claſſis, Drungarius mari pręfectus: alius magnus Biglæ Drungarius, cuius munus, explorare vigilias, iuſſu magni Domeſtici. Drungarius XII. Inſularum Baſilacas in Monodiâ.

L. vniuerſi. C. de vectigal. & commiſſ.

L. 3. C. de Cohortalib. & in Leonis Imperat. lib. De bellico apparatu. L. 4. & 8. C. de murilegis. & ibi Alciatus.

** L. vlt. §. ſpecies D. de publi.*

Zonaras. Codinus, Bulenger. Imperij Rom. lib. 4. cap. 35.

nodiâ. Nomen generale, exprimens omnes duces qui in bellis tum terreſtribus, tum maritimis, drungis, hoc eſt, globis militum imperabant. Sub claſſis Drungario Ameralius, Protocomes, Comites, Drungariſque inferiores erant. Hic, ſicut & Drungarius Biglæ, & Logotheta curſus, nauigiis Imperatoris præerat. Comites aliquot nauigiis imperabant, Drungarij inferiores ſingulis. A Comitibus iſtis magiſtri nauium hodie vocantur, Comites.

Conſtantin. in Chorographia. Ad res nauales pertinet officium τοῦ θε· cuius appellationē ignoro, niſi quis putet eſſe, θαλάσσιον, aut, πρωτοθαλάσσιον, Thalaſſium, Ameralium, qui Phialæ arci Conſtantinopolitanæ ad mare cum

Baſilic. eclog. 53. claſſe imperabat, remigibúſque omnibus regalibus, & ſingulis diebus ſub veſperam ab antiquo ſedebat in arce Phialæ, vbi lites remigum diiudicabat, ſontéſque & conuictos manualibus clauis concidebat. Primus nauis rector Protocorabus dicebatur. Ameralius ſupra Protocomitem, & Drungarios fuit, magno claſſis Drungario inferior, & magno Duci, ſub quo ipſe, & Drungarius claſſis, & Protocomes fuerunt. Curſores dicti qui ante claſſem leuibus nauigiis excurrebant. Præpoſitus thematis erat qui Legioni limitaneæ imperabat, propriè enim thema Legio eſt, alicui Prouinciæ impoſita, quæ in littore, aut oſtiis fluminum

** ad Notit. Orient. C. 152.* excubat. Meminit & * Pancirollus cohortis claſſicæ ſub Duce Mœſiæ II. Imperante Valeriano conſtitutæ. Meminit quoque

** Lib. 7. epiſt. 23.* * Caſſiodorus Vicarij portus, qui de controuerſiis negociantium ob commercia iudicabat, ſicut hodie apud nos, Iudices Conſules.

CAPVT SEXTVM.

Ventum ad Gallos, eorum excurſiones maritimæ antiquiores. Francorum origo, geſtáque aliquot.

NVNC ſeſe exerit ingens natio, quæ maximo terrarum tractu, qui inter Rubiconem & Rhenum, & vtrumque Oceanum protenditur, non contenta, toto orbe peragrato pérque partes occupato, ſolidius tandem Imperium ſibi fecit, Romano Imperio in duas partes diuiſo, & Oriente ſolo Conſtantinopolitanis Impp.

Natalis Comes lib. de Cybele, & Ioue. relicto. Quod, quemadmodum factum fuerit, exponemus. Antiquiſſima horum maritima expeditio in Phrygiam fuit, quo tēpore Cybele apud Phrygas imperabat, quos illa ſibi ſatellites, mox & ſacerdotes delegit, eiectíſque Curetibus & Corybantis, Gallos adſciuit ad ſui corporis cuſtodiam. Ab his fluuius Phrygiæ Gallus appellatus eſt: manſítque nomen horum poſteritati, quæ

quæ in Cretam tranſiit, Iouíque militauit & vicit. E Celtis ſane literarum primordia fluxerunt, è Druidis Philoſophia, quam mirum in modum Magus, Saturni Samothis filius Gallorum Rex adauxit, rerum diuinarum humanarúmque ſapientiſſimus interpres. Galates, Olbij Galliæ Regis filius, Erychtonij Phrygiæ Regis ætate, pelago potens, vrbem, quæ inter Maſſiliam & Nicæam eſt, non procul à Varo fluuio, de nomine patris condidit, & in eâ Philoſophiæ literarúmque profeſſores inſtituit, tandémq; in Aſiâ minore imperium conſtituit, inſulis occupatis, quæ inter Aſiam atque Europam collocatæ ſunt. Vulgatum eſt, quod de Herculis Gallici, ſiue Celtici ſtatuâ ſcripſit Lucianus, quâ orationem ſignificat, cathenis aureis, hoc eſt, ſermone facundo, audientium aures retinentem. Adeò autem Hercules iſte eloquentiâ valuit, vt Iunonis Nouercæ iras illâ placauerit, dictúſque eſt lirioëſſam edere, quod de Neſtore & Troianorum concionatoribus Homerus cecinit, hoc eſt, liliaceam vocẽ, quam Latini floridam vocant, & floridam orationem: vel à candore floris, qui lilium appellatur, candidam: vnde Petronius: *Candida, & vt ita dicam, ſimplex oratio, non eſt maculoſa, nec turgida, ſed naturali pulchritudine exurgit.* Hęc Gallis olim, poſtea & Græcis lirioëſſa; vnde fabulantur, Iouem dormientis Iunonis vberibus Herculem infantem admouiſſe, quo ab excitatâ reiecto, pars lactis quæ in cœlum cecidit, viam lacteâ fecit: ex eâ verò quæ in terram deſcendit, candida lilia prognata, quæ poſtea ab ipſo Hercule in clypeo collocata ſunt, manſerúntque poſteris Galliarum regibus, populíſque pro inſigni, ſiue eloquentiæ candidæ & puræ nota ſint, ſiue in gratiam pacatæ Iunonis ab Hercule vſurpata, quod amicus olim noſter antiquitatum monumentis ſtudioſiſſimus inueſtigator Ioan. Baptiſta Meneſtrierus * annotauit, dum argenteum Poſtumi numum interpretatur, in quo, circum caput Imperatoris iſta inſcriptio legitur. M. CASSIVS LATIENVS POSTVMVS P. F. AVG. Ab alterâ numi parte, idem ſtans iaculum dextrâ tenet, ſiniſtrâ verò prouolutam in pedes matronam, illi ſceptrum, in cuius ſummitate apertum lilium videtur, offerentem, alleuat & ſuſtinet, cum iſto titulo: RESTITVTORI GALLIÆ. Nempe eâ matronâ ſceptrum lilij flore inſignitum offerente, ſignificatur Gallia, reſtitutori & conſeruatori ſuo inſigne vetus, & ſceptrum, id eſt, imperium in ſe, ſuáque, & ſuos, concedente: quod factum eſt ann. Sal. CLXII. Gallieno Aug. III. Petronio Voluſiano Coſſ. is natione Gallus, ſub Valerio Imp. tranſ-Rhenani limitis Dux & Galliæ Præſes, ſubmotis Germanis, Francis, qui olim Sicambri, in ſocietatem aduocatis, Romano Imperio per Gallias in priſtinam ſecuritatem reuocato, Imperator ſalutatus eſt: multáque numiſmata cudi iuſſit, in quibus ipſe Herculis habitu (à quo genus ſe ducere volebat, liliúmque

Ioan. Picardus Celtopedia lib. 2. totum hoc ex antiquiſſimis authoribus probat.

** In manuſcripto nondum edito. tertia partis antiquor. numiſmatũ, numo 5.*

que inſigne eius accepiſſe) videtur, cum hac inſcriptione: HERCVLI PACIFERO. Nec multo poſt Tetricus ad idem Imperium in Galliis euectus eſt, an. ſcilicet Sal. CCLXIX. in cuius numis Gallia matronalem ſtolam ſuccincta, properantis geſtu, lilium, eâ formâ, quæ in noſtris ſtemmatibus cernitur, dextra prætendit, circa duo verba: SPES AVGVSTORVM. Nimirum patris & filij ſalus & ſpes omnis erat retinẽdi Imperij in Galliis, per Gallos, lilij imagine figuratos. Quibus intelligitur, falſum eſſe, quod fabuloſi hiſtorici prodiderunt, antiqua Regum Galliæ ſtemmata bufones fuiſſe, & ſub Clodoueo in lilia mutata, cùm ab ipſo Hercule Gallico ad hanc vſque diem peruenerint intemerata, & qualia omnino Reges noſtri in ſtemmate habent. Ab eo autem flore, vel à floridâ Gallorum eloquentiâ, vel à præminentiâ, Italiæ florem Galliam Cicero vocat, & Romanæ dignitatis ornamentum. Ex eâ literæ primùm emanarunt, quæ Achaia Ioniáque & minore Aſiâ ſubactis, ibi permanſerunt, ſucceſsúque temporis, quia maximè per Græciam florerent, Grçcæ appellatæ ſunt. Primus Galates Gallorum Rex, Olbij filius, de quo antea, Sarmatiam Aſiaticam, ad Mæotim paludem, regionémq; inter Halys & Hippij oſtia ad Pontum poſitam, occupauit, quam de ſuo nomine Galatiam nominauit, deductis Toliſtobogiis, ſiue Toliſtobiis, Voturiis & Ambianis, qui nouas terras Græcis mixti incolerent, vnde etiam Galatia Gallogræcia nuncupata eſt: proceſsítque in tantum victoria, vt ad fauces Boriſthenis fluuij, ſeſe in Caſpium mare exonerantis, Galates ille de nomine patris Olbiam vrbem ædificauerit, alterámque in Ciliciâ Aſiæ minoris prouinciâ, tertiam in Pamphyliâ, iuxta Cataracten fluuium, & quartam eiuſdem appellationis in Bithiniâ, ad extremum Aſcanij ſinus receſſum. Tenuit idem Sarmatiam Europæam ad Mæotidis ſiniſtrâ, Sardiniámque & Corſicam Inſulas, præter littora maris Superioris atque Inferioris, quæ maiores illius longè antea Gallico ſceptro addiderant: quippe * Vmbri, penè ab ipſo diluuio nati, vetuſtiſſima Gallorum proles fuerunt, ex quo eos * M. Antonius aſſeuerat, quia tempore aquoſæ cladis ſuperſtites fuerunt, vocabulo, quo tum Galli vtebantur, ὀμβρεὺς dictos Etruſci quoque, ſiue Thuſci, gens Gallica, à Macra & fontes Tiberis ad Inferum mare, ad Superum verò Galli Aureliani & Æmiliani. Quin etiam Aborigines illos, αὐτόχθονας creditos, priſcorum Gallorum propaginem eſſe vetuſtiſſimi authores prodiderunt. Et Thuſcia quidem vetere Celtarum linguâ, quaſi θυσία, ſacrificola, ſiue aruſpicatrix, θύω enim ſacrifico, ſolis quippe odoribus & ſuffitu, ex Celtarum diſciplinâ, Thuſci Deo faciebant. Omitto vrbes in mediterraneis Italiæ regionibus à Gallis conditas, Veronam, Senam, Mediolanum, Patauium, Cremonam, Placentiam, Nouaram

Occo in numiſmatib. Impp. Rom in quibus etiam Hercules pater imponit ſertum è latus Imperatoris capiti, cum hoc titulo: Æternitas Augusti.

Octauius de Strada, lib. de vitis Impp.

Philippica III.

Picard. Celtopedia lib. 3.

Xenophon lib de æquiuocis, ait, Armoniam Cadmi vxorem, è Phœnicia detuliſſe literas 16. non Phœnicas, ſed Galatarum characteribus ſimiles. Cæſar commẽt. lib. 6 Gallos Græca lingua à Dite patre accepta ad ſua tempora vſos fuiſſe aſſerit, qua ipſi Græci vſi tantum ſunt ab Armonia in Grçciam aduentu. Eoſdem Gallos Strabo lib. 4. aſſerit, iudicia & decreta Grçco ſermone, quo etiã cauſas agebant, iudice pronunciante excepiſſe: eo quoque in ſcholis vſos. Probat idem Seruinus Tomo 2. actionum, act. 1.

Euſebius in Chronico de Hemere loquens. & Annius Viterbienſis Commentario in Beroſum.

**hodie Spoletani*

** in fragmentis, Solinus in collectaneis.*

Sempronius lib. de diuiſione Italiæ.

Marc. Cato in fragmentis.

Picard. Celtopedia lib. 5. è Solino, Catone, Suida, & Amiano Marc.

ram

ram, Comum, Bergomum, Brixiam, Vincentiam, aliáſque innumeras, vt ſcias eorum quoque opus fuiſſe Aquileiam Carnorum metropolim, ad Timaui oſtium. Venetis nomen dedit, non Antenor, ſed Veneti noſtri ad Oceanum Britannicum poſiti, Genuam ad Liguſticum mare Allobroges, Nicæam Maſſilienſes extruxerunt. Multa Gallici dominij vetuſtiſſima veſtigia in Germaniâ extant, miſſis trans-Rhenum coloniis. Alemani, à Lemano lacu, qui lacus eſt inter Celtas, quem Rhodanus influit, appellationem ſortiti ſunt. Aremorici Britanni, ſubactâ Albione, eam inſulam in nomen ſuum & Imperium adſciuerunt. Hiſpaniam Celticus Hercules, Getione cæſo tenuit, fretúmque quod Europam ab Africâ diuidit, & metas Calpen & Abylam, in ſuum nomen adoptauit. Ipſi Hiſpani ſe à Gallis natos gloriantur. Scribunt enim, anno poſt diluuium MCCCL. Celtas Galliæ populos, victis Iberis mixtos, Celtiberiæ nomen dediſſe. Vnde Lucanus, & ipſe Hiſpanus:

Strabo lib. 4. & 5. Cæſar in Comment.

Bocacius lib. de lemb. fluuiis fontib. Euſebius in Chron. Pomponius Lætus lib. 2. in vita Diocletiani. Volaterran. Comment. lib. 3.

Ludouic. Nonius Hiſp. c. 30. 32. 42. & 48. Ioan. Vaſæus in Chronic. Hiſp.

> -----*profugique è gente vetuſta*
> *Gallorum Celtæ miſcentes nomen Iberis.*

Addit Aſtures, Betonéſque. Quod confirmat Strabo, aſſerens, Anatem fluuium, qui in mare Atlanticum exoneratur, Bæticámque, ſeu Granatam, à Luſitanâ ſeparat, ſuo tempore etiam à Gallis fuiſſe habitatam: & vt Angliæ partem Galli Vualliam, & aliam Scotiæ, Gallouidiam dixerunt, ſic Luſitaniam, Portugalliam dixiſſe, multi ſcripſerunt, quaſi Gallorum portum, qui in eâ Prouinciâ Portugallenſem ciuitatem condiderunt, & Bracaram, Bracatis Gallis habitandam dederunt. Gallæciam noſtris domitam, cultámque, ipſa appellatio prodit. Taceo poſteriora, Laletaniam ab Ottogerio Catalone Gallo, qui primus à Pipino Galliæ Rege, pulſis Saracenis, Tarraconenſi Prouinciæ præpoſitus fuit; Cataloniam vocatam: ipſóſque Hiſpanos ante aduentum Carthaginienſium, Vaſconicè loquutos: & eſſe, qui affirment, idem tunc idioma veteribus illis Hiſpanis fuiſſe, quod nunc Vaſconibus Cantabríſque noſtris. Fragam vrbem nouam, inter Ilerdam & Cæſarauguſtam, Gallicam Flauiam Ptolomæus vocat, & quæ nũc Gurrea eſt, Forum Gallorum: meminit & Lacobrigæ, vrbiúmq; aliarum in Luſitaniâ à Gallis excitatarum, Gadéſque inſulas regionem Celticam appellat. Sic Imperium Gallorum maritimum à Germanico mari ad Britannicum porrectum, pérque Gades ad intima ſinus Adriatici, atque Iſſici productum, per Helleſponti fauces, ad Mæotim paludem & Caſpium mare, ab ipſo penè gentis exordio, cum ipſis literis peruenit, tantâ per Europam Aſiámque admiratione, vt auditis Gallorum armis, populi omnes formidine quaterentur. Vnde & Reges qui nondum laceſſiti erant, veluti mali aſtri viſione perculſi, ingenti pecuniâ pacem redimebant,

Lib. 3. Geograph.

Lucius Marinæus de reb. Hiſpaniæ memorab. l. 4. & 5. Villanouanus ſcholiis in Ptolomæum.

bant, vicinarum prouinciarum malo edocti, quàm fruſtrà genti ad bellá tum maritima, tum terreſtria natæ, alienæ vires opponerentur. Ad terreſtria pertinet cultus religioſus Cybeles, cuius ceremonias è Phrygiâ in Cretam noſtrates olim tranſtulerunt, è Creta in Galatiam, vbi Dindymus mons, & Cybeles Dindymenes appellatio, Sangariſque fluminis vſus, pro Gallo Phrygiæ fluuio. Cui enim magis Numini, quàm Terræ, ſub Cybeles nomine, ſacrificarent illi, quorum erat tota terra hoc ſæculo cognita. Cui Deo, magis quàm illi, cuius tutelæ æquora commiſſa ſunt, ad quem maritimas victorias ſuas Galli referebant, & conſeruationem gẽtis: refert enim Samuel Talmudiſta, Gallos illos verè ac propriè dici, qui inundationem imbriúmque exceſſum paſſi ſunt. Ogygémque atauum Nini, à Babyloniis Gallum cognominatum aſſerit Xenophon, quòd ab inundatione ſuperſtes alios eripuerit & genuerit. Hiuc Sagæ populi, apud quos nauigio ſaluatus eſt, & ereptus, ratem vocant gallerim, quòd vndis ſaluet: durátque hoc hodie etiam noſtratibus vocabulum, quo triremim appellamus: quo genere nauis, ab ipſo diluuio, Galli vſi ſunt, appellationémque illi ſuam tribuerunt. Ita vt non omnium tantum primi nauigationem inſtituerint, ſed & maritimum imperium tennerint, quod ab ipſa reparatione generis humani per multa ſæcula conſeruauerunt. Leonorio duce rebellantis Gallogræciæ Bithyniæque tumultus compeſcuerunt. In Mæoniam & Paphlagoniam colonos è Trocinis, Galliæ populis, miſerunt, Tauiúmque oppidum ibi conſtituerunt. Tectoſagi Cappadociam occupauerunt, Ancyrámque oppidum ædificauerunt. Sub Duce Cambaule, Thracia nobis domita: Bolgius, ſiue Belgius, Ptolomæum Macedoniæ Regem cum exercitu fudit, Dacos, Pæonas & Illyrios Cerethrius. Tuſci, Vmbríque à Brenno ſuis ſedibus pulſi, iterúmque Tuſcia, atque Vmbria Gallos colonos habuerunt. Certauit populus Romanus cum finitimis de Principatu, cum Pyrrho Epirotarum Rege de famâ, & gloriâ, cum Carthaginienſibus de imperio, cum Gallis verò, vt ait Saluſtius, de vitâ ſemper. Tantus terror Gallici nominis, vt illi Romani, qui ceteris nationibus formidini erant, cùm omnes armorum motus bella vocarent, ſpeciali appellatione bellum, quod illis à Gallis inferebatur, tumultum vocarent, & certè niſi anſeres Capitolium ſeruaſſent, cum ipsâ Româ Romanum nomen iamdiu extinctum foret. Vix ipſi in templis ſuis Dij ſecuti erant, Græciâ totâ cum portione Illyrici Sinus à noſtris Gallis occupatâ, Delphis ad vltimum redactis, cùm homines reſiſtere non poſsẽt, iraſci oportuit Apollinem, & ſæuire in gentem, è cuius armis nec inſulam, nec vrbem, nec templum, in quo ipſe oracula dabat, ſeruare poterat. Hinc in Aſiam Eumenis Pergami nauibus penetratum,

Picard. Celtopędia lib. 3 è Xenophonte in æquiuocis.

Strabo l. 11. & 12. Juſtin. l. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 32. & 44.

Sigonius hæc acciďiſſe ait, Olymp. cxx1v. & cxxv.

Pauſanias in Phocicis.

tratum, & quidquid ambibat mare, quódque in mari occurrebat, vaſtatum. Laus tunc temporis haud minima erat, experiri pelagus, & fortunæ beneficia per bella maritima quærere, vnde Gallos in ipſo mari natos, λῃστῆρας Græci nominauerunt, hoc eſt, piratas, nomen tunc in honore habitum, quod ex eo venit, quòd illi qui vitam in mari agebãt, fraudes & dolos, quos πεῖρας Athenienſes vocabant, virtuti annecterent, vnde piratæ nuncupati, οἱ κατὰ θάλατταν κακοῦργοι. Quam artem ab omni æuo Galli exercuerunt, tradiderúntque Rhodiis cum legibus maritimis, vt Seruinus ex Strabone aſſerit, qui leges iſtorum nauales, arma, apparatum claſſicum, artémque in mari pugnandi, Maſſilienſium legibus, armis, claſſibus, prælüs, conuenire dixit: addítque Gallos ſolemnis illius ſacrificij authores fuiſſe, quod Græci τὰν ἱερὰν vocabant, & ab iiſdem vota veniſſe carminibus expreſſa, quibus Neptunum inuocabant, ἑλικώνιον ἀμφὶ ἄνακτα. Hos, quocunquè ibant, ſequuta eſt victoria. Taceo Bohemiam, Bauariam, & Vveſtphaliam prouincias noſtris colonis impletas, montes in Pannoniâ Galatam & Galembergam. Amici Siculis Galli, Athènienſes vicerunt: Siculis infenſi, Carthaginienſibus laurum pepererunt: iterum Siculis conciliati, maiorem Africæ partem, Magnámque Græciam ſub metum primò, mox ſub iugum miſerunt. Sub Dionyſio Seniore Siciliæ tyranno, pro Lacedæmoniis vicerunt. Anoëreſtis Regis ductu, Inſubres, Etruriámque vaſtauerunt. Ab iis Iſtri, Foroiulienſes, Carni, & Liburni deuicti. Propontidis ora, cum Byzantio & Helleſponto vectigalis facta, Syria quoque atque Oriens.

Seruinus Actione Forenſium, Tom. 2. Act. 3.
Rhodiginus antiq. lect. Tom. 2. c. 10.
Diodor. Sicul. l. 5. c. 9. & lib. 15.
T. Quintio, & Cn. Domitio Coſſ.

----Non illis auſit componere ſeſe
Thracia, quæ Martem genuit: non Parthia verſis
Quæ bellatur equis fugiens, licet inclita Craſſo
Facta ſit extincto, ſigniſque ſuperba Latinis.
Quas gentes olim non contriuêre per omnem
Inuecti Europam, quaſi grando Aquilone vel Auſtro
Importata graui paſſim ſonuêre tumultu.
Scit Romanus adhuc, & quem Tarpeia videtis
Arx attollentem caput illo in monte ſuperbum.
Pannones, Æmathij norunt, ſcit Delphica rupes,
Quæ niſi terrificis ſubitò conuulſa ruinis
Oppreſſiſſet eos, non defendiſſet Apollo
Confecta argento templi ſacraria & auro.
Intrauêre Aſiæ fines: prope littora Ponti
In gentem creuêre nouam, quæ tenditur vſque
Ad iuga Pamphilûm, Garamantica ſydera contra
Inter Cappadoces poſita, & Bythinica regna.

Mantuanus.

Talis & tanta natio, velut examine iuuentutis ſuæ fœcunditate

Orbe vniuerſo repleto, nunc Francis iuncta, adoptatáque in nomen, inuicta permanet. Cauſa huius affinitatis eiuſmodi fuit. *Lazius de gent. migrat. l. 5.* Sicambri, Cimeriorum, ſiue Cimbrorum populus, in Pannoniis Sicambriam ciuitatem conſtruxerunt ad Iſtri ripas, diúque ſub ſignis Romanis meruerunt. Cùm autem illis à Valentiniano II. tributum impoſitum eſſet, impatientes ſeruitij, Priamo & Antenore Ducibus, in Germaniam conceſſerunt, iuxta Turingos, vbi poſtea Francia Orientalis, quæ modò Franconia dicitur. Quo tempore, nouo adſcito nomine, vel quod iam immunes à tributo eſſent, vel ab audaciâ, ſiue à Franco Rege, Sicambri, Franci vocati ſunt. Hi Rheno tranſiecto, in Galliis ſedes poſuêre, à Galliis benignè, veluti à parentibus excepti, nam & Sicambri Phrygiam, Galatiámque tenuerant, orti à Gallis illis, qui Trocmo & Toliſtobogo Ducibus, eas olim prouincias occupauerant. Hinc factum, vt Gallia ab iſtis Francia diceretur, & Galli Franci, quorum *ANN Sal. 426* Rex primus Pharamundus in Galliis, vel vt alij ſcripſêre Clodio. Huic noſtri Reges continuâ ſerie vſque ad Carlouingios ſucceſſêre. Quamuis & vltra Rhenum Francorum Imperium fuerit. Námque Clodomyro concedente, Oſtrofrancorum, cognomento Salicorum, Duces, inter Fuldam Salámque amnes conſederũt, vbi hodie Franconia. Francorum quoque Duces in Belgis & Auſtraſiâ fuerunt, qui & Brabantiæ Duces vocabantur. Tunc temporis relictum mare, & noſtri Franci, terreſtribus prçliis aſ- *Panegyriſtes Maximiani.* ſueti, claſſes ſpreuerant, quibus olim Oceani Principatum quæſiuerant, éque Rheni ripis exeuntes, illis Aſia, Libyáque domitæ: *Nazari. in Paneg. Conſtantini.* in Europa verò, Sicilia, & Hiſpania. Quò factum eſt, vt cùm oratores, Romanos Impp. laudarent, vbi vel leuiſſimam de Francis victoriam retulerant, eos dicerent maria littoráque omnia quieta feciſſe, reſtituiſſe mare Romanis, quòd Franci totum tenebant. *Eutrop.* Sub Diocletiano iidem piraticis claſſibus Belgicum, Britannicúmque Oceanum reliquis nationibus eripuêre.

Sidon. Apollinar.

---his pelle ſalum ſulcare Britannum
Ludus, & aſſuto glaucum mare findere lembo.

Cæſar lib. 3. belli Gallici. Cùm antea Galli nauibus vterentur, quibus carinæ penè planæ erant, quò facilius vada, ac deceſſum æſtus exciperent. Proræ admodum erectæ, atque item puppes, ad magnitudinem fluctuum tempeſtatúmque accommodatæ, nauéſque totæ factæ ex robore, ad quamuis vim, & contumeliam perferendam. Tranſtra ex pedalibus in altitudinem trabibus infixa clauis ferreis, digiti pollicis craſſitudine. Anchoræ pro funibus, ferreis cathenis vinctæ. Pelles pro velis, quibus tutius Oceani tempeſtates, ventorúmque *Nicol. Vignier. in tractat. de origin. Francor.* impetus ſuſtinerent. Pauca hic inſerere licet in Francorum laudem: horum nomen victoriis naualibus inſigne, omnibus Gentibus, quæ littora incolebant maximè metuendum fuit, ab Imperio

perio Claudij ad Conſtantini Magni Imperium. Namque ſub AN.Sal.270.
Claudio Batauiam, quæ nunc Hollandia eſt, occupauerunt, ínque oſtio Rheni conſtitutâ claſſe, oras Oceani, vſque ad fretum
Herculeum ſequuti vaſtauerunt. Pars eorum exigua intercepta, ANN.278.
victáque à Probo, quà exæſtuans Oceanus Rhenum retroagit, mox in Aſiam tranſlata, acceptis caſu nauibus, quas tempeſtas vadis inflixetat, nemine obſtante, Græciam, littúſque Helleſponti, Euxinum, Ægeum, Creticúmque maria populata eſt. Aſiæ, atque Africæ vrbes, pelago incumbentes, tributarias fecit. Syracuſas in Sicilia cepit, prædáque ingenti onuſta, in ſuas ſedes victrix per Herculis veſtigia remeauit. Vbi à Conſtantio Cæſare debellata, cùm maior pars militum noſtrorum cum Catauſio in Britanniam traieciſſet, de paludibus ſuis auulſa, & in deſertis
Galliæ regionibus poſtea collocata eſt. Non in totum, nam & ANN.291.
priſco æſtu furoris efferueſcens Hiſpaniarum oras totúmq; Oceanum infeſtum armis habuit. Rhenum Aſcarico Rege egreſſa, ANN.306.
Galliam vaſtauit, inferiorem Germaniam tenuit, fratribúſq; ſuis iuncta, nam & ante Conſtantinum Anſuarij Franci erant, inter mare & regionem eam, quæ nunc Vveſtphalia dicitur, Friſiam,
Chauciámque, cum Saxoniâ habitauit. De iis * orator Belga: *In Panegyrico Maximiano dicto.*
Recurſabat in animos illa ſub Diuo Probo paucorum ex Francia captiuorum incredibilis audacia & indigna felicitas, qui à Ponto vſque correptis nauibus Græciam Aſiámque populati, nec impunè pleriſque Libyæ littoribus appulſi, ipſas poſtremo naualibus victoriis nobiles ceperant Syracuſas, & immenſo itinere peruecti Oceanum, quà terras rupit, intrauerant, atque ita euentu temeritatis oſtenderant, nihil eſſe clauſum piraticæ deſperationi, quò nauigij pateret acceſſus. Hæc ille pro Romanis contra Francos, ad Francorum gloriam, qui Gallis illis mixti, quibus æternitatem Imperij, ignota gentis cum cælo ipſo prognatæ origo, pollicetur, maluerunt per aliquot ſæcula abſtinere à mari, vt terreſtre Imperium ſolidarent, Romanis, Gothicíſque & Saracenicis præſidiis, atque exercitibus extinctis, donec Merouingiâ familiâ Pipino cedente, ciuilibus bellis compoſitis, iterum recurreretur ad mare.

CAPVT SEPTIMVM.

Francorum bella maritima à Pipino Rege ad Ludouicum XIII. qui nobis hodie feliciter regnat. Origo & finis Amiraliorum, quid ab vnoquoque claſſe, vel in littore geſtum ſit.

Girardus lib. 1. Hiſt. Franciæ.

CVM itaque ſub Merouingiorum ſtirpe nulla bella extiterint in mari geſta, parcus in eorum Regum mentione fui, qui à Pharamundo ad Pipinum vſque imperauerunt. Licet enim ſub Childeberto primo, Amiralij inſtitutionem legerim, nulla tamen maritima prælia, nullas excurſiones in Inſulas, aut per littora legi, prætèr vnam ſub Carolo Martello Pipini patre, qui Friſiis nauali prælio victis, Amiſtrachem, & Auſtrachem Inſulas incendit. Quænam iſtæ fuerint, nondum reperi. Huius nepos Carolus, cùm præuidiſſet, ſine claſſibus Imperia cõſeruari non poſſe, plures portus excauauit, nauibúſque ad bella præparatis, illis Buchardum Comitem Stabuli præfecit, qui Saracenos, Corſicam Sardiniámque infeſtantes, ante Genuam debellauit, XIII. eorum nauibus captis, aliis fugatis, diſperſíſque. In Adriatico verò mari, idem Carolus, XX. nauibus à Venetorum Rep. acceptis, Deſiderium, Longobardorum Regem, mari excluſit. Primus omnium in Galliâ † Rutlandus ab * Æginardo vocatur. Huic variæ claſſes parebant, contra Saxones, & Danos inſtructæ, in oſtiis Sequanæ, Rheni, Ligeris, Albis, & aliorum fluuiorum, qui aquas ſuas in Oceanum voluunt. Diſpoſitæ quoque erant ad tutelam littorum Legiones Ripenſes in iiſdem oſtiis cum turribus, in quibus nocte, flamma: de die nauigantibus, fumus appareret, & è quibus longior in mare proſpectus erat, ne qua nauis, aut claſſis ex improuiſo portum in Germaniâ, Galliáque capeſſeret. Idem obſeruatũ legimus in Septimaniâ ad oſtium Rhodani contra Græcos & Saracenos. Qui cuſtodiendo littori præerant, Comites ad cuſtodiendam oram maritimam deputati, in capitulariis Caroli Magni dicuntur: ſicut & illi, qui infideles mari arcebant, κυρσάριοι à Græcis, à quibus etiam claſſis prẹfectus Ἀμιράλιος. Aliqui Rutlandum Leherim, alij Liderichum nominãt, auolúntque eum littoribus iis præpoſitum, in eo ſolo, quod hodie Flandria dicitur, & hãc Prẹfecturam littorum in Flandria à Carolo inſtitutam, ſequentibus annis in Prẹfecturam lucorum, ſiue ſyluarum mutatã fuiſſe: nam antiquitus nomen magni Foreſterij, hoc eſt,

Gregor. Turonenſ. lib. 11. c. 109.
Aimon. Monach. lib. 4. c. 51. Ado.

Sigonius de regno Italiæ, lib. 4.
AN. Sal. 807.

† Rolandum alij vocant, maris Britannici præfectum, vt ſciant Angli, hoc mare Gallici dominij eſſe, non eorum, vt Seldeno placet.
** in vita Caroli Magni.*
Popelinerius in Amiralio Gallico.

eſt, Saltuarij, ſiue præfecti ſylvarum, ad aquas, & ſyluas pertinebat, ſicut hodie ad magnum Magiſtrum aquarum & ſyluarum. His rebus ad tutelam Galliarum compoſitis, in partem Imperij Carolus, iam Magnus, ob varias victorias, filios ſuos vocauit: Carolum Germaniæ, Pipinum Italiæ aduerſus Græcos, & Aragiſem Beneuenti Ducem: Ludouicum Aquitaniæ, aduerſus Saracenos, Reges conſtituit. Pipinus Beneuentano bello perfecto, in Paulum, qui à Nicephoro Orientis Imperatore claſſi præpoſitus erat, arma mouit. Pugnatum eſt ad Comaclum Inſulam Venetorum finibus obiectam, vicit Pipinus, claſſiſque Græca inhabilis, & minimâ ſui parte, ægrè Dalmatiam tenuit. Fauebant Nicephoro Veneti, ob id in eos bellum exarſit; iſti cum Ducibus ſuis ſubacti: hinc claſſis Pipini cùm in Dalmatiam tranſiiſſet, dicto Paulo Cephaleniæ Duce, Præfectóq; claſſis Orientalis, Dalmatis ſubſidio accurrente, plena ſpoliis Rauennam reuerſa eſt. Brondulum indè, Clodiam, Peleſtrinam, & Albiolam oppida, & littora, quæ æſtuario Venetorum prætenta ſunt, Pipinus victor occupauit. Metamaucum quoque, Ducum Venetorum Regiam: Oliuolam & Riuoaltum petere coacto Beato Venetorum Duce, cum Metamaucenſibus, & aliis proximis Inſulanis. Eius Pipini Præfectos claſſium tres à Carolo Magno datos reperio, *Emardum, quem Amiralium * Popelinierus nominat, qui poſtea in prælio nauali occiſus eſt à Saracenis Corſicam obtinentibus: Archambotium, Caroli Magni Cancellarium, cui claſſis Liguſtica commiſſa erat: & Buchardum, de quo ſupra, qui Saracenorum V.M. ante Sardiniam nauali certamine occidit, eorúmque præſidia eadem Sardiniâ, & Corſicâ expulit. Pipino, in Italiæ Regno, Bernardus eius filius ſucceſſerat, cùm Saraceni iterum Corſicam inuadunt. Iſtos onuſtos prædâ alto mari adeptus Ermangarius, Empuſi Gomes, qui pro Bernardo maiorem ex Balearibus præſidio obtinebat, primo congreſſu fudit, atque aliquot nauibus ex eâ claſſe interceptis, captiuos indè Chriſtianos libertate donauit. Nec ob eas clades Saraceni quieuêre, Italiam maiore vi petunt. Centumcellas, in orâ Etruriæ, diripiunt. Narbonenſem indè oram populati, Sardiniam ruinis complent. In hos licentioſius palantes, Ermengarius, qui in Inſulâ erat, impetu facto, cum ſtrage multâ, ad littus agit, naues interceptas, igne vaſtat, reliquúmque cladis in Africam fugat. Inter hæc mortuo Carolo Magno (cui victis Boiis, Auaris, Hunnis, Saracenis, Auſtraſiis, Danis, Pannonibus, Dalmatis, Iſtriis, Illyriis, Thuringis, Longobardis, Saxonibus, & Bauaris, Occidentis Imperium omnium gentium conſenſu delatum fuerat, & ipſe à Leone S. Pontifice Romæ coronatus, atque Imp. ſalutatus in Italiâ, poſt annos CCCXXX. à quibus ipſa Imperatorem non agnouerat) Ludouicus eius filius, Pius cognominatus,

Girard. in Carolo Magno.
Sabell. Enn. 8. lib.
Sigon. de regno Italiæ, lib. 4.
AN. Sal. 808.
ANN. 810.
* *Aderamus aliis.*
* *in Amiralio.*
AN. Sal. 815.

ANN. 826.

Ante iſtius Thyar: rius Francorum Rex, Cochiliardum Daniæ Regem ad Scaldis oſtiũ claſſe vicit.

Sigonius lib. 4. de regno Italiæ.

tus, Imperij Occidentalis habenas accepit. Sub eo Abderamus, Saracenorum in Hiſpaniâ Rex, ingentem claſſem ſub imperio Aburmani in Aquitaniam miſit, quâ Aquitanici maris littora, oppidáque illis impoſita, vaſtauit. Dum Barcinonem expugnant aliâ claſſe Saraceni, Bonifacius Cyrni, quæ hodie Corſica eſt, Comes, aſſumpto Berthario fratre, militibúſque è Thuſciâ, paruâ claſſe Sardiniam luſtrauit, nullóque ibi prædone reperto, in Africam prouectus, variis præliis Saracenos contudit. Nullum prælium nauale ſub hoc Ludouico Imperatore legi, ſed tantùm, cum claſſem parauiſſe Boloniæ ad Oceanum, & aliam ſedentariam ad oſtium Scaldis fluuij, in Amiralio ſuo Popelinierus ſcribit, pharúmque ibi erexiſſe, ad nauigantium ſalutem. Carolus Ludouici ſucceſſor, oſtia Sequanæ contra Saxonum inuaſiones muniuit, arcibúſque in littore conſtructis præſidia conſtituit. * Extat numus eius æreus, in quo matrona Regi claues offert in ſeceſſu, mare proximum figuratur, & in eo nauis, de cuius malo trophæum ſurgit, quod nauale eſſe conſtat, quamuis de victoriâ nauali à Carolo illo de Saxonibus relatâ, nullus Hiſtoricorum meminerit. Circa oras numi, iſtud legitur: EIECTIS NORMANNIS ET RECEPTA ANDEGAVIA. Ludouici exemplum ſequutus Carolus VI. pharum apud Sluſam in Flandriâ conſtrui iuſſit: & Rupellæ turrim, quam à face, quæ de nocte ab eius ſummitate nauigantibus prætenditur, Lanternæ vocamus: aliámque in littore Oceani inter Burdigalenſes & Santhones. Sub Ludouico II. Saraceni claſſe ad Barrium vincuntur, mox & ante Capuam, quo factoin Gallorum dominium Calabria venit. Nulla indè bella maritima, vſque ad Philippi I. regnum, fuerunt. Quo ſæculo Galli ſalutaris ſepulchri viſendi cupidine accenſi, vel potius contra Saracenos armati, Alexio Comneno Conſtantinopoli imperante, Helleſponto tranſmiſſo, Aſiam vaſtauerunt. Bithiniam Duce Hugone Magno, Philippi I. fratre, occuparunt: Lyciam quoque, Pamphyliam, Ciliciam, * Armeniam & Syriam, cum vrbibus, Tripoli, Tortosâ, Beryto. Ingens claſſis ſoluens è Septimaniâ, Ludouicum VII. Conſtantinopolim commorantem ſuſcepit, in Aſiam transfretatura. Amiralium huic claſſi præfuiſſe noſtri hiſtorici prodiderunt: ſed nomen eius reticent. Victi Turcæ ad Mæandri oſtium, cúmque multa terreſtri pugnâ Ludouicus in Syriâ perfeciſſet, palmâ acceptâ, & in altum ſublatâ, quod ſignum erat perfectæ & finitæ expeditionis, è Iaffæ portu digrediens, in Europam tendebat, huic medio in mari Græca claſſis, noſtris victoriis irritata, profecta eſt obuiam, pugnáque conſertâ, proditores Græci vincebant, niſi Georgius, cui Sicilia à Rogerio Rege vtrique Siciliæ commiſſa erat, ſubſidio noſtris aduolans, coëgiſſet Græcam claſſem terras ſuas repetere. Iam Ludouicus Alexio

Apud Iacobum de Bie, in Francia Metallic. fol. 10.

Sigon. lib. 5. regni Italiæ.

Nicephor. Gregoras hiſt. Rom. l. 4.

AN. SAL. 1097

Girard. in Philippo I.

Sabell. Enn. 9. l. 3.

** Hoc regnũ Galli tenuerunt vſque ad*

AN. SAL. 1381

quo tempore Leo vltimus Regum Armeniæ, è Gallico ſanguine, a Sultano Ægypti, regno pulſus eſt. Author. Franc à Bellaforeſta hiſt. l. 5. c. 47.

AN. SAL. 1147

Girard in Ludouico VII.

Imp.

Imp. Conſtantinopolitani filio filiam ſuam Agnetam ſpoponderat, iam illa multis Gallorum millibus comitantibus, Conſtantinopolim tenebat, cùm Andronicus Orientis Imperio per ſcelus occupato, Alexio mari ſuffocato, Gallos vrbe Conſtantinopolitanâ pepulit. Hi, xxv. triremibus vecti, Græcorum perfidiam vlturi, totius Boſpori, Propontidis, Helleſponti, & Archipelagi Inſulas, littoráque, incendiis & cædibus impleuerunt. Miſſa in eos Græcorum claſſis nauium L. duce Philantropeno, dimicatum in Pelaſgico ſinu, ereptæque Græcis naues, totáque Cretâ, & Eubœâ in fide noſtrâ retentâ. Regnabat tunc in Galliis Philippus II. Auguſtus denominatus, hic claſſem aduerſus Saladinum in Africam miſit, Iacobo quodam claſſis præfecto, qui ab vrbe Flandriæ Auenesia, è quâ oriundus erat, Aueneſius cognominabatur. Hic in littore Barbariæ Syluinam, in Siciliâ Meſſanam vrbes vi domuit. Quo tempore Ludouicus Philippi II. filius littus Maſſilienſe relinquens, claſſem ad oram Siciliæ tempeſtate amiſit, reparatámque in Syriam duxit, circáque Tyrum Saladini claſſem nauali prælio fregit. Deindè cùm Bonifacium, Montisferrati Marchionem, expeditioni Syriacæ præfeciſſet, Venetis fauentibus, Alexio Iſaaci Orientis Imperatoris filio auxilium pollicitus, dicto Bonifacio Gallicæ claſſi præpoſito, Venetæ verò Henrico Dandolo, obſeſſa Conſtantinopolis, ruptæ cathenæ, quibus aditus in portum prohibebatur, xx. Græcorum naues captæ: qui in littore deſcenſum inhibere conabantur, cæſi: Alexius tyrannus fugatus, Imperator Iſaacus, tum captiuus, è carcere tractus, reſtitutum iuueni Alexio Imperium: è quo poſtea cùm per ſeditionem pulſus fuiſſet, & in eius locum Myrtilis, ſiue Myrtilus, ſiue Murtzuphlus (variant enim in nomine hiſtorici) ſuffectus, tum in Gallos, Venetóſque, Alexij Iunioris auxiliares, bellum per Myrtilum renouatum eſt: qui vt reditum noſtris eriperet, xvi. buſtuarias triremes in Gallorum Venetorúmque naues, fauentibus ventis, immiſit, quod vt euitarent noſtri in altum prouecti, iter incendiariis nauibus dederunt, apertis ordinibus, tum remorum pulſu vitato, deluſóque incendio. At longè alius noſtris ſucceſſus, cæſi toto littore Conſtantinopolitani, terrâ Galli, mari Veneti vrbem premunt. Veneti triremibus duabus armamentis nudatis, iniectóque tabulato, turres ligneas ædificauerunt, altiores propugnaculis vrbis. Ex iis faces ardentes in vrbem iniectæ, incendium eâ parte factum, milites, qui extinctioni vacabant, telis obruti. Parte aliâ ruptis propugnaculis, foſsâ tranſmiſsâ, muris quaſſatis, propugnatoribus vi & ferro deturbatis, noſtri in vrbem irruperunt. Vrbs capta, ſeruatáque, Myrtilus vitam per fugam ſeruauit: AN. Sal. 1204
omnium denique conſenſu Comes Flandriæ Balduinus, vnus è Gallicis ducibus, Imperator ſalutatus. Marchioni Montisferrati

Idem in Philippo II.

Nicephor. Gregoras hiſt. Rom. l. 5.

Georgius Logothета in Chronico Conſtantinopol.

Theſſaliæ Regnum conceſſum, Venetis verò Candia, cum Inſulis Ægæi maris. Pari, quo Conſtantinopolis, artificio, paucos poſt annos, ſuburbium Damiettæ in littore Ægyptiaco captum fuit, ducibus oppugnationis Erice Comite Niuernenſi, & Galtherio* Philippi II. Magno Chambelano. Damietta olim Heliopolis dicebatur, alia ab Æliopoli, Ælij Pertinacis opus. Media eſt inter oſtium Nili & mare. Erecta turris ſuper geminas rates, ad ſuburbij turrim fluctu promouit, detruſi qui defendebant, vaſtatúmque ſuburbium. Hinc arma, machinæque vrbi admotæ, coactíque, vi, fame, peſte, qui intus erant, ſe ſuáque noſtris tradere. Sed illa poſtmodò Saracenis reddita eſt. Succedente tempore Ludouicus IX. qui & Sanctus, conductis Genuenſium naucleris & nauibus, iiſque Gallo milite in ipſo Maſſilienſi portu impletis, in Africam anchoras fixurus, primò Cyprum tenuit: vbi Guillelmus ab Vrbe, nobilis Gallus, tum Achaiæ Princeps, Peloponneſiacâ claſſe Ludouici claſſem adauxit. Huc quoque appulit Dux Burgundiæ Robertus, ingentem equitatum nauibus deferens. E Cypro in Ægyptum ſimul conceſſerunt, coactíſque Saracenis, aut relinquere littus cum vitâ, aut ſine vitâ tenere, Damiettam recuperant. Ceterum luſu fortunæ victo captóq; Ludouico, Guillelmo Achaiæ Príncipe à Palæologo inter Syriam & Cyprum debellato, recepto in vrbe Conſtantinopolitanâ eodem Palæologo, expulſis Gallis, ipſóque Balduino Imperatore, poſt annos LV. ab eo quo Imperium Græcorum ad ſceptrum Gallicum deuolutum erat, in peius Chriſtianorum omnium res labi cœperunt. Excluſis noſtris totâ Græciâ, Sicilia nobis vltrò tradita eſt, & Rex eius Inſulæ proclamatus Carolus Andegauenſium & Prouinciæ Comes, Ludouici IX. frater. Itaque reſumptis viribus, in portu Carthaginienſi Afrorum claſſe debellatâ, in terram militem machináſque expoſuimus. Longa & ardua obſidio, & par Punicis bellis, quibus antiqua Carthago ſub armis & felicitate Romanorum vapulauit. Ægrè Carthaginienſes permiſêre ſe Gallis. Inde caſtra mota, Tunetúmque obſeſſum, vbi Ludouicus IX. vitam peſtilentiâ finiit. Vrbis deditio Sancti Principis mortem ſequuta eſt: ſed noſtris peſte, mox tempeſtatibus diminutis, patriam repetere placuit. Tum Gallia variis bellis afflicta, Syriam, Ægyptum, & Barbariam omiſit, ſuis Prouinciis intenta. Siciliam Aragonenſes occupauerunt. Angli, Flandríque rebellant. Illi ad obſequium, terreſtri prælio fuſi, redière. In iſtos maior belli moles. Eduardus Angliæ Rex, Burdigalæ naues ſex miſerat, dum oram Normanniæ legunt, à Normannis capiuntur. Iratus Angliæ Rex, Robertum Tiptoſtum Amiralium in Normanniam curſum dirigere iuſſit, qui Sequanæ alueum ingreſſus, quotquot naues inuenit terebratâ carinâ fundo immerſit. Alias onuſtas

vino,

** Extat numus eius in quo fluuius, quatuor alueis ſcatens, abſcondit caput inter iuncos. In quibus infixũ trophaeum armis Turcicis inſignitum, cum hac epigraphe;* Damietta obſidione cincta, oppugnata, capta.

ANN. 1221.

Girard. in eius vit.

AN. Sal. 1254

AN. 1258.

Idem in vita Philippi IV.

ANN. 1295.

vino, vaſto in mari, dum ex Aquitaniâ redeunt, iniectis harpagonibus captas, in Angliam miſit. Hoc belli exordium inter Eduardum & Philippum IV. Gallorum Regem. Iſtius claſſi Carolus Valeſij Comes imperabat, conſertâ pugnâ, vincimur. Renouatâ claſſe, expoſitóque in Angliæ littore, quod Galliæ opponitur, exercitu, *Dauernò vrbe vaſtatâ, ciuibúſque eius in fugam actis, Gallia repetita. Surrexit & mox maius bellum, Angliæ Rege Eduardo Regnum Galliæ contra Philippum VI. ad ſe pertinere iactante: Cùm enim terreſtri pugnâ Angli, Flandríque periiſſent, Eduardus totis velis in Flandriam tendens, à noſtris, qui ad eam oram commorabantur in nauibus, pronocatur ad pugnam, quâ priſca ſæcula funeſtiorem non viderunt. Æquâ ex vtraque parte procellâ, æquâ ruinâ pugnatum: ex noſtris Hugo Quieretus Amiralius, animam per vulnera effudit, Nicolaus verò Bochetus alter Amiralius, captus & ſtrangulatus. XXX. M. Gallorum, Nortmannorum, & Genuenſium, qui noſtro Regi merebant, cecidêre. Ex Anglicâ nobilitate penè omnes, militum verò X. M. Ipſe Rex Eduardus altum in crure vulnus accepit. Angli victoriam hanc Cadmeam ſibi tribuunt, duas ob cauſas. Prior, quòd in hoc maritimo prælio plures Galli quàm Angli deſiderati ſint. Secunda, quòd littus, ad quod tendebant, nobis inuitis obtinuerint. Sed Angli bello fatigati, viribúſque attriti, multa vulnera à noſtris perpeſſi ſunt, & tandem Galliâ eiecti. Huc vſque Amiralij ſecúdum bellorum maritimorum neceſſitates creati ſunt, bello confecto eorum authoritas finem habebat: nunc verò Amiralij non vt ante, Commiſſionibus, vt vocant, ad certũ tempus; ſed in titulum officij, hoc eſt, quandiu viuerent, facti ſunt. Primus ad vitam creatus eſt, *Amaurius, Vicecomes Narbonenſis, à Ioanne Gallorum Rege. Quamuis aliqui huius dignitatis inſtitutionem in titulum officij, ad Philippum III. Ludouici Sancti filium referant, qui Enguerandum à * Cuciaco Amiralium perpetuum, id eſt, quandiu viueret, conſtituiſſe dicitur. Cùm enim antea Regnum in plures fratres diuideretur, nec totum, vt hodie, ad maiorem natu deuolueretur, factum eſt, vt plerumquè fratrum ætate prouectior, interiora Regni ſub Regis Galliæ nomine, ſortitione, vel conſenſu reliquorum fratrum obtineret, vnde illi nec claſſes, nec Amiralij fuerunt: reliquis fratribus, Burgundiæ, vel Aquitaniæ nomine, maritima tenentibus. Præterea Nortmanniâ, cum Aquitaniâ ab Anglis occupatâ; duce verò ſpeciali Britannias, ſiue vtramque Armoricam, regente; Comitibus Proninciam, & Flandriam obtinentibus, Regibus quoque Maioricæ & Minoricæ, Septimaniæ imperantibus, diu noſtri Reges longè à mari ſepoſitum Imperium habuerunt. Quoties autem in Syriam Africámque proficiſcebantur, alienâ

Margin notes:

* Douures.

Franciſc à Bellaforeſta, lib. 5. hiſt. cap. 8.

Idem lib. 4. de ſtatu, & rebus Gallicis. Ioannes Foronius in Cathalogo Amiraliorum.

* *Amauri.*

ANN. 1284.

* *Sire de Coucy. Fauino in theatro honoris, lib. 3. de Baillolio dicitur,* Le Bailleul.

ἅλς mare, ἁλμυρὸς *ſalſum ſignificat. Vide Almiralij nomen.*

claſſe, alienis nauclairis, bellum maritimum conficiebant, nunc Venetis miniſtrantibus locatorias naues, nunc Liguribus, aut Hiſpanis. At poſtquam diſtractæ Galliæ partes in vnum corpus redactæ ſunt, tum Amiralij, qui hactenus ad bellum imminens nominabantur, ad vitam creati ſunt. Erat antem Amiraliorum nomen ante Carolum Magnum Pipinúmque notum, à Saxonibus vicinis populis, vt plerique volunt, vſurpatum, apud quos Hadmiral, Præfectum maris ſignificat, vel à Græco ἁλμυρὸς, ἁλμυρώδης, καὶ ἁλμυρὸς, quaſi Salmacidus, & Salſus, à Salſugine elementi, cui imperat: vel à Prætoribus Saracenorum, qui non modò ab ipſis, ſed & à Græcis ἀμηραῖοι dicebantur. Rectius tamen putauerim, ab Orientali Imperio, hoc vocabulum acceptũ, apud quos ἀμηράλιος, eadem ſignificatione, quâ apud nos vſurpabatur, erátque præfectus claſſis ante Leonem & Mauricium Impp. inſtitutus, vocatúſque hoc nomine. Primus itaque Gallorum Amiralius in titulum officij & Pręfecturæ perpetuæ, Enguerandus, qui Guidonem Namurenſem claſſe vicit. Poſt hunc Matthæus Mommorancius, ſub Philippo Pulchro in Angliam Syriámque profecturus, imperium in Gallicam claſſem ſuſcepit. In hunc honorẽ deinde vocatus eſt Ioannes * Harcurtius. Quem ſequuti ſunt Carolus * Megeus, Ioannes Chepoixus, & Renierus Grimoaldus, qui cum XVI. triremibus, aliiſq; nauigiis, Batauos & Belgas ante Ziriczeam mari vicit, hoſtiúmque ducem Guidonem Namurcium Philippo Pulchro, qui tum Lutetiæ degebat captiuum miſit. Inde ſub Philippo Valeſio, Francorum Rege, Ludouicus Hiſpanus: Sub quo & alij duo Amiralij vno tempore fuerunt, Nicolaus * Bochetus, & Hugo Kieretus, qui Angliam vaſtauit. Amaurius ſub Ioanne poſt * Hornenſem vixit ſub Carolo V. * Balduinus Heuſius & Franciſcus Perillexius. Incertum relinquunt hiſtorici, cuius ductu maritimo certamine Angli victi fuerint. Conſtat autem Carolum V. præparatâ apud Rhotomagum claſſe, ſubſidióque nauali ab Henrico Hiſpaniæ Rege ſuſcepto, ante Rupellæ mœnia, XXXV. Anglorum naues partìm cepiſſe, partìm, deſtitutas armamentis, pręcipitaſſe in profundum, cæſis, aut demerſis quotquot in iis pugnauerant. Præerant tum terreſtribus copiis Bertrandus * Gueſclinius Comes Stabuli, & Ioannes Biturigum Dux, Caroli V. frater, hi captas Anglorum naues, aliáſque è Gallicâ claſſe ad bellum inhabiles, terebrato fundo in ipſo Rupellæ portu demerſerunt, ne annona, aut militare ſubſidium fluctu intra mœnia deueheretur. Arcebatur hoſtis terrâ, foſsâ, vallo, & equitum vigilibus alis: ſi quid Anglus, aut Rupellanus tentabat, victoria penes noſtros, excidium penes hoſtes fuit. Capta tandem eſt à noſtris Rupella, arx diruta, ciuibus libertas reddita. Sub Carolo VI. bellum in Angliam tranſlatum,

petentibus

Bulenger. Imperij Rom. lib. 8. cap. 56. 82. & 83.

ANN. 1286.

* *D'Arcourt.*

AN. 1296.

* *La Mege.*

* *De Chepoix.*

Renier de Grimoaldi.

Bernard Girard. hiſt. Franc. lib. 13. Franciſc. à Bellaforeſta, hiſt. lib. 5.

**Bachet & Kieret.*

AN. Sal. 1337

* *Hornet.*

**Baudoin de la Heuſe, & François Perilleux.*

ANN. 1368.

Nicol. Gillius in Caroli V. vita.

AN. Sal. 1371

Georg. Lilius in Epitom. Chronicis Regum Angliæ. Huius rei argumento cuſus nummus argenteus, in quo claſſis, cum hac inſcriptione: ANGLIS PRÆLIO NAVALI SUPERATIS, FUGATIS. *apud Iacob. de Bie, Franc. Metallic. fol. 33.*

* *Du Gueſclin Conneſtable, & le Duc de Berri. Girard. in eius vita.*

petentibus auxilia noſtra Scotis. Claſſi præerat Ioannes * Vien- *De Vienne.*
nenſis Amiralius, armíſque victricibus vix benè oſtentatis, patria
repetita. Hinc præparatio maioris belli. Ingens claſſis nauigio- AN. Sal. 1386
rum MCCLXXX. apud Sluſam ſub ipſo Rege in Angliam tranſ-
fretandi copiam expectabat: ſed iſta, moras trahente Biturigum
duce, cui hæc expeditio diſplicebat, ſine effectu fuit. Auratæ na-
uigiorum proræ, coſtæ picturis ornatæ, mala quoque & tranſtra
exquiſitis tabellis auróque tecta; pro canabe ſerici funes, velá-
que diuerſo colore variegata. Nunquam priſca ſæcula luxu de-
cocta; tantam pompam viderant, nec mare diuitiarum auidum
ſenſerat, variis Principibus immenſas naues ad æmulationem au-
ro, picturâ, & ſerico ſatiantibus. Hæc etiamſi oculos ſpectantium
admiratione caperent, alterius claſſis, quæ ab Amiralio in littore
Armorico parabatur, longè ſupra humanum captum opus fuit.
Illâ, vrbs ingens lignea, per partes portabatur: vbi noſtri deſcen-
diſſent in littus, mœnia, turréſque & portæ vrbis, domúſque &
& palatia, pro tentoriis, foſsâ, & vallo, facili commiſſurâ necti,
applicari, & ſolidari debebātur. Nondum Orbis inuenerat ligneā
& momentaneam vrbem pro caſtris extruere, vrbe vrbes expu-
gnare, ſeſéque intra muros tenere & defendere, vltra mare aſpor-
tos. Adeò illud ſæculum ingenia & artifices habuit prioribus
ſæculis fœcundiores. Si deſignata ſucceſſiſſent, omni miraculo
artificium maius. Sed prudenter inuentum, tempeſtas & impru-
dens Fortuna euerterunt. Vix enim illa claſſis, quæ vnam vrbem
LXXII. nauibus vehebat, * Lantreguieri, in Armoricâ, portum reli- *Lantreguier.*
querat, vix mare tenebat, cùm diſſipata ſurgentibus procellis, pars
ad Tamiſiæ oſtia proiecta captáque ab hoſte, pars in Zelandiam
abrepta, pars fluctibus abſorpta, minima eáque concuſſa & in-
compoſita ægrè Sluſam tenuit, nuncia ad Regem acceptæ per
hyemem cladis. Hinc alteri claſſi timor, & expeditionis tentatæ
pœnitentia. Poſt paulò Liguribus, aduerſus populos Africæ Ita-
liæ littora populantes, implorantibus auxilium, harum claſſium
reliquiæ, per fretum Herculis tranſuectæ, duce Henrico Borbo-
nij Principe: Africa vrbs, de qua nomen quartæ Orbis parti, op-
pugnata, Tunetúmque ad deditionem coactum, ſub hac condi- ANN. 1389.
tione, vt Saraceni d[e]inceps, Italiâ, Liguriáque, & Inſulis conter- *1 Clinet de Bra-*
minis abſtinerent. Hinc noſtris emolumentum magnum ex ho- *bant.*
ſte, maius autem & diuturnius, victoria, & gloria. Eodem Caro- AN. 1404.
lo VI. regnante, [1] Clinetus Brabantius in Amiralatu fuit, quem *2 De Trie.*
à Renaldo [2] Trieo, qui cò ſe voluntariè ob ſenectutem abdica- *3 De Chaſtillon, Sr de Dampierre,*
uerat, ſucceſſit, geſsitque hunc magiſtratum cum Iacobo [3] Ca- ANN. 1413.
ſtilloneo, domino Dampierræ. Tunc enim, ſicut & antea, vno *E Franciſco à Bellaforeſta Cap. 102. 107. & 111.*
eodémque tempore Amiralij duo fuerunt. Inter eos quoq; Ro-
bertus Braquemontius, & Carolus [4] Lenſius numerantur. Eodem *4 De Lens 419.*

officio Ludouicus [5] Culantius à Carolo VII. donatus eſt. Cui [6] Pregentius Coitiuius ſucceſſor, vel, vt alij malunt, Comes fuit. Inde Carolus Andegauenſis, Ludouicus [7] Trieus: Trieo Bueilius, Bueilio ſucceſſit Ioannius Andius. Et tamen licet tres iſti penè vnà claſſibus præfecti ſint, reperio tamen iis magiſtratum in claſſes & mare obtinentibus, Ioannem [8] Burſierum exercitibus dicti Caroli VII. imperantem, Anglos nauali prælio ante [*] Blauiam contudiſſe, quinque Burdigalenſium maxima nauigia, quæ pro hoſte pugnabant, ante portum machinis perforaſſe, profundóque merſiſſe, ipſámque vrbem cum caſtello terrâ maríque obſeſſam, tandem oppugnaſſe. Sub Ludouico XI. Ioannes [9] Rohanius Amiralatum cepit, cum Ludouico Laualio, cui ſucceſſor eo adhuc viuente deſignatus fuit, Matthæus Borbonius, nothus, geſsítque hunc magiſtratum per multos annos. Poſt hunc Andreas [10] Laualius Loheaci dominus, Amiralius fuit. Sub Carolo VIII. XXII. annum tum agente, Italia tota veluti grandine cõcuſſa & quaſſata eſt. Dux claſſis erat Ludouicus Aurelianenſis, nam Amiralium vllum hoc bello in noſtris nauibus fuiſſe non legi. Is ad Portum Veneris, vrbs eſt in orâ Liguriæ, Federicum Alphonſi Aragoniæ, Neapolis, & Siciliæ Regis fratrem, præpoſitum triremibus hoſtium, maritimo prælio vicit, totámque Italiæ oram à Genuâ ad Neapolim pacauit, coëgítque Alphonſum in Siciliam fugere. Tunc noſtri nominis tantus terror per Europam fuit, vt Epirus, Albania, Dalmatia, & Macedonia vltrò ſeſe Carolo ſummitterent, auxilium contra Bajazetem & Turcas implorantes. Et niſi Veneti indignè Archiepiſcopum Dyrrachij detinuiſſent in vinculis, vno tractu victoria noſtra ad Conſtantinopolim vſque perueniſſet. Huius damni Venetorum inuidia cauſa fuit, qui & Baiazeri fauebant, nec pati poterant ſe vndique noſtris armis circumſideri. Erat tunc temporis in Galliis Amiralius, Ludouicus [11] Grauillæus, ſed is, quod Italicum bellum Carolo diſſuaſerat, ſine imperio permanſit, vel quod probabilius eſt, Caroli exercitum ſequutus non eſt, impeditus lite motâ inter eum & Marchionem [12] Hocbergium rectorem & Magnum Seneſcalum Prouinciæ, qui Amiralio vllum ius eſſe in mari Mediterraneo negabat, ſibi decimas omnium mercium, quæ nauibus, aut triremibus Prouinciæ in portubus exonerabantur deberi contendebat. Prædeceſſores ſuos Seneſcalos hoc priuilegio ſemper vſos, Gallorum Amiraliis permittentibus, vel ſaltem nemine contradicente. Litteras Regias, quibus Grauillæus imperium in omnem Prouinciæ oram & portus, iuráque antiqua Seneſcalorum ſibi datas dicebat, ſubreptitias eſſe, nemine audito, contra ius Prouinciæ, & vſum antiquiſſimum, ideóque inutiles. Sic quod demum iudicium in hac controuer-

ſiâ

5 De Culant.

ANN. 1420.

6 Pregent de Coitigny.

ANN. 1441.

7 De Trie, de Bueil, d'Andie, Amiraux.

ANN. 1450.

8 Le Bourſier, General d'armée.

* Blaie ſur mer, *aliis Blauiatum, Blauium, Turpino in vita Caroli Magni. Blabia notit. Imp. Romani.*

ANN. 1452.

9 De Rohan, Sr de Montauban, auec Laual.

ANN. 1465.

ANN. 1466.

10 De Laual, Sr de Loheac.

ANN. 1469.

ANN. 1494.

Ex eodem authore, dicti lib. cap. 160. & Philippo Comineſio.

11 De Grauille.

ANN. 1495.

12 De Hocberg.

ſiâ expectandum eſſet, non à Regio conſilio, non ante Magiſtrum libellorum ſupplicum ad id delegatum, ſed à Senatu Prouinciali accipiendum, cui Prouinciæ iura cara, cui cõmiſſa erant. Quid autem iudicatum in hac lite ſit, ipſe neſcio, cum rationes Hocbergij ſcripto mandatas, & Guillarto libellorum ſupplicum Magiſtro traditas, vt ipſe licet à Rege delegatus, iudicio abſtineret, apud me tantùm * habeam, rationes verò Grauillæi, & iudicium, ſi quod hanc litem inſequutum eſt, minimè. Iſtud certum eſt, lite, adhuc pendente, Amiralium Grauillæum Vicarium ſuum ad pacandum Mediterraneum mare, orámque Liguriæ, Prouinciæ & * Septimaniæ tutandam, miſiſſe. Si autem Seneſcalorum Prouincialium iure vteretur * Vice-amiralius Orientis, eo enim nomine Vicarium ſuum primùm Grauillæus vocauerat, incertum eſt. Ceterùm & hoc ipſo tempore conſtat, claſſem à Rege Ludouico XII. Grauillæo viuente Philippo * Cleuenſi, Genuæ gubernatori traditam. Viceamiralium verò Orientis primum omnium Pregentium, Venetos ante Genuam, triremibus eorum xv. profundo demerſis, fugauiſſe. Nam cùm antea duo Amiralij eadem poteſtate in Galliis eſſet, & hoc fieri deſiiſſet, Carolo VIII. regnante, ſub quo vnus Ludouicus Grauillæus Amiralatum tenuit, occupato Neapolitano Regno, inſuláque * Melo in Argolico ſinu per Philippum Cleuenſem Gallicis nauibus præpoſitum, Leſbóque & Tenedo, Inſulis continenti Aſiæ vicinis, laceſſitis, & bello in Turcas decreto, tum primùm Viceamiralius Orientis creatus eſt Pregentius, qui Regis auſpiciis, ſub imperio Amiralij, imperium in claſſes, quæ in mari Mediterraneo erant, exerceret. Is primus omnium ſui ſæculi, tranſmiſſo freto Gaditano, Oceanum iuſſit remorum verbera pati, & triremes ſuo tergo portare, quibus Normannia & Britannia ab Anglorum incurſibus tutæ eſſent. Idem nauali pugnâ cum Anglis conſertâ, hoſtium Ducem confecit tormentario globulo: victor, an ſimilis victori, incertum, æqua quippe ex vtraque parte clades: niſi quòd Amiralius Anglorum, cum aliquot nauium Prętoribus deſideratus eſt: è noſtris verò * Primalguetus, qui xx. nauibus imperabat, cum gregariis aliquot militibus. Amiralatum tum tenebat Hugo * Amboiſius. Poſtquam autem Franciſcus I. Regnum ſuſcepit, Guilelmus * Guſierus Bonniueti dominus, mox Philippus Chabotius Brioneus ad Amiralatum prouecti ſunt. Quo tempore triremibus Galliæ præfectus fuit Andreas * Doria Ligur. Is oppida in littore Neapolitano ſtantia, bello contudit, quorum præcipuum Salernum. Aſinariam Inſulam, Sardiniámq; per Philippum Doriam, fratris ſui filium, vaſtauit: claſſem item Neapolitanam in ipſo vrbis portu magnâ ſtrage confecit, totâ claſſe, ducibúſque omnibus captiuis. Quantùm iam nobis ceteríſque

* *In manuſcripto.*

* *Languedoc.*

* *Vice-amiral du Leuant.*

ANN. 1501.

* *De Cleue.*

Franciſc à Belleforeſta, hiſt. lib. 6. cap. 7. 8. 18.

ANN. 1510.

* *Milo au golphe de Naples.*

Idem Cap. 23. eiuſdem Lib.

ANN. 1513.

* *Primauguet.*

* *D'Amboiſe.*

* *Gouſier, Sr de Bonniuet, & Chabot Sr de Brion.*

* *Dorie General des Galeres.*

AN. 1528.

rìſque nationibus expediat magno & prudenti Duce vti, ex iis quæ ſequuntur diſces. Simul enim atque inuidiâ & odio dominantium in aulâ Regiâ, quibus Liguris fauor & fortuna diſplicebat, Andreas Doria à Gallis ad Hiſpanos & Imperatorem Carolum V. tranſire coactus eſt: tum transfugæ partes fatum & excidium noſtrorum in Italiâ ſequutum eſt. Neapolitanum Regnum, ipſaque Liguria imperium Gallicum contempſit, liberáque an ſerua, ſub Reipublicæ ſpecie, Ibero paret adhuc, & parebit, facta cathenas & vincula pati.

1 La Rochefaucauld, Sr de Barbezieux.
2 De Laual.
ANN. 1531.
3 Annebault.
ANN. 1543.
4 Comte d'Anguien.
** Boulogne ſur mer.*
5 Le Capitaine Paulin Baron de la Garde.
ANN. 1545.
** Vuigt.*

Poſt Doriam triremium præpoſituræ datus eſt Antonius [1] à Rupecalda, eo ferè anno quo Comes [2] Laualius gubernator & Amiralius Britanniæ facto functus eſt, Chabotius quoque poſt ingentia bella ſenex mortuus, ſucceſſorem in Amiralatu habuit [3] Annebaltium, triremium Præfecturâ contra Carolum V. Imp. Franciſco Borbonio [4] Anguienenſi Comite conceſſâ. Hic è Maſſiliæ portu in auxilium Annebaltij, qui tum * Bononiam Belgicam oppugnabat, triremes miſit, ſub imperio [5] Paulini Gardæ Baronis, qui eas per fretum Herculeum in Oceanum deduxit, iunctúſque maritimis Amiralij copiis in Angliam deſcendit, Anglicâ claſſe oblatam pugnam detractante, corámq; viſo Inſulæ * Vectis incendio & populatione, quam occupatam, ſi noſtri propugnaculis & præſidiis muniuiſſent, haud dubiè non modò Bononia noſtris armis ſubacta tũ foret, ſed ipſa nauigatio in Gallias, & Hiſpaniam Anglis erepta fuiſſet. Sed Annebaltius nauigiorum L. nauium onerariarum LX. triremium XV. dux, contentus metum feciſſe, ſine prælio, & gloriâ domum rediit.

Bayſius in Epiſt. dedicator. lib. de re nauali.

Circa hoc tẽpus in Gratiarum portu, Franciſci I. iuſſu nauis fabricata eſt, quæ Antigonis, & Philopatoris celebratas priſcis naues magnitudine, ſuperabat: verè arx maritima, quæ nihil præter incendium & ſyrtes timebat. Eodẽ iubente, in maritimâ Britanniæ minoris orâ, apud Venetos Galeones ædificati, contra Oceani tempeſtates tuta nauigia. Poſt Annebaltium, claſſi oræque maritimæ præfectus eſt Gaſparus * Collignius Caſtilloneus, triremibus verò, multos poſt annos, Baro Gardæ.

** Colligny Sr de Chaſtillon.*
ANN. 1552.
ANN. 1570.
ANN. 1569.
** La Tour.*
** De Baſſac.*

Iſti bellis ciuilibus impliciti, nihil, aut pauca memorabilia claſſe egerunt, terreſtribus præliis intenti. Nondum rebelles in Galliis, qui Religionis prætextu multas vrbes occupauerant, ad mare reſpexerant: quò contumacia ſtaret, Amiralium ſibi creauerunt. Coactæ bellicæ naues IX. in portu Rupellano, ſub imperio * Turonenſis: iis & aliæ minores additæ, quibus, quidquid pelago errabat, interceptum, ſeu Gallus, ſiue Hiſpanus eſſet. Factum è præda militum ſupplementum. Turonenſi prælio * Baſſacano trucidato, claſſis Proteſtantium Soræ commiſſa; à quo orca (genus nauigij grandioris eſt) Luſitanica capta, claſſíſque Ludouici Braſiliæ gubernatoris, magnâ ex parte ante Palmam Inſulam (quæ vna Canariarum eſt) ſubmerſa. Poſtquam autem

autem * Honoratus Sabaudus cæſo Collignio Amiralatum ſuſcepit, commiſitque Lanſaco claſſem, Rupellani XII. naues inſtructas, impletáſque ſuo & Batauo milite, Claremontano Præfecto, Regiæ claſſi oppoſuêre; ſed iſtis, aut ab æſtu derelictis, aut cautibus irato fluctu colliſis, & in prædam datis, Vliaris Inſula, & vrbs * Bruagium à Maiennēſi, terreſtris exercitus Duce, rebellibus ereptæ ſunt. Sabaudus generum ſuum Carolum Lotharingum, ſub Henrico III. ſucceſſorem habuit: quamuis multi ſint, qui eum inter triremium Præfectos, Rectoréſque Prouinciæ reponant, non autem inter Amiralios; inter quos, Anna * Ioiſij, Ioannes Ludouicus Nogaretus Eſpernonij, Carolus Gontaltius Bironij Duces: quibus adduntur ſub Henrico IV. Andræas Brancaſius, & Carolus Mommorancius, ſub quibus Noua Francia, quæ pars Americæ, Imperium noſtrum agnouit. Dum ſemoti à noſtro Orbe populi Gallicum nomen adorant, in eiuſdem contumeliam Blanquetus, Gaillardus, Treleboiſus, & Pontenilla Galli piratæ, Girundæ, & Garumnæ oſtia claſſe obſidebant, atque ante Royani mœnia plerunquè ſtabant in anchoris, ſi prȩda inuitaret, erupturi. In eos * Barraltius, Aquitaniæ Vice-amiralius, cum IX. nauibus ire iuſſus eſt, itérque ſecurum præbere CL. onerariis, quæ militarem claſſem mercibus onuſtæ ſequebantur. Fugêre piratæ viſam claſſem, Sudræque alueum intrauêre. At poſtquam Barraltius mercatorias naues in altum comitatus eſt, ne ſine pugnâ diſcederet, fauente aurâ, & exundantis pelagi acceſſu, prȩceps in piratas inuectus; ipſe Blanqueti nauem circumſedit, eámque poſt duriſſimam pugnam, cædéſque repugnantium, expugnauit. Captæ omnes piratarum naues, partim vndis deſtitutæ, vadiſque afflictæ, partim ferreis tormentorum orbibus terebratæ, & mutilæ, partim etiam vi militum & virtute occupatæ. Coniecti in vincula Blanquetus & Gaillardus, reliqui, piraticæ turmæ duces, ripas tenuerunt, proiecti in flumen; ipſi natandi periti. Par tempeſtas è Mediterraneo mari Prouinciæ incumbebat, piratis quoque Gallis, qui Mahumetanam impietatem iurauerant, infeſtantibus æquor. Expeditionem in iſtos cum triremi vnâ, minoribus nauigiis L. * Belluſlocus ſuſcepit, eorúmque celocem ad promontorium S. Eutropij primo impetu cepit: hinc tempeſtiuo flatu alto immiſſus, piratam Rupellanum, cui, abiurante Chriſtianiſmo, Solimano nomen inditum erat, ad deſperationem adactum, ſe, ſuos, ſuáque, cum naui, quâ vehebatur, perfoſſâ, profundo dare coëgit. Alterum piratam Arelatenſem, Ali nomine, deſerere nauim; & ſeſe in littus iniicere compulit, quà Caualaira importuoſior eſt, & ventis contrariis agitata. Quartam nauim tormentis bellicis laceratam idem ſubmerſit, victórque Maſſiliam rediit. Diſplicebat Rupellanis Blanqueti &

*Honorat de Sauoye.

* Broüage pris par le Duc de Mayenne.

ANN. 1577.

ANN. 1578.

1580. 1587.

1592. 1595.

* Duc de Ioyeuſe, Lovys de Nogaret Duc d'Eſpernon, de Gontault Duc de Biron, de Brancas Sr de Villars, & Charles de Mommoranci.

ANN. 1617.

* De Barrault.

ANN. 1621.

* Beaulieu.

Gaillardi ignominia , quibus ipſi naues, arma , & commeatum miniſtrauerant, aliáque,rebelles ſpiritus, Gallicum iugum indociles pati , inflammabant : & iam bellum erat , Eſpernonio duce circa vrbem cuncta vaſtante, claudentéq; aditus,exitúſque , quacunquè terra erat. Liquidum obſeſſis elementum reſtabat,erántque illis prætet celoçes & phaſelos onerariæ VI. & triremis vna, quibus cum Chalardi , oræ Admiralatus Aquitanici præfecti, claſſe , in ipſo Bruagij portu conflictus fuit, nullo victore , plurimis cæſis, nemine victo. Vt verò Regiæ naues, [1] Sancti Lucæ, & Razilij ductu, circa [2] Rheam Inſulam XXX. onerarias oppteſſère, Bruagiúque in portu incendiarias Rupellanorum naues, repaguláque obiecta eluſère, atque ex aliâ parte Rupellani in [3] Argentonis Inſulâ, faucibus Garumnæ immiſsâ , arcem ſubitariam extruxerunt, [4] Riámque Inſulam per [5] Subiſium , rebellis claſſis ducem, occupauerunt, Regis conſpectus ad timorem hoſti faciendum neceſſarius viſus eſt, quo verberatus , & iam contumaciæ ſuæ iratus, arma proiecit, Subiſij deſertor, qui ſine prælio fugâ ereptus eſt victori. Nauigia , quæ recedens æſtus in latus inclinata reliquetat, capta, cæſi, qui in iis, vel pugnabant, vel latitabant, receptáq; Ria: mox & Argenton, tradente arcem [6] Boëſſo. Decem triremes è Maſſiliæ portu Regiis nauibus acceſſerant, quibus imperabat [7] Ioignij Comes: ſic tota claſſis XXXII. Onerariarum erat, [8] Gallionum IV. Patacharum XXX. prçter dictas tritemes X. quæ exercitum antecedebant. In dextro cornu , quod propius hoſtibus erat, S.Luca imperium habebat, in medio Guiſius, Mantieus ſiniſtrum cornu moderabatur. Hoſtes cum nauigiis LXX.ad * Anſeris foſſam expectabant prælium. Primo congreſſu duæ Rupellanorum naues vorticibus abreptæ: circa Guiſij & S. Lucæ nauigia crebtior acriórque pugna , quæ tormentis & flamma gerebatur, auulſarum tabularum, antennarúmque,& remorum fragmentis, & cadentium corporum truncis ſtratum pelagus, integram victoriam noſtris nox ſuperueniens abſtulit, cuius beneficio rebelles vſi, pars Rupellæ portum, pars Inſulam Rheam repetiit, regia verò claſſis , eò loci, vbi pugnatum erat , auchoras iecit, accenſis luminibus Prætoriarum nauium in puppe, ad quæ errantia, & ſparſa victoriæ ſtudio per tenebras nauigia confugerent. Abſumpta morte II.M. hoſtium , X. naues profundo datæ. Primâ luce, nauis, quæ Rupellanam claſſem vento atque æſtu abrepta dereliquerat, dum repetit amiſſam , fulmineis machinis diſſoluta, & fracta: reliquæ, quæ infra oppidum S.Martini in portu Rheæ Inſulæ latitabant,ad pugnam prouocatæ,cùm noſtris viribus impares eſſent, per Guittonem Rupellæ Amiralium, à Duce Guiſio pacem ſupplices petiêre,quâ impetratâ, ante Regiam claſſem tardè curſum molientes , & innocuo tonitru machinarum

Marginal notes:

1 De S Luc. & Razilly.
2 De Ré.
3 Argenton.
ANN. 1622.
4 Rié.
5 Soutize.
16. IVLII 1625.
6 Boësse.
7 De Ioigny.
8 Gallions & Pataches.
** La fosse de l'Oye.*

machinarum, victores ſalutantes, demiſſis tentoriis & ſignis, intra Rupellæ portum ſeſe receperunt. Videbatur pax permanſura, cùm Subiſius ex improuiſo Inſulam Rheam, ſeu mauis Reorum, inuaſit, mox & * Blaueti portum (qui hodie, quòd à Rege Chriſtianiſſimo reparatus, Ludouici appellatur) cum nauigiis vi, quæ ſine defenſore erant, per incuriam pacis. Hinc eodem impetu vrbem occupat, difficilior arcis expugnatio fuit, auxiliariis copiis ad eius tuitionem aduolantibus, ſub imperio Ducis * Vindocinenſis, qui non modò Subiſium ab obſidione arcis, ſed & ab ipsâ vrbis defenſione temperare, & ſeſe intra naues recipere, tranſportato milite, coëgit. Sed fluctus æſtu remiſſo non creſcebant, vnde naues retentæ, vt immobiles, machinis in aggere locatis ad ſcopum patebant, quarum fulminibus diſcuſſæ quatuor, inhabiles ad morum & fugam fuêre, vbi verò ſeſe ex alto æſtus incitauit, ceteræ elapſæ, duriori tamen caſui ſeruatæ. Nam poſtquam Subiſio acceſſit Rupella, claſſémque ſuam rebellanti toties ſubmiſit, XI. Gallorum mercatorum nauibus deprædatis, ripis Garumnæ vaſtatis, * Medocóque, Medulorum oppido occupato, irati Galli, qui pro Rege pugnabant, omittere quæſita, eúmque pluribus trucidatis, naues repetere coëgerunt, prędámque continenti ereptam, in Inſulam Rheam importare; cuius littora portúſque terreſtri naualíque cuſtodiâ rebelles tuebantur. At, ô cælum! quàm difficile eſt ſubditis obſtare Regi toties læſo? Subſidium nauale à Batauis Rex acceperat, cui * Halſtainus imperabat, iunctáque claſſis, L. actuariis conſtabat, expectabarúrque Henricus Mommorancius Galliarum Amiralius, dux totius maritimi apparatus: cùm Subiſius XXXIX. nauigiis vectus, primam poſt prætoriam Batauorum nauim iniecto igne concremauit. Vt verò Mommorancius claſſi ſe dedit, eiúſque imperium à compoſitis audiri cepit, totis viribus ad expugnationem Rheæ Inſulæ itum eſt. Sparſum cadaueribus ſolum, Anſeris foſſa cruentata rebelli ſanguine, vexilla atque arma ipſa à fugientibus omiſſa, vel reiecta: & paratâ cymbâ gladio ereptus Subiſius, vix ſaluus in *Vliarim Inſulam tranauit, in quam aliquot naues, poſt longam pugnam, quam nox diremit, inuectæ ſunt, IX. in feruore prælij amiſſis, duabus etiam aliis ab æſtu derelictis; quarum vna ægrè capta, altera cum victis & victoribus puluere ſulphureo incenſo, in flammas abire iuſſa, propagatúmque in IV. Regias incendium, terrore omnia miſcuit. Reddita inde Inſula Rhea, ſolutúmq; ob victoriam Deo votum. Tum in authoritate erat, ingentis Heros animi Hermandus Ioan. Pleſſæus, ſub Illuſt[mi] Card. Richelęi nomine multoties legendus; ſeruauerũt eum fata, vt ſeruaret Galliã, & ſopitam auorum noſtrorum gloriam vltra priſtinum ſplendorẽ portaret. Non erat alius, qui prudentiori mixtura artes pacis inſe-

Ann. 1625.

* *Blabiam vult nominiatam in Notitia, Paulus Merula. Coſmograph. part. 2. lib. 3.*

* *De Vendoſme.*

* *Medoc.*

* *Halſtein.*

* *Oleron.*

Numus extat argenteus huius victoria monumentũ. Ludouicus XIII. armatus cum haſta columnæ roſtratæ ſuperſtans. Circa iſta littora, fusâ claſſe rebellium.

Aaa 2 reret

reret artibus belli : iámque fatum Mommorānciis imminebat, aſſuetis vincere,& imperare pelago, quod oportebat commerciis ſeruire. Extinctum in Henrico Mommorancio nomen, authori-

1626.

tas, & dignitas Amiralatus,belláque & commercia cum imperio vtriuſque maris prudentiæ & regimini vnius Richelæi commiſſa, ſub titulo Magni Magiſtri, Ducis & Præfecti generalis Nauigationum commerciorúmque Gallicorum, grandi pecuniâ Duce Mommorancio, vt hunc magiſtratum abdicaret, remunerato. Quàm benè hoc factum ſit,quidquid reliqui eſt in hoc Capite, & quod in ſequenti dicemus, docebit: vbi duo addidero. Primum, Amiralatus notam in Amiraliorum inſignibus fuiſſe, anchoras duas, aut totidem remos. Alterum, ſedem iuriſdictionis Amiralatus in Tabulâ marmoreâ Pariſienſi fuiſſe,cuius appellationes ad Senatum Pariſienſem deuoluebantur, nec ius habuiſſe Amiralios, inter Præſides & Senatores altis in ſedibus,in quibus iudicia dantur, conſiſtendi. Variè porrò eoſdem, pro arbitrio Regum,in generalibus Regni Comitiis ſediſſe,nūc [1] vltimos omnium magiſtratuum Curialium, ſiue Coronæ,vt dicimus: nunc [2] ante Tribunum Scoticæ cuſtodiæ, aliquando etiam [3] ante Magnum Equiſonem, nec ante magiſtratum geſſiſſe, [4] quàm ſacramentum Senatui Pariſienſi præſtaſſent. Hactenus de Amiraliis, nunc ad ea quæ ſub adminiſtratione Richelæi littorum & commerciorum Præfecti geſta ſunt,ſuccincta narratio deſcendat. Pulſus Rheâ inſulâ Subiſius,Burdigalæ minitabatur incendium,cuncta obuia,ſeu fluctu Garumnæ in medio reperta,ſeu eiuſdem fluminis ripis ſtantia ſolitudine & necibus implebat, quem coniuratæ ſequebantur cxx. Anglorum naues,præfecto * Bukingamiæ Duce, quibus Inſulam Rheam, oppidáque & arces, quæ in ea ſunt,oppugnaret. Vix acceſſerant ad littus,cum ſcaphæ, cimbæque ad puppes religatæ,crebro milite complentur, noſtris repugnantibus,vada ſubeunt,eiiciúntque armatos in terram,quos diſpoſitæ longo ordine tormentariæ machinæ de claſſe tutabantur: vnde noſtris clades, ſed ea non inulta, pari penè vtrimque cæſorum numero. Vt ad terram inuectus hoſtilis exercitus ſtetit in armis, inſulani terrore perculſi, oppidum S.Martini proximantibus,paratíſque ad obſidionem tradiderunt,arcem Toiras,Anglis Hiſpaníſque nomen exitiale, cum militari præſidio defendebat, is ne commeatu & milite ſubſidiario excluderetur, exiguum ſinum,qui ante arcem erat, erecto hinc & inde aggere tormentis muniuit: ſi annonariæ,vel auxiliares cimbæ ſibi aduentarent,refugium. Tertia Luna recurrebat, nec vllus ſubſidij expectati nuncius veniebat, tres milites iuſſi natatu continentem petere,vt Regias turmas monerent,in quo rerum ſtatu arx eſſet, quæ tunc annonâ & milite laborabat. Primum anhelantem,& itinere feſſum,

1 Les derniers de tous les officiers de la Couronne.

2 Deuant le Capitaine des gardes Eſcoſſoiſe.

3 Deuans le grand Eſcuyer.

4 Auant qu'ils euſſent preſté ſerment à la Cour.

ANN. 1627.

** Duc de Bukingham.*

feſſum, vndæ ceperunt; alterum, excubantes ad vigilias Anglorum naues: tertius, cui nomen * Petræus, Vaſco, vitatis maritimis hoſtium cuſtodiis, toto corpore, quoties vrgebatur, in fluctus immiſſo, tandem ſtetit ſaluus in littore, expoſuítque, admiſſus ante * Anguliſmenſem Ducem, qui terreſtri exercitui imperabat, quantùm expediret citiſſimè laborantibus auxiliari. Ægrè ſe miles obſeſſus ſuſtinebat, deditioni proximus, cùm cimbæ aliquot Balinæi ductu, quæ annonam ferebant, fractis hoſtium repagulis, aut euitatis, aliæque, Marcilaco duce, ante arcem appulêre, iſtas non multò poſt Richelæi vigilantiâ ſubſequutæ ſunt xxxv. quarum xxvII. de nocte ad obſeſſos traiecerunt, reliquæ, vel in hoſtium poteſtatem venerunt, vel reflatu, vnde ſoluerant, redire coactæ. Hęc circa annonam. Ceterum auxiliaris exercitus, Rege ipſo de continentis littore cũcta diſponente, expectabatur. Aliam quoque arcem in eadem inſulâ noſtri tutabantur, Pratenſem appellant, incuriâ hoſtis, adiri facilior, huc legio miſſa, erecto intentóque ad omne ſubſidium Richelæo, triduóque poſt aliæ tres, cum equitum aliquot turmis * Schombergei Mareſcali ductu. Nec mora, datum pugnæ ſignum, hoſtis inter æſtuaria confoſſus, impeditus limo: pars ad Anſeris foſſam trucidata, aut vndis immerſa, reliqui per pontem, qui Rheam inſulam ab Anſeris Inſulâ diuidebat, natatu euaſêre, conſcenſíſque nauibus, diu ſalo fluctuante iactati, cum Bukinghamiæ Duce tandem Angliam mœſti conſpexerunt. Neque noſtri ſine claſſe erant, Guiſio rectore, ſed illa particulari Supremi Numinis beneficio, cui aduersùs Anglos neceſſaria non videbatur, ad oppugnationem Rupellæ integra ſeruata eſt: præcurſorium huius agmen xII. actuariarum erat, * Naillio Præfecto, quod in aditu Rupellani portus ſtetit: mediam aciem ipſe Richelæus Prętoriâ in naui regebat, explauſu læto bombardarum exceptus, nec longè hoſtis Anglus erat, cum nauigiis LI. qui ne obſeſſis ſuppetias ferret, néve Rupellani exirent vrbe, foſsâ & aggere quà terra erat, claudebatur: quà mare, ſaxis muralibus, roboreis truncis clauis ferreis in candelabrorum ſpeciem confixis, ſupráque aquas prominentibus: & aliæ quoque trabes ferreis cathenis reuinctæ fluitabant, primum, tentaturis in vrbem iter, obſtaculum. Obrutæ poſtremò naues ſoliditatem craſſioris muri faciebant, lapidibus impactis & calce arenáq; firmatis, repletæ, quà ad vrbem accedebat Oceani creſcentis æſtus, ſpatio relicto furenti, vt repagula conſiſterent, feruente pelago, & & obiectis anguſtiis irato. Crebræ eruptiones primò ab obſeſſis, terrâ maríque factæ, cùm dimouere repagula tentarent, & ab opere auertere artifices, quibus Pompeius Targon imperabat: Guiſio ad eorum tutelam cum xxxII. nauibus in anchoris conſiſtente, & ſępè temerarios ad ſuos portus compellente. Contra, ad

La Pierri.

Le Duc d'Angouleſme.

De Schomberg. Iſtius victoriæ typus extat in nummo aureo, in quo diuerſæ claſſes per mare diſperſæ videntur. In tumulo vero ad littus congeries armorum, ad baſim columnæ roſtratæ, cui ſtatua regis inſidet cum hoc titulo: Victis, fuſis, fugatis terrâ marique Anglis. 1627.

De Nailly.

ANN. 1628.

Horum Operum typus in aureo nummo, cum iſtis inſcriptionibus: Contracta piſces æquora ſentiunt. Claudo, ſed vt reſeram.

* *Corilli.* ad * Corillij promontorium Angli ſuis in nauibus latitabant, æquinoctium Autumnale expectantes, quo altius inuectum mare, ſupráque lapideum aggerem elatum, annonarias cimbas obſeſſis tranſueheret. Sed vna omninò de tot paratis lembis, quà ruptus agger admittebat pelagus, in vrbem tranſmiſſa eſt. Hinc deſperatio ſalutaris auxilij, reditúſque in Britanniam. Stabant enim in Rupellano ſinu minora nauigia XL. cum triremibus XV. ſi portu rebelles exirent, caſtigamentum audaciæ. Supra ad mare ſaxeus agger, anchoris ſimul religatæ naues, trunci arborum infixi pelago, tranſuerſalibus trabibus ſupra fluctus connexi, malíque nauibus detracti, ferreis cathenis deuincti, fluitantes. Tum versùs altum, pręſidium aduersùs Anglorum molimina, phaſeli LX. actuariæ & onerariæ XLV. triremes XIIX. Supremus Rupellanis dies imminebat, cùm tertiò Anglica claſſis, CXL. nauigiorum, circa Vliaris Inſulam apparuit. Primum agmen Subiſius ducebat, ſequebantur fimo completæ naues tres, quæ iniecto igne fumum ſpargere debebant, proptèr quas & incendiariæ x. erant, iuxtáq; annonaria claſſis, quæ noſtris extinguendo igni occupatis, & caligine fumi obcęcatis, per canalis relicti anguſtias, vitam, & ſalutem miſetis rebellibus exportatura erat, acieſque, quam * Ambicij Comes ductabat: iter per clauſtra & repagula aperire, ſimúlque obſtantia quæque per tenebras euertere, noſtróſque, inter deſignatos tumultus trepidantes, vrgere & perdere. Vix in conſpectu claſſes erant, cùm * Valenceus Melitenſis eques, idémque naualis exercitus pro Rege ductor, tonitru machinarum occurrentes excepit Anglos: quod poſtquam per triduum variâ clade continuatum eſt, hoſtíſque ſubſidio peruicacibus miſſus, conſerere manum non auderet, ad ſtratagemata, atque artes intentus, vt eluſas vidit, obturatúmque ad vrbem iter, nullo conatu aperiri poſſe, reuulſis anchoris in Angliam, vnde venerat rediit: ſed non qualis quantúſque venerat, erumpentibus ventis disiectus, & lacer, fugæque ignominiâ mœſtus, relictis ad ſupplicium & pœnitentiam Rupellanis, quos ſtatim neceſſitas ad deditionem compulit: miſerante Principe, vita petentibus donata, muri diruti, euerſa propugnacula, hodiéque vicus eſt, quæ nuper inter vrbes alleuabat ſuperbum caput. Monumentum hiſtoriæ, ſequens titulus habet:

Le Comte d'Ambic.

* *Valencé.*

Fuſis terrâ maríque Anglis. Fractis Sectariorum partibus. Victâ ſubditorum rebellantium peruicaciâ. Vero veri DEI cultu reſtituto. Oceano compedibus vincto. Rupellâ in deditionem acceptâ: dubium, maiori clementiæ an fortitudinis exemplo. Regibus ac Principibus multis fruſtrà coniurantibus: victor

exercitus,

exercitus, *DEO OPT. MAX. ac LVDOVICO XIII. Galliarum & Nauarræ Regi Inuictiſsimo, Piiſsimo, Iuſtiſsimo, Glorioſiſsimo, ſempérque triumphanti, hoc monimentum ſacrauit. DEO Gloria, Principi Decus, hoſtibus terror, ſubditis exemplum.*

Additum & in memoriam Richelæi, cuius virtute & prudentiâ bellatum erat, elogium breue, ſed nobile:

Anglis debellatis. Neptuno vincula pati iuſſo, & coacto. Mare nautis. Rupellam Regi. Quietem, opes, concordiam, pacémque Galliæ RICHELÆVS Reddidit. GALLIA RICHELÆO Pelagi hoſtiúmque domitori, obſequium, & vota æterna.

Hinc præcipua Regis & Richelæi cura ad mare conuerſa. Tres claſſes vno tempore paratæ: vna, quæ Oceani littus, quacunque Gallia protenditur ſeruaret. Altera, quæ Septimaniæ Prouinciæque oris excubaret: vtraque contra hoſtes munimen, ſi auderent bellum: parata incurſio, ſi vellemus. Tertia claſſis in Aquitanico littore conſtituta, deuehundis quotannis in Canadam Coloniis, mercibúſque, noſtri, & alieni Orbis præcioſioribus quibuſque in Galliam deportandis. Hæc deprimendæ Auſtriacorum potentiæ, & pelagi imperio minuendo conſtituta, incitamẽtum audaciæ fuit. Dux Ferrandinæ cum Marchione Sanctæ Crucis, coadunatis triremibus XXII. onerariis V. biremibus & phazelis aliquot, Ibericis terris relictis, auris vſus proſperis, vltimas Imperij noſtri Inſulas, quæ Italiam ſpectant, Leronem & Lerinum, quæ nunc Sanctæ Margaritæ, & Sancti Honorati nominibus illuſtrantur, agreſſus, ſecundo ab incurſu die cepit. Natiua ſolitudine & religione tutæ putabantur: vetus monachorum domicilium, qui quondam populorum frequentiam fugiebant, nuper ingens belli area, nunc prophanatæ frenum Liguriæ, commerciiſque Hiſpaniæ cum Italia impedimentum. Deſertas Ferrandinæ Dux milite impleuit, foſsiſque & propugnaculis ſolidauit. Vnde noſtris ſpes amplæ victoriæ, quò intutius erat circumuallatos agredi. Tam glorioſa meſſis Henrico Lotharingo * Arcurtij Comiti demandata eſt, per pericula iamdudum amanti clareſcere. E Rupella ſoluit cum claſſe XLII. nauium, cui additus * Surdiſius Burdegalenſis Archiepiſcopus, ingentis animi vir, & manu promptus. Herculeo freto tranſmiſſo, tanta claſſis XXIV. Triremibus adaucta, quas * Poncurlaius Præfectus maris Mediterranei ducebat.

ANN. 1635.

AN. 1636.

* Le Comte d'Arcourt.

* De Sourdis.

* Poncourlay.

cebat. Nauale robur Hiſpaniæ, Siciliæ, Neapolis, & Florentiæ ſub eodem Ferrandinæ Duce ad * Herculis Monœci promontorium erat. Concurritur, nec mora, eluſo primo hoſtium impetu, terebratíſque eorum pręcipuis nauigiis, ſpes omnis ſalutis in fugam verſa eſt. Inſequimur, ſed nocte conſpectum hoſtium eripiente, placuit Arcurtio victoriam noſtram augere vaſtatione Sardiniæ. Intrat Inſulam * Arboreámque vrbem munitam expugnat. Eodem ardore Lerone petitâ, machinis Hiſpanicis fruſtrà mugientibus, propugnacula duo ſolo adęquata, Frontini ſcilicet, & Montis-regalis. Primus de prora in arenam diſſiluit exerto gladio Comes Arcurtij, qui denſioribus globis demeſſis, trepidantes terga vertere coëgit, ſeſéque in propugnaculum Regale concludere. Imperabat contrariis agminibus * Michael Peyreſus à Goa, hic diffiſus loco, quamuis fortiſſimo, cum noſtris pepigit, vt ſibi ſuíſque ſaluis in proximam Italiam migrare liceret, quod cùm obtinuiſſet, poſtera die ſub eadem conditione Lerinum in ditionem noſtram rediit, primo congreſſu, victo Ioanne Tomayo, Inſulæ huic præpoſito. Ibi militari ſtatione relicta, * Stœcades noſtri petunt, conſumptíſque aliquot diebus reparandæ claſſi, nauigia omnia, quæ remis agebantur, Poncurlaio Triremium Pręfecto conceſſa ſunt: velifera verò Comiti Arcurtio conſeruationi Inſularum & littoris. Nunciatum erat, magnificam claſſem ad ſupplementum Italici exercitus ab Iberia in Italiam nauigare. Soluit è Villafranca Poncurlaius, in quam eum tempeſtas egerat, occurrit hoſti, par vtrinquè triremium numerus, par ordo, ęqualia omnia. Pugnatum eſt in ipſo Genuæ conſpectu. Prętoria Gallica roſtris impactis Prętoriæ Siculæ infixa, poſt dubiam pugnam victrix tandem euaſit, Siculis CCCLXX. cum duce eorum * Roderico Valaſqueſio morti datis. Vix meliore fortunâ reliquæ aduerſariorum triremes pugnauerũt. Captæ VI. reliquæ Genuenſem portum pro azylo habuerũt. Cęſa hoſtium II.M. captiui DCCCC. inter quos magni nominis nauarchæ XII. E noſtris triremes III. deſideratæ, viri verò nobilitate inſignes C. intermiſcenre, vt ſolet, Fortunâ cupreſſum lauru. Sic Inſulis Lerone & Lerino, quas hoſtilis labor incredili arte & diligentiâ muniuerat, Hiſpanis claſſibus attritis, victis, fugatis, Prouincialibus * Septimaniíſque quies data eſt, durátque inconcuſſa. Vtinam & ſub Imperio noſtro maneret, quod Henrici Condæi primi Galliarum Principis virtus Hiſpaniæ nuper corraſerat, ceſſaret omnis in aliquorum perfidiam obiurgatio. Hic debellatis copiis, quæ aditum in * Cantabriam tutabantur, tranſmiſſo * Nauillione fluuio, Amanum portus, fugatis, qui reſtiterant, occupauerat, quódque vltra fidem eſt, integram claſſem in anchoris ſtantem, ſine vllis nauigiis, remige, & nautâ ceperat (ingens ibi gaza, Galliones IX. omnis generis

Marginal notes:
* *Cap de Morgues.*
ANN. 1637.
* *nunc Oriſtan.*
* *Miguel Peyres à Goa.*
* *Les Iſles d'Yeres.*
ANN. 1638.
* *Rodrigue de Valaſquez.*
* *Ceux du bas Languedoc.*
* *La Biſcaye.*
* *Hodie, Bebobie.*
Amanum verò Portus, Le Paſſage.

neris nauigiorum infinitus propè numerus, annonæ, machinarum, & ſupellectilis nauticæ naualíſque, quantùm vix dici queat) obſeſsámque * Flauiobrigam ad extrema compulerat. Cùm & * *Fontarabie.*
ex aliâ parte Burdegalenſis Archiepiſcopus Cantabricum mare xxxiv. nauibus teneret, totúmque littus Iberiæ, quod Oceano pulſatur, nominis ſui, & recentis victoriæ famâ, terrore compleret. Nam & in ipſo Cantari portu, eo pugnandi ardore proceſſerat, vt penè inter ipſa, quæ in hoſtilem claſſem intulerat incendia, conſumptus fuerit. III.M. Hiſpanorum ſelectioris militiæ ceciderant. Incenſi Galliones xiv. Phazelli III. lintres ipſi & minora nauigia, quæ paxillis, aut ferreis anulis oppido alligata erāt, cum parte oppidi conflagrauerāt, prꝫterea Flauiobrigæ muri tormentis noſtris disiecti, nemine propugnante, ſolitarij iacebant, non audacia militi noſtro deerat, ſed obſequium & concordia. Hinc hoſti animus rediit, nobis metus, quod momento quæſiueramus, momento amiſſum, mutatáque fortunâ, victi, qui modò victores eramus. At non ita Marchioni Breſço nuper ceſſit, qui claſſi præpoſitus, quæ Oceano excubat, cum nauibus xxi. circa Gaditanum fretum excurrens, Anglicana naue, barbaros piratas fugiente, receptâ, non auſis ſubſequi; qui ante perſequebantur, cùm à Nauclairo eius intellexiſſet, Hiſpanicam claſſem xxxvi. nauigiorum, inter quæ galiones Regij xII. in Occidentalem Indiam vela facturam, medio * Gadiræ in portu tempeſtatem ſuſtinere, quamuis impar numero, egredientem tamen, & altum capeſſentem, agreſſus, ipſe Prætoriam hoſtium nauim fundo merſit, galiones IV. per lembos incendiarios combuſſit, obſcuráque in nocte ſequutus ignes, quos vt tota claſſis coiret, & ſuccurreretur mutilis nauibus, fugientes excitauerant, cùm caducas naues abſorberet mare, gallicam humanitatem, inter bellorum, & trucis Elementi furias ſeruauit, explicatis lembis, ſuſceptíſque illis, qui nando morti obluctabantur. Dedit, & veſtes nudis (inter quos nepos fuit Ducis Maquedæ, Hiſpaniæ Amiralij) vitam palantibus, libertatem captiuis: quos in Anglicam nauem tranſmiſſos, remiſit ad ſuos, tot beneficiis obligatos, iuſſóſque vrbanitatis Gallicæ meminiſſe. Reliquiæ claſſis Hiſpanicæ, malis, velíſque, & gubernaculis amiſſis, militibus verò MD. ferro, fluctibus, igne conſumptis, in portum, vnde ſoluerant, ſeſe recepêre, & nunc omiſſa nauigandi in Indiam Occidentalem deliberatione, ſalui vota Superis ſoluunt; quibus ſe inter pericula obſtrinxerant. Iámque per partes quod olim aut amicum, aut ſubditum Gallis veteribus fuit, reliquâ Hiſpaniâ nutante, ad nos venit. Portugalliam, Gallis fundatoribus lætam, quæ & portio eſt antiquæ Celtiberiæ, ſic vocatæ, quia illam olim Celtæ Iberis mixti habitauerint, excuſſo Caſtellanæ ſeruitutis iugo, nobis ſociam & amicam fecit Ioannes IV.

Ann. 1640.

* *Calli.*

Bbb auito

auito Regno reſtitutus, cui præter Portugalliam Africæ littora, quà Atlantico Æthiopicóque mari quatiuntur, cum portubus, arcibus, atque vrbibus acceſsêre. Venit & in eiuſdem obſequium obuerſa Europæ America, Indiáque Orientalis, cum vicinis Inſulis, & nunc Ioannes ille, Philippo IV. maior, libertatem, quam ſibi ſuiſque comparauit armis & virtute tutatur. Sic antiqua illa Celtarum ſedes, & quaſi filia Portugallia, in extremis Hiſpaniarum ad Oceanum ſita, poſt tot ſæcula, in matris veluti ſinus & oſcula rediit, multò quàm olim ſuperbior & ditior, Aſiatico Mollucóque aromate fragrans, Orientis vnionibus lapilliſque ornata, Africano auro argentóque diues, cum Rege iam ſuo repubeſcẽs, manicis, compedibúſque ferreis, in armillas aureas gemmatáſque commutatis. Quid Laletonia? quæ tota atque integra, ſuis bonis contenta, & qualis olim noſtra fuerat, ad nos hodie concordi totius gentis conſenſu venit. Ottogerius Catalo Gallus, à Pipino Galliæ Rege, Aquitaniæ Prouinciæ Prępoſitus, Mauris Tarraconenſi Hiſpaniâ, poſt varias ſtrages, pulſis, meruit illi ſuum nomen aſcribere, noſtríſque ſceptris eam adiungere. Pipino mortuo, Carolus Magnus in Tarraconenſi Prouinciâ IX. Comites, qui Poteſtates dicebantur, Vicecomites totidem conſtituit. Comitum præcipuus fuit Barcinonenſis, cuius titulum Ludouicus Pius, Caroli Magni Imp. filius aſſumpſit, gubernatorémque ſuo nomine ſtabiliuit, Gofredum, ſiue Grifeum, cuius cognomen erat Ariæ. Ariæ ſucceſſit Grifeus Pilus, eius filius, cui dictus Ludouicus, Barcinonenſem Comitatum, cum Roſſilione, & Cerretano Principatu in feudum reliquit. Poſt hos & alij multi Franciæ Feudatarij, inter quos Bera, ob rebellionem Cataloniæ Comitatu excidit, à Ludouico Balbo actus in exilium. Priuilegia vrbium, atque Eccleſiarum per totam Cataloniam confirmauit, atque auxit Lotharius Galliarum Rex, Aragoniâ in Regnum erectâ, addiróque illi Cataloniæ Comitatu, Raimundus Berengarius ſacramentum fidelitatis ob Cataloniæ Comitatum Ludouico VI. Galliarum Regi præſtitit; durauítque hæc pręſtatio clientelaris ſacramenti ad Alphonſum vſque Aragonum Regem, qui illud non modò Regibus noſtris denegauit, ſed & vetuit, ne deinceps Catalonenſis Comitatus Notarij (quod facere antea ſolebant) acta, & contractus, anno in Galliis Regnantium auſpicarentur, ſed ab anno incarnationis Chriſti. Lege autem Feudorum cauetur, vt qui domino feudum negat, feudo priuetur: nec ſubditi rebellis in Principem pręſcriptio valet, ad exemplum cenſus, qui nullo temporis lapſis præſcribitur. Quæ igitur noſtri dominij fuit Catalonia, & qualis eam olim Carolus Magnus * *Subegit, à montis Pyrenei iugo, vſque ad Iberum amnem, qui Hiſpaniæ agros ſecans, infra Tortoſæ vrbis mœnia Balearico mari miſcetur*; iterum ad nos venit,

AN. Sal. 714.

L. Marineus de reb. Hiſp. memorabil. lib. 9.

Bellaforeſta in vita Caroli Magni: & cum eo Caſſaneus lib. de inquiſitione iurium Regis & corona Franciæ. Bernardum primũ Cataloniæ Principem conſtitutum à Carolo Magno aiunt: & poſt Godefredum Ariacum, à Carolo Groſſo Godefredum Piloſum eundem Comitatum in feudum accepiſſe

ANN. 885.

ANN. 985.

ANN. 1181.

Hiſpan. hiſtor. l. 10. Num. 18.

L. competit. de præſcript. vig. vel quad. an. Bodin. Reip. l. 1. Conſuetudo Pariſienſ. articul. 124.

* *Verba ſunt Eginarti.*

Tranſpyrenea

Tranſpyrenea Prouincia, cúmque eâ pars Baleariçi maris, Iberúſque fluuius, qui nomen Iberiæ fecit, patribus olim noſtris Celtis habitatus, nunc Gallicus factus, excuſſo Hiſpanicæ dominationis iugo. Ciſpyrenea verò illa Galliæ pars, quæ Ruſcinonenſem, ſiue Roſſilionenſem Comitatum continet, quam priſci Coſmographi, ipſíque Hiſpani hiſtorici in Narbonenſi Galliâ collocant, eumdémq; Ruſcinonis & Galliæ finem * Templum Veneris cum portu faciunt, primùm à Principe Condæo armis tētata, Salſulis captis, mox amiſſis, Caneto oppido, Helene Prouinciæ eius Metropoli, & pluribus caſtellis circum occupatis, præſidiiſque ad fauces Pyreneorum collocatis, vt nobis ſecurus in Cataloniam aditus, intutus hoſtibus eſſet, tota tandem, atque integra ſeruire coacta, & victoris imperium pati, auſpiciis Ludouici XIII. Gallorum Regis, conſilio Eminentiſſimi Cardinalis Richelæi, virtute Breſæi, Chombertij & Milleraij Ducum, à quibus primùm * Illiberis cum portu & fluuio ad deditionem compulſa; † Amorei & Saracenorum poſteris eodem in loco, quo patres eorum ſub Theodorico II. Galliarum Rege quondam ceciderant, oppreſſis. Ruſcinas verò, ſiue Ruſcino, quæ vrbs hodie Perpinianum cum vicinâ regione, pro Pyrepiniano, id eſt, conflagrationis, ſiue incendij oſtio, dicitur, vt prima olim ignem à paſtoribus Pyreneis ſaltibus immiſſum ſenſit, ſic vltima extremam famem, qualem ipſi olim Saguntini non tulerunt, memorabile, ſeu fidei in ſuum Principem, ſeu contumaciæ exemplum. Et iſta quidem à Philippo III. Chriſtianiſſimo Rege, Ann. MCCLXXXV. capta, à Philippo VI. cum toto Comitatu ære priuato Principis à Maioricæ Rege empta & recepta olim fuit. In cuius rei memoriam ſequens monumentum cuſum eſt. In quo matrona ſtans ante aras, Comitis coronam dicto Philippo Regi offert, cuius Prouinciæ ſit, circumſcriptio oſtendit: ROSSILIONIS COMITATV GALLICIS TITVLIS ACCEDENTE. Infra exargam iſtud legitur: FRVGALITAS. Nempe quòd Principis illius re priuatâ, ſiue ſacri patrimonij parcimoniâ, vt iam dixi, emptus fuerit ille Comitatus, cum vrbe Perpiniano: quæ ab Aurelianenſi Duce, qui poſtea Henrici Secundi nomine nobis imperauit ſub Franciſco Primo cum exercitu XLIV. M. hominum fruſtra obſeſſa, hoc demum anno cum Salſulis imperium noſtrum accepit, inexpugnabilis antea credita, atque omnibus rebus ad ſuſtinendam obſidionem ſuper ceteras Europæ vrbes inſtructiſſima, gemino ſociorum exercitu à terrâ & mari miſeræ nequidquam auxiliari conante; illum enim Motæus Mareſcalus pluribus cladibus afflictum longè in Aragoniam repulit: hunc verò centum longis onerariiſque nauibus incluſum Breſæus Marchio ingentis ſpei

Olim inter Templum Veneris & oſtia Iberi, Indigetes, & Laetani qui alij, Laletani & Laleton[e]s dicuntur. Strabo, Mela, Ptolomaus. Alphonſus à Carthagena. Franciſcus Tarapha. L. Marineus de reb. Hiſpan. memor. lib. 3. cap. pen.

* *hodie* Port Vendre.

* *Coliure.*

† *Extat numus elegans Francia Metallica fol. 4. cuſus in memoriā victoria à Carolo Martello ſub Theodorico II. ad ripas Illiberis, qui aliis Illeris, & Illibyris, reportata. In quo fluuij illius Deus vrna innixus inter iuncos & trophaa videtur, cum hac inſcriptione:* Amoreo & Saracenis ad Illyberim deletis. *πῦρ ignē. πινύσ[ω], admonere ſignificat. Vide Picardum Celtopedia, lib. 4.*

Is numus extat in Frãcia Metallica.

1642.

iuuenis, toto mari quæſitum, non modò noſtris littoribus arcuit, ſed & Sucronenſi in ſinu parte eius repertâ, cùm ſeruari aliter non poſſet, immiſſo igne eam conſumpſit: reliquum verò claſſis quæ in ipſo Barcinonenſium conſpectu nauigabat, adortus, efferueſcente licet pelago & ventis hoſti fauentibus, totis velis in aduerſam claſſem inuectus eſt, poſt atroci duorum dierum pugnâ, Hiſpanis cedentibus, victoriæ naualis honos penès noſtros fuit, è quibus cccc. tantum deſiderati, hoſtium verò, vt captiui aſſeruerunt, duo millia. Hinc victor exercitus *Tauroentium ad hyberna receſſit, vnde nunc Nicæam & Villæ-Francæ portus amicos proſpicit, arcémque Herculis, Monæci cum portu, quam in fidem noſtram, & tutelam, Grimaldi Principes poſuerunt, veri & legitimi Renieri Grimaldi hæredes, qui Galliæ Amiralius ſub Philippo Pulchro Rege, vt ſuprà meminimus, Flandros Hollandóſq; claſſe ſuperauit. Sic paulatìm diuulſa de corpore Gallico membra in loca ſua redeunt, & Liguſticum pelagus noſtro mixtum priſcis littoribus oſculatis, gaudet poſt ſæculum tenere patrias oras, ſociiſque vndis amicus interſeri, quibuſcum ſuſurro & murmure colloquitur, excuſatque moras tam tardi reditus. Vellent & ſicut olim, ſic & hodie Arnus *Rubicóque Galli currere, iterúmque certo limite Italiam à Galliâ diſcriminare: & iam gratulatoriam, portantibus eam ventis, Rheno miſerunt, quòd antiquo dominio redditus ſit, Galliæ Germaniæque finium regundorum arbiter, quacunquè ab Alpibus ad Oceanum properat, cognatarum olim inter ſe, & generoſiſſimarum nationum hæreditates & regna ita diuidens, vt vtraſque bellicæ virtutis, artium, literarúmque æmulatione & gloriâ coniungat.

* Tolon.

* hodie Piſatello.

CAPVT

CAPVT OCTAVVM.

Generale collegium mercatorum per Gallias inſtituitur, ad exoticas merces quærendas & aduehendas. Conditiones inſtitutionis. Recentiores Gallorum nauigationes, prælia, victoria, colonia, in Africâ, vtraque Indiâ, & Inſulis hactenus incognitis.

NON ſatis erat Richelæo domeſticos motus in perpetuum extinxiſſe, pacémque, olim ſemper dubiam, firmauiſſe. Quærere opes pelago placuit, ſplendor Regnorum, dum quies eſt, fulcimentum belli quoties propagandi Imperij cupido erit. Hæ commerciis quæruntur. Igitur auditi mercatores centum, qui ſocietatem ad merces inierant, ſubſcriptum eorum libello ſupplici, cuius præcipuæ conditiones erant: *Societatem hanc priuato ſumptu ſub vexillo Regio & tutelâ Chriſtianiſſimi Regis claſſem extructuram, cuius pars * Morbihani in portu contineretur, ad tuitionem Armoricani tractus. Vrbem liberam circa eundem portum erecturam, ad ſecuritatem negociantium. Excitaturam, armamentaria, fabricas, naualia, publicáſque domos, ad annonam, merces, & prædam, priuſquam diſtribuantur, ſeruandas. Pomærium vrbi Regem ex arbitrio daturum, iuráque, priuilegia, & leges. Inſulam Tenionem, Suuinionem caſtellum, vicum Maſſiliacum, ſub dominio Gallicana ſocietatis futuros. Collegia ad iuuentutis inſtitutionem, officinas librarias, arcenale ad compactionem nauium, bellicarum machinarum fuſionem, & ad fabricam, aliáque eiuſmodi permiſſa, inter quæ & nundinationes cenſentur. Eandem Societatem, domos, ſeruandis, & vendundis mercibus per præcipuas Galliæ vrbes habituram. Nullum ius Amiralio, & maritimis magiſtratibus, in merces Societatis futurum. Juriſdictionem ciuilem & criminalem intra Morbihani pomœria penes dictam Societatem fore, cui ius ſigilli apponendi eſſet ad validitatem mandatorum, quæ ad negociationes, bellum maritimum, claſsis imperium, apparatúmque ſpectabunt. Si lis inter ſocios, vel diſſentio orta fuerit, de eâ Libellorum Supplicum Magiſtros ſententiam dicturos, à quâ appellare licitum ſiet ad Regium Conſilium, quod Status nuncupatur. Sub Societatis imperio Canadam, ſiue Nouam Galliam, quæ in Americâ eſt, futuram: ſicut Inſulas ei adiacentes, & quotquot debellaret populos: Colonias in has terras Inſuláſve, pro libito deduceret: eá lege, vt quoties Galliarum Regi demortuo, alius ſuccederet, dicta Societas ad nouum Regem coronam auream, teſtimonium fidei & iurati obſequij, dono mitteret: renouatóque ſacramento vetere, permaneret in fide, ſub diſpoſitione Generalis commerciorum & nauigationum ſuperintendentis, ſiue Præpo-* ANN. 1626. * Morbihan. G

ſiti Joannis Armandi Pleſſæi Illuſtriſſimi Cardinalis Richelæi. Quandoquidem hîc mentio Canadæ incurrit, ſcias oportet, hanc Regionem antea à noſtris poſſeſſam, mox ab Anglis, Scotiſque, tandem primis poſſeſſoribus reſtitutam, hoc eſt, noſtris, Razillio duce. Nam cùm excauato & munito Morbihani portu, paucíſque domibus in littore conſtructis, metus eſſet, ne vrbe factâ, muriſque, vallo, aggere, & propugnaculis cinctâ, eas vires etiam ab habitatore ſumeret, quæ facilè frangi non poſſent, quoties ciuibus rebellio placuiſſet, quos immunitas, aliáque priuilegia, ex omni Orbis parte ad incolendum inuitabant, ſalutare viſum prouidentiſſimo Richelæo, exſcindere in ipſis cunabulis ſupra memoratam Societatem, quæ tuta conceſſo azilo, allecta immunitate, roborata claſſe, milite, armis, opibus, dubium relinquebat, an in fide & obſequio permanſura eſſet: vbi arriſiſſet Fortuna, nouam Remp. in Gallico ſolo, incertis habitatoribus conſtituturis. Hinc tutius exiſtimatum eſt, per Legatos bella gerere, & nouas quærere opes vi, & commercio. Itaque pars magnarum nauium, quæ apud Amſtelodamum nuper fabricatæ erant, cum aliquot nauigiis
1 *Razilly.* [1] Razillio per Richelæum conceſſa, quâ ille in oram Acadiæ
8. SEPT. ANNO 1632. (Nouæ Franciæ, ſiue Canadæ, Regio eſt) appulſus, eiectis portu Regali Scotis, datóque nauigio, quo apud ſuos redirent, nouis Coloniis Canadam auxit, præſidiáque impoſuit arci Sanctæ Mariæ Gratiarum, quæ portui [2] Heuenſi protectrix incubat. Ille iam in Americam nauigauerat, & [3] Maragnanam Inſulam Meridionalis Americæ, cum [4] Tupinambuſiorum Regione Imperio noſtro ſubdiderat. Miſſi ob id Luteriam è Tupinambutiis primores, qui fidem iurarent Ludouico XIII. Galliarum Regi Chriſtianiſſimo. Maragnana Æquatori ſubiecta eſt, Braſiliæque proxima, nomen à maximo fluuio ſortitur, coloribus ad tincturam ferax. Ibi noſtri arcem ſtruxerunt, quam S.Ludouici, portum verò S.Mariæ appellauerunt, de nominibus Iuſtiſſimi Regis Ludouici, & Mariæ Medices Auguſtæ. Luſtrata aſperſione aquæ benedictæ tota Inſula, multi baptiſmate initiati, iuramentum fidei ab omnibus fixo vexillo Regio expreſſum. Rei geſtæ teſtimonium numus argenteus, eo tempore cuſus eſt, in quo de prorâ pictæ nauis, Ludouicus quoque pictus, ramum oliuæ paciferæ Mariæ Medices matri prætendit; accipit donum mater in puppi ſedens, gubernaculo innixa, Cæruleum ibi vexillum, aureis liliis ſparſum, cum hoc titulo, TANTI DVX FOEMINA FACTI: vt indicaretur, Mariâ Mediceâ Gallias adminiſtrante, auſpiciis amantiſſimi filij adhuc pupilli, Maragnanam, ſiue Maragnaniam Inſulam Imperio noſtro additam, receptis in obſequio Inſulanis, & coloniâ Gallicâ

2 *De la Heue.*
3 *Maragnan.*
4 *Toupinambous.*
ANN. 1609. & 1612.

Gallicâ eodẽ tranſmiſſa. * Marocci Imp. idémq; Rex Feſſę, Mu- ** L'Empereur de Marocque Roy de Fez Muley Bonmargua Abdulmalicque.*
leyus Bonmarguaa Abdulmalica, interrupto fœdere, quod olim
cum Feſſæ Regibus & noſtrâ gente intercedebat, per eundem Ra-
zillium, cui Chalardus iunctus erat, ſub imperio Illuſtriſſimi
Cardinalis Richelæi, expugnato in Africâ ad Oceanum Salæ por- 3. SEPTEMB.
tu, vrbe captâ, caſtello obſeſſo, penéque ad deditionem compul- ANN. 1630.
ſo, coactus eſt, noſtras naues, olim à piratis Feſſæ & Marocci in-
terceptas, reſtituere, captiuos reddere, fœdus omiſſum renouare,
amicitiam oblatam accipere, exoptatámque ſibi fateri, Africæ
portus noſtris aperire, liberum iter præſtare negociatoribus, pol-
liceri opem laborantibus, aut oppreſſis, annonam præbere, Con-
ſulem accipere, cum iiſdem priuilegiis, & iuriſdictione, quibus
Conſules noſtri per totum Barbariæ & Syriæ tractum vtuntur, *Hoc fœdus ab iiſdem, Razillio ſcilicet & Chalardo renouatum eſt.*
Salámque vrbem, vt victam, relinquere, aſilum victori. Hæc in
Africâ, & Americâ Meridionali; in Septentrionali quid? [1] Boij Pi-
cei, populi Galliæ ſunt ad Oceanum, vicini Hiſpanis, omnem Ca- AN. 1631.
nadenſem tractum, Bacaleos nominarunt, quòd hoc genus piſcis *1 Baſques. Bergeron. in tract. nauig.*
eorum ſermone ita vocitetur, incolis *Apagé*, Gallis *Moriie*. Ibi
iam vetera nomina ſunt, promontorium Britonum, Breſtum, & *Chauueton. in Florida.*
Rochelayum, quæ Armoricani poſuerunt. Ante Canadam, [2] Le-
ryanus, Campſeauam, & Arenoſam Inſulas occupauit, eáſque ſic- ANN. 1504.
ut & vicinum continens, armentis, gregibúſque, Galliâ aduectis, *2 De Lery. Campſeau. De Sable.*
compleuit. Ioannes [3] Verazanus, nauta Florentinus, auſpiciis ANN. 1518.
Franciſci, huius nominis I. Galliarum Regis, cùm à promontorio *3 Verazane.*
Britonum ad Floridam & Virginiam penetraſſet, tractúmque il- ANN. 1524.
lum, DCC. leucarum extenſione, Nouam Franciam nominaſſet, AN. 1534.
ſucceſſorem habuit Iacobum Cartierum, qui dictum Britonum *4 Au golfe de la Chaleur, & Saguenay.*
promontorium arce impoſitâ firmauit, peruenítque nauigatione
ad [4] Caloris ſinum, & Saquenayum. Nicolaus Durandus [5] Ville-
gagnonus cognomine, Melitenſis eques, & Amiralij Caſtillonæi *5 Villegagnon.*
per Armoricas Vicarius, duobus nauigiis cum in Floridam pro- ANN. 1555.
peraret, vi ventorum in Braſiliam pulſus, in oſtiis Ganabaræ, [6] Iu-
niperum noſtri dixerunt, in faſtigio rupis Colignij (nomen Ami- *6 Geneure.*
ralis fuit, Pariſiis poſtea inter Sectariorum cædes trucidati) arcem
conſtruxit, mox à Luſitanis per fraudem captam, necatis, qui de-
fendebant. Paucos ante annos Normanni atque Armoricani eaſ-
dem plagas ſubiuerant, noménque fecerant fluuio, S. Franciſci;
ſtationi verò, in quâ anchoras fixerant, Portui Regalis: amnem
Oreglianum, ſiue Oreillanum, Amazonum dixerant, Maragnoni,
& Platæ antiquis appellationibus relictis. Floridam ab herbidis AN. 1564.
& floridis locis vocatam, Laudonierus arce, in honorem Caro-
li IX. Francorum Regis, conſtitutâ, & Carolinâ appellatâ, noſtris,
niſi Hiſpani obſtitiſſent, peruiam fecerat, icto cum barbaris Re-
gibus fœdere. Fortunæ, & bellis ciuilibus imputandum eſt, quod
Marquiſius

Digitized by Google

7 Roche-breton. ANN. 1598.

Marquiſius [7] à Rupe Britannicâ Amiralij Vicarius conſtitutus, tutandis littoribus, deducendiſq; Coloniis, per Canadam, Ochelagam, Arenarum Inſulam, Magnam Baïam, Laboratoris Terram, & Norumbegam, nihil dignum famâ egerit. Coloniam

ANN. 1604. 1605. 1606. *8 Du Pont. 9 Pontgravé. 10 Champ-doré. 11 Champlein.*

Noua Francia accepit, pacatis per Henricum, iam Magnum, inteſtinis diſcordiis, [8] Ponſiano duce. Mox in Portu Regali ad oſtium Eſquillum, oppidum per [9] Pongraueum conſtructum, [10] Campi Aurati nomine, eodem tempore quo & aliud ad Kebecum ædificatum eſt, authore [11] Campoplano. Hæc in Americâ noſtri: antiquiora ſunt, quæ per Canarias, ſiue Fortunatas Inſulas geſſimus. Earum apud Plinium & Ptolomæum nomina ſunt, Ombrio, Iunonia Maior, Iunonia Minor, Capraria, Niuaria, Canaria, de quâ ceteris hodie appellatio, Aproſite, Heras, Pluitalia, ſiue Pluuialia, Caſperia & Centuria. Si diuerſas putaueris Inſulas, quod priſci Coſmographi non crediderunt, XI. inuenies, cum hodiernis Coſmographis: apud quos recentiora nomina ſunt: Portus Sanctus, Madera, Gomera, Fortauentura, Tenerife, Cana-

Petrus Bontierus, & Ioannes Verrierus hiſtor. Bethencurtij ſcripſerunt. ANN. 1402.

ria, Lancelota, Ferri, Gracioſa, Palma, & Alegranſa. Has omnes, ſi Canariam Maiorem ſuſtuleris, Ioannes Bethencurtius, è Normanniâ, Galliæ prouinciâ, oriundus, olim ſibi ſubdidit, titulúmque meruit Regis Canariarum. In Pluitaliâ, quæ nunc Lancelota eſt (à Lanceloto Maloyſelo Gallo primo eius occupatore denominata) Rubiconis arcem excitauit. In Caprariâ, quæ nunc Fortauentura dicitur, Ricaroccam & Baltharayſam, cum armamento nautico in portu Gardinſo conſtruxit. Tentatâ demum

Scripſit has nauigationes Bergeronus amicus meus. Ab AN. 1602 ad AN. 1010. *Marcus item Eſcarbotius hiſtor. Noua Francia compoſuit.*

Canariâ Maiore, portúque Teldeſio cum vrbe occupato, Caſtellanorum fraude extinctus eſt. Non idem honos Franciſco Pyrardo Gallo fuit, ſed poſt varios errores, redditus in patriam quietus, plus ſceptro valuit, adeò eſt Vlyſſis illud commendatum, & beatum,

Fumum de patriis poſſe videre focis.

Maldiuas cùm naufragus tenuiſſet, ibi per plures annos manſit, cognouítque XII. M. Inſularum, exiguis fretis diſtinctarum, ab earum præcipuâ, vno nomine, Maldiuas appellari. Iſtæ, Cambaiæ, quæ in Indiæ Orientalis continenti eſt, oppoſitæ, circa littus Mangaloris & Culani flectuntur, donec ſub Æquatore poſitæ, extremo cornu Iauas Inſulas reſpiciant, quà verò Orientem obuerſæ ſalutant, Sumatram. Placet hîc aliquot verſus inſerere Nicolai Fauerelli amici noſtri magno Muſarum & ſtudioſorum dolore

ANN. 1629.

nuper extincti, in ſuo Protreptico ad Ludouicum XIII. De fœdere à noſtris cum Moſchis inito, de aſportandis per Moſchouiam & mare Balthicum Perſiæ & Indiæ mercibus. Item & alio cum Daniæ & Sueciæ Regibus, ob portoria, déque reſtitutione nouæ Fcanciæ per Scotos & Anglos. Loquitur ad Ludouicum.

--turatáque

---iurataque Moſcho
Fœdera cum Dano pariter, paritérque Sueco
Pactus, & omne mari terráque meabile tuta
Pace ligans, vtrique facis commercio Mundo.
Quid quòd & Acadiæ portus, magníque ſub Arcto,
Amnis inacceſſos fontes, immenſáque regno
Terrarum ſpatia & marium tua iura manentum,
Piſcoſámque plagam, atque ignoto limine tota
Imperium Canade, titulis noua nomina Francis,
Quæ Scotus nuper Gallo, claſſéſque Britannæ
Abſtulerant ciui, ſolo terrore verendi
Nominis, emiſſæq; ictu trans æquora famæ
Perculſi, ceu fulmineo Iouis impete, cuncta
Reſtituêre tuis, ac vela dedêre, petitis?

Is multa ibidem addit de fœdere cum Algerienſibus eodem tempore pacto, & alio, anno MDCXXXI. cum Rege Marocci & Salenſibus. Quæ quia Poëticè, hoc eſt, prolixè enarrantur, non referam, compendij amator.

CAPVT NONVM.

Notitia maritimi Gallorum imperij, claſſes, magiſtratus claſſici & nauigiorum. Varia eorum nomina, officia, iura, iuriſdictiones, & priuilegia. Leges item nauales & maritimæ.

PRIMVM Amiralij nomen auditum eſt in Galliis regnante Ludouico VII. Ab eo vſque ad Philippum IV. vnus Amiralius fuit. Creabatur ingruente bello maritimo, quo finito, Præfectura & Imperium eius ceſſabat. Duo deinde Amiralij vno eodémq; tempore creati, ſi plura bella imminerent, totidem claſſium Præfecti nominati, multæque expeditiones claſſiariæ, & nauales pugnæ per alios, quàm Amiralios, confectæ ſunt. Ceſſante bello, Amiraliorum nomen & officium ceſſabat. Donec ſub Ioanne Rege, is magiſtratus poſt bellum etiam continuatus eſt, nec aliter Amiraliis ereptus, quàm per mortem. Sub Carolo VIII. non duo, aut tres Amiralij vno tempore fuerunt, ſed vnus tantùm. Cui aliorum Amiraliorum loco plures ſocij attributi ſunt. In Prouinciâ Seneſcalus magnus idémque rector populi Prouincialis, littora, orámq; maritimam tutabatur, poſtquam etiam Prouinciæ Comitatus ad noſtros Reges deuolutus eſt.

Salmuth, ad c. 1. Pancirolli lib. cui tit. Noua reperta, dicit, eum qui ſub Auguſto Gallus imperabat, in quadam epiſtolâ, claſſis Præfectum Admirandum vocatum: è quo aliqui nomen Amiralij deriuant.

Liguriâ, & vtraque Siciliâ ſubactis, Imperante Gallis Ludouico XII. Viceamiralius primùm creatus eſt, cui cura Mediterranei maris, Septimaniæ, Prouinciæ, Liguriæ, Italiæ, Siciliæque tutela commiſſa eſt; claſſe munitus, quâ piratas, quâ hoſtes littoribus noſtris arceret. Is alio nomine [1] Amiralius Orientis vocatus eſt: Primúſque ad hanc dignitatem venit [2] Pregentius. Poſt hunc Viceamiralij fuerunt, Petrus [3] Nauarræus, & domini Samblacatij, qui Maſſiliæ morabantur, in cuius portu claſſis, cui præerant, ſtationem habebat. Andreas Doria, & Antonius à [4] Rupefucalda iis ſucceſſerunt, [5] triremium Duces, ſiue Generales, & Orientis Amiralij ab hiſtoricis vocati. Hi aliquandò ſeparatam iuriſdictionem habuerunt cum Magno Seneſcalo Prouinciæ, aliquandò etiam coniunctam, cùm ſcilicet idem Orientis Amiralatum, & Magnum Seneſcalatum Prouinciæ obtineret; alioquìn ſuo quiſque iure vſus eſt. Itaut in Prouinciæ littoribus mercium decimas Magnus Seneſcalus haberet, iuriſdictionem in mercatores, nautas, & ſocios nauales: Amiralius verò Orientis eaſdem decimas haberet, in littoribus Liguriæ, & Septimaniæ. Ceterùm, quoniam olim ſub Comitibus Prouinciæ, aliquot etiam annis ſub Regibus noſtris, titulus & poteſtas, Generalis triremium, ſiue Amiralij Orientis, annexa erat officio Magni Seneſcali Prouinciæ, factum eſt, vt diuiſis officiis, & Amiralatu Orientis vni attributo, altero verò ad Magnum Seneſcalatum vocato, vt Magnus Seneſcalus ex antiquo, more, & cõſtitutione nomen etiam Amiralij Orientis retinuerit: quod etiam nuper obſeruatum eſt. Nam cùm Mareſcalus [1] Rezius officio Generalis triremium gaudebat, Princeps tamen Guiſius, quòd Magnus Seneſcalus & rector Prouinciæ eſſet, Generalis triremium vocabatur. Fuerunt autem & alij Amiralij in Galliis vno eodémque tempore, quibus littora vnius Prouinciæ ſpeciatìm tradita erãt, præter Amiralium Orientis, ſiue Præfecti triremium, & primi quidẽ, qui Galliæ dicebatur, Imperium & iuriſdictio ad Oceanum extendebatur ab [2] Iccio portu, vſque ad [3] S. Michaëlem à Monte. Poſt hunc Britanniæ Amiralius à Sancto Michaële [4] ad Razum imperium exercebat. Amiralij Aquitaniæ ditioni littora ſubiecta erant, à Razo [5] Boionam vſque. Amiralius ſpecialis Galliæ primas iuriſdictiones exercet apud Morinos, in vrbe Sancti Valerij, aliáque oppida, quæ circa littus ſunt: vndè ad Tabulam marmoream, quæ Pariſiis eſt, appellatur: à Tabulâ porrò marmoreâ, ad Pariſienſem Senatum. Ora quoque maritima cum portubus Normanniæ * tribunalia particularia habet variis in oppidis, litiúmque, quæ ibi iudicantur, appellationes, ad Tabulam marmoream Rothomagenſem, indè ad Senatum deuoluuntur. Soli itaque Normanni, & Morini, Amiralio Galliæ in iis rebus, quæ mare, aut littora, aut naues ſpectant,

1 Amiral du Leuant.
2 Pregent.
3 De Nauarre, & les Seigneurs de Samblancat.
Franciſc. à Bellaforeſta, cap. 29. l 6. & c. 43. eiuſdem Libri.
4 De la Rochefoucauld.
5 Generaux des Galeres, ou Amiraux du Leuant.

1 De Rez.

Popelinier. in Amiralio.
Bernard. Girard. de ſtatu & ſucceſſ. rer. Galliæ, lib. 4.
2 Calais.

3 S. Michel du Mont.
4 Au Raz.
5 Bayone.
6 Les Sieges particuliers de l'Amirauté en Picardie, ſont à S. Valeri & autres Villes maritimes, dont les appellations ſe releuent à la Table de marbre à Paris.
** Sieges particuliers.*

ſpectant, parent, neque alij Amiralij ſub imperio illius ſunt, quod ſpecialiter expreſſum eſt in contractu illo, quo Burdigala, totáque Aquitania ab Angliæ Rege, Carolo VII. conceſſa eſt, ann. Sal. 453. Vſi hoc priuilegio ſunt Aquitaniæ Amiralij, * Lautrecus, Trimoüillius, & Brionius, quorum vltimus, antequam Amiralius Galliæ eſſet, Amiralius erat Aquitaniæ. Ceterum cùm gubernationi Aquitaniæ per Reges noſtros Henricus & Antonius Nauarræ Reges commiſſi eſſent, expreſſum in litteris inſtitutionis, vt deinceps moderatoribus Aquitanicæ Prouinciæ, eiuſdem quoque Amiralatus cederet. Sic regimini Aquitaniæ Amiralatus annexus eſt, per Franciſcum I. Galliæ Regem ann. Sal. 1528. in fauórem Henrici Nauarræ Regis, durauítque eiuſmodi connexio vſque dum Henricus IV. qui eodem priuilegio vſus fuerat, cum Nauarræ Rex erat, rector & Amiralius Aquitaniæ, ad Imperium noſtrum venit: tunc enim eundem Amiralatum, à præfecturâ, ſiue gubernatione diuiſit. Multi in Galliâ, qui poſſident terras adiacentes pelago, in iis ius & nomen Amiralatus ſibi vendicant, volúntque cognitionem naufragiorum, & ſpolia naufragorum ad ſe pertinere, ſi quid in poſſeſſiones ſuas fluctus proiecerint: quales ſunt * Domini à Trimoüillâ, & Caiexo. Idem ſibi ius Rupellani nuper tribuebant, quo ſe vſos fuiſſe iactant, priuſquam Amiraliorum nomen in Galliis auditum eſſet. Sed hoc iure eos nuſquam vſos conſtat, quandiu in noſtrâ, vel Anglorum poteſtate fuerunt, ante ann. Sal. MDLXIX. Quo tempore belli Ciuilis licentiâ, in ſuos noſtróſque Reges expeditam in portu ſuo claſſem habuerunt, nauigiorum IX. quæ cymbæ plures comitabantur. Nec propriam modò ſibi claſſem eadem licentiâ fecerunt, ſed & ei Amiralium præpoſuerunt * Portatum. Is, piratarum more, maria, littoráque infecit. Huic * Soreus in hoc officio ſucceſſit. Hodie verò Rupellani, non modò claſſe, ſed & mœnibus exuti, audaciam miſeriis mutauerunt; nec iam illis naues, aut Amiralij ſunt. Cardinalis Illuſtriſſimi Richelæi virtute, belligeros ſpiritus, & rebellionem poſuerunt. Sub quo maris vtriuſque præfecto, & commerciorum, negociationúmque ductori, Vicarij tantum, & Legati certant, annuo magiſtratu contenti, depoſituri datum imperium ſimul atque ille imperauerit. Seruire primùm ſubditos docuit ad libitum Regis, & iam cepit eſſe temeritas in culpâ, & culpam ſupplicium ſequi. Hactenus ſatis ſupérque de Amiraliis. De iis qui ſub imperio illorum minus imperium exercebant, pauca dicenda. Illis Viceamiralius, ſiue Vicarius parebat, curámque per eorum abſentiam, vniuerſæ claſſis habebat. Specialia illi iura, & priuilegia attributa, de quibus infra dicam. Huic, ſi Amiralius præſens non eſſet, * Capitanei, qui alio nomine Proprætores appellari poſſent, ſubiecti fuerunt. Iſti duabus, tribus, vel plu-

** Lautrec, Trimoüille, & de Brion.*

** Les Seigneurs de Trimoüille & de Caieux.*

Ioan. Freraus hiſt. lib. 10.

** Portault, autrement, La Tour.*
** Sore.*

** Les Capitaines de la marine d'vne Flotte particuliere.*

ribus nauibus, in claſſe, vel extra claſſem præpoſiti,ad piſcationem, mercaturam,negociantium tutelam,excurſiones,bella,obſidiones, littorum tutamen, militem armatum ad claſſem miniſtrabant, iubebántque ſcribi. * Magiſtri verò nauium ſiue exercitores, & domini, naues dabant probè munitas rebus omnibus neceſſariis ad nauigationem, & pugnam, cum claſſiariis nauclairis, miniſtris,qui omnibus ſeruiunt, qui in naui ſunt, gubernatore,remigibus, antimagiſtro, ſociis quatuor, ſiue contubernalibus naualibus, Quæſtore, Scribâ, Naupegis, ſiue viris claſſis parandæ, ornãdæ & reficiundæ causâ,qui rimoſas naues & aquas acceptantes,conſtipant & oblinunt, aceribus,clauis trabalibus,ſtuppis, ſero,cerâ,pice,reſinâ,& tenuiſſimis lignis : fabris prÿterea lignariis, ferrareis, & aliis, telas ad vela, funéſque texentibus. His etiam qui æneis machinis nitroſum ſulphureúmque puluerem, æreos, plumbeos,& ferreos orbes globóſque, clauos, cathenáſque iam fractas miniſtrant:His quoque,qui cibaria & annonam prębent, diſtribuúntque per capita, œconomiæ maritimæ periti, qui, ni fallor,in iure Vietarij, & Dietarij nuncupantur. Sub eorumdem diſpoſitione erant, Portiſculi,qui remiges,vel incumbere tranſtris, vel omittere palmas iubent: inſtitores, mercatores, milites tubicines,tympaniſtritæ,antliaci, ſiue ſentinatij, qui ſentinam exhauriebant,excubitores, & anchorarij. Et hæc quidem ad officia & magiſtratus claſſicos pertinent in noſtrâ Galliâ, nunc ad Leges maritimas naualéſque, pro vt ſingulas è Regum edictis excerpſi, recurro : ſunt autem iſtæ:

** Aux Maiſtres appartiennent les nauires, aux Bourgeois l'equipage. Ceux cy fourniſſent les Nautonniers, Matelots, Pages, Gouuerneur, Forçats, Contremaiſtres, les 4. Compagnons du quartier, le Treſorier, le Greffier, les gens pour le radoub, & entretien des nauires, les Calfateurs, Charpentiers, Ferrailleurs, Tiſiers, Cordeurs, Prouiſeurs, Auitallieurs, les Eſpalliers des Galeres, Commis, Marchands, Soldats, Trompettes, Tireurs d'eau par la pompe, Echauguetes, Ietteurs & tireurs d'ancres, Cannoniers, &c.*

Ex edictis ANN. 1517. 1543. 1562. 1584. Argentrerius in conſuetudines Britanniæ.

VNuſquiſque nauis vel claſſis præpoſitus, nauigationem auſpicaturus, ſe nulli, niſi hoſti communi, noxam facturum, iurato.

Ne littore iniuſſu Amiralij diſcedito, ſi quis aliter faxit, publicetur nauis cum omnibus armamentis & mercibus. Ob id breuicula, ſiue nauigandi ſymbola ab Amiraliis ante nauigationem impetranda. Pro iis breuiculis ſolitum precium perſoluito mancipibus vectigalium, qui acceptum in fiſcum referant.

Neu claſſem, niſi Amiralij, aut eius locumtenentis iuſſu extruito. E captiuis ſingularum nauium duos adducito, è quis intelligatur, an captæ naues, noſtrorum, ſociorum, vel hoſtium, piratarúmque ſient.

Amiralio, vel Viceamiralio curæ eſto, vt nauis, vel claſsis, probè armamentis; & annonâ munita ſiet.

In omnes tum magiſtros, dominos, milites, nauclairos, & eos, qui officium, aut artem aliquam in claſſe exercent, Amiralius, aut Viceamiralius ius dicto.

Quod bello quæſitum erit, in acta & rationum libros referatur : è predâ decimam Amiralius tollat, ſua pars cuique militi, vel nauclairo cedito. Decimus quiſque captiuorum cum decimâ armamentorum Amiralio tradatur.

Piratæ,

Piratæ, ſi qui capti ſint, capite multantor, horum ſocij ad triremes damnantor.

*Impenſarum, quæ pro tranſuehendis in patriam captiuis fiunt, quod * ius ſecuritatis vocamus, penes Amiralium cura & emolumentum eſto.* *Droict de ſauf-conduit.

Præda è conciuibus, vel ſociis capta, integrè reſtituatur. Si dolo malo, vi, vel fraude quid captum, aut retentum ſit, damnum illatum ſarciatur. Plectendi furem, penès Amiralium, aut eius Vicarium ius fáſque eſto, 'demptâ etiam furi eâ bonorum parte, quæ ad eum è prȩda legitimè pertinebat.

Exploratoriæ, vel bellicæ naues ad mercatorum, piſcatorum, vel militum tutelam ab Amiralio conceduntor.

Lites obſcuriores, materiæque difficilis, vel rei maximi pretij, maritimi iudices, qui de controuerſiis claſsicorum & rei naualis cognoſcunt, ad Amiralium iudicandas tranſmittant.

Exercitor, omnium, qui naue vehuntur, factum præſtato, de iis rebus quæ in nauem tranſmiſſæ ſunt fideiubeto: naufragium quoque, ſi culpâ, dolóve eius, vel ſociorum naualium fiet, reſarcito. Argum. L.1. & 7. D.Nautæ, caupon. & L. qui Prætorio. §.1. D.de rei vindic.

Amiralius per pedaneos iudices, in portubus conſtitutos, ius dicito, qui appellauerit ante illius tribunal, intra dies quadraginta, expoſitis appellationis cauſis, ius poſcito.

Pecuniariæ mulctæ ſententiis inferiorum iudicum, qui in portubus ius dicunt, illatæ, penès Amiralium ſunto. Ex iis verò pecuniariis mulctis, quæ per iudicia eorum, qui primas appellationes in Tabulâ marmoreâ iudicant, infliguntur, mediam partem Amiralius accipiat, reliqua Regi cedito.

Ex iis, quæ bello quȩſita ſunt, Amiralius decimam vindicet: ceterà etiam ſi libuerit ſalutis publicæ causâ, ſoluto, illis ad quos reliquum prȩdæ pertinet, legitimo pretio, accipiat.

Omnium claſsium ſub Rege, vel Regis auſpiciis Amiralius dux eſto. De rebus maritimis, vbicunque locorum voluerit, ius dicito. Priuatis aut publicis carceribus, quibus cuſtodia reorum mandatur, pro lubito vtitor.

Huic, domini, qui in ſuo ſolo Amiralitatis ius & priuilegia ſibi vendicant, in omnibus cedant, próque ratione eius officij crimina & controuerſiæ ob bellum nauale, mercaturas, & piſcationes, ſolus Amiralius iudicium exerceto.

Si quis arma, aut merces, clàn, vel iniuſſu Amiralij aliò tranſtulerit, pro ratione culpæ mulctatitium pecuniarium, vel capital eſto.

Literas mercium inuectarum teſtatrices nemo dato, niſi is, cui eiuſmodi officium ab Amiralio mandatum ſiet. Qui aliter faxit, pecuniâ mulctetur, eáque Amiralio cedat.

Ne quis alius iudex, aut vrbanus, aut ruſticus, niſi is, qui ſpecialibus Amiralij literis ad rerum maritimarum cognitionem ordinatus eſt, & conſtitutus, de rebus, quæ nauibus deuehuntur, quocunque prætextu iudi-

rium dato, qui ſecus fecerit, arbitraria pœna eſto.

Nauigantes, Amiralij vexillum in claſſe, aut naui Gallicâ ſemper habeant.

Regi, & Amiralio tantùm competit veniales literas, portorias, tutelares, & ſecuritatis tribuere: reus eſto, quiſquis contra iuerit.

Exotica nauis, portum iniuſſu Amiralij, aut eius Legati ne capito, niſi fortè tempeſtate, vel ab hoſte coacta. Vt primùm quæque portum Gallicum viderit, appellendi ad illum ab Amiralio, aut eius Legato licentiam impetrato, quinam gentium ſint, vnde ſoluerint, qui naue, vel claſſe vehuntur, quid inter nauigandum offenderint, vel inuiti dicant.

Piratarum incurſionibus impediendis, ſine ſymbolo Amiralij nauigare nefas eſto, cautionem, qui nauigaturi ſunt, præbeant, nulli ſe niſi hoſti nocituros.

Claſſium omnium ad bella inſtructarum, vt iam dictum eſt, Amiralius dux eſto, penéſque eum armorum, machinarum, nautarum, remigum, annonæ, armamentorum, præfectorum, ſtipendiorum, cura eſto; íſque in naui, quâ vehitur, ſolus facem accendat, eiúſque imperio ſingula adminiſtrentur.

Peracto bello, ſulphureus puluis reliquus, anchoræ, clypei, aliáque claſſium munimenta in armamentarium publicum recundantur, aliis bellis vſui futura.

Securitatis ſymbola harecum piſcatoribus, mercatoribúſque Amiralius det. Pro iis ordinarium naulum capiat.

Lites ad rem maritimam pertinentes in acta publica iuriſdictionum Amiralatus referantur.

Ter ſingulis quibuſque hebdomadis ius Amiralius Gallis reddat, extraneis verò ex tempore.

Lites prouocatoriæ à portoriis iudicibus, ad Tabulam marmoream, à Tabulâ marmoreâ ad Senatum pro more & conſuetudine ſolita deuoluuntur.

Noui magiſtratus maritimi, quoties vacatio fuerit, per Amiralium nominantur: próque rei & temporum neceſſitate delegantur. Proprætores & Procuratores, & Viceamiralij ab eodem nuncupantur.

Oræ maritimæ tutandæ causâ, bello, vel premente, vel imminente, ruſticos cuſtodia littorum, excubiiſque obſtrictos, bis in anno conuocare ius eſto, pérque oras maritimas armatos collocare, patriæ ſubſidio, ſi applicuerit hoſtis.

In promontoriis, nauigantibus ſignum detur per fumum de die, per ignem de nocte, ruſticóſque & oppidanos proximos coërcitione voluntariâ ad excubias cogantur.

Pacis tempore, pro vacatione ab armis & excubiis littorales populi ſolitum precium Amiralio perſoluant.

Litorales autē populi cenſentur, qui extra ſecundum à mari milliarium non ſunt, & iſti ſoli ad excubias & excubiarum ius ſoluendum cogi poſſunt.

Naues

Digitized by Google

Naues onerariæ de nouo fabricatæ, vt primùm mare tetigerunt, tributum Amiralio ſoluant: ei quoque ex iis rebus, quæ fluctu ſolæ ſine rectore temerè portantur, in terram tempeſtate eiiciuntur, vndis per machinas eruuntur, tertia pars cedat, tertiam Rex, reliquum repertor, aut is qui eas extraxerit è profundo, habeat. Niſi fortè intra annum, rerum per naufragium amiſſarum dominus perditum petierit, quo caſu ſolutâ recuperatoribus impensâ & labore, quidquid per tempeſtates amiſſum eſt, is recipito.

Amiralio ſigna, ſigniferos, tubicines & fidicines nauigantibus dare fas eſto: ſulphureum quoque puluerem, clypeos, & lanceas.

Ne qua nauis niſi probè annonâ, armíſque & armamentis inſtructa, ad bellum aut longinquas terras è portu Gallico ſoluat, Amiralius prouideto. Si mandatum Amiralij ad ſecuritatem nauis pertinens exercitor, aut Legatus neglixerit, óbque eam rem nauis aut perierit, aut capta ab hoſte fiet, damnum Exercitor, Legatúſue reſarcito, próque ratione damni non ſolùm æris, ſed & corporis pœnæ ſunto.

In vnam quoque nauim Amiralio hominem dare licitum eſto; qui omnes chartas apud captiuos inuentas, ſeu rationum libri ſint, ſeu contractus, obligationes, inuentarij, nauigationis diariæ deſcriptiones, quæve aliud quidpiam contineant, legat acceptas, referátque & reddat Amiralio expeditione finitâ.

Si quis durante nauigatione nauim ſociam, vel Gallicam profundo merſerit, aquâ nauigantes, mercatores, vel nautas ſuffocauerit, aliáve morte ſuſtulerit, aut in oras longinquas inuitos deſeruerit, capite mulctetur.

Qui Gallorum, vel ſociorum nauigationem impediuerit, vel tardauerit, damnum illatum per Amiralij iudicium reſarcito.

Neu præda hoſti capta, arcis, doliis, pellibus, & telâ, incluſa reſeratur, niſi in littore, Amiralio, aut eius vicem gerente, preſente & iubente: in delinquentes pro ratione delicti pecuniaria, vel capitalis pœna eſto.

Decimâ quæ Amiralio competit ex omni prædâ detractâ, quartam prædæ, quæ ſupereſt, partem, dominus nauis habeto.

Iuramentum, quod in manus presbyteri in pane, vino, & ſale, nautæ, ſociíque nauales, & milites olim faciebant, quo promittebant, ſe iudici nullo reuelaturos eos, qui ex prædâ, aurum, argentum, monilia, vniones aliáque precioſa furati eſſent, abrogatum eſto. Prædam deinceps omnem, omnes qui in naue ſunt ante Amiralium, aut eius vicarium abiiciant. Qui Sacerdos dictum iuramentum receperit, iudici ſæculari extraordinariè iudicandus tradatur.

Milites, ſociíque nauales captâ hoſtili naue, captiuorum occiſorúmve veſtes, arma, & quidquid in eorum veſtibus auri, argentíque inuenerint ad decem vſque numos, poſſideant. Aurum verò, aut argentum reliquum, præda communis eſto. E militum & nauclairorum captiuorum, aut cæſorum arcis, vulgaria veſtimenta, éque pecuniâ cusâ, decem numi victores milites nauclairique, cum ipſis arcis accipiant. Reliquũ, prædæ annumeretur.

Exercitor

Exercitor eidem littori, è quo primùm ſoluit, nauim cum omni prædâ reddat. Qui ſecus fecerit, & prędæ, quæ ad illum competebat parte, & arbitrariâ pœnâ multetur. Amiralio, in cuius iuriſdictione is portus erit, vndè primùm nauis ſoluit, ea pecuniaria multa, párſque prædæ reo detracta deuoluatur: niſi fortè nauis tempeſtate aut inſequente hoſte in alium, quam eum, è quo ſoluit portum, adacta fuerit. Quo caſu decima Amiralio cedit, non huic, in cuius iuriſdictione eſt portus, in quem nauis confugit, ſed illi in cuius iuriſdictione eſt portus, è quo ad nauigationem nauis egreſſa eſt.

Quod precium numorum decem excedit, prædæ nomine vocetur, prędáque cenſeatur. Inferioris res preĳ ſpolia vocentur, militique & ſociis naualibus dedantur.

Iudicia per iudices Amiralatus data, etiam ſi appellatum ab iis fuerit, exequutoria ſunto, cautione ab eo datâ, qui impetrauerit, redditurum ſe adiudicatas ſibi merces, aliáve bona, ſi ad id ſupremo iudicio condemnatus fuerit.

Vide Caſſiodor. lib. 2. epiſt. 2. *Hoſti frumentum, farinas, vinum, oleum, laridum, annonam, ferrum, aut arma naui aſportare, capitale eſto.*

Si in Gallicâ, vel ſociâ naui, bello captâ, hoſtes, aut hoſtium merces inuentæ fuerint, vel ſi nauis hoſtium ſit, & merces, quæ in ea ſunt, fuerint mercatorum è Gallia, vel federatis regionibus, quocunque illud fuerit legitimè quæſitam eſto. Naues quoque, quæ titulo, vel nomine alieno excuſantur, fiſco dantur.

Federata nauis quæ arma ad hoſtes Galliæ defert, bello capta, iuſtè capta ſiet. Ea quoque, in qua charta, quæ nomina exercitoris, militum, nautarum, merciúmque continet, inuenta non fuerit.

Quod iniuſtè federatis nauibus ereptum fuerit, reſarciri Amiralius curato. Tutelæ Gallicarum, vel ſociarum nauium ad piſcationem, aut merces quærendas, naues armentur, próque eâ curâ, & tutelâ ſolitum pretium præſtetur.

Oræ maritimæ & proximarum Inſularum Amiralius curator eſto.

Fracta, victáque hoſtili claſſe, Prætoriam hoſtium aut aliam captiuarum nauium pręcipuam, Amiralius habeto.

Exercitor, vel rector & dominus nauis nullus admittitur ad nauigationem, niſi examine arduo & experientiâ longâ probatus. Examen autem præſente Amiralio duobúſque Ædilibus, aut ciuibus illius oppidi, aut vrbis, quæ vicinior portui maritimo fuerit, per duos aliarum nauium exercitores diligenter agatur.

Eadem iura, priuilegia, immunitates, quæ Amiralĳ ſunt, triremium præpoſito ſunto, ſuper triremibus, & iis, qui in triremibus imperant, parent, nauigant, militant.

Naues quoque, ſiue onerariæ, ſiue militares, ſi triremium claſſem comitatæ fuerint, eiuſdem mandatum & imperium ſequantur.

Eiuſdem eſt in reos, hoſtes, captiuos, naues eorum, & prædam pro lubito

bito ſententiam dare. Pacem & fœdus facere, captis vrbibus, portubúſque præſidia indicere, mulctare, ſeruare, manire, reddere, diruere.

Eius iniuſſu extra Gallias farinam, frumentum, aut panem portare nefas eſto. Qui aliter fecerit, quidquid in eius naui inuentum fuerit; partìm fiſco, partìm iis, qui eam ceperint, addicetur.

Hæc autem omnia, aliáque per me breuitatis ſtudio prętermiſſa, benè conſtituta, licentiâ tamen ſæculi, pérque bella ciuilia, & nauigationis incuriam, vel ſi fas dicere fuerit, per Amiraliorum, cuncta ad ſe trahentium, authoritatem, corrupta, vel omiſſa, vel neglecta fuerunt, donec extinctâ Amiralatus dignitate, æquorum, littorúmque & commerciorum omnium cura ad vnum Richelæum deuolueretur, ſub quo nullum iam inimicum æquor nauigantibus, reſtitutus legibus maritimis ſplendor, authoritas reddita, pœna, in eas peccantibus, inflicta, ſtabilita præmia, & ſuum cuique ius ſeruatum, aliæque leges conſtitutæ, ad ſtabilitatem & opes Regni ab homine, vltra humanum captum, plurima, forsàn etiam omnia ſpirante.

CAPVT DECIMVM.

Normannorum res mari geſtæ antequam illi in poteſtatem Regum noſtrorum venirent: vbi & Noruegiorum, ſiue Normannorum Septentrionalium antiquiſſima aliqua recenſentur.

MIHI ipſi ſatisfeciſſe & gloriæ gentis meæ non videor, niſi & ſpecialia quæque populorum, qui in noſtræ Galliæ littoribus habitant, mari benè geſta complectar: vnde appareat, quæ quiſque prǽclarè fecerit, diſcretà & ſeparata à Regum noſtrorum dominio. Ceterum ab antiquiore gente omnium, quæ in Galliâ ſunt, nauibúſque & bello noſtrum littus tenuerunt incipiendum operæpretium duxi, vt in hoc quoque annorum ſupputatione obſeruatâ, dilucidior hiſtoria ſit, intellectúque & lectu facilior & gratior. Normannia, quæ & Nortmannia, & Nordmannia, hodie Ducatus cum Pariatus titulo, Oceanó coërcitus, aquis Sequanæ interſectus, quà mare ſubit, nomen habet à Normannis, hodie Noruegis, in extremis Baltici freti promonroriis ad vltimum Boream iacentibus; iſti populi à multis retrò ſæculis inopiâ ſoli adacti, mare Britannicum piraticis claſſibus infe-

Krantz. in præfat. rer. geſtar. Noruegia, & Normannorum.

ſtum habuerunt: poſt Noruegiam quippe,cuius metropolis olim Trondennim,nunc Nidroſia,nihil habitationis humanæ,ſed terribilis viſu & infinitus Oceanus. Sunt tamen ab occiduo, Noruegiæ,ſiue Normanniæ, Inſulæ multæ non ignobiles, quæ hodie ferè omnes Noruegis parent. Intérque eas, Orcades in ſpeciem Cycladum per Oceanum ſparſæ. Vicinæ iis Electrides, quæ à naſcente ibi electro nomen tenent. Inſula quoque Iſlandia, quæ per immenſum à ceteris ſecreta, longè ſita eſt in Oceano. Adiice iis Grolandiam, ante Riphæos montes ſitam, & Holaglandiam Suecis vicinam. Noruegi,ſiue Normanni illi,ſub regibus ſemper vixêre,Daniámque & Sueciam,regnante Suibdagero,occupauerunt. Eo nauali prælio iuxta Gothlandiam ab Abdingo Grami Daniæ regis filio ſuperato, Daniæ Sueciæque regna à Noruegiæ regno diſtracta ſunt, ipſáque Noruegia in plures dominationes ſeparata, donec Geuuarus, vnus è primoribus, in vnum corpus Noruegiæ regnum reduxit. Ab eo tempore piratica in honore fuit,quam Noruegiæ,Sueciæque,& Daniæ Principes cum æmulatione exercebant, nunc victi, nunc victores, peruenítque nauigandi & prædandi ſtudium ad Caroli Magni Imp.tempora, ſub cuius Imperio, Ludouici quoque Pij,& Lotharij Impp.ætatibus, primùm Noruegi, ſiue Normanni Danis mixti, Saxoniam, Friſiam, Barauiam, Flandriámque occupauerunt. Imperabant huic claſſi filij Regneri Daniæ & Noruegiæ Regis. Hinc Ligeris, Sequanæ, & Garumnæ ripæ ab iiſdem vaſtatæ, occupata oppida, Scoriáque tributaria facta. Mox Addingus Normannorum Dux, Galliarum ſpoliis ſatiatus,totam Italiam animo deglutiens,in quâ contribules Longobardi & Gothi,gentes vicinæ, dominati fuerant,columnas Herculis prêterlapſus, Tyrrhenum mare intrauit, Lunámque ciuitatem cepit, Romam eam eſſe exiſtimans. Hinc per Inſulas Rhodaníque littora graſſatus, à Carolo Caluo Francorum Rege,Carnutum cum proximis agris accepit habitãdum. Ibi pacatè vixit vſque ad Rollonis Ducis tempora, qui magnâ claſſe è Noruegiâ in Neuſtriam veniens,de ſuo & ſuæ gentis nomine occupatam terram, Normanniam appellauit, Ducémque ſe Normanniæ vocari voluit. Per hæc tempora in Septentrionali Normanniâ, quam deinceps Noruegiam dicemus, ſicut Neuſtriam Normanniam,Haraldus regnabat,de quo mirandum iſtud fertur: petitum eum claſſe ab Ottone Imp. qui eam claſſem ad Iulinum Vvandaliæ oppidum piraticæ impediendæ causâ conſtituerat, antequàm prælium iniret,duos filios Diis maris, ventis & tempeſtatibus immolaſſe: fuiſſe dæmonas filicidæ, diſſipatam Imperatoris claſſem, obrutáſque fluctibus naues. Tunc è Normannorum veteri gente excitata gemina propago,quæ in Oceano hinc Angliæ regnum, in Mediterraneo inde Apuliam Siciliámque

Idem lib. 1. hiſtor. Noruegiæ.

Hæc geſta ſunt ab AN. Sal. 800. ad ANN. 850.

Idem lib. 2.

AN. Sal. 857.

895.

Lazius de gent. migrat. lib. 9. Megiſſierus in Chron. Normann. Krantz. lib. 3. Noruegia.

940.

liámque tenuit. Rolloni filius Guilelmus Longa-ſpata in Ducatu Normanniæ ſucceſſit, qui victo Suero, Heroldum in Daniæ regno ſtabiliuit. Huic Richardus, qui Danos, quos in ſocietatem belli contra Lotharium Gallorum Regem acciuerat, claſſe, annonâ, armiſque munitos, Iberiam petere ſuaſit, vbi victis Mauris, XVIII. ciuitates occupauerunt. Poſt Richardum, Richardus alter, Normanniæ Ducatum tenuit. Hinc Robertus, cuius filium aliqui volunt Tancredum; oppidi Altæ villæ, ad plagam, quam Conſtantiam indigenæ vocant, Comitem. Is Tancredus XII. filiis diues, inter alios celebriores iſtos habuit, Guilelmum Ferrabacum, Drogonem, Hunfredum, Gotfredum, Robertum Guiſcardum, & Rogerium Boſſum: quos ille ſecum, opimiorem poſſeſſionem quærens, in Italiam deduxit. Mortuo poſt plurimas victorias, Salerni, Tancredo, à Georgio Maniace, Michaëlis Conſtantinopolitani Imperatoris copiarum in Apuliâ Siciliáque duce, acciti fratres ad bellum contra Saracenos. Iſti in Siciliam traiiciunt, Meſſanam ad deditionem compellunt, mox & Syracuſas: Reges Saracenorum Apoloſarum & Apocapſem prælio frangunt, totáque Sicilia primo belli impetu pènè abſorpta. * Maniaces victoriâ fœlix, infœlix in manubiarum diſtributione, dum auaritiæ nimium ſtudet, in Normannorum, cui belli honos debebatur, odium incurrit. Guilelmus itaque Ferrabaccus vltutus Maniaces perfidiam, Apuliam ingreſſus, plùra oppida, fœliciter expugnata, Imperatori Conſtantinopolitano eripuit. Melphim vrbem muniuit, ante cuius mœnia ſubitâ eruptione Maniacem oppugnantem vicit, coëgítque eum in Siciliam fugere. Occupatâ demum Apuliâ totâ, Guilelmus Ferrabaccus, aliis * Ferrabachius fratrum conſenſu, Comitis Apuliæ titulum ſumpſit. Cùm autem iſte ſine liberis deceſſiſſet, Comitatum Drogoni fratri decedens reliquit, qui Græcis claſſe victis, dominationem Apuliæ ſibi ſuiſque ſolidauit, Hunfredo fratre parti Apuliæ, ad continendos in fide Apulos, præpoſito, Roberto vero Guiſcardo altero fratre; Calabriæ, contra Conſentinos. Drogone fatis functo, Hunfredus & ipſe Drogonis frater Comitatum Apuliæ tenuit, qui Longobardis Apuliſque rebellibus deuictis, iam pacificum Comitatum fratri Gotfredo reliquit. Is Beneuento expugnato, & propè Ciuitatm Apuliæ oppidum, Leonis. IX. S. Pont. exercitu debellato; captóque ipſo Leone cum plurimis Cardinalibus, benedictionem Apoſtolicam & confirmationem eorum, quæ in Apuliâ poſſidebat, ſuâ in captiuos pietate & obſequio meruit. Huic fraterno ordine Robertus Guiſcardus ſucceſſit, qui Bagelardo Gotfredi armis à Principatu deiecto, ſibi Apuliæ & Calabriæ Comitatum vendicauit. Tunc temporis Nicolaus II. S.Pont. Romanorum procerum ſeditione premebatur, accerſitus in

Candidus Poëta Gothiberidos, lib. 4

Fazell. rer. Sicul. Decad. 6. cap. 2. Goltziut in Sicil. Sabell Ennead. 9. lib. 2. & 3.

An. Sal. 1004

* *Hunc Moleclum multi vocát.*

* *Bras de fer.*

in S.Pont.auxilium Robertus,cum fratribus,pacato tumultu,non iam Comes Apuliæ,ſed Dux à S.Pont.ſalutatus eſt, Saraceniſque Siciliâ pellendis prçficitur. Vibonam, Scyllaceum, & circumiacentia oppida per Rogerium fratrem ſubegit: per ſe, Biſſinianum, Coſſentiam, Martiranum, Leucaſtrum, Maiam, & Cannalem, maritimas vrbes. Struebat iam Fortuna Normannis in Siciliâ, initia, cauſâſque imperio. Meſſanenſes Saracenis preſſi, à Roberto Guiſcardo, & Rogerio Boſſo opem petentes, obtinuerunt, ſe ſuáque dedentes, ſi hoſte, Normannorum ſociorum virtute, liberarentur. Rogerius, Bettumeno duce præmiſſo, ad Meſſanenſia littora agróſque explorandos, è Rhegio prçdatoriis nauibus transfretat, intérque Tyndaridem & Mylas fixis anchoris, inſulam cùm toto exercitu ſubit. Collatis viribus, Saracenos profligat, ducéque eorum cæſo, victor & prçdâ onuſtus, Rhegium tranſmittit.

Fazell. Decad. 2. lib. 7. cap. 1. Krantzius Norwagia, lib. 4. Gabriel Chappuiſius lib. 7. de ſtatu Regnor. & Rerump.

ANN. 1060. Mox claſſe copioſiore victis iterum Saracenis. Meſſanam diripit, Belcaníſque claſſem, quem Beſcauectum aliqui vocant, è Meſſanæ portu fugere compulit. Rametta deinde & oppidis, quæ in Mylarum planicie ſita ſunt, potitus, Maniacium oppidum, nuper à Georgio Maniace ad Ætnæ radices

1061. conditum, in deditionem recipit. Aduolauerat in auxilium fratris Robertus Guiſcardus, cæſa vno prælio Saracenorum M. XII. ſequutæque victoriam ſunt vrbes quamplurimæ. Poſt hæc magna inter Robertum Guiſcardum & Rogerium fratrem diſcordia nata eſt. Nam cùm Robertus Calabriæ dimidium, & omnem Siciliam Rogerio promiſiſſet, Calabriam quidem ille parum iuſtè partitus eſt. Indè omiſſis Saracenis bellum inter fratres exortum, ſic ex vno populo diuerſi exercitus, bellúmque atrox, mox fœdus & amicitia, capto Roberto, eóque à Rogerio fratre libertate donato, qui compenſaturus beneficium, ex æquo cum fratre

1063. Calabriam diuiſit. Tum Sicilia Rogerij animos pertentat, ſequuta eſt eum vbique victoria, pulſi fugatíque Saraceni, Piſani cum triremibus VII. auxiliares illi facti, cum Panormi portum tentaſſent, viam obſidendæ vrbis Rogerio oſtenderunt. Verùm cùm interea Barus & Tranæ, vrbes in Apuliâ, adhuc ab Imp. Conſtantinopolitano detentæ, contra Normannos plura molirentur, dilata in tempus Panormi obſidio, & vtraque vrbs obſeſſa à fratribus & expugnata: mox Panormus à Rogerio meridie, à Roberto ab occaſu, claſſe verò in portu tentata, & capta eſt. Hanc ſolam ſibi è prædâ Robertus retinuit, cetera Siciliæ Rogerio ceſ-

1071. ſere, cuius exinde Comes nominatus eſt. Tum repetita Roberto Apulia, Barulium, Brunduſiúmque, & Hydruntum, & Tarentum, & Salernum expugnatum, & Goſcelinus, à Conſtantinopolitano Imperatore claſſi Præfectus, hunc Diogenem alij vocant, ante Bari mœnia victus, & captus eſt.

Cùm

Guilelm. Apulienſis lib. 3. rer. Normannic. in Italiâ.

Cùm ſubito Danaum claßi venit obuia claſſis
Roberti, cuius reparare aduenerat hoſtes.
Noctè Ducis pugnam naues iniêre libenter,
Eſſe ſibi leuius loca cognoſcentibus, illis
Certamen grauius, minimè quia gnara locorum
Gens erat illa, ratæ: multo ſuperata labore
Poſtremo capitur Goſelini nauis, & ipſe
Ante Ducem captus deducitur: altera nauis
Merſa fuit Danaum, vix euaſêre ſequentes.
Gens Normannorum naualis neſcia belli
Hactenus, vt victrix rediit, ſpem Principis auget,
Senſit enim Danaos non tantùm ciuibus vrbis
Præſidij ratibus vexiſſe, quòd obſidionem
Impediat, multum ſimul & nouitate triumphi
Æquorei gaudet: ſecurius vnde ſubire
Iam cum Normannis naualia prælia ſperat.

Fauebant Græcis Veneti, qui per Contarenum claſſis præfectum, Brunduſij oppugnationem impèdire conabantur, opem implorante Nicephoro Imp. ſed fruſtra, fuſi Veneti poſt multum in mari Apulo certamen. Victus & à Roberto eſt nauali prælio ad Coriſum Mabrica, quem Alexius Imp. claſſi præpoſuerat. Demùm *Idem lib. 5.* pro Michaële, quem Nicephorus Imperio expulerat, Robertus pugnaturus, Rogerio filio res Italiæ tradidit tuendas, Boëmundo minori natu dat claſſem in hoſtes agendam, ipſe cum Michaële regiam nauim ingreſſus, primus omnium ex Italiâ ſoluit, ſecundiſque vſus tempeſtatibus, cum claſſe & exercitu, Auelonem tenuit: hinc Dyrrachium terrâ marique oppugnari cœptum: & nequidquam ciuibus in vrbe Græcâ, Venetâque claſſe in portu & alto vrgentibus, vrbs ad deditionem coacta, victa deiectáq; Venetorum claſſis, cui Dominicus Syluius Venetorum Dux imperabat, paucæ naues fugâ euaſêre, atque ob eam cladem dignitate priuatus fuit Syluius, poſt XIII. annum, à quo Reip. Dux electus fuerat. Eodem exitu, contra Phalerium alium Venetorum Ducem, breui poſt tempore in Dalmatiæ orâ claſſe certatum eſt. Victus & Vitalis Faledro, ante Inſulam Saſinum. Poſtquam autem Epirum, Acarnaniam, multáſque alias maritimas ciuitates Dalmatiæ, Macedoniæ & Græciæ cum aliquot Inſulis Robertus Principatui ſuo adieciſſet, apud Caſſiopam Epiri Inſulam, famoſus innumeris victoriis, terras quæſitas, morte deſeruit. Apuliæ pars, cum Dalmatiâ, & tranſmarinis regionibus, Boëmundo per- ANN. 1083. miſſa, reliqua ad Rogerium peruenêre, hos Robertus filios habuit. Et Boëmundus quidem, poſt varias contra Saracenos victorias, Dux Antiochiæ creatus eſt. At parte ex aliâ Rogerius Siciliæ Comes, Boëmundi, & Rogerij auunculus, vlturus Nicotri Cala-

briæ oppidi per Benauirum Saracenorum Ducem excidium, hoſtilem claſſem, penè in ipſo Syracuſarum portu, adortus, propriâ manu Benauiro cæſo, diſſipat, ingentíque afficit ſtrage. Sequuta
ANN. 1086. eſt victoriam Rogerij, vrbs Syracuſarum, ſeſeque victori, pulſis Saracenis, tradidit, cum totâ Siciliâ. Cęterum, vt ſunt hominum ingenia felicitate redundantis Fortunæ, nunquam ſatiata, maioris Imperij ſtudio, Melitam nauigat. Inſuláq; potitur, poſt & Go-
AN. 1101. zo. Nec ità multò poſt à morte victus eſt, aliàs ſemper victor. Hunc in Siciliæ Comitatu, filius Rogerius, haud dubiè dignus
Fazell. rer. Sicul. Dec. 2. lib. 7. c. 3. 4. 5. 6. & 7. magno parēte, ſequutus eſt. Apuliæ verò Ducatus Rogerio Duce mortuo, ad Guilelmum filium peruenit. Inter iſtos ingentia bella. Dum enim Guilelmus vxorē Auguſtam petiturus, Conſtantinopolim nauigat, Calabriam derepentè Rogerius, ipſámq; inuadit Apuliam, quas poſtea Guilelmo defuncto, legitimo hæredis titulo, Ducatus nomine, tenuit, è Normannorum gente principali, ſolus ſuperſtes: iámq; Comitis Ducíſve appellatione contemptâ,
ANN. 1129. Italiæ Siciliæque Rex appellari voluit. Sed cùm SS. Pontifices, Regem eum Italiæ dici indignarentur, omiſſo eo titulo, Siciliæ Rex, Apuliæ Dux, Princeps Capuæ nominatus eſt. Tum illi Imperium ampliare placuit, petitâ Libyâ, quà meridionale Siciliæ latus reſpicit, permiſēre ſe obſidenti littorales vrbes, Tripolis, Africa, quam Mahdiam Saraceni vocant, Sfax, & Capſia. Tuneti Regem tributarium fecit. Corcyram Inſulam, Corinthum, Thebas, & Eubœam ſubegit. Ludouicum IX. Galliarum Regem, magnus auxiliator, ab interitu liberauit, Gręcorum, Saracenorúmq; claſſibus, quibus Ludouicus premebatur, profligatis. Eo apud Ioppen dimiſſo, Conſtantinopolim mirâ celeritate adnauigat, ſuburbia, in Emanuelis Imp. conſpectu diripit, tandem neglectâ Venetorum claſſe, quæ Græcis auxilio aduenerat, commiſſo prælio, æquo penè marte preſſus, in Siciliam rediit. In eius numis, eiuſmodi tituli leguntur: ROGERIVS IN CHRISTO REX POTENS: CHRISTIANORVM ADIVTOR. Ex altera verò parte is verſus: APPVLVS ET CALABER, SICVLVS MIHI SERVIT ET AFER. Guilelmum, moriens hæredem reli-
AN. Sal. 1145 quit, Siciliæ & Neapolis Regem. Hic claſſe collectâ, contra Saracenos in Ægyptum traiecit: plures Saracenorum vrbes cepit, expugnatáque ac deprędatâ Acri vrbe eorum potentiſſimâ, dum retrò vela vertit, in claſſem Imp. Conſtantinopolitani, hoſtis acerrimi, incidit. Quam, quantumuis numero impar, virtute maior, profligauit: & CL. nauibus captis, victor in Siciliam rediit. Poſt hunc eius filius Guilelmus, cognomento Bonus, Siciliæ Rex proclamatus eſt, hinc Tancredus, & Rogerius, vltimi Normannicæ
ANN. 1195. gentis regnauēre. Quibus Henricus Imp. ductâ in vxorem Conſtantiâ, & ipsâ è Normannorum gente, Cæleſtino III. S. Pontifice adiuuante,

adiuuante, ſucceſſit: regnauítque Normanica gens in Sicilia, do- ANN. 1268.
nec à Carolo Andegauenſi Regno pelleretur, vt Capite ſequenti
dicemus. At longior Normannorum progenies in Galliis Bri-
tanniíſque fuit. Robertus Normanniæ in Galliâ Dux, Guilelmo ANN. 1036.
filio notho, hęrede relicto, deceſſit, qui dedignatus hęreditatem,
Angliam, nauibus petitam, tenuit, idem Angliæ Rex & Nor- ANN. 1067.
manniæ Dux, quæ duo Guilelmo Rufo, Henrico, & Roberto
filiis reliquit: Henricus, Richardo & Ioanne: ſub quo, Nor-
mannia à Philippo Auguſto Gallorum Rege, bello quæſita eſt, ANN. 1218.
ereptáq; Normannicæ genti: quæ, Siciliâ, Apuliâ, Calabriâ, An-
tiochiâ, & Normanniâ priuata, hodie in Carolo Angliæ rege, ſu-
perſtes regnat in Angliâ, Hiberniáque. Normanniæ porro Du-
catum Ioannes, Philippi Valeſij Gallorum Regis filius, Carolúſ- ANN. 1330.
que, Ioannis filius, habuerunt. Horum ſæculo, Angli, Henrico
Rege, qui è ſobole Normannorum erat, nauibus Inſulam ſuam
egreſſi, noſtris victis, Normanniam receperunt, pérque Sequanæ ANN. 1417.
alueum progreſſi, ipſam Lutetiam, Regni caput, occupauerunt,
vbi cuſa moneta, cum hoc titulo: HENRICVS DEI GRATIA
REX ANGLIÆ, HÆRES FRANCIÆ. Inde ius in Regnum
Galliæ Regibus Anglis, nam quod teſtamento Caroli VI. & Au-
guſtarum noſtrarum, tum coniugiis, tum ſucceſſionibus ſibi
vendicant, vt Salicæ legi contrarium, ſine pondere creditur. Hoc
autem quod in armis fuit, armis interruptum, atque interem-
ptum eſt, fugatis pulſíſque, non Normanniâ ſolùm, ſed & totâ
Galliâ, per Carolum VII. Gallorum Regem, Anglis, & in ſuam
Inſulam migrare coactis. Ceterùm, de iis Anglorum Regibus,
quæ è Normannicâ ſtirpe venerunt, déque eorum geſtis ad no- ANN. 1452.
ſtrum opus pertinentibus, ſuo loco dicemus, vbi eorum mariti-
ma exponemus.

CAPVT VNDECIMVM.

Britannorum Armoricorum, antequam ſub Imperio noſtro eſſent, res mari geſta.

ALBIONI Inſulæ, Britannos Galliæ populos, multò ante Iulij Cæſaris tempora, Britanniæ nomen dediſſe omnes hiſtorici conſentiunt: quòd autem ij Galliæ populi ab eodem Cæſare Armorici vocentur, epithetum eſt, non nomen, hoc eſt, littorales Britanni, de vocabulo antiquo gentis. Ceterùm, vt olim Britannia noſtra, cum ſuo nomine Inſulæ *Bertrand. Argentraeus in hiſt. Britannia.*

proximæ

proximæ colonos dederat, ſic & eadem, multa poſt ſæcula, ab Inſulanis Britannis colonos, Regémque Conanum Meriadecum, circa ann. Sal. CCCLXXXVII. Maximo Gallias vexante, Gratiano & Theodoſio Impp. accepit. Conani comes & ſucceſſor Grallo, Danos, littus Britannicum ingreſſos, ingente ſtrage confecit, fi-
ANN. 405. liúmque Salomonem regni recentis hæredem reliquit. Cuius filij Aldranus & Conſtantinus, Reges quoq; fuerunt, hic Angliæ, Anglis petentibus; ille, vt Salomonis ſucceſſor, Britanniæ, ſiue Letaniæ: quæ duo nomina, idem ſignificantia, inueniuntur, in litteris Alani, cognomine Longi, qui Britannis imperauit ann. Sal. DCXC. Vnde in Notitia Imperij Romani legitur, *Præfectus Letorum Francorum Rhedonis.* Vbi nomine *Letorum*, Britanni intelliguntur, quorum vrbs præcipua Rhedonum, Gallicè, *Rennes.* Iſtorum & ſequentium Regum, vſque ad Caroli Magni tempora, qui
ANN. 769. Britanniam imperio ſuo adiecit, geſta inſigniora fuêre, victoriæ aliquot contra Danos, ſiue Normannos in littoribus quæſitæ, cęſis hoſtibus, & eorum claſſibus in ipſis portubus concrematis. Ceterum, vt omnis populus amans eſt proſapiæ Regum antiquo-
AN. Sal. 847. rum, Britanni, excuſſo Gallico iugo, Guiomarum, mox Neomenem, in Regem elegerunt, cuius filius Heruſpeus, idémque Britannorum Rex, Danos (qui & Normanni vocabantur) Siderico Duce, Armoricam infeſtantes, in oſtio Ligeris fregit. Huic Salomon, Salomoni Regi, Duces ſucceſsêre. Quâ occaſione Regnum,
ANN. 878. quod ferè per quingentos annos durauerat, in Ducatum muta-
ANN. 894. tum ſit, hiſtorici ſilent. Ego diſſentione Procerum, poſt Salomonis necem ortâ, diuiſum in plures partes regnum inuenio, quâ immunitione factum puto, vt Alanus Venetiæ Comes, occupatâ magnâ parte Britanniæ, & exciſis iis, qui Reges appellari volebant, ſpreto Regni titulo, Supremus Britonum Dux appellari voluerit, vt inuidiam reliquorum procerum vitaret, apud quos, quidquid Regno per bella ciuilia dempſerant, firmum & perpętuum eſſe voluit. Ab eo plures Duces numerantur, quorum, qui prior mare tentauit, Fergentius vocabatur. Is, ceteríque eius ſucceſſores, quandiu Chriſtianis bellum in Syriâ & Ægypto cum Saracenis fuit, nullam occaſionem transfretandi in Africam, atque Aſiam omiſerunt. Sed eorum præclara mari geſta, ſcriptorum ſocordiâ perierunt, nominantúrque tantùm terreſtribus in
* *De Dreux.* præliis. Primus claſſe conflixit, Petrus * Drodacenſis, Ioannis Bri-
ANN. 1233. tanniæ Ducis pater, & tutor, titulúmque etiam Britanniæ Ducis gerens: qui Henrici III. Angliæ Regis claſſem, in alto deprehenſam, compulit in fugam, ipſúmque Regem intra Burdigalæ mœnia clauſum, obſedit, vetuítque in patriam remeare, priuſquam pacem pecuniâ redemiſſet. Hinc, prædâ Anglicâ ditatus, contra Saracenos duas expeditiones ſuſcepit, terrâ maríque victor, captâ Diametrâ,

Diametrâ, Babylone obſeſsâ, cum in Gallias remearet, ſpiritum cælo reddidit, ingenti omnium Chriſtianorum luctu. Venerat ad Ducatum Ioannes * Monfortius, in quo competitorem habebat Carolum * Bleſenſem: iſti Francus, illi Anglus fauebat. Et primo quidem ſucceſſu, Bleſenſi, Fortuna proſpera fuit Monfortio capto, carcerîq; apud Lutetiam clauſo. Sed vt lubrica eſt, & inconſtans, breui poſt tempore eum in totum deſtituit. Erat Ioanni Monfortio vxor Ioanna Flandrica, Ludouici Flandrici, Niuernenſium Comitis filia, ſupra ſexum fortis, quæ vltura mariti captiuitatem, armata, varias vrbes defendit, pérq; vnum è primoribus Britanniæ, Amaurium Cliſſonium, Ludouici Hiſpani Galliæ Amiralij, ſimul & Genuenſium claſſes iuxta Kemperlęum, Cornugalliæ Armoricanæ oppidum, in portu ſtantes, milite vacuas, quia in continentem deſcenderat, occupauit, hoſtéque ſequuto, V.M. & D. cecidit. Euaſit cum paucis Ludouicus Hiſpanus cruentam pugnam, cymbâque in littore repertâ, fruſtratus eſt inſequētes: vltionem cogitanti, ſuccurrit, nouâ claſſe Britanniæ oras obſidere, ibíque ſuſtinere, donec Ioannæ Flandricæ, quæ cum Anglicis auxiliis expectabatur, claſſi occurreret. Nec tardatum eſt; atrox prælium, Heroinâ illâ Monfortij coniuge incipiente pugnam, nunc enſe exerto, inſultantium audaciam caſtigātē; nunc, quà opus erat, plenis velis accurrente. Cædes vndique, & vndique naufragia, donec intentos in necem, nox primò, deinde tempeſtas diremit, æquior fortuna Duciſſæ partibus, Venetum in portum claſſem eius egit: contra irata viris prementibus ſexum, de quo & ipſa erat, hoſtes permiſit ventis, quibus excepti, diu errauerunt pelago, nauibus aliquot per tempeſtates amiſſis. Reſtabant Ludouico Hiſpano C. triremes, rambergæ (genus nauigij ingentis) III. naues XXX. Ligure & Hiſpano milite fartas, iis Morbihano in littore, Anglicam inuaſit claſſem, quæ & ipſa ingentibus animis pugnauit. Tum quia neque ſucceſſus hoſtium ſpei ſuccedebant, totâque Britannia Anglo milite tuta putabatur, fœdus inter Duciſſam & Carolum Bleſenſem ictum eſt, eâ lege, vt ſibi maritus reſtitueretur; hunc, anno ſequenti, mors quieti dedit, quam nunquam viuens habuerat, Ioanne filio relicto, qui IV. eius nominis, inter Britanniæ Duces numeratur, cognominatúrque Generoſus, ob ingentia bello geſta, quibus Hiſpanias, Italiam, Barbariámque pér ſe, vel per ſuos penetrauit, vbique victor, & immenſæ, apud cæteras Orbis partes, famæ. Iſtius armis Carolus Bleſenſis memorabili acie apud Auraicum cæſus eſt, aliæque per eum victoriæ partæ, quas pax ſequuta eſt. Primum Amiralium, eo denominante, per Britannicum mare, inuenio, Nicolaum *Buchardum, qui paucis ante annis, arcem Croiſicam Oceani in littore ædificauerat, eámque contra Caroli Bleſenſis arma

ANN. 1250.

* Monfort.

* De Blois.

ANN. 1341.

ANN. 1344.

ANN. 1364.

* Bouchard.

tutatus, liberum mare Anglis Britanniſque reliquerat. Forſan & ante eum alij Britanniæ Amitalij fuerunt, ſicut & poſt, ſed eorum nomina, & res mari geſtas, peruerſâ negligentiâ hiſtorici omiſerunt. Quæ ad nos vſque conſeruata materiem grandem huic Capiti darent. Pauca, quæ ad hoc meum opus tradiderunt, nationi fortiſſimæ reddo, iratus tempori quod maiorem rerum per eos
ANN. 1404. geſtarum partem aboleuit. Hoc addo, cùm Angli tota maria de-
* *Du Chaſtel.* prædarentur, claſſis contra eos inſtructa eſt, cui Guilelmus * Caſtellæus imperabat. Piratæ medio in mari inter Angliam Britanniámque deprehenſi, poſt diuturnum certamen debellati, capti, cæſíque ad II.M. naues onerariæ XL. victorem ſequutæ ſunt, In-
* *Jerſey, & Garneſey.* ſulæ ditionis Anglicæ * Cæſarea, & Sarnia, vaſtatæ. Plemucium, Angliæ oppidum, expugnatum, atque incenſum, * Vectis Inſula
* *Vvight.* deprædata, totáque Angliæ ora à Taneguidone Caſtellæo Guilelmi fratre, paucis poſt menſibus, vno curſu impetúque, incendiis. rapinîſque exhauſta. Longo poſt tempore, Franciſco II. Bri-
* *Guibé.* tanniæ Ducatum obtinente, Ioannes * Guibeus Turcas Maſſilienſi à portu Britannicâ claſſe ſummouit: hoc tempore Britannis
* *Auec ceux de la Hanſe Teutonique.* illis cum * fœderatis Teutonicæ vrbibus ſocietas erat: vnde immenſæ illis opes, & tum primùm negociationibus vtilis naui-
ANN. 1488. gatio. In hoc ſtatu res Britannorum erant, cum Franciſci II. hæ-
ANN. 1491. res Anna, primò Carolo VIII. Galliarum Regi, poſtea verò Lu-
ANN. 1498. douico XII. nupſit, attulítque maritis dotem, poſt inſignem probitatem, Ducatum Britanniæ, hoc matrimonio Regno noſtro connexum. De Aquitaniæ maritimis populis Britanniâ abſolutâ, ſpeciatìm aliqua tradere viſum è re aliquibus videretur: ſed cum Aquitaniam Galli, poſtea Romani, inde Viſigothi, Francíque atque Angli tenuerint, nec vllus genti Dux particularis fuerit, qui mari polluerit, ideò lectorem ad ea dimitto, quæ de Romanis, Gothis, Gallis, Francis, Anglíſque variis in locis ſcripſi, in quibus & illa traduntur, quæ, vel ab Aquitanis, vel ab aliis populis circa ea littora, vel in mari Aquitanico geſta ſunt. Nunc ad Galliæ Regiones Mediterraneo mari proximas deſcendo expeditis eorum populorum, qui circa Oceanum in littore Gallico habitant, rebus maritimis feliciter conſtitutis, aut peractis, exceptis iis, quæ Belgæ, & ipſi Galliæ populi, fortiter patrauerunt, de quibus ſtatìm poſt.

* * *

CAPVT

CAPVT DVODECIMVM:

Prouincialium, priuſquam tellus illa ſub imperio Regum noſtrorum eſſet, pugnæ, victoriæque nauales, aliáque mari geſta: vbi & Aragonenſium maritima aliqua memorantur.

NARBONENSIS Galliæ pars, per excellentiam, Prouinciæ nomen ſortita eſt. Iſta primùm ann. Vrbis Cond. DCXXXII. confecto bello Allobrogico, per Q. Fabium Maximum in Prouinciam redacta eſt, atque quotannis, vt in eam Prætores Româ mitterentur, inſtitutum: quo anno, C. Sextius Proconſul, Saluiis, qui nunc Prouinciales, victis, vrbem de ſuo nomine condidit, appellauítque * Aquas Sextias. Circa ann. Chriſti CCCC. tellus iſta, cum Septimaniâ, Gothis ceſſit, Romanis ſubſtracta. Hanc poſtea Vviſigothi, Francique, mox Burgundi tenuerunt: fuítque diu, cum Lugdunenſi Galliâ, pars regni Burgundionum noſtrorum: qui è Vandilis orti, è littore maris Germanici, circa Rheni ripas, mox Galliam Sequanenſem habitarunt, fundauerúntque Imperium, ſub Rege Gundicaro, ſiue, vt alij malunt, Gundengo, vel, Gundiocho, à Rheno ad Gallicum mare. Hoc ipſi tenuerunt Francico ſanguini mixti, ab ann. Sal. CCCCXIV. ad ann. DCCLIV. quo, ſub Pipino Francorum Rege, pulſis à Carolo Martello totâ Septimaniâ Vviſigothis, Gallico Imperio Burgundia, cum ipsâ Prouinciâ, coniuncta eſt. Poſtea autem regnum Arelatenſe, ſiue Prouinciæ, Boſoni per Carolum Caluum Gallorum Regem traditum, ſeparatúmque à Burguudiâ, cui tunc temporis Rudolphus III. imperabat: ſed iſtam Boſo quoque occupauit, poſt mortem Caroli Balbi. Sic iterum Prouincia Burgundiæ Regno comprehenſa, donec familiæ herciſcundæ iudicio, inter liberos Ioannis vltimi Burgundiæ regis, diuideretur. Hanc poſtea Berengarij habuêre, non iam Regnum, ſed Comitatum, Italiæ Regno connexum. Eadem quoque ſub Aragonenſium Regibus, Barcinonis Comitibus, & Andegauenſium Ducibus fuit, donec tot dominatibus feſſa, ſub Principum noſtrorum Imperio, accepta, acquieſceret. Et Maſſilienſium quidem, Arelatenſiúmque Rerumpublicarum vetuſtiſſima dominatio, paulatìm ſub Romanorum dominatione, ſicut & cetera, occubuit, vtræque Phocenſium Coloniæ, ipſúmq; Prouinciæ nomen & res in mari geſtæ, ſerò cognitæ, Barbaris eam terram inundantibus; nec ante ij po-

Sigonius in Faſtos & Triumphos Rom.

Noſtradamus in hiſt. Prouincia.

* *Aix.*

Lazius lib. 12. de gent. migr. Sabell. Enn. 8. lib. 2.

AN. Sal. 414.

ANN. 829.

puli claruerunt, quam ſub Boſone II. Arelatenſium, ſiue Prouincialium Rege. Is primus ann. Salutis DCCCXCIII. Vrbes Prouinciæ maritimas munire, triremes veteres reſarcire, nouas ædificare, expertos nautas, aliáque nauali bello idonea parare iuſſit. Addidit & claſſi, Genuenſium, Piſanorúmque auxilia: quæ Vintimillio in portu contracta, in Muſatum Saracenorum Califam indu-xit. Vtrinque acriter pugnatum, turbata, poſt multam cædem, Muſati claſſis, poſtremò ægrè fracta & fugata eſt. Triremes IV. è Boſonis claſſe deſideratæ: è Barbarâ verò, XX. captæ, reliquæ feſtinatione remigum, cladi ereptæ, Sardoum Corſicúmque littus tenuerunt. Naues hoſtium cum captiuis, Boſo, Genuenſibus Piſaníſq; reliquit, victoriæ naualis præmium. Ipſe Maſſiliam profectus, Carolum Seyſſelum claſſi præpoſuit, qui iuuantibus iiſdem tum Genuenſibus, tum Piſanis, Saracenos Corſicâ Sardiniáque deturbaret. Iſtius poſteritas ad ann. Sal. MLXXX. perdurauit, quo anno Barcinonenſes Comites Prouinciam occuparunt, ſucceſſionis iure, tenuerúntque vſque ad annum MCCXLV. Nam quòd Aragoniæ Reges eandem vſurpatam retinuerint, ab anno MCLXXIX. ad dictum annum MCCXLV. hanc vt Barcinonenſes Comites habuerunt, è Berengariorum gente, de quâ Beatrix, quæ deficientibus maſculis, Comitiſſa Prouinciæ, Carolum, Ludouici IX. Gallorum Regis, germanum, Comitémque Andegauenſem, maritum elegit, vndè plures liberi, & in nouam familiam Prouinciæ Principatus tranſlatio. Corradinus tunc temporis, bella cum Manfredo, pro Regno Siculo & Neapolitano gerebat, impar hoſti, vt puer, ad hæc Regna, per Vrbanum IV. S. Pont. Carolus euocatur. Hic, XXX. cum triremibus Maſſiliâ ſoluens, vnà cum Beatrice vxore, Oſtiam defertur, ac Romæ maximo honore exceptus, Siciliæ, ac totius tractus, qui citra fretum, vſque ad confinia Romanæ Eccleſiæ protendebatur, præter Beneuentum, diadema, per Cardinalem Legatum cum vxore ſimul ſuſcipit. Hinc Manfredo victo, à Neapolitanis Rex ſalutatur. Cúmque eadem belli fortunâ Corradinum debellaſſet, Guidonem Montisfortis Comitem, magnâ claſſe inſtructum, ad recipiendam Siciliam mittit. Potiebatur tum adhuc eâ Inſulâ, Panormo, Meſſana, & Syracuſis exceptis, Corradus Antiochiæ Princeps: qui cæſo Corradino, pro quo Siciliam adminiſtrabat, in ſpem occupādi Regni venerat, ſed eam, à Montisfortis Comite victus, captúſque, cum vitâ poſuit. Receptâ Carolo totâ Inſulâ, cùm quietè agere non poſſet, magnâ claſſe Tuneti Regnum petiit, incolâſque illius, mari victos, tributarios fecit. Ceterum, vt plerunquè fit, laſſata Fortuna victorem ſubinde deſtituit, Veſperis Siculis cæſis totâ Siciliâ Gallis. Hinc vltio Carolum cum claſſe in portum Meſſanenſem: inde Petrum Aragonenſem, ius Siculæ ſucceſſionis, Conſtantiâ Manfredi Regis

Fazell. rer. Sicul. Dec. 2. lib. 8. c. 3. & 4.
Noſtradamus in Annalib. Prouinc.
Sabell. Enn. 9. l. 7.
ANN. 1256.

ANN. 1268.

ANN. 1282.

gis filiâ ductâ vxore, in portum Drepanenſem vocat. Confligitur mari, ante Meſſanam, Rogerio Lauriâ, Petri claſſi imperante, diſſipatur Caroli claſſis, receptuíque canere coacta, ægrè Calabriam tenuit. Hæc victoria Petro Siciliæ Regnum dedit: cui ſtatim addita & Melita Inſula, fidelis in partes Caroli, quam Guilelmus Cornelius cum claſſe tutabatur: in quem Rogerius mouẽs, atrocem pugnam conſciuit, quâ VI. Gallorum triremes captiuæ factæ, & ipſe Cornelius, in Prætoriâ hoſtium naui, Rogerij *Lauriæ manu confoſſus eſt. Hoc mortuo, ceteræ Gallicæ & Melitenſes triremes cum inſulâ permiſere ſe victori, qui ſtatim in Carolum Claudum Caroli Regis filium vela vertit, iuxtáq; Neapolim manus conſeruit. Validè pugnauêre Galli, haud dubiè victores, niſi quidam, Paganus nomine, Rogerij tubicen, aquas occultè ſubeundo, Regiam Caroli nauim, eámque inexpugnabilẽ, terebraſſet, vndè aquis per foramina penetrantibus, dum fundo labitur, cum proceribus, qui in eâ erant, vitam ſeruaturus Carolus, in manus hoſtium venit: captæ cum eâ noſtrorum triremes XLII. Commiſſum prælium eſt ad Caput Antij, non longè à Circæo monte. Vicit idem & in orâ Melitæ, Guilelmum Tornerium, quem ad repetendam eam Inſulam, cum XIX. triremibus Carolus Rex miſerat. Tum primùm in Prouinciâ legimus, Carolo iſto Comite, nondúmque Siciliæ Rege, * Ricanum Allamanonenſem, oræ maritimæ apud Prouinciales Amiralium, qui in expeditione Siculâ Comiti comes fuit. Hunc Carolum Genuenſes, hunc Florentini cum totâ Liguriâ Etruriâque dominum, & veluti Principem agnouerunt, cùm interim pater eius Petrus, duorum Regnorum, & maris dominus vocaretur. Mortuis poſtpaulò Carolo & Petro Regibus, huic Iacobus, illi Carolus, qui tum captiuus detinebatur, filij ſucceſsêre. Iacobi iuſſu, Rogerius Lauria claſſem regebat, pro Carolo verò captiuo, Carolus Martellus, Comes Atrebatenſis, propè Neapolim, in Rogerium claſſem eduxit, malo euentu, victoriâ Rogerio fauente. Iacobo deinde in Aragonenſi Regno conſtituto, Siciliæ Rex Fridericus eius frater ſalutatur, quamuis ille Carolo libero eſſe iuſſo, intercedẽte Rom. Pontifice, Siciliam reliquiſſet. Itaque Carolo fauens, cum Roberto Calabriæ Duce, & Philippo Tarenti Principe, Caroli filiis, Rex Aragoniæ Iacobus, in Fridericum fratrem, Siciliæ Regem, militem eduxit. Iámque vtraque claſſis littora Capitis Orlandi & oppidi Sancti Marci tenebat, iam remiges contis incumbere ceperant, iam ferire miles, cùm Fridericus viſâ Siculorum perturbatione, è pugnâ ſe proripiens, noſtris victoriam reliquit. Ingens præda, paucæque naues ereptæ fugâ inſequentibus: reliquæ, cum Iſclâ Inſulâ, in poteſtatem victorum venêre. In Caroli quoque partes Rogerius Lauria tranſierat, auxiliáque Florentini & Ge-

Fazell. rer. Sicul. Dec. 2. l. 9. c. 2.

* *Suſpicor in Phazello errorem, prǽque Lauriâ, Auriam legendum. Hunc Auriacenſem vocat Ludouicus Goulus, in commentariis, quæ Gallicè ſcripſit, Reſp. Sequanenſis, vbi inter captiuos ab eo Rogerio factos, Iacobum Aubuſſonium, Amiralium Prouinciæ nominat, qui, poſt Ricanum Allamanonenſem, Amiralatum Prouinciæ tenuit.*

ANN. 1284.

* *Rican de Allamanon.*

Fazell. rer. Sicul. Decad. 2. l. 9. c. 2. 3. 4. 5. & 6.

ANN. 1299.

nuenſes noſtris miſerant, & Corradus Auriâ Friderici Amiralius, iuxta Pontiam nauali pręlio fractus eſt, amiſſis triremibus XXXIII. Prætoriáque triremi cum ſignis, poſt longam pugnam, igne, ferróque quaſſata, mox reddita. Iam Robertus Calabriæ Dux, Carolo patre mortuo, Neapolitanum Regnum & Prouinciæ Co-
AN. 1313. mitatum cum titulo Regis Siciliæ ſuſceperat, ad cuius recuperationem varia bella, maririmíque apparatus, Thoma Marchiano Squillacij Comite Admiralo, mox & Bertrando de Blaſco Montis Canoſi Comite, à quibus diu Sicilia claſſe petita. Pugnatum etiam iuxta Lothophagiten; quæ hodie Gerborum Inſula eſt, Martino Coxâ claſſi præfecto, à quo Raymundus Peralta Friderici Amiralius oppreſſus eſt. Nec ita multo poſt Fridericus
ANN. 1336. fato cedens, Petro filio Siciliam reliquit, qui electo, ad rutandum mare, Petro Rolando fratre ſpurio, ad Liparam victus eſt, virtute Gotfredi Marſani, Comitis Squillacenſis, Roberti Admiralij. Ferunr Roberto Maſſilienſes ſpontaneâ ſe obligatione deuouiſſe, ínque eius maririma bella duas triremes paratas in portu ſemper habuiſſe, armamenris, annonâ, & milite fartas. Eidem quoque
ANN. 1344. Genuenſes ſe, vrbémque ſuam dediderunt, imperauítque Genuenſibus Robertus, annis XVIII. Iſte ſolarium mortis è filio, Ioannam neptem, in Regno & aliis Principatibus, ſucceſſorem habuit, impudicitiâ quidem infamem, ſed inſignem arre domi-
* Raynier de Grimauld. nandi. Ea regnante, * Raynerus Grimaldus præfectus claſſis &
ANN. 1368. oræ Prouincialis maritimæ fuir: cúmque ſine ſobole eſſet, adoptiuum fecir Ludouicum Andegauenſem, Ioannis Galliarum Regis filium, in cuius fauorem Andegauenſis Comitatus, Ducatus ritulo inſignitus fuir. Sic irerum Neapolitanum Regnum cum Prouinciæ Comiraru in Andegauenſes tranſlatum eſt, ſucceſſítque Ludouico Ludouicus alrer, cuius Baptiſta Fregoſius Amita-
ANN. 1420. lius, Liguſtico mari, Alphonſi Siciliæ Regis claſſem arcir. Hunc quoque Ludouicum, Ioanna II. & ipſa Neapolitanorum Regina, in filium adoptauit, quo gemino vinculo filiationis, ius in Regnum creſceret, augeretúrque etiam adoptione tertiâ Renari, Ludouici II. fratris, ſi Noſtradamo aſſentimur, filij, qui Ludouico mortuo, in Regna Ioannæ adoptionis lege vocatus eſt. Fouit iſte ſubdiros, & ex eâ causâ Boni cognomenrum meruir. Alphonſi
* Ciuitat. naues Prouinciæ oram tētantes ante * Ciuitatis portum fugauit. Duces Reuarianæ claſſis eranr, Petrus * Vſenſis, Apronius Her-
* D'Vſez. menterus, & Enguerandus de Accurſiâ. Renato ſucceſſor fuit, Carolus Hungariæ, Ieruſalem, Siciliæ, & Aragoniæ Rex titulo te-
ANN. 1481. nus, vltimus gentis Andegauenſis, qui Ludouicum XI. Gallorum Regem hæredem omnium, ſed præcipuè Prouinciæ reliquit: à quo tempore connexa illa Regno Galliæ fuit, & authoritare Regum noſtrorum adminiſtrata: Siciliæ verò & Neapolis Regna,

bellis petita, quæſita, mox amiſſa: infauſta & infida poſſeſſoribus. Epitaphium Caroli, quamuis ad propoſitum noſtrum nihil faciat, quia tamen hic Comes vltimus Prouinciæ fuit, de quâ hoc Capite tractamus, tum quòd etiam venam ſapit non publicæ poëſeos, hîc aſcribo, è tumulo, quod Arelate eſt, in æde S. Saluatoris excerptum.

Lilia Francorum, cæleſtia munera, Regum
Relliquias, veteris Andauiæque domus,
Occulit iſte lapis, cælatáque marmora claudunt.
Obruta ſic fatis Regia ſceptra iacent!
Jeruſalem, & Siculos, & ſi per fata liceret,
Aragones poterat noſtra tenere manus.
Sed fortuna diu noſtros ne ferret honores,
Accelerat mortis tempora dura mihi.
Qui legis, hoc triſti, quod ſcriptum eſt, marmore, carmen,
Dic, tibi ſit requies Karole, páxque tibi.

CAPVT DECIMVMTERTIVM.

Belgarum maritima prælia, victoriaque à Iulio Cæſare ad hanc diem. Vbi & de eorum gubernationibus bellicis & politicis tractatur, expeditionéſque in longinquas & incognitas antea terras recenſentur.

GALLIÆ quoque pars olim maxima, Belgium, & cùm illa in tres partes diuideretur, celeberrimum Belgicæ nomen, ante Celtarum, & Aquitanorum. Sub variis Principibus primò fuit. Deinde Francorum Regno; hinc Burgundiæ mox, Comitatus titulo, coniuncta, diuiſa tandem in tres partes; inter Gallos, Hiſpanos, & fœderatas Prouincias. Quidquid terrarum Axona & * Sabis ambiunt vſque ad Oceanum, vbi Morini, Caletéſque, Remíſque & Sueſſones habitāt, Galliæ cedit. Moſæ & Rheni fluenta, Eburonum & Menapiorum ſedes, Hiſpanis currunt, Vahalis & Rheni vlterior ripa, Batauis paret. Ac primùm quandiu diuerſis Principibus obtemperauerunt Belgæ, ex altiore Germaniâ tranſducti, Gallos vltra Rhenum expulerunt, Teutonéſque & Cimbros extra fines ſuos egredi prohibuerunt. Cum Iulio Cæſare, & Romanis Legionibus congreſſi, victores extiterunt, donec ſuorum, aut ſociorum proditionibus per partes, & inter ſe diuiſi, ægrè adhuc vincerentur. Inſulam Batauorum Cæſar Germanicus, non victã, ſed

* *La Somme.*

Cæſar lib. 2. belli Gallici.

Tacit. Annal. l. 2.

ſed ſociam habuit, in eâ contra Germanos mille naues properatæ, anguſtâ puppi, proráque, & lato vtero, quò facilius fluctus tolerarent: quædam, planæ carinis, vt ſine noxâ ſiderent: plures appoſitis vtrinque gubernaculis, vt conuerſo repentè nauigio hinc & illinc appellerent: multæ pontibus ſtratæ, ſuper quas tormenta veherentur, ſimul aptæ ferendis equis, aut commeatui, velis habiles & remis citæ. Silius, Anteius, & Cæcina fabricandæ claſſi præpoſiti erant. Locus ad bellum tranſmittendum opportunus, nauale poſtea Romanorum aduerſus Gallos & Germanos. Inclaruit inde Batauorum gloria, ex his creati cuſtodes lateris Auguſtalis, ex his cohortes formidabiles compactæ. Vnde iurgia primùm, mox rixa inter Batauos & Legionarios ſub Nerone & Vitellio. Bataui, donec trans Rhenum agebant, pars Cattorum, ſeditione domeſticâ pulſi, extrema Gallicæ oræ vacua cultoribus, ſimúlque Inſulam inter vada ſitam, paulò ante Iulij Cæſaris aduentum occupauêrant, quam Oceanus à fronte, Rhenus amnis tergum ac latera circumluit: nec opibus Romanis attriti, adiunctâ etiam validiorum & vicinarum gentium ſocietate, viros tantùm & arma Imperio Rom. miniſtrauerunt, non Romanis, ſed domeſticis Ducibus parentes. Donec Iulius Paulus, & Claudius Ciuilis Regiâ ſtirpe, bellum aduerſus Romanos mouerent, infenſi Vitellij vitiis. Quibus acceſſêre & alij Duces, Brinio, Claſſicus, & Tutor. Stationaria Romanorum claſſis capta, trucidati Centuriones & Tribuni cum milite, expugnata caſtra, deletæ cohortes, pulſum Batauorum Inſulâ Romanum nomen. Dura bella & longa, pax demùm, donec Valentiniano ad culmẽ Auguſtale euecto, Franci Melobaudo Rege, ex interiore Germaniâ exciti, & Rhenum tranſgreſſi, littoralem Belgicæ oram occuparent: totámque mox Belgicam, Sunone Duce, qui interfecto Diocle Belgarum Duce, Belgarum & Auſtraſianorum Princeps ſalutatus eſt, circa ann. Sal. CCCC. In iſtius ſanguine Ducatus iſte permanſit, vſque ad Pipinum, qui Rex Francorum proclamatus, Belgium totum Regno Galliarum coniunxit. Fuerunt & Marchiones Handvverpiæ, ſiue limitis Anglici, à Theodorico huius nominis primo, Francorum Rege, limiti Armorico præpoſiti, inter Scaldim, Moſam, Rhenúmque amnes, & Oceanum Germanicum. Iſti ab Vtilone inceperunt, finémq; dominationis habuerunt, ſub Marchione Gothofrido, tenente Occidentale imperium, Henrico IV. * Saltuarij quoque Flandriæ, à Carolo Magno, vel, vt aliis placitum eſt, à Pipino creati ſunt. Primum inuenio Eſtoredum, hinc Ludericum de Harlebeck, à Carolo Magno inſtitutum, ann. Sal. DCCXCII. cuius officium erat, tueri oram maritimam, & à deprędationibus Normannorum defendere. Ex eo, poſt multos annos, Arnoldus primus Comes Flandriæ fuit, durauítque in eius poſteritate

Idem hiſt. lib. 1. 2. 3. 4. 5.

Marcellin. lib. 27. & 30.

Lazius lib. 5. de migr. gentium. Meierus in Annalib. Flandriæ.

** Les Foreſtiers.*

Ann. 900.

poſteritate Comitatus iſte vſque ad Balduinum VIII. qui ſine liberis decedens, Carolum Daniæ Regem, tum exulem, hæredem teſtamento ſcripſit. Poſt cuius mortem Flandria ad Comites Egeshaim, Dagſperg, & Honavv deuoluta eſt, & Theodorico ſucceſſionis lege conceſſa, qui ex Gertrude, Roberti primi nomine, penultimi in gradu, Flandriæ Comitis filiâ, natus fuerat: è quo Philippus, qui Henrico Hannoniæ Comiti Flandriam moriens reliquit. Sic ad Hannoniæ Comites deuolutus Flandriæ Comitatus, circa ann. Sal. MCXCIII. Ab his in * Dampierorum Burgundicam gentem, ductâ à Guilelmo Dampiero Margaretâ, Flandriæ & Hannoniæ Comitiſſâ vltimâ. Ex hac gente, Ludouicus II. duos ampliſſimos alios Comitatus ditioni ſuæ adiecit, Burgundiam ex matre, Brabantiam ex coniuge. Hic, filiâ vnicâ, Philippo Burgundiæ Duci, Ioannis Gallorum Regis filio, in matrimonium datâ, in proſapiam Regij Gallorum ſanguinis, ſuos Principatus miſit, durauítque poſſeſſio ad Mariam, Caroli vltimi Burgundiæ Ducis filiam, quæ accepto Maximiliano coniuge, patrimonium maximum, ingentes terras, culpâ Ludouici XI. Gallorum tum Regis, Auſtriacæ genti tranſmiſit, in quâ hodie perdurat, niſi quòd Hollandiæ, Zelandiæque Comitatus, páſque inferior Belgij, Fœderatis Prouinciis ceſſit, quæ totam ſeruitutem pati non ſuſtinuerunt. Sed & olim pars illa inferior à Comitatu Flandriæ diuulſa fuit. Hanc quippe Theodericus, Sigeberti Aquitani filius, inter proceres, Carolo Caluo Imp. gratus, primus poſſidere cepit, ann. Sal. DCCCLXIII. Comitis nomine: eámque à crebris nemoribus, vel quòd, ob inundationes Oceani, penè tota terra caua videatur, Hollandiam, vel Holandiam vocauit. Hanc Theoderici nepotes diu poſſederunt, finiítque dominatio in Guilelmo VII. cuius ſoror Duci Burgundiæ cùm nupſiſſet, in Burgundicam familiã Hollandiæ Zelandiæque Comitatus tranſmiſit. Inter Comites Hollandos, Guilelmus Ioannis II. filius, maximè claruit nauali victoriâ, quam de Guidone Dampiero, ante Ziriczeam, reportauit, in quâ Flandrorum, X. M. cecidit, innumeros cum nauibus cepit: mox & eoſdem hoſtes, in Inſulâ Cazant, ſeu, Caſoliâ profligauit. Victus demùm ad Veram, Vvalachriæ oppidum, dein & ante vrbem Ziriczeam Scaldiæ, quæ vna eſt ex Inſulis Zelandicis: poſtremò in littore Duuelandiæ: in quâ maritimâ pugnâ, inter Guilelmi Duces præcipuus captus eſt, Guido, Epiſcopus Traiectenſis: ipſe etiam Guilelmus fugâ vix ereptus, ad patrem, qui tum in Hannoniâ ægrotabat, confugit. Cæſa ea die III. M. Hollandorum. Claſſe tandem reparatâ, armatáque milite Gallo, Friſio, Hollando & Hannonio, cùm ei Reinerium Grimoaldum Genuenſem, per tot maris æquora quæſitum, ducem præfeciſſet, ante eandem Ziriczeam, Guidonis Dampieræ

Obiit ann. Sal. 1137.

** Dampierre.*

ANN. 1240.

Barland. hiſt. Holland. Comitum.

Iacob Meier. Annal. Flandr. lib. 10.

AN. Sal. 1304

claſſem adortus, in alterum diem retractâ pugnâ, quam nox in-
terruperat, & æſtus maris, Guilelmus harpagonibus naues ſuas
connexuit, ne incertæ fluitarent, & ſine ordine, reciprocante pe-
lago. Qui harpagones,cùm è ferro eſſent, ab hoſte rumpi non
potuerunt. Contra Flandrica claſſis vinculis & funibus vincta
fuit,qui, vt primùm de nocte excisi ſunt ab Hollandis, Oceani
creſcentis fluctibus claſſis alleuata, concuſſa, & diuulſa, inſtanti-
bus ceſſit,Guidone capto. Acceſſit & alia Flandris clades, nam
cùm in hoſtium claſſem nauem incendiariam immiſiſſent, illa,
tempeſtate in ſuos reiecta,totam eorum claſſem penè abſumpſit.
Seruatæ ab incendio naues, Hollandis ceſsêre. Numerus victa-
rum, aut incenſarum nauium, M. C. putatur. Ante & poſt Gri-
moaldum nullum Amiralium Hollandiæ in hiſtoricis reperio,
Meteren. hiſtor. Belgic. lib. 1. 2 3. & 4. ſcribentium incuriâ, qui res Hollandorum Flandrorúmque præ-
clarè geſtas omiſerunt,vſque ad annum Sal.MCCCCXCI.quo *Be-
Richard. Dinothus de bell. Belgic. uerium Amiralium Zelandiæ lego, ante * Sluſiam ſub Alberto
** Le Sr de Beuere.* Saxonum Duce inferioris Germaniæ pro Philippo Duce guber-
** L'Ecluſe.* natore, XL.bellica nauigia, minora XLIII.cepiſſe. Tum primùm
AN.Sal. 1503 Canariæ Inſulæ nauigatæ, appulerúntque Campuerum duæ na-
ues Zelandicæ, ſaccaro Canarico onuſtæ. Poſt aliquot annos,
ANN. 1555. prælium inter Gallos & Hollandos ingentibus animis inceptum,
incendio, non armis finem habuit: nam cùm nauis vna ignem
concepiſſet, ſparsâ flammâ vtramque ferè claſſem conſumpſit,
tantúmque bellum cum Vulcano vno geſtum eſt, penè in ipſo Ic-
cij portu,Neptuno patiente inimicum Numen. Tum in Belgio
** De Beure.* pro Philippo II.Amiralius fuit Philippus Burgundus * Beurefius,
** Les Gueux marins.* * Maritimis verò Mendicantibus, contra Philippum Hiſpania-
rum Regem, Philippus Mommorancius, Comes * Hornenſis.
** De Horne.* Quamuis rebelles Hollandi, non ſe in Regem Hiſpaniarum ar-
ANN. 1564. ma ſumpſiſſe iactarent,ſed in Ferdinandum Aluareſium à Tole-
do, Albæ Ducem, Belgio prępoſitum, vt eius tyrannidem Duce
** Le Prince d'Orange.* Guilelmo * Arauuiorum,ſiue Auraici,Principe opprimerent, vel
ſaltem vitarent. In eorum bellicis ſignis hoc erat ſcriptum: PRO
LEGE, GREGE, ET REGE. Coactâ demùm claſſe, Principis
Arauuiorum iuſſu prædata maria, imperante nauibus domino
** De Dolhain.* * Dolhaineo, qui aliquot onerarias, ab Indiâ redeuntes, vi cepit.
Hinc victoribus audacia creuit, proliciente prędâ, miléſque, &
ANN. 1572. claſſis auctior, & ferocior. Maritimorum Mendicantium Ami-
** De la Marche.* ralius factus eſt Guilelmus, Comes * Marcianus, dominus de Lu-
** Barthel Entens.* mey,Viceamiralius verò Barthelus * Entenſius de Mentedâ. Iſti,
** Flibots.* XXX.nauibus,quas * Flibotios vocant, tempeſtate in Oſtia Moſæ
pulſi,obſeſſam Brielam ad deditionem compulerunt,initium do-
minationis earum Prouinciarum, quæ hodie Fœderatæ vocan-
tur: quippe quòd multæ vrbes Brielam ſequutæ, vel ſponte, vel
coactæ,

coactæ, fugitiuis primùm pro aſilo fuerunt, mox & victoribus; omnibúſque, quibus Hiſpanorum tyrannis, aut metum, aut faſtidium faciebat. Tranſiit in Fœderatorum partes * Fliſſinga, nauéſque, quæ in portu erant, Duce * Evvotio Pieterſeno, in Albæ Ducem armauit, quibus Hiſpanica claſſis diu laceſſita, incenſâ tandem, fractáque fuit. Acceſſit Fliſſingæ * Ziriczea, Ziriczeæ; Roterodamum, Amſterodamum, Enchuyſa, Harlemum, aliæque vrbes, quæ communis ſalutis ad æmulationem ſtudioſæ, LV. naues in vnum coëgerunt, addiderúntque veteri claſſi, iuxtáque * Lugdunum Batauorum, in loco, cui nomen * Cauea, Hiſpanos maritimo prælio fregerunt, captis XX. eorum nauibus, aliis colliſis & depreſſis, ſimul & occupatâ arce, quæ in littore erat. Regiæ Hiſpanorum claſſi imperabat * Sancius Auilaus, cuius naues, vt inter ardorem pugnæ ab hoſtilibus dignoſcerentur, ab vtroque latere rubrâ cruce ſignatæ erant: quæ crux Burgundica appellatur: ſeu quòd olim Burgundionum (è quibus Philippus II. Hiſpaniarum Rex ortus erat) ſtemma, crux rubra. Seu quòd eorundem patronus eſt Diuus Andreas, qui cum cruce rubrâ figuratur. Eodem anno, qui fuit Sal. MDLXXIII. Balduinus * Evvotſenus in demortui Pieterſeni locum Amiralius Zelandiæ ſuffectus eſt, atque illi Legatus datus eſt Ioannes * Morus: cui mox fatis abrepto, ſucceſſit Cornelius * Claëſſenus. Signum conuocandi conſilij bellici tunc erat, vexillum Amiralij in aërem de puppe Prætoria iactatum: ad quod ſignum leuibus lembis euecti duces cuiuſque nauis ad Prætoriam tendebant, audituri quæ Amiralius, ad rem quæ offerebatur, dicturus erat. Evvorſeno Zelandiæ Amiralio Ludouicus Boiſotus ſucceſſit, qui ſtatim explicatâ claſſe, oſtia Scaldis ingreſſus, Hiſpanam claſſem fugauit, vltraque * portum Bergenſem perſequutus eſt. Poſtquam autem Dux Albæ confectis multis nauigiis, inter quæ Prætorium Inquiſitionis nomine vocatum eſt, claſſem auxit, * Septentrionales Hollandos ab omni parte petiturus: præfeciſſérque illi Maximilianum Henninium * Boſſuuij Comitem, atrociſſima pugna non longè à * Pampiſio commiſſa eſt. Iunctæ ſimul Prætoriæ naues, ipſique Amiralij vnà congreſſi ſuſtinuêre dubiam dudum victóriam, donec depreſſis aliquot nauibus, diſſolutis aliis, continuato prælio in alteram diem, victor Cornelius Diereckſenus Septentrionalium Hollandorum Amiralius, Boſſuuium Amiralium dedentem ſe, cum omnibus, qui in Inquiſitionis naue erant, recepit, captiuúmque fecit. Hac acceptâ clade, Dux Albæ reuocatus in Hiſpanias, adminiſtrationem Belgij Ludouico * Requeſentio reliquit. Vt fieri ſolet; ſucceſſoribus prædeceſſorum facta immutantibus, nouus Belgij gubernator, pro Philippo II. Hiſpaniarum Rege, leuandæ obſidionis * Midelburgenſis causâ, claſſem in duas

Marginal notes:

* Fliſſingue.
* Evvout Pieterſen.
* Ziriczee, Roterdam, Amſterdam, Enchuyſe, Haerlē.
ANN. 1573.
* Leyden.
* La Cage.
* Sancio d'Auila.
* Evvotſen.
* Le More.
* Claeſſen.
* Le haure de Berguer.
* Nort-Hollandois.
* Comte de Boſſu.
* Pampis.
ANN. 1574.
* Requeſens.
Meteranus hiſtor. Belgij lib. 5. 6. 7. 8. 9. & 10.
* Midelbourg.

partes diuiſit: quarum vni Sancium Auilaum præfecit, alteri Iulianum *Romerum,qui cum Boiſoto, Zelandiæ Amiralio conflixit, ante * Rommerſvvalæ mœnia, in conſpectu Requeſentij, qui ex aggere, de terrâ, maritimæ pugnæ ſpectator erat, ſuis animos facturus,ipſe periculi liber. Victus Romerus, natatu euaſit, in poteſtate hoſtium x.nauibus relictis, in quarum numero Prætoria fuit. Plerique Hiſpanorum Ducum cæſi, militum DCCC. Nuncio cladis Auilaus perterritus, Antuerpiam, cum alterâ parte claſſis, cui imperabat,rediit. Victoris leges Midelburgum accepit, aliáque claſſis ab eodem Boiſoto iuxta * Ordamum, in ipſo * Scaldis alueo, debellata: & quia poſt pugnā capta nauigia,aliáque è claſſe Boiſoti, vt clauda & inhabilia ægrè curſum moliebantur,ſanior pars claſſis, fictâ obſidione,Ordami arcem laceſſauit, quò tutius corruptæ naues,portum,vndè ad pugnam exierāt, repeterent: quod quidem ſtratagema victoribus benè vertit. Erat in eâ claſſe inuſitatæ formæ nauis, quæ * Arca Delphitica vocabatur, è duobus nauigiis compacta, quibus frumentum deuehi ſolet,ſine velis,ſine remis,rotis acta,quæ XII.hominum manibus torquebantur,nouum in his terris opus,ſed pluribus iam ante ſæculis notum, vt in eius deſcriptione dicturi ſumus,cùm de diuerſis nauium generibus ſcribemus,ſub finem iſtius operis. Belgium tunc induciis, pace,fœderibus,bellis exercitum, ſub variis rectoribus vapulauit,gubernatum per Ioannem * Auſtriacum, Philippum * Croyenſem, Archiducem Matthiam Rom. Imperatorem, cuius Guilelmus, Auraici Princeps Legatus ſalutatus eſt, quibus & Franciſcus * Eſſuiorum Dux additus,cum titulo: Defenſoris libertatum Inferioris Germaniæ. Diuulſa deinde & ſeparata dominatio, Hiſpanis partim ceſſit,partim Prouinciis fœderatis, ita appellatis,quòd ann.MDLXXIX. in vrbe * Vltraiecto, in Hiſpanicam dominationem ſimul iurauerint, communibus impenſis bella ducturæ; quibus vt obſtaret Alexander Farneſius Dux Parmæ, Belgis, qui in partibus Hiſpanicis durabant, præpoſitus eſt.

ANN. 1580. Fœderatarum verè Prouinciarum factus Princeps,qui & Flandriæ Comes appellabatur, dictus Franciſcus Eſſuiorum & Andegauenſium Dux,Henrici III.Gallorum Regis germanus. Hoc fatis rapto,& Guilelmo Auraici Principe nefariè cæſo: Mauricius, &

ANN. 1584. ipſe Auraici Princeps, Guilelmi filius, Prouincias fœderatas Belgij gubernandas ſuſcepit, cum titulo Magni Amiralij. Sequens annus nouitate machinæ naualis celebris fuit. Huius author Fridericus Genibellius Mantuanus, qui Antuerpianis onerarias naues contra Hiſpanos in hunc modum ad incendium & ruinam parauit. Totam carinam, fornice ſaxeo ſtratam, puluere ſulphureo compleuit. Fornix aculeatis lapidibus pedum trium longitudine, craſſitudine duorum tegebatur.Per tranſtra nauium lapidea

Marginal notes: * Romero. * Rommerſvvale. * Ordam. * L'Eſcaut. * L'arche de Delft. * D'Autricha. * De Croy. * D'Alençon. * Vtrecht. * D'Anjou. Meteren. lib. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. & 19.

lapidea dolia, eodem puluere farta, diſpoſita erant. De malo & antennis funes digitali craſſitudine aceto imbuti, ſiccatíque ad ſolem, quò facilius acceptum ignem ſeruarent, dependebant, alij aliis minores, vtpote per diuerſa momenta, certo tamen tempore, pulueri doliis incluſo, fornicíque incendium daturi. Vna, inter alias incendiarias, nauis, cui nomen Spes, ante arcem* Calloinam reſtitit, anchoris retenta, quæ de prorâ & puppi pendebant. Ridebant è littore Hiſpani fatalem machinam: cùm ſuſcepto igne, fracta vi pulueris lapidea dolia, circunſtantes vario vulnere oppreſſerunt. At poſtquam ſubita flamma lapideum fornicem diſcuſſit, omnes, qui in littore erant, obrui, repercuſſu carinæ aqua in altum iactari: eâ arx impleri, ſimul & circumiacentes campi, cepêre. Tum à fundamentis arx eruta, propugnacula diuulſa, ſex naues, quæ in portu erant, eadē pernicie inuolutæ, fractæque, ad ſextum vſq; lapidē, omnes, aut enecati, aut ſaltem terræ proſtrati: nulla vnquam tempeſtas ſæuius aëra turbauit. Hominum DCCC. periêre. Pons quoque ſaxeus, nouiſſimè iuſſu Ducis Parmæ, iuxta arcem conſtructus, Scaldíq; impoſitus, tempeſtati huic ceſſit, coactus in profundum ruere: quæ huius inuenti cauſa ſola erat, facto, huius pontis diſiectione, Antuerpianis aditu per totum Scaldim. Interim *Vlyſponæ, in Portugalliâ, parari, cogíque claſſis propè infinita, quâ terræ Fœderatorum Anglorúmque Inſula peteretur. Longæ naues inuſitatæ magnitudinis, quibus Gallionum nomen, LXIII. Minora nauigia, vt ſunt * Patacæ, Aſſabræ & Carauellæ, quæ remis reguntur, LIII. Triremes & * Galleaceæ VIII. * Holcæ XXIII. Intus nauticæ familiæ VIII.M. militum, XX.M. Machinæ bellicæ grandioris, Canones vocamus, II.M.DCL. Dux claſſis Medina Sidonia. In Belgio, Parmæ Dux alteram claſſem parabat, bellicarum nauium XLII. Cauſa belli contra Anglos, interdictum S. Pontificis, quo primo occupanti hoc regnum concedebatur. Contra, Eliſabethæ Anglorum Reginæ CL. naues erant, moueri faciles, quibus & vrgere, & cedere facilè erat. Harum Amiralius Carolus Hauardus, poſt quem Dracus, circumnauigati orbis celebratione nobilis, imperium habebat. Fœderatis quoque Belgis claſſis erat XC. nauium, quibus portus & oſtia fluminum defenderent, Iuſtino Naſſauio Duce. Erant & XXX. naues aliæ, ſub imperio Cornelij * Lonckij, quibus obuiam hoſti iretur. Iungere claſſes ante Iccium portum Hiſpani decreuerant, vndè tutius Londinum, caput Anglicarum vrbium, per Tameſis fluenta peterent: iámque * Plemutium prætervecti, animis Angliam tenebant, cùm Anglica claſſis expeditis & celocibus nauigiis tardas Hiſpanorum naues laceſſere cepit, captáque aurâ, in conſertos hoſtes inuehi, cogeréque ad receptum, duabus onerariis captis, multis actuariis. Tum ad Inſulam * Vectim fugientes

Le fort de Calloo.

Lisbone.

ANN. 1588.

Patachet, Aſſabres, Carauelles.

Galleres.

Houlques.

Lonck.

Plemouth.

Veight.

ſequi, dúmque Iuſtinus Naſſauius claſſem Parmenſem continere ſe intra portum adigit, ad Iccium vſque portum hoſtibus incumbere, abigere portu, diſperſis imminere, nunc hanc, nunc illam nauim à ceteris ſeparatam inuadere, occupare,* Greuelingæ & Dunkerkæ littore pellere, repugnantes profundo dare, galliones ſancti Philippi & Matthæi capere, alia nauigia, aut ſaxis lacerata, aut vadis impedita, iactata alia ignoto ſalo, vel aquis abſorpta, vel tempeſtate, partim eiecta in Gallicum littus, partim in Noruagium, partim in Irlandicum, nec aliud è tantâ claſſe rediit ad Hiſpanos, quam fractæ tabulæ; & diſſolutæ naues LIII. reliquæ interiêre, vel victori ceſſêre. In eius rei memoriam, numiſmata in Zelandico ſolo cuſa, ab vnâ parte ſtemma Zelandiæ oſtentant, cum hac inſcriptione: SOLI DEO GLORIA. Ab alterâ parte plures naues profundo mergebantur, cum hoc titulo: CLASSIS HISPANICA VENIT, IVIT, FVIT. Hoc quoque quod ſequitur, propoſito meo conuenit, quo bellicas etiam fraudes, quæ in mari aquiſve fiunt, enarrare conſtitui, vt lector non modò à virtute opem aduerſus hoſtes quærat, ſed & ab arte & ingenio. Adrianus Bergenſis piſcator, militibus Hiſpanis, qui in arce Bredæ cuſtodiæ vigilabant, quo frigus arcerent, ceſpites flumineos ad ſolem ſiccatos inferre conſueuerat: hic opem ſuam Carolo * Herauguiero pollicitus, eum cum LXX. militibus fluuiatilis nauigij carinâ excepit, aceribúſque ſuperſtratis incluſit. Huic tabulato de more deſiccati ceſpites impoſiti erant, quibus pro ligno per hiemem Belgæ vtuntur. Vt ventum in portu Bredenſi, ſtatim intra cathenas deducta nauis eſt, ne quis inſciis cuſtodibus abiret. Nocte mediâ Herauguierus cum ſuis de latebris ſurgens, vigilibus cæſis, præſidióque, arcem occupauit, ſignóque benè geſtæ rei ſequenti die ex arce, vt conuenerat, ſublato, Mauricium Principem, qui cum exercitu propè erat, in vrbem vocauit. Sic Breda cum arce, Mauricij patrimonium, Hiſpanis erepta, factúmque de eâ re ſequens epigramma:

* *Greuelingue & Dunkerke.*

* *De Herauguiere.*

ANN. 1590.

Iam credi res geſta licet, non vana Poëſis,
Machina Trojani quâ celebratur equi;
Quem fœtum hoſtibus, & fatali funere Troja
Ipſa intra muros traxit, & arce ſtitit.
Hoc Herauguierus meruit, qui talibus auſis
Tale edi facinus poſſe reâpſe probat.
Cùm naui occultus, quámque ipſe attraxerat hoſtis,
Bredæ auſu ſimili illabitur, & trahitur.
Hoc differre tamen: quod Troja hoc corruit aſtu,
Sed Breda excuſſo eſt libera facta iugo.

Poſt

Poſt hæc, iidem, qui tutelæ ſuæ terrarúmq; recenter quæſitarum, aut finitimarum quæſioni ſtudebant, longinquas terras petere, hoſtem in Hiſpaniâ,ipſáque in Indiâ quærere,premere. In Sinas præterea, viam ſibi per glaciale Oceanum tentare, nouum fretum ante Tartariam tranare, noménque dare illi Naſſauij, de nomine familiæ Principis Mauricij. Hinc ad oſtia Obij fluminis Tartariæ celeberrimi per placidius mare penetrare, Inſulas incognitas, terráſque viſere,nomináque illis indere. Harum nauigationum Septentrionalium authores apud Belgas fœderatos primi fuerunt, Iacob Valcxius,Chriſtophorus Roelſius,Zelandi: Balthaſar Mocheronus, Ioannes Ianſenus Caerle, Dirick de Oſſe, Amſterodamenſes. Miſſa quoque & alia claſſis in Orientalem Indiam per aliud mare,quà Bonæ Spei promontorium,vltra Æquinoctialem circulum pelago inſeritur. Tertia item claſſis, hoc ipſo tempore Margaritæ Inſulam, Braſileam, Occidentaléſque Indias commercio Belgis iunxit. XII. naues ductu Vvarmontij ab Eliſabethâ Angliæ Reginâ contra Hiſpanos auxilio miſſæ. Cognitæ in Septentrionali Oceano Inſulæ duæ,vna Noua Zembla,hoc eſt,Noua terra appellata: altera ab vrſorum candidorum multitudine, Inſula Vrſorum dicta: tertia quoque cui Auraicæ, in Auraicorum Principum memoriam appellatio facta eſt,ab his, qui nauigationis Duces erant, inter quos Barentſenus, & Corneliſſenus, Hollandi. Inſulanis illis, Sol lucere incipit, XXIV.Ianuarij, totam hiemem,vna nox trium menſium conficit. Interim ſocietate inter XII.Hollandiæ mercatores initâ,ſub nomine Societatis Indiæ Orientalis,IV.nauibus India Orientalis petita eſt,itinere Auſtrum verſùs quæſito, promontorióq; Bonæ Spei à puppi relicto, mox & Sumatra Inſulâ, negotiationis causâ Iauam Maiorem, quæ & ipſa Inſula eſt,petierunt,poſtea & * Balym. Indè in Hollandiam reduces, aliam claſſem primæ claſſi coniunxerunt, ſub eodem titulo Societatis Hollandicæ ad Indiæ Orientalis nauigationem. Nomina nauium fuerunt,Mauricia Amſterodamenſis,ſiue Amſtelodamenſis, Hollandica, Geldrica, Zelandica, * Vltraiectum, Friſia, & * Trans-Iſelana: quibus omnibus Iacob Neckius præerat. E Zelandiâ,eodem itinere, duæ Baltazaris Mocheronis naues, tres Adriani Hendrickſen ten Haef Orientem penetrarunt. Quinq; item Roterodamenſes, ſub Iacobo * Mahuo Amiralio, totum terrarum Orbem circumnauigauerunt. Factum indè eſt æmulatione Fœderatarum Prouinciarum, vt inſequente anno in vtramque Indiam LXXX. naues ex Inferioris Belgij littoribus ſoluerent, quæ exoticas merces & magnas opes in patriam aduexerunt. Aliæ item claſſes, quacunque Turcarum Imperium porrigitur, nauigationem auſpicatæ ſunt. Guiana, auri fodinis ferax, aliæque circumiacentes Inſulæ, à montibus ſale ſparſis, ſalis cognominatæ,

ANN. 1595.

ANN. 1597.

* L'Iſle de Baly.

* Vtrecht.
* Ouerïſſel.

* Mahu.

ANN. 1598.
Meteren.hiſtor. Belgic.lib.20.21. 22.23.24.25.26. 27.28.29.& 32.

nominatæ, iiſdem cognitæ, indéque aſportatum & ſal, ſale æquoreo nitidior & guſtui ſuauior. Hinc in Canarias appulſum LXX.

ANN. 1599. nauibus, Petri * Doëſij ductu, ſuperatóque littore nequidquam

* De Does.

reſiſtentibus Hiſpanis, arces expugnatæ, cunctáque Inſularum direpta: Allegoniâ, caput vicinarum vrbium, captâ, incenſáque, Africæ & Guineæ ſinuoſis littoribus luſtratis, Inſulâ S. Thomæ vi domitâ, prædáque in naues tranſmiſsâ, Zelandia repetita eſt. Aliâ expeditione, maxima nauis Hiſpanorum, ante Inſulam S. Helenæ in Orientali Indiâ, à Laurẽtio Bickero, cum duabus nauibus, poſt longam pugnam capta eſt, illi nomen erat, S. Iacobi, merces intus precioſæ, margaritarum, gemmarum, auri, lapidis Bezoar, electri, ſerici ingens copia, æſtimationis immenſæ: captiui, CCCC: machinæ bellicæ æratæ, XVII. in eâ inuentæ: cúmque iam Zelandicæ naues plenæ versùs patriam vela dirigerent, mirum, ſoliſo oneri tantum prædæ onus additum, per tot æquora aſportatum, ſaluum in Zelandiam peruehiſſe. Ad memoriam rei cuſi ab Amiralio, & nauium magiſtris, aurei, argenteíque numi, qui amicis darentur ſeruandi. In his Inſula S. Helenæ, iuxtáque eius littus, gallio; à duabus hinc & hinc nauibus obſidebatur, circa oras numorum; iſtæ litteræ erant, POSSVNT QVI POSSE VIDENTVR. ANN. MDCII. MART. XVI. Inuerſis numis, globus Orbis apparebat medio in mari, è quo Hippopotamus proſilibat, cum hoc ſuperbo Regis Hiſpaniarum titulo, NON SVFFICIT ORBIS. Imminebat Hippopotamó Leo, Zelandiæ inſigne, natans in mari, & Hippopotamum, velut hoſtem, perſequens, cum his litteris, QVO SALTAS INSEQVOR. In aliis numis, Leo, æquoreos fluctus toto capite ſupereminens, findebat, cum his verbis, LVCTOR ET EMERGO. In alterâ parte, plenis velis videbatur nauis pelago volare, erátque iſtud inſculptum, IMPERATOR NAVIS, TERRÆ DOMINVS. Sequuta eſt capturam iſtam legatiò Regis Sumatræ ad Principem Mauricium, cum immenſis donis, amicitiæ & noui fœderis teſti-

ANN. 1602. monia. Aliquot nuper triremes ex Hiſpaniâ, Friderico Spinulæ, qui tum Sluſæ morabatur, aduenerant, his Zelandorum naues,

AN. 1603. quæ ante vrbem in ſtatione erant, ad prælium prouocare, in eas exonerare longo & fatali tonitru belli machinas, hinc vento, indè remis fidere & circumagi, donec Spinulâ cæſo, confuſæ triremes, DCCC. hominibus amiſſis, in portum ſeſe reciperent. Imperabat duabus triremibus, totidémque actuariis Viceamiralius

* Le Mere.

Zelandiæ, Iooſtus * Morus: Fuítque iſtud mirabile, exiguam adeo claſſem, validas triremes octo, phaſelos quatuor in fugam egiſſe. Numi teſtes victoriæ iſtius ſignati eiuſmodi. Ab vnâ parte duæ naues, totidémque triremes, circum literæ iſtæ: CADVNT TRIREMES NAVIBVS. Ab alterâ, Hiſpanicas triremes cernere erat, cum his verbit, VICTÆ PEREMPTO SPINVLA. Sub finem

nem anni claſſis Societatis Orientalis Indiæ prodiit ex portu, ſolutque Orientem verſus cum nauibus XIII. * Hagheno duce. * *Haghen.*
Alia, eodem tempore, littus Zelandicum cepit, poſt nauigatum Orientem annorum trium ſpatio, Hermanſeno imperante: VIII. Galionibus, triremibus, XXII. Luſitanorum, ſub Amiralio Mendoſâ, ante vrbem * Bantamum, iuxta ſinum * Sondanum, corruptis, demerſis, vel captis, fugato Mendoſâ cum paucis, pulſóq; ad Amboinam vſque, quæ vna Molucarum eſt, liberatâ vrbe Bantamo ab Hiſpanicâ tyrannide, & ſuo iuri redditâ. Nec ita multo poſt, à Fœderatis in Zelandiâ Sluſa capta eſt, inuentæque in portu X. triremes, & in his remiges MCD. In Orientali Indiâ Ambbina Inſula iiſdem ceſſit, eiecto indè Luſitanorum præſidio; arcéque acceptâ. Inſula quoque Tidorâ occupatâ, ceteriſque Molucarum, Hiſpanicâ claſſe ante Vlyſponem, orámq; Galiciæ, machinarum procellis concuſſâ, tentato tertiò itinere in Sinarum regionem, per Septentrionalē Oceanum, duce Iacobo * Heempſkerkio, Amſtelodamenſi, Hiſpanis ab eodem ad Herculeum fretum claſſe victis, Ioanne Alvareſio, claſſis Hiſpanicæ Amiralio; necato, præcipitatis in profundum, aut flammâ conſumptis pluſquam XL. hoſtium nauibus, patrio littori victores, Heempſkerkio amiſſo, applicuerunt. Hæc, nomen Hollandicum, ad extrema Orientis, celebre fecerunt. Hinc ad Principem Mauricium legati fœderis & amicitiæ miſſi cum literis, à Rege * Iapani, ſeu Iaponiæ: libertas nauigandi in Africam Fœderatis conceſſa, per Regem * Maroci, Sidanum. Auditæ ab eodem Principe Mauricio Turcarum, Perſarúmque Imperatorum legationes, lectæque literæ, quibus permiſſum erat Fœderatis Belgis, circa littora vtriuſq; imperio ſubdita nauigare, habitare portus, oppidáque portubus vicina, negotiari, quandò & quoties vellent onuſtas mercibus naues reducere in patriam, captiuos à ſuis ſubditis petere, & ſinè precio ſuos recipere. Tutò per Ionium, Helleſpontum, Euxinum, Creticum, Syriacum, Arabicum, Perſicum, Indicúmque pelagus velificare. Continuatæ deinde Americanæ nauigationes; & in portu Limæ, Peruanæ regionis, XXII. Hiſpanorum naues, è XXX. pelago merſæ, per * Heremitam, Hollandicæ claſſis præfectum. Eodem anno, in orâ Omnium Sanctorum, vrbs S. Saluatoris in Braſiliâ ab iiſdem direpta; captis Hiſpanorum nauigiis VIII. Imperabat Hollandicis nauibus Iacobus * Vilikenſus, qui, acceptо, Fœderatarum Prouinciarum nomine, ſacramento, alias quoque Hiſpanorum naues, dum præſidio ibi relicto patriam opulentus repetit, medio in mari repertas, ad deditionem compulit, deditque legem debellatis. Eadem illa gens, Leonardo * Frantzio duce, ſuperiore anno Galliciæ oras depopulata, prædam immenſam in Bataulam reuexit, fœdere cum piratis Tuneti & Al-

Marginalia: * *Bantam.* * *De Sonde.* ANN. 1605. 1606. 1617. * *Heempskerke d'Amsterdam.* * *De l'Isle du Iapan.* ANN. 1610. * *Maroc.* ANN. 1624. * *L'Hermite.* * *Vilekeni.* * *Frantzi*

geræ percuſſo, amicitiáque iuratâ in Hiſpanos, eâ lege, vt Conſules in vtraque vrbe Fœderati haberent, iiſdem conditionibus quibus & apud Conſtantinopolim vtebantur, negociantibus azilum. Nec minor Belgis Flandricis, quàm Batauis, hodie virtus & gloria, æmulationis ſtudio, inuentus iuxta Dunquerquam

* *Mardic.* portus * Mardicus, Archiduciſſæ ſollicitudine munitus, auctúſ-

ANN. 1625. que, maximæ claſſis capax. Additæ illius ſecuritati arces cum præſidio, aggérque infixis trabibus, ferri craſſis laminis ſolidatus, ad impetus fluctuum frangendos, tranſmiſſæque in portum bellicæ naues XIV. donec aliæ ad integræ claſſis complementum pararentur. Ne Batauï cum Germanis, qui mediterranea circa Rhenum Moſámque habitant, commercia deinceps exercerent, eadem Archiduciſſa, vtrumque flumen, canali à Rhinbergâ ad

* *Venlo.* * Venloum excauato & protracto, iungere inſtituit: alteróque

* *Binge.* item Moſam & Scaldim. Iámque foſa à Rhinbergâ ad * Bingam

ANN. 1626. militari labore deducta peruenit, aggeribus in propugnaculorum ſpeciem, arcibúſque aliquot excitatis, ne hoſtis operis continuationem interturbet: quod frequenter euenit, egeſtâ terrâ in canalem reiectâ, operariis cæſis, captis dirutíſque arcibus. Sic pugnat vnus inter ſe populus, vatiis ſtudiis, imperiíſque, & religione diuiſus in partes, ſeſéque non modò in patriis focis inuenit, ſed in Americâ, atque India Orientali. Hîc Batauï, infeſtam Malacæ vrbis arcem tenent, pulsíſque Perſico ſinu Flandris, Hiſpaníſque, quibus & Molucarum partem eripuit, in fine Orbis

ANN. 1630. fulminat. Ibi, Braſiliæ littus occuparunt, oram Omnium Sanctorum, Olindam, & Fernambucum vrbes, Inſulámque S. Marthæ, nequidquam reſiſtente Federico Toletano Hiſpaniæ Amiralio,

* *Lonck.* fruſtra, qui defendebant, propugnantibus, per * Lonckum claſſis LVI. nauium præfectum ſubdiderunt, imperántque hodie domitis gentibus. Arces cum præſidiis obtinent in Inſulis, Ternatâ, Bachiano, Machiano, Bandâ, Amboinâ, Gilolo, Solore, Iacatrâ, quæ & Noua Bataula, Iauâ, quæ ſedes eſt Vicarij Generalis conſilij, & Curiæ ſupremæ per Indias Orientales, Taiuanâ, ſiue Baheno, quæ proxima eſt Sinenſi littori, aliíſque ante oram Coromandeli ſitis. Iiſdem libertas negociationis conceſſa in portubus, Sumatræ, Borneonis, Ioris, Patanæ, Iaponiæ, Sinæ, Zeilanæ, Mogoris, Calecutij, Cochini, Balagatæ, & Perſiæ. In Africâ, ad Guineæ littus, iiſdem arx eſt, oppoſita caſtello Minæ Luſitanorum. In Americâ, præter vrbes iam dictas, arcem Naſſauiam,

ANN. 1631. Inſulámque Nievvnederlandiam obtinent. Taceo victoriam eorundem maritimam in Flandros Hiſpanóſque, ſuper fluenta Scaldis reportatam, Comitem Ioannem Naſſauium hoſtium Ducem, extincto Prætoriæ lumine, ægrè inter noctem & turbatas ſuorum naues fugâ elapſum, captiuorum V. M. cum nauigiis

LXXVIII.

LXXVIII. & prædâ ingenti: & quaſi elementum maris audacibus pugnaret, actam in lacunas Britannici maris, LXXVII. maximorum nauigiorum claſſem, quæ illis, Galliæque noſtræ, ad Oceanum porrectæ, Iberi militis expoſitione exitium minabatur. Soluerat Cantabrico littore in tres partes diuiſa, præcurſoſoriis nauibus inſtitit Fœderatarum Prouinciarum Amiralius *Herpers Tromp*, captáſque, quia Anglicæ erant, Angliæ Regi integras remiſit, Ibero milite ſub vinculis retento. Nec mora, ad reliquum claſſis hoſtilis properat; cui Antonius ab Oquendō imperabat. In ipſo conſpectu Iccij portus pugnatum, amici Galli ſuccurrunt Fœderatis, territi Hiſpani, ventum ſequuntur, quo in Angliæ vada & ſyrtes impulſi; Fœderatis inſiſtentibus pars nauium vacuata, in cymbas hominibus, preciſioribúſque rebus immiſſis & in Angliam tranſmiſſis, victori relicta, pars buſtuariis lembis incenſa, pars arenis retenta, reliqua in profundum merſa, aut capta, ſi de tanta claſſe octo omninò nauigia exemeris, quæ per tenebras, & tempeſtates elapſa, mutila & lacera ægerrimè Dunquerquam ſeſe receperunt, inter quæ, Prætoria nauis fuit. Mirum; cum per XII. dies pugnatum fuerit, tot tormentis aduerſum fulminantibus, numeroſo hoſte reſiſtente, è Batauis tres tantùm deſideratos, nec plures quam quinque homines vulneratos. Creuit & eorum nuper in Africa imperium ab Æquatore ad Caput Bonæ Spei, Congi & Angolæ regnis, cum Inſulis adiacentibus Luſitanis ereptis. Infenſa Hiſpanis natio, laboris & periculi amans, nullum angulum in Orbe reliquit, è quo hoſtem non deturbet: in Occidentali Indiâ, penè totam Braſiliæ oram eripuit occupatori: in Orientali, Molucarum parte occupatâ, Indis Regibus, ipſóque Perſa fœderatis, Iberum veteri commercio excluſit, maritimis pleriſque vrbibus, arcibúſque expulit, nec bellō ceſſabit, dum hoſtis viuet, dum auiditati mortalium relinquet aliquid Natura, quod adiri poſſit. ANN. 1639.

* * *

CAPVT DECIMVMQVARTVM.

Adminiſtratio rei naualis apud Belgas Fœderatos, magiſtratus, claſſes, & leges nauales.

Meteren. hiſtor. Belgic. lib. 15. & vlt.

** Amſterdam, Roterdam, Horne, & Enchuyſe.*

OMNE bellum maritimum apud iſtos ab Amiralio Generali geritur, ſub quo duo Amiralij ſunt, vnus Hollandiæ, alter Zelandiæ. Collegia, ſiue Conſilia, Amiralatus v. totidem in vrbibus, in quibus Conſiliarij degunt, ferúntque ſententias de cauſis ad rem maritimam pertinentibus. Vrbium, in quibus eiuſmodi iudicia exercentur nomina ſunt, Amſtelodamum, Roterodamum, Hornum, & Enchuyſa, in Hollandiâ: ita tamen, vt vltimæ iſtæ duæ, cùm duo nomina ſint, vnius tamen Conſilij nomine cenſeantur, quòd alternatiuas præbeant ſedes iudicibus, qui nunc apud Hornum, nunc apud Enchuyſam iudicant. Reliqua iudicia dantur apud Midelburgum in Zelandiâ: in Friſiâ verò nunc apud Doccum, nunc apud Harlingam. Iſtis Collegiis, Conſiliíſque Princeps Mauricius Oceani, apud Belgas Fœderatos, Amiralius Generalis, nuper pręfuit, eiúſque nomine ſententiæ, decreta, & diplomata publicabantur. Conſiliarij tamen Amiralatus, conuocatis Prouinciarum Comitiis creabantur, iurabántque in conſpectu conuocatorum, ſe ex æquo & bono iudicaturos. Iſti pecunias à nauium magiſtris accipiunt, certum ſcilicet pretium, ſecundum nauigij magnitudinem, aut merces, quæ in nauibus ſunt: Fœderatæ illud, ob literas, vt vocant licentiæ, conſtituerunt. Nulla quippe nauis ſubit, aut relinquit portus, priuſquam nauarcæ, dictas literas permiſſorias à Conſiliariis Amiralatus acceperint, quibus ſoluendi, vel exponendi in littore merces, nauigandíque, vel negociandi poteſtas datur. Argentum autem quod ob eiuſmodi literas Conſiliarij percipiunt, totum ad nauium bellicarum armamenta, claſſémque contra hoſtes, impenditur. In militum quoque ſtipendia, qui pro Rep. in naui pugnant. Habent autem & Fœderati claſſes, ad quærendos in exteris terris Hiſpanos, & ad tutanda littora, diuerſis in locis, quæ in portubus Dunquerquo, Nouo-portu, & Sluſæ expectant mandata imperantis. Alterâ claſſe mare, quod ſolum ſuum, Flandriam, Galliam, Angliámque circumſtrepit, luſtrant, inſidiis vitandis, & inexpectato bello cōprimendo. Aliâ, tutelæ eorum vigilant, qui inter Scotiam, viciná ſque Inſulas piſcationi incumbunt. Eſt & alia, quæ mercatorum nauigia negociationis causâ, Angliam, Hiberniam, Daniam, Gallias,

Gallias, Hiſpaniáſque petentia, comitatur: ſi hoſtis, aut pirata ingruerit, præſidio. Fluuiatilium quoque nauigiorum copia eſt, quibus Scaldis, Rhenúſq; percurritur, armatorũ ad tutelam riparum, vrbiúmque ripis inſidentium. Stant & naues XVII. inſequendis piratis deſtinatæ. In vnoquoque Amiralatus Collegio, ſeruandis Prouinciarum iuribus, Aduocatus Fiſci incumbit, ne qua gratia, in leges maritimas delinquentibus, fiat. Hæc per ſe Reſpublica. Ciuibus verò innumeræ ſunt naues, ad transfretationem, negociationem, & piſcationem: ſcribúntque, quotannis onerarias M. fabricari. Simul aliud vtiliſſimum æquè ac miran- *Idem lib. 22. & 23.* dum. Initam per mercatores Indicam Societatem proprio ſumptu in Indiam Orientalem, mercandi causâ, XIII. magnarum nauium claſſem quotannis expedire, quæ ingentes opes patriæ defert, huic decimas, ſibi reliqua. Si Hiſpanica claſſis inter nauigandum occurrat, vix, aut ne vix quidem Belga Fœderatus vincitur, frangit oppoſita, victoriæque ſequutor, depellit hoſtem ſedibus malè quæſitis; vrbes, regionéſque eripit iam verè timenti. Iis XIII. nauibus, quibus ſingulis annis Oriens petitur, à rectoribus dictæ Societatis Indicæ vnus Amiralius præfertur, qui imperium in eam claſſem exerceat, quandiu illa nauigat, aut in Africam, Indiámve moratur. Vnde fit, vt plures Amiralij ſint, cùm tot claſſes, quibus totidem Amiralij præſunt, in Indias, Africámque nauigent, ſæpè etiam in exteras terras commorentur per annos quatuor, aut Coloniis factis, ibi remaneant, vxores ducant, familias curent, agros colant, mercaturam exerceant. Dum interim Magiſtri, ſiue Adminiſtratores Indicæ Societatis, naues in alium annum parant, merces exponunt, prouentus in libros rationum inſerunt, póſtque decimum annum, partem vnicuíque mercatori ex bono & æquo diuidunt. Tunc & in alios decem annos renouatur Societas, nullíſque licet in Orientem nauigare, niſi iis, qui nomina in eam ſocietatem dederunt. Amſtelodamum Adminiſtratores habet XXIII. Midelburgum, XIV. *Delphi, II. ** Delft.* Roterodamum IX. Hornus IV. Enchuyſa II. Ex quibus præcipui adminiſtratores XVII. eliguntur: Amſtelodamenſes octo, Midelburgenſes quatuor, è Moſâ, vel Septentrionali Hollandiâ vnus, ex vnaquaque vrbe reliquâ, duo. Iſtis ius in reliquos Adminiſtratores eſt, próque libito claſſes augent, minuúntque. Is ordo ab anno MDCII. inſtitutus, ad hanc diem perſeuerat, ingens Belgis Fœderatis æmolumentum ad victoriam & opes. Ex morâ autem claſſium, quæ Orientis Indiæ portus tenent, ſæpe fit, vt XLI. naues in iis ſint, aliquando & plures, nauigationis longitudine, mutandis mercibus, vel reficiendæ claſſi impeditæ. *Idem lib. 29.* Guineæ merces XX. quotidie nauigiis magnis petuntur. India Occidentalis, quà * Regium promontorium extremis ** Punta del Rey.*

ſingulis mari imminet, ad ſalem transfuehendum, centum aliquando nauibus occupata. Pelles è Cubâ & Hiſpaniolâ xx. onerariis aſportantur. Anno MDCVII. deliberatum penéque concluſum de ordinatione Societatis Indicæ Occidentalis ad modum Orientalis in XXXVI. annos, hoc in annum ſequentem reiectum, inſtigante Ioanne Heſſingâ Antuerpienſi, datáque ei priuilegia.

Ne aliis quàm Sociis in Americam negociari fas eſſet, ſub confiſcationis pœnâ. Iis permiſſum, fœdera, pacem, amicitiam cum externis Regibus & Principibus facere: bella indicere, colonias, arces, vrbéſque erigere, rectores domitis Prouinciis, & iudices dare, ſub fide & obſequio Fœderatarum Prouinciarum: iniuſſis Amiraliis, immunes patrios portus intrare, & relinquere, prædam ad conſtructionem claſſium, & earundem reparationem impendere, quod reliquum ex eâ poſt ſexennium inuenietur, inter ſe pro ratione pecuniæ, ab vnoquoque ſocio concreditæ, diuidere, decimâ in ærarium publicum Fœderatarum Prouinciarum, & trigeſimâ Principi Mauricio miſſâ, & relictâ. Quæ vt tutius gererentur, Fœderatas Prouincias dictæ Societati Indiæ Occidentalis CMↃ *argenti mutuo daturas, claſſem quoque nauigiorum maiorum* XVI. *cum cimbis* IV. *omnibus armis ad bella neceſſariis munitam: Militum ſtipendia, nauticæque turbæ, & annonam Societatem exſoluturam, claſſiſque moderationem Amiralio, cui voluerit, commiſſuram. Collegia ad rationes reddendas, ſeruandas, aut explicandas merces, impenſáſque nauales* IV. *Societati futura: Primum apud Amſtelodamum, ſecundum in Zelandiâ, tertium apud Roterodamum, quartum in* Hollandiâ Septentrionali. *Ex iis quintum Socios facturos, quod maius Collegium vocabitur, penes quod authoritas erit, claſſes ordinare, diſtribuere, diem ad nauigationem dare, iter indicere, & loca quæ petantur. Singulo ſexennio elapſo eam Societatem finem habituram, quæ in alterum ſexennium renouabitur, poſtquam accepti & expenſi rationes Quæſtor Societatis reddiderit, & ſinguli quod æſtimatum fuerit ad eos è prædâ pertinere, deductis deducendis acceperint.*

Miſſa itaq; primùm in Americam ab eâ Societate, ann. MDCVIII. XIII. nauium claſſis, ſub Amiralio Petro * Verrhoefo. Eadem Societas quæ in ſexennium inſtituta erat, ann. MDCXXIII. in XXIV. annos ſtabilita eſt, additáque priuilegia. *Ne vllus in Occidentem illius iniuſſu nauigaret, ſibi munimenta belli, & annonæ particularia haberet, ſine eiuſdem conſenſu alios in vſus nuſquam auertenda, etiam ſi id publica patriæ neceſſitas poſtularet. Vt eadem primis octo annis ab omnibus portoriis & vectigalibus immunis eſſet. Si bellum Societati eſſet cum populis pelago potentibus, Fœderatas Prouincias inſtructiſſimas bellicas naues* XVI. *&* * *Patacas* IV. *conceſſuras, quæ auxilium laborantiferrent. Aliam rationem mercium, aliam belli futuram. Quod bello quæſitum erit, ad arcium, & nauium conſtructionem impenſum iri: quod verò negociationibus, id omne penes Societatem fore. Ob quancunque cauſam quod quiſque in Societatem miſerit, integrum etiam inuitis creditoribus*

* Verrhoef.

* Patachen.

creditoribus ſocio futurum. Quæ vt validius ſtent durêntque, Fœderatas Prouincias eidem Societati bellicas naues tres dono dare, ſtipendia verò annua DC. *militibus ex ærario ſuo concedere, ne claſſis, aut miles deſit, ad vtilia tendentibus.*

CAPVT DECIMVMQVINTVM.

Germanorum maritima aliquot memorabiliora, tum antiqua, tum recentiora, eorum ſcilicet qui Oceani fluctibus vicini ſunt. Quorum regna, vires, nouaque Coloniæ maritimæ recenſentur: præcipuè Suecorum, Danorum, & Noruagiorum.

BATAVOS Rhenus à Germanis diuidit, iſtos à Sarmatis & Dacis Danubius, montéſque Riphæi; cetera Oceanus ambit, latos ſinus & immenſa ſpatia complectens, quibus varij Reges imperant, olímque imperauêre. Reges ex nobilitate, Duces ex virtute ſumebant. Antiquiores ad Oceanum Germaniæ populi, Ingæuones, à Tuiſcone, primo illorū Deo orti, Rugij, Lemouij, Suiones claſſibus valentes, Æſtiorum gentes, Sitonúmque, & Chaucorum, & Cimbrorum, Buſacterorum, Phryſiorum, Sigulonum, Sabalingiorum, Cobandorum, Chalorum, Phunduſiorum, Charudum, & Scandianorum: qui omnes in Oceani Inſulâ, Herthum, hoc eſt, Terram matrem colebant, quaſi terræ poſſeſſores & filij: huius ſtatuam videre, aut attingere, vni ſacerdoti conceſſum, quæ in vehiculo veſte contecto, ſacróque in nemore ſeruabatur. Germanos Romanis primùm poſt Iulium Cæſarem bellum aperuit. Nec impunè Druſus, & Nero, & Germanicus in ſuis eos ſedibus perculerunt. Varum, tréſque cum eo legiones Auguſto Cæſari abſtulerunt Germani, qui ante v. Conſulares exercitus deiecerant. Noti Duces Arminius, Segeſtes, Inguiomerus, Catualda, Maroboduus, Gannaſcus, Ciuilis, Claſſicúſque, & Tutor, ingentia apud Tacitum nomina. Hodie totus hic tractus maritimus duobus Regibus paret, Sueciæ ſcilicet & Daniæ, ſi pauca exceperis littoralia, quæ ſub Vandalicæ Reip. dominio, aut in Saxonum Ducatu numerantur. Antiquiſſimum Danorum regnum, qui Danemarchi hodie vocantur, penè cum ipſo orbe natum eſt: populis variis ferax, Cimbris nimirum, Normannis, Vandalis, Gothis, Gothinis, Saxonibus, Sembis, Curetibus, Eſſoniſque; Sueciæ, Rugiæ, Ruſſiæ, Britanniæ, Hiberniæ, Noruagiæ, &

Cornel. Tacit. de morib. German.

E Daniâ Krantz.

& iſtius Galliæ partis, quæ Normannia dicitur, olim dominatu potens, & in ipſâ Apuliâ, Calabria, & Sicilia celebre. Ante Romanum nomen Britanniam, Hyberniámque tenuit, à Rheno ad glacialem Oceanum Inſulas terráſque omnes continens. Danorum denominatio à Dano Humeli Regis filio, qui multis ante natum Chriſtum ſæculis Cimbricæ Cherſoneſo nomen ſuum impoſuit. Hunc non Humeli, ſed Humbli filium * Meurſius facit, dicítque eum, Saxonibus Cimbria pulſis & tributariis factis, eorúmque militibus ſuis iunctis, & in Britanniam Inſulam, ſub imperio Angli fratris ſui tranſmiſſis, viciſſe Britannos, eíſque Anglum præpoſuiſſe, de cuius nomine Britannia ab eo tempore Anglia fuerit appellata. Septimus à Dano regnauit Hadingus, qui Suibdagero Noruagiæ Rege, is Daniam Sueciámque occupauerat claſſe fracto interfectóque, Noruagiæ Regnum in plures partes diuiſit. Sub Frothone I. Saxones tributum negantes ad obſequium reducti ſunt. Dalemanus in Anglia rebellans fuſus eſt, capútque Inſulæ Londinum direptum. Helgo totum mare Balthicum Danico ſceptro ſubiecit, innaſores Saxones Cimbria pepulit, Scalcum Vandalorum Regem ante Thoram Inſulam mari vicit. Amlhetus totam Angliam in poteſtatem redegit. Fridleuus cognomine Celer, Hiberniam. Frotho III. Rafnum, Gothari Regis Noruagiæ claſſis præfectum per Oddonem ducem pelago ſuperauit, Vandalos ſubegit, Hunnos ad Bleckingiam occurrentes mari fregit, captis eorum ducibus, Olimaro & Dago. Debellatâ iterum Noruagiæ Regis claſſe, quæ ter mille nauium erat, Noruagiam Daniæ regno addidit. Rebellibus in Anglia fuſis, eorúmque Rege Cheruillo cæſo, alióque in eius locum ſubſtituto, eum, cum Inſulanis, tributarium fecit: vectigalem quoque reddidit Hiberniam, terminóſque Imperij ſui Ruſſiam ad Orientem, Rhenum fluuium ad Occidentem habuit: Daniæ, Sueciæ, Noruagiæ, Angliæ, Hiberniæ, Inſularúmque adiacentium Rex. Hoc regnante Salus humano generi nata eſt, populos ſuos Auguſto in pace tenente, Frothone verò iſto pacificè regnante, vt pax eſſet vniuerſa, pacis Deo in Mundum veniente. Frothone III. è viuis ſublato, Anglia, Noruagiáque ad libertatem reſpexerunt, auſique piratæ Danicis littoribus inſidiari. Iſtos Stercatherus, à Frothone IV. maris præfectura donatus, claſſe fudit, liberúmq; mare omnibus fecit, ſcilicet hoc agitant Regum præfecti, vt non Regibus ſuis proprium illud faciant, ſed cunctis liberum reddant ad nauigationem. Amundum Noruagiæ Regis filium, piraticam exercentem, Haldanus II. compeſcuit. Haraldus III. Vbbone Friſio claſſis præfecto, totam Vandalorum oram cædibus impleuit, Rhenſque, quà Oceano mergitur, fluente tranſcurſo, Humbroto Britanniæ Rege prælio nauali ſuperato, Aquitaniáque deuaſtatâ,

Polyd. Vergil l. 5. Anglica hiſt. Dacos, non Danos, appellari debere affirmat, à Dacis Iſtri accolis, vnde originem accipiūt.

** Danica hiſtor. lib. 1.*

Ex eodem Meurſio hiſtor. Danica lib. 2. & 3.

Lazius de gent. migr. lib. 9. Krantz. Noruega lib. 1.

totum Oceanum à Garumnæ oſtio ad Cimbricam Cherſoneſum ſuæ dominationis fecit. Addidit Danorum imperio Sambiam Orientis Inſulam Aquinus. Ericus nouo pugnandi genere totâ claſſe trabibus anchoriſque ſimul fixâ, itavt vno fluctu, ceu nauis vnica agitaretur, Magnum prælio ſuperauit. Nam cum vacuum mare inter primas naues, velut inter duo cornua reliquiſſet, claſſiſque Magni eò penetraſſet, vno momento ruptis repagulis, tum liberæ naues hoſtilem circumſteterunt; & expugnauerunt. Magnus leui myoparone pugnâ ſubſtractus, ſaluti ſuæ conſuluit, reliquæ omnes, exceptis lucitorum aliquot, incluſæ & captæ. Sueno II. qui & Suenotho, victo * Adelredo Anglorum Rege, Britanniæ Inſulam, quæ iamdudum, vt dictum eſt, Anglia dicebatur, Daniæ regno coniunxit, reliquitque filio Canuto II. hic * Haraldo, quem Eduardus Adelredi filius Angliâ expulit. Hic Sueno præfectum maris inſtituit Vvethemannum, qui Vandalos piratas inſectaretur, eâ lege, vt nauibus vbique locorum repertis, etiam dominis inuitis, pro lubito vteretur, modo è prædâ, pars certa, conductionis loco, dominis nauium cederet. Ingenti itaq; claſſe collectâ, Oceanum piratis purgauit, captis eorũ nauibus LXXXVII. Quo ſucceſſu irati Vandali, in Daniam mouerunt, ſed & Sueno, dum, per Vvethemannum, hoſtem mari premit, muris præſidiiſque, portus, littoráque muniuerat, pérque faces de noctu, fumum de die, hoſtium aduentus deſignari iuſſerat, quò promptius auxilium inuaſis eſſet. Foſſam quoque duxit ac vallum à Schleſuico vſque ad mare, quibus murum & propugnacula Vvaldemarus adiecit, vt & commercium liberius eſſet, & difficilior aditus in Daniam Germanis, ſi bellum auderent. Poſtpaulo Vvaldemaro Vvernoniam amnem ingreſſo, antiqua Gutacra, quæ hodie Roſtockium eſt, terrâ maríque expugnata, Rugiani ad Strelam Inſulam victi; Vandaliáque tota regno Daniæ coniuncta. Piratæ quoque Eſtonum & Curonum, per Eſbernum eius claſſis præfectum, debellati. Hinc ob excellentiam rerum geſtarum, cognomentum Magni Vvaldemarus meruit. Huius filius Canutus, hoc nomine VI. cùm obſequium Imperio Occidentali recuſaret, cui ſe regnúmque ſuum iam olim Haraldus VII. ſubmiſerat, Rugiam amiſit, quæ poſtea à Chriſtophoro II. recuperata eſt. Sub Erico VI. Rege geminæ claſſes Vandalorum profligantur, Amburgenſis & Baiana: XXX. onerariæ naues cum hominibus & mercibus captæ. Dux Gerardus in ſuâ Prætoriâ agmen agebat Holſatorum. Conuenerat claſſis in portum Vviſmarienſem, vnde nauigans Gerardus recto curſu Daniam petit, & arcem Regiam in portu Mercatorum oppugnare conſtituit: tabulatum ex aceribus ſimul ligatis factum, in quo miles, velut in ſolido pugnaret, demerſis nauibus concluſus portus, ſed Dani diſcuſſis reiectiſque

Idem Daniæ lib. 4. & 5.

Idem Noruagia lib. 3.

* *Meurſius Danica hiſtor. lib. 3. Ethalredum nominat, quem ait, eâ conditione regem factum, vt poſt eius mortem rediret ad Danos.*

* *Idem Meurſius, ait, non Haraldo ſed Magno, Canuti II. nepoti Angliam in totum Danis ereptam, quam à Dano primo eorum Rege per plura ſæcula tenuerant.*

Krantz. Dania lib. 6. 7. & 8. Meurſius hiſtor. Danica lib. 5.

hoſtilium nauium repagulis, cùm ſine velis & temone eſſent, pro tempeſtatis ſubito diſiectas ceperunt, aut fugauerunt. Huc vſque tribus regnis Danus præfuit, Daniæ, Noruagiæ, & Sueciæ: nunc Sueci ſibi Regem creant Carolum filium Canuti, Equitis. Sed & Suecia olim peculiari Regi paruit, ab aliis Suedia, Sueonia, Gothiáque dicta, ad mare Balticum extenſa, ab Auſtro Daniæ imminet. Sueciæ quidem domi ac vicinis in locis nomen præualuit: foris autem, & in longinquâ militiâ, Gothorum gloria ſublimioribus longè titulis inclaruit, quorum Imperium maritimum deſcripſimus Capite primo iſtius Libri. Nunc quantùm ad eos qui ſuis, aut vicinorum terris contenti, vltra Oceanum non promouerunt, vertenda eſt oratio, eorúmque geſta explicare paucis placet, Gothicâ gente relictâ, quæ cum Romanis rerum dominis dudum colluctata, magnis cladibus ſe vindicauit, Italiæ, Galliarúmque & Hiſpaniarum domina. Suecos, Sueuorum gentem, è Tacito, & aliis conſtat, neque Lazius eos ab inuicem disiunxit, ſed omnia Suecorum Sueuis attribuit: quorum etiam populi cenſentur, Semnones, Langobardi, Reudigni, Auiones, Angli, Varini, Eudoſes, Suardones, Æſtij, & Nuithones: qui omnes ante Scandiam Inſulam iacent. Hinc Suionum ciuitates ipſo in Oceano præter viros armáque, claſſibus valent. Forma nauium eò differt, quòd vtrinque prora paratam ſemper appulſui frontem agit: nec remis miniſtrantur, nec remos in ordinem lateribus adiungunt. Solutum vt in quibuſdam fluminum, & mutabile, vt res poſcit, hinc & illinc remigium. Sueui re nauticâ celebres, Baltici maris littora cum Suionibus habitauêre, vbi nunc Sueciæ regnum Oceano terminatur, quem Sueuicum Tacitus vocat. Trans Suionas aliud mare, pigrum & propè immotum, quo cingi claudíque terrarum Orbem antiqua fides. Nunc quoque illud mare torpet gelu, & duobus tantùm menſibus nauigabile, appellatur Glaciale, impedítque noſtris in Tartariam, Sinas, & Orientales Indias compendioſiſſimam nauigationem. Suecorum varias migrationes habet Lazius, eos Alexandro Magno militaſſe, Impp. Romanorum latera cuſtodes cum armis ſtipaſſe, Rhenum, Albim, Pannonias, Danubium, Viſtulam, Boiohemum, Vvirtenbergiam, tractúmque maris Adriatici iuxta Carnos & Iapodes coluiſſe. In Haſſiâ, Pruſſiáque, & Alſatiâ, & Rhetiâ, Tirolíque & Italiæ confinibus habitationes habuiſſe. Sub Hermerico in Galliciâ, Hiſpaniæ Prouinciâ regnaſſe, victíſque Romanis Rechilanum filium nouæ quæſitionis hæredem reliquiſſe, qui Vandalicum nomen per omnem Bæticam extinxit, durauítque Suecorum in Hiſpaniis Imperium annis CLXX. In eâ autem parte, quæ proxima Danis Balticum mare reſpicit, Sichrugus multis ante Chriſti aduentum ſæculis floruit, à quo ceteri Sueciæ, Noruagiæque

Cornel. Tacit. de morib. Germanor. Lazius de gent. migrat. lib. 8.

Krantz. Suecia lib. 1. 2. 3. & 4.

giæque Reges. Mox alternante fortunâ, victoriáque, nunc Sueci Danis ſummiſſi, nunc Dani Suecis. Rara tunc maritima bella, & ſolis piratis nota, quos, vt mari arceret, Suecorum Rex Haldanus, paratam in portu claſſem habuit, eorúmque Ducem propriâ manu occidit. Huic ſucceſſor Vnguinus, dein Sivvaldus, quo regnãte, habitu virili puella regia, cui nomen Aluilda, diu piraticam exercuit, vltra ſexum fortis. Ex iſtis terris, plures Amazones veniſſe, hiſtorici fide digni ſcripſerunt: tunc etiam temporis à Regibus & Regum filiis deprædata maria, cum honeſtum putaretur, in elemento communi diuitias quærere, & cum iis, quibus eadem audacia erat, robur & virtutem experiri, vtque rebus bellicis aſſuefacerent. Cùm enim bellum meditarentur, leuia in mari prælia faciebant, & quaſi batuationes inter amicos, vel contra nauigantes. Sic Haraldus Danorum Rex & Ringo Suecorum, in ingruentis belli apparatum toto ſeptennio exercitandis viribus præluſerunt, collegerunt auxilia, arma parauerunt, nauigia inſtruxerunt. Militauêre Dano Vandali, Angli, Friſij, Saxones. Inerant & fœminæ armis innatæ, non ſolùm gregarios inter milites operam nauantes, ſed quæ formidabiles ducerent ſui ſexus ordines. Tanta confluxit nauium multitudo, vt mare, quod Scaniam & Sialandiam dirimit, iunctis nauibus terreſtre iter præberet permeantibus. At alterâ ex parte Suecici generis omnis robur concurrerat, quibus acceſſerant Liuonum, Eſtonum, Curetum, Noruagiorum, Tilenſiúmque auxilia: nec deerat illis ordinibus decus fœmineum. Vt ſigna cecinêre, hinc & inde ſpes & metus alternant, vincunt, vincuntur, vſque dum Danici Regis interitus in Suecos victoriam vertit. Ringo fugientibus per Hetham puellam, ductricem fœminei exercitus, inſtat, quódque eius vbique fortem operam expertus eſſet, Daniæ regno præficit, contumeliam genti inurens, quæ fœmineo imperio digna videretur. Ceterum Scaniam ab reliquo Daniæ praſcindens, Oloni Noruagiorum Regis filio permiſit regendam. Pertæſum eſt fœmineæ dominationis, ſtatímque ſe Oloni tradiderunt Dani. Hinc Fro Sueciæ Rex Noruagiæ regnum occupauit. Regnerus Erico Sueciam, Noruagiam Biorni filiis reliquit. Orcades Inſulas Sueciæ Ericus adiunxit. Ad extremum Scotorum finibus appulit, eorúmque Regem Murial prælio nauali oppreſſit. Inde etiam aſſiduâ in Orientem nauigatione, cùm Hiſpaniam pręternauigaſſet, ad Helleſponti anguſtias obuia quæque populatus penetrauit. Erico Rege defuncto, Birgerius, repudiato Regio titulo, Dux Sueciæ creatus eſt. Iſtius modeſtiam Vvalderamus filius exauſus, Regiam dignitatem & nomen reſumpſit. Suecia deinde & Noruagiæ Daniæ regno coniunctæ ſunt. Vrbs Sueciæ præcipua, Holmus, à Suecis Stocolma appellata, in cuius portu reſolutâ poſt ANN. 1249.

Hiemem glacie ccc. naues onerariæ numerantur, nullis anchoris retentæ, tuto à ventis ſinu, ſcopulorum eminentiâ, claudentium ſinum 1v. milliaria longum. Huic Inſulæ regionéſque aliæ ad mare ſubiacent. Gothia, quà in Sueciæ confinia deuenit iſtius Regi paret, quà verò Daniâ excipitur, Daniæ Regi: ab Oriente & Meridie gemino cornu ad Oceanum pergit. Maritimas celebriores vrbes cum portubus habet, Loduſiam, Vvalburgum, & Calmurum. Finlandiæ Meridionalis & Occidentalis ora deſcendit in pelagus, à Moſcouiâ arcetur ſinu Finico. Lapponia à Sueciâ ad Septentrionale mare protenditur, vltra hanc ad glacialem Oceanum Corelia, ſiue Carelia. Aliquas præterea vrbes in Liuoniâ & Inſulis Alandicis Sueciæ Rex poſſidet, cuius Amiralius L. nauium claſſi in portubus ſtanti, quò expeditior ſit, imperat. Nuper ſub Ioanne III. adaucta claſſis LXX. nauibus in Danos ſtetit. Nauali turmæ, nautis, militibúſque ſtipendium vt plurimùm cibus potúſque à Regiis miniſtris dari ſolet, leuiſſima argenti ſumma in bellum maritimum conſumitur. Plures naues, in vicinos hoſtes armatæ, vt diximus, Stokolmenſi in portu laſciuiunt. Aliæ velut ad excubias & tutelam Finlandiæ, contra incurſus Moſcorum in eius portubus ſtationes habent. Ad Veneris lacum, Elſburgum, Elfelſburgum, Goltburgum, & Croneberga arces nuperrimè excitatæ, ad arcendos Polonos in mari Baltico: Calmas verò & Vaſſena aduerſus Danos. In Inſulâ Vlandiâ vrbes celebriores ſunt Borlzolomia, Vicerbis, Gripſelmia, & Vpſala. Properantibus ad bella Suecis, Daníſque, Lubeca, libera ciuitas, media inter vtrumque regnum incurrit, compeſcitq; iratos, & pacem facit, ipſa ingenti fronte in fretum incuruata. Ab eâ in Septentrionem Dania obliquat, ab Occidente Germanicum, ab Oriente Balticum mare attingens: à continenti verò Sueciam Holſaciámque. Iſtius Regni partes ſunt, Cimbrica Cherſoneſus, quæ & Iutia dicitur, Fionia, Selandia, Scaniáque cum Inſulis. Iutia, vulgò Iutlandia, ab aliquibus Gothia credita, ſinu Linfordico in duas partes ſeparata, has vrbes ad littus oſtendit: Arrhum oppidũ cum portu ad Helenes promontorium: Schelvvicxum, alij Heidebam appellant, portuoſam, ab Hethâ Daniæ Reginâ conditam: Cotorpen, in cuius portu vectigalia exigũtur, aliáſq; vrbes minoris nominis. Scania, ſiue Scandinauia in pelagus triplici cornu effuſa, altero Sueciæ coniungitur. Quà Sindicum ſinum penetrat, Croneburgum regale caſtellum aſpicitur, opus Friderici II. Daniæ Regis. Hoc ex aduersò accipit Selanda, quæ aliis Sialanda eſt. Oram eius occupat Haſnia, aliquibus Copenhagena, ſtatio nautis grata, olim portus mercatorum: vltra, Helſintora vrbs, circáque habitabiles xc. Inſulæ. In Codano ſinu Fionia regio, à pulchritudine, ſiue amœnitate, nomen ſortita, media

totius

totius imperij Danici. Ad littus vrbes ſunt, Niburchum, Scienburbum, Faborchum, Aſſenſium, Bogenſium, Middelfatum, Kettemynda. Poſſidetur & à Danis pars Noruegiæ, olim regnum: cuius Metropolis Berga, portu nobilis. Totius Daniæ Rex eſt hodie Chriſtianus IV. Cui Holſatæ & Dithmarſi, inter Britannicum Germanicúmque mare, ſubiecti ſunt. Magnum inter hunc & Suecorum Regem bellum nuper ſurrexit, quod terrâ maríque geſtum eſt. Maius diſſidij emolumentum circa * Calmaris caſtellum fuit, quod à Danis nauali & terreſtri exercitu cingebatur, pulſa Sueuica claſſis portu, pérque pelagus diſperſa, receptum ad deditionem Calmarum, Inſulæque * Oeſlandia, & Borcholmia. Iratus in Fortunam Carolus Suecorum Rex, tædio vitam abſumpſit, Guſtauo II. filio, Regni hærede relicto. Nec diu Oeſlandia & Borcholmia ſub Danis fuerunt, rebellantibus inſulanis, cæſíſque præſidiis. Inde Danorum in Succiam excurſiones, Suecorúmque in Daniam, magnâ vtrimque ſtrage, pondus belli & iniurias populis maximè ſuſtinentibus, qui littoralia incolunt. Pace tandem vtriſque redditâ, Danici Regis inſtinctu, à Suecis LXXVI. nauium claſſe Liuonia, Polonicæ ditionis, vexata, multæ in eâ vrbes expugnatæ, & tandem Finalena Prouincia occupata. Nec ita multò poſt à Chriſtiano IV. Daniæ Rege in Germanos & Hiſpanos edictum venit, quo Danis vetitum erat, ne vllam eorum nauim ſinum Sundanum ingredi permitterent, contra, Germanorum, Hiſpanorúmque commercia, Baltico mari arcerent, ne ſcilicet illi negociationis prætextu, à fide & obſequio Danos auerterent. At Sueciæ Rex deprædatis Liuoniæ littoribus, proſperis ventis vſus, CC. nauium claſſe, in Regalem Pruſſiam inuectus, multas Polonis ſubditas vrbes, & territorij Gedanici, quod hodie Dantiſcum dicitur, occupauit; intérque maritimas clarioris nominis, Brunſbergam, Fravvenburgam, & Elbingam. Hinc applicito circa Dantiſcum exercitu, vtraque Viſtulæ ripâ ponte iunctâ, excitatis in geminâ pontis fronte arcibus, nauíſque medio fluminis in alueo poſitâ, anchoríſque firmatâ, ne quid in obſidione cinctam vrbem inferretur impediebat. Tum miſſâ exercitus parte, quæ aliarum vrbium oppugnationes tentaret, mediterraneas omnes in fidem accepit, maritimas verò quotquot ſunt à Coninſbergâ ad Dantiſcum vſque. Vrgebat interim obſeſſos fames, & multi ciues in Sueuica caſtra confluebant, nec promiſſa è Poloniâ auxilia cernebantur, terreſtribus Suecorum victoriis diſſoluta; ſed poſtquam Rex Poloniæ totis viribus ad Dantiſcum peruenit, prælióque, in quo Guſtauus ipſe Sueciæ Rex vulneratus eſt, victor, fugientes Suecos in naues compulit, tum vrbi reſtituta libertas, datúmque ciuibus vnde viuerent. Versâ mox fortunâ, maior ſurrexit Guſtauus, de cuius victoriis ſic * Barlæus.

* Calmar.

ANN. 1611.

* Oeſland & Borcholm.

ANN. 1625.

* In Poëmate cui titulus: Tumulus Guſtaui Adolphi Suecorum Regis.

Illic Oceani ſtagnis excita laceſsis
Carbaſa, belligeráſque rates, & Balthica mergis
Tranſtra triumphator pelagi, cogíſque tributi,
Et vectigalis rigidum miteſcere patrem.
Tum venedi timuêre ſinus, & littore toto
Vrbibus exuitur, rigido ſub ſidere, Duina:
Non magnam ſeruant Neptunia mœnia Rigam,
Non arces Dunamunda tuas. Sublime Felinum;
Et verſis omnis ſe dedidit Æſtius armis.
Imperio noua forma redit, glomerátque triumphos
Præcipiti Sors plena gradu.

Ceterum cum neſcio quod fatum Guſtauo blandiretur, nunquam illi poſtea victoria defuit, poſt Liuoniam Pruſſiámque ſubactas; exemplo Daniæ Regis, qui ad negociationes Coromandeli & Zeilanæ collegium mercatorum per Orientem inſtituerat, ipſe quoq; pacatior Gotemburgi in portu, ad Oceanum Cimbricum collegium erexit ad Indiæ Orientalis commercia. Ann. 1635. Guſtauo à victis Germanis in pugna cæſo: induciæ inter Chriſtinam eius filiam Succiæ Reginam, & Vladiſlaum Poloniæ Regem iſtis conditionibus pactæ ſunt: *Ut Pruſſia ad Poloniæ Regem & Marchionem Brandeburgenſem rediret, Liuonia verò, cum portoriis & vectigalibus, quæ Dantiſci in portu ſoluerentur, penès Suecos eſſet.* Et hæc per tranſennam de rebus Succiæ dixiſſe ſufficiat. Nunc ad alia. Memorabiliora per totam Scandiam ſiue Scandinauiam ſunt, primò immenſitas Regionis, quæ inter LV. & LXXII. Grad. Septentrionalis latitudinis, XXV. & LXV. longitudinis extenditur: à Meridie Daniam & Germaniam, ab Occaſu & Septentrione Oceanum, ab Ortu Ruſſiam conterminam habet: ſub ſe totas, Sueciam, & Noruagiam, complectens. Tertia dignitas regni Amiralatus eſt, *Riicks Admiral* vulgo, eodem iure quo apud noſtrates Gallos. Variæ ibi ad mare Prouinciæ, in Nortlandica, Geualia vrbs, opportuno portu ad fretum *Oreſund*, Helſingij vicini populi Helſinburgum poſuerunt. Lapponia, ſiue Lappia Meridionalis, Succiæ paret, ſicut & tractus maritimus, ſub nomine Finmarchiæ, aut Finnorum Marchiæ, cetera Ruthenorum ſeu Ruſſorum Imperio ſubſunt, à caſtro Vvardus ad mare Album, iíque populi Ruſſis hodie *Dickiloppi*, hoc eſt, feri Lappones. Nomen olim Regioni Biarmia, Sueuicè nunc *Trennes*, Lapponicè *Pibiniemi*, Ruthenicè *Tarchana*. A Succiâ Gothiam dirimunt *Kolmord* & *Tydhvveth* ſyluæ. Gothia duplex, Occidentalis & Orientalis: Occidentalis Prouinciæ ſunt Voſtrogothia, Dalia, Vermelandia, quibus addita quondam Hallandia, quæ nunc Danis paret. In Vveſtrogothia, Codano ſinus, Nos, & Eda fluuij miſcentur. Ibi ciuitates, Goteburgum emporium, Scara Epiſcopalis, Mariæſtadium,

E Cluuerio, Introduct. Geograph. lib. 3. c. 19. 20. 21. E Succiâ Henrici Soteri, & Andreæ Burei. Olao Magno de Gentib. Septentr. & Alex. Guaguini Sarmatia, & Moſconia.

dium, & Lidecopia. Oppida, Falecopia, Sxdui, Hio, Bogeſund, Bretta, & Ludoſia vetus. Dalia montuoſa, paſcuis tantùm memoratur, inter lacum Vener & Noruagiam ſita. Vermelandia colonis primò exculta eſt, Olao Tretelia ductore, Carolus IX. Sueciæ Rex ciuitatem ibi erexit Caroloſtadium. Hallandia à Codano ſinu Vveſtrogothiam ſeiungit, eius ciuitates ſunt, Halmſtadium, Laholmia, Falxemburgum, & Varburgum. Gothiæ porro Orientalis Prouinciæ recenſentur, Oſtrogothia, Smalandia, & Oelandia. Oſtrogothiam à Vveſtrogothiâ Veter lacus dirimit, eius verò latus Orientale Sueuico mari pulſatur. Emporia ſunt Vadſtenum, Scheningia, Norcopia, Sudercopia. Smalandiam ab Oſtrogothia *Holaucdh* ſylua diſterminat, vrbes habet Calmaruiam, Ienecopiam, *Vexio*, *Ekeſio*, & *Veſteruik*. Oelandia Inſula amœna & fertilis, vbi arx *Burcholm*. Gotlandia & ipſa Inſula pecorum diues, Metropolis eius Viſby. Sequitur in littore Gothico, Finlandia, dicta quaſi pulchra terra. Finnones patriam ſuam Somi à paludibus ſcilicet nominant. Ibi Kuntſon Rex Sueciæ Viburgum caſtrum conſtruxit an. 1193. vt Ruthenorum irruptiones prohiberet. Ad Finnicum Sinum Abo ciuitas Epiſcopalis, arces *Guſto* & *Raſeborgh*. Secus ſinum Bothnicum *Biorneborgh* ciuitas, oppida, *Vla*, & *Vaſa*; arx *Nyſlott* ann. 1475. conſtructa ab Erico Axelſon Aulæ Sueuicæ magiſtro. Ante Inſulam Farenſem promontorium in Oceano, Monachus, ab imagine, ſeu figurâ monachi, quam à Naturâ rupes exciſa refert. Alia rupes in Occidentali Bothniâ, ad Oceanum, Coronata dicitur, quod videatur habere in ſummo vertice coronam. In littoribus Noruagicis inter vrbes *Roeſt*, & *Loffoeth* carybdi abſorbentur nauigantes repentinâ circumuolutione aquarum. Supra ciuitatem Holmenſem in Regno Sueciæ portus *Elgxnabben*, ab onagris, cuius vicinæ rupes triremium in formam figuratæ ſunt. In eo portu Rex Sueciæ Guſtauus. ann. 1540. nauem ædificari iuſſit, in quâ M. armati CCC. Nauclairi. Idem primus in mari Septentrionali triremibus vſus eſt, Venetis artificibus conductis. Regiam ciuitatem Suecorum Stokolmiam extruxit Birgerus Ierl, Regni tutor. Noruagia Plinio Nerigon, quam malè Inſulam credidit, dicta quaſi via Septentrionis, *Nort* Septentrionem, *Vveg* viam ſignificat; Sitones primi coluêre. Repetunt originem Sueciæ Reges à Nepote Noëmi, ipſámque Vpſalam, ſiue Vpſalim, Regni caput, ante Abrahami tempora conditam volunt. LX. naues Regio imperio paratæ ſeruandis portubus. Stipendia nauclairorum, carnes, piſces, butyrum, ſiligo, hordeum, coria, pelles, vix dupondio miles merebat, priuſquam Guſtauus Ludouici noſtri liberalitatem ſenſit, in magnam famam & Imperium accitus, & ſtipendij militaris largitate, ſpe prædæ, & animo ad bella nato. Natus eſt IX. Decembris ann.

ann. 1594. Patri Carolo in Regnum Sueciæ & Gothorum ſucceſſit ann. 1611. Obiit in prælio ann. 1633. Chriſtinâ filiâ hærede relicta.

Nunc quoque defuncti cineres & inane cadauer
Militat, & ſolo Genio conterritat hoſtes.

Mirum, adhuc defuncti exercitum durare victorem, amiſſo Duce, pérque tot annos ab eius morte peractos, Auſtriacis exercitibus, in quibus Germania tota, Hiſpania, Italia, Sicilia, Hiberniáq; militat, tot clades intuliſſe, hodiéque inferre. In iſtos illaturus bellum Guſtauus duas claſſes armauit, maiora nauigia in portu Stokolmenſi ſtationem habere iuſſit: minora in Finlandiæ portubus aduerſus Moſcos & Germanos præparauit. Inter leges Suecorum nauticas, mirandæ iſtæ, quòd, qui furtum in naui commiſit, dextrâ eius cultro figitur ad malum, ſiniſtrâ poſt tergum religata, ita vt, ſi indè exire velit cogatur nocens dilatato vulnere, totum cultrum cum manubrio per volam manus educere. Qui verò tumultum per iniurias excitauit, fune alligatus, vno latere nauigij ſubtus immerſus, ab altero latere alio fune retrahitur. Paret Sueciæ Regi Iſlandia Inſula, cuius ambitus eſt M. Germanicorum CCCLXXXVIII. Antiqua Thule exiſtimata à Noruagiæ littore ſeiuncta CL. M. Germanicis. Iſlandiæ ab occaſu æſtiuo obiacet Gronia, immenſo terrarum ſpatio, incertum Inſula an continens Americæ: hanc Daniæ Reges ſibi vendicant. Balænarum capturâ Regio nobilitatur: Frieſlandia verò, quæ Anglis paret, aliorum piſcium. Bothnia Sueciæ pars Bothnico ſinui nomen indidit, famoſa eſt emporio Torniâ, cui proxima eſt Finnia, Plinio Fenningia, à quâ & ſinus Finnicus in receſſu ſuo nobili emporio ditatus, Viburgio ſcilicet. Vltra Ruſſi ad quos pertinuit Notteburgum, vulgo Oreſca, in faucibus Nieuæ rapidiſſimi fluminis collocatum, à Guſtauo Adolpho Suecorum Rege nuper captum. Eſthonum ad Finnicum ſinum vrbes ſunt, Reualia, Viria, *Veſembergh, Tolsburg, Borcholm, Alentakia*, Naruia emporium, Vikia, Hapſal, Lehal, & Lode. Inſulæ, Dagho, Orinſo, Nuko, Vrango, Odenſholm, Nargo, & vtraque Rogho, Regibus Sueciæ tributariæ, quibus etiam hiſce annis tota Liuonia collum ſummiſit. Dania verò nomen habet à Danis, ſiue Codanis populis, à quibus Codanus ſinus dictus eſt. Cimbri ab initio incoluêre, poſtea Iutæ, vnde pars Daniæ Iutia, Theutoniæ finibus admota. In iſta Flenſburgium oppidum, dictum quaſi fluminis burgum, mercaturâ celebre. *Haterſlebia*, ab Hottero Rege condita, Ripa, in ripâ fluuij ad Oceanum, triplici incurſu amnis Nipſaæ interſecata. Arrhuſium, veluti domus remorum, in littore. Altera pars Daniæ Fionia dicitur. Ante hanc Selandia, quaſi maris terra Amagria Inſula, iuxta Solandiam poſita, ibi armamentarium in claſſes. Ante

E Daniâ Saxonis Grammatici. Item M Adami, Iona Koldingenſis. De Dania, Suecia, & Noruagia infra plura dicemus, in deſcriptione Noui Orbis.

Iutiam

ſtiam Inſula Venora, vulgo *Venoe*, Latinis Veneris. Sequuntur & aliæ Inſulæ, Holmia, Stadeloa, Numindia, Huga, Mandia, Huena, Vvendila, Mors, Tije, Sampſoë, Fembre, Rani, ſiue Runi; & Semlandia, piratis aut infenſæ, aut amicæ. Sunt & aliæ innumeræ, Languelandia à longitudine dicta M. VII. Germ. extenſa. Lalandia, ab humili ſitu. Flaſtria, Alſa, Arræa, Toſinga, Fimbria, Buſena, Terra Sancta, Boringia, longitudine VII. M. Germ. latitudine II. Faroarum, ab omium multitudine dictarum, XIIX. & aliæ minoris nominis. Celebrantur maximè arces, ad latus maritimum Selandiæ, Chroneburgum, Friderici II. Daniæ Regis ſumptibus abſoluta, ann. 1584. & huic oppoſita Elzeburgum, leui inter vtramque traiectu, ita vt nulla hîc nauis inuitis cuſtodibus arcium intrare aut relinquere poſſit Danorum portus. Hiberniam tenuerunt Daniæ Reges, ſeptem, Angliam, X. Scotiam, III. Saxoniam, XV. Sclauiam, XXIV. Liuoniam, ij qui à Canuto IV. ad Chriſtophorum II. regnauerunt. Ruſſiam, VIII. Sueciam, XIIX. Noruagiam, XXXII.

CAPVT DECIMVMSEXTVM.

Vandalicarum vrbium, Pruſſorum, Saxonum, Polonorum, Moſcorum, aliorúmque Germaniæ populorum, res mari aut littoribus patratæ: Item de fœdere Anzeatico.

HIC Moretum facio, dum de multis pauca in acetuum vnum coniicio, vt tandem Caput conficiam. De Vandilis, vel Vandalis alibi multa, hoc iſto *Libro meminimus. Horum populorum ſedes variæ, in Daniâ, Scythiâ, Poloniâ, Germaniâ, Daciâ, Pannoniis, Galliâ, Africâ, ipſaque Italiâ, & Siciliâ. Hîc tantùm de primâ huius gentis ſede, quæ in Daniâ fuit, dicendum putaui, ne ordinem interturbarem, quo Germaniæ oras ſequi hoc in Capite decreui, vt fiat præcedentis corollarium, & concluſio. Igitur eorum antiquior habitatio, quæ & hodie Vandalia dicitur, inter Holſatiam & Vlmigauiam, ſiue Pruſſiam, porrigitur ad Codanum ſinum, & Suecicum mare, ſiue Balticum, à Baltiâ peninſulâ dictum, quæ tria continet Aquilonis Regna, Daniam, Sueciam, & Noruagiam, de quibus Capite præcedenti. Olim huiuſce littoris incolæ Vandali, Vvinuli, & Vvinniti dicebantur: à Vvinetâ ſcilicet vrbe nobiliſſimâ ad Balticum pelagus, hodie tantùm ſtationem naualem habens, ſeruato ruinis antiquo nomine. Cui ſucceſſit *Visby*. Habet & alias maritimas

*Cap. 1. 2. & 15.

Krantz in Vandalia.

 ritimas

** Stralſundium aliquibus, qui etiã vrbem eam cum Sundia confundunt.*

ritimas, Lubicam, Vviſmariam, Roſtockium,* Straleſundam, Gripeſvvaldum, Luneburgum, Rugnvvoldum, Coſlinũ, Colbergam, Caminam, Oldevverpam, Vkermundam, Vvolgaſtum. Vandalorum Inſula in Baltico mari, Cimbre, à quâ fortaſsè quondam Cimbri, oppoſita Vvalgriis: altera, Rania, contra Vvilſos poſita. Vandalis natiuis iiſce in terris Rex diu ſpecialis fuit, ſicut & in Pannoniis, Daciâ, Africâ & Galliâ. Poſtea dubiam ſeruitutem natio iſta ſuo in ſolo ſeruiuit, à Danis, Suecis, Noruagiis, Holſatis, & Saxonibus per interualla dominata. Aliquando etiam ſub domeſtico Principe fuit, quo viuis erepto, Magnopolenſes & Stargardiæ Duces dominos habuit. Dedita quoque Lubica, Vandaliæ caput, Friderico Imperatori, anno MCXC. Ea nunc cum reliquis Vandaliæ vrbibus libera manet, ſub tutela Imperij acquieſcens, ſuo auſpicio pacem & bellum gerit, ciuibúſque ius dicit, vt reliquæ Reſpublicæ. Olim Vandalicæ dominationis fuerunt, Pomerania & Brandeburgenſis Marchionatus, cernuntúrque Baltico in littore eorum vrbes antiquæ, præter iam commemoratas, Iulina, Vvineta, Sundia, Pucka, Reuecola, Louenſburgum, & Hechel. Vandaliæ pars hodie Philippo Iulio patet, cui Lubinus, tabulam Coſmographicam Inſulæ Rugiæ, cum iſtis titulis vouet: ILLVSTRISSIMO CELSISSIMOQ. PRINCIPI AC DOMINO, PHILIPPO IVLIO, DVCI STETINENSIVM, POMERANORVM, CASSVBIORVM ET VANDALORVM, PRINCIPI RVGIÆ. Iſtud occurrit notandum, Lubicam non modò Vandalicarum vrbium præcipuam eſſe, ſed & vrbium omnium, quæ nomine * ſocietatis Teutonicæ comprehenduntur, numero LXXII. Hæc à Friderico Barbaruſſâ Imp. inſtituta eſt, ann. Sal. MCLXXXII. non modò negociationis & mercaturæ causâ, ſed & auri argentíque credendi ad certam vſuram. Huius confederationis negotia in Germaniis, Lubicæ tractantur, domibus publicis ob id conſtructis, Antuerpiæ in Flandriâ, Amſtelodami in Hollandiâ, Londini in Angliâ, Nouogardo in Moſcouiâ, & Bergæ in Noruegiâ. Subſequuntur Pruſſi, Summi Numinis ope nunc Chriſtiani, ſicut & Liuoniani, quos ferrum magis, quàm veritas ipſa, ad fidem coëgit, fratribus Teutonicæ domus ad id miſſis. Horum inſtitutio, incerto authore, qui è Germaniâ fuit, refertur ad ann. Sal. 1091. Alio nomine, Fratres Xenodochij Beatæ Mariæ Hieroſolimitanæ vocantur. Primum Magnum Ordinis Magiſtrum, vt ipſi vocant, Henricum * Valpotium habuêre, ſub quo magnum Xenodochium in Acrâ vrbe, quæ olim Ptolomaïs dicebatur, erectum eſt. Horum munus & officium, pauperibus & languentibus opitulari, pro fide contra infideles pugnare. Syriâ pulſi anno 1229. à Frederico II. Imperatore, Boruſſiâ, quæ nunc Ruſſia, donati ſunt, cuius populi Idolis ſeruientes, Saxoniam vaſtabant. Fratribus Teutonicæ do-

Mercator in Tabulâ Rugiæ.

** De la Hanſe Teutonique. Argentraus hiſt. Britanni lib. 12. cap. 433.*

*Krantz. Suecia lib. 8. & Vandalia lib. 9. Ioan. Boemus Coſmogr. lib. 3. c. 8. Fauin. Theatri honoris lib. 7. Sabell. Ennead. 10. lib. 4. Alex. Gagninus in Sarmatia, & Moſcouia. Henricus Pantaleon de reb. geſtis militaris Ordinis Ioannitarum. * De Valpot.*

mus

mus Hermandus * Saltzaus imperabat, qui fractis prælio Pruſſis, *Di Saltza.
in eodem loco; in quo pugnatum eſt, ad Viſtulam fluuium; de nomine Beatæ Mariæ Virginis, Ordinis Teutonici tutricis & patronæ, Mariæ-burgum fundauit. Additæ huic victoriæ, Liuoniæ, Lituaniæ, Poloniæ & Moſcouiæ partes. Tentata deinde maria, occupatáque Gotlandia, validíſque præſidiis firmata, victis prælio nauali Vitalianis, qui eam Inſulam ab Rege Sueciæ Alberto 1606. 1398.
tenebant. Albertus vlturus iniuriam de Roſtockio & Vviſmariâ infœlicibus auſpiciis ſoluens, in orâ Pruſſiæ commiſſo prælio, fugatus eſt. Ann. 1399.
Additæ victrici claſſi captiuæ naues, & in Samagethas (Maſſagetæ antiqui putantur) pugnatum, ingenti repugnantium clade. Sed vt ſolet in humanis ingeniis fœlicitas, auaritiam, ſuperbiam, & tyrannidem patefecit. Hinc vicinorum in eos odium & bella, donec perirent. Nam cùm Magnus huiuſce Ordinis Magiſter, Albertus, bello à Sigiſmundo Poloniæ Rege fractus, reſurgere ad arma non poſſet, Ordine exterminato, à victore Du- *Cromerius Poloniæ lib. 2.*
catum Pruſſiæ in feudum accepit, quem ſuis hæredibus transmitteret, quibus deficientibus, Poloniæ Pruſſia accederet, nunquam ab eo Regno ſeparanda. Sic Albertus abdicato Teutonicæ domus Ordine, primus Pruſſiæ Dux creatus eſt. Ann. 1525.
Ceteri verò eiuſdem Ordinis in deficientis locum alterum Albertum, Vvolgangum cognomine, ſuffecerunt, pulſíque Pruſſiâ, in eas terras Germaniæ abiuerunt, in quibus Imperatorum ſuperiorum beneficio, ingentis redditus prædia agróſque poſſidebant, duránteque in Germaniâ ad hanc vſque diem conſeruati, ſub Maximiliano Auſtriaco, Magno Ordinis Magiſtro. His olim & Equitum aliud genus acceſſerat, quos Fratres Ferentes gladios vocabant; quòd in eorum palliis gemini gladij figurati & inſuti eſſent. Huius Ordinis primus Magiſter Vinno, ann. Sal. MCCIII. Cauſa inſtitutionis, vt à Liuonianis idololatriam arcerent. Sed cùm impar tanto honori virtus eſſet, hoſtiúmque numerus in dies creſceret, Fratres iſti Ferentes gladios, ſumptis Teutonici Ordinis inſignibus, eidem aggregati ſunt, ann. MCCXXXVII. Habet hodie tres portus inſignes Pruſſia, Gedanenſem, Elbingenſem, & Regiomontanum. Finitimi Pruſſis Saxones, quos Cattos Tacitus vocat, ad Balticum mare. Eorum celebratior vrbs maritima Roſtoxium: poſt hanc Cripſvvoldia, & Sterinium. Iſti ab Anglis con- *Panciroll. ad cap.*
tra Pictos & Scotos acciti, Rege * Verrergeno exoticos incolas *72. Not. Occid.* ** Vertigernum*
Angliâ abegerunt, quæ tum Britannia dicebatur. Inde cauſati *Gildas in Epiſtola*
promiſſa ſibi ſtipendia non ſolui, Inſulæ partem occupauerunt. *de excidio Angliæ.*
Contra iſtos à Romanis Impp. ante aduentum Verrergeni Co- *Volrigernum Gotfridus Viterbienſis*
mites Saxonici littoris per Britanniam creati erant, qui eorum *Chronici part. 18.*
incurſiones certis præſidiis, in orâ maritimâ, diſtributis, impedi- *vocat.* *De Saxonum in*
rent. Scoti Occidentalem, Saxones Orientalem, vbi Londinum *Angliam aduentu*

 dicemus infra, cap. 18.

Krantz Saxonia lib. 1. 3. & 4.
Lazius de gentium migrat. lib. 9.

eſt, Inſulæ partem retinuerunt, ann. Sal. 443. Poſt hæc Saxones cum Francis Gallias, cum Longobardis Sabaudiam, Italiámque occupauêre. Eorum impetum, quo Rhenum Galliáſque penetrabant, Dagobertus Rex Galliæ compeſcuit, Carolus verò Magnus ad internecionem cæſos in totum fregit. Victores Danorum, mox victi & parentes: tandem liberi, Ducibus ſuis obſequuti ſunt. Horum primus Bernardus, è Comite Anhaltino, Dux & Elector Saxoniæ creatus eſt, à Frederico I. Imp. In iſtius familiâ is Ducatus durauit, ad ann. MCCCCVI. quo Ericum III. Ducatu Saxoniæ & Electionis prærogatiuâ Sigiſmundus Imp. priuauit, contulitque Landgrauiis Thuringiæ. Antea Saxonia ſub Regibus erat, donec à Carolo Magno Dux genti imponeretur Bruno. Hinc Poloni habitant, ſub quorum dominio maritima pars eſt Pruſſiæ, quæ Regalis appellatur, quòd Regi pareat, reliqua Ducalis, quæ Duci. Poloniæ cenſetur Inſula, quam Viſtula & Nogato faciunt: vrbes quoque maritimæ, Elbinga, Tolkemita, Fravvenberga, & Brunſberga, eiuſdem ditionis ſunt. Liuonia etiam à Sigiſmundo Auguſto Poloniæ Rege, ann. Sal. 1559. in fidem accepta. Reualenſibus, qui ſinum Balticum incolunt, ius feriundæ monetæ relictum. Rigæ in Magno ſinu Liuoniæ aliquot bellicæ naues ſtationem habent, ſicut & * Reualiæ. Hoc Regnum à Baltico mari, vbi Liuonia eſt, ad Mæotidis paludem, paulò ſupra Euxinum mare protenditur, vbi Podolia: & ipſa Poloniæ prouincia, Tartariæ contermina. Accedit & huic Regno pars Ruſſiæ, Roxolaniæ, ſiue Rutheniæ, quæ nigra appellatur: item & portio Pomeraniæ ad Balticum mare, cum vrbibus, Colbergâ, Camino, Coſtino, Gripſvvaldo, Sundâ, Purckâ, Reuncolâ, Louenburgâ, Hechelâ, & Straſundâ negotiationibus celebris. Viſimirus vnus ex nepotibus Lechij, cùm Polonorum imperium, ad Danorum fines olim promouiſſet, Syuardum eorum Regem, nauali prælio vicit, Inſuláſque, Rugiam, Hemeriam, Feondiam, Salendiámque occupauit. Vrbes extruxit, Viſimerem de ſuo nomine. Lubecam, Dantiſcum, ſiue Gedanum, contra Danorum excurſiones, quos ille vectigales fecit: regnúmque ſuum inter terminos Sarmatiæ Europææ concluſit. Ab Oriente Tanai flumine, & Mæotide palude: ab Occidente, Viſtulâ amne: à Meridie, montibus Hungaricis: à Septentrione, Germanico Sarmaticóque mari. Ruſſia Alba Moſcouitarum Duci paret, cuius imperium, hodierno Poloniæ imperio, latius patet, niſi quòd paucis littoribus, ad maritimas expeditiones commodis, nobilitatur. Dicta Moſcouia, à præcipuâ vrbe, Moſco, quæ de præterlabentis fluuij nomine nomen ſumit. A Septentrione Oceano glaciali coërcetur, vbi Petzora, Iugra, ſiue Iugoria, Corelia, Duuina, & Lappia. Defectu claſſicorum & nauigiorum dominium huiuſce

** Reuel.*

Alex. Guagninus in Sarmatiâ.

maris

Digitized by Google

maris Sueciæ Regi Dux Moſcouiæ ceſſit, illi quippe in extremo Finlandiæ ſinu, arx Viburgenſis, cum ſtationariâ claſſe, quâ & maritimos curſus Moſcouiæ Duci aufert, & Germaniæ, commercium. Vnde fit, vt Sueci Moſcis nauualibus prelijs ſuperiores ſint, equeſtribus verò inferiores, detrahúntque quotidie aliquid Moſcorum viribus, continua cum Polonis Tartariſque bella terreſtria, quibus aſſueti ad maritima vix reſpiciunt: vt & neque Poloni, à Polà, hoc eſt, planicie dicti, quòd rariſſimi montes tantum regni ſpacium exaſperent, non ita antiquum nomen, Slauica & Sarmatica gens, Venedis, ſeu Vandalis mixta, cuius hodie maritimum robur præcipuum, aliquot naues ſunt in lacu, cui Habus nomen, XV. M. longitudine ſtationem habentes, atque ab eo lacu, Neringa Inſula, & ipſa præſidiis naualibus munita. Accedit & aliud hodie Septentrionali Oceano robur, portubus atque vrbibus tractus maritimi Mechelburgenſis Ducatus, à Ferdinando II. Germanorum Imperatore, nuperrimè occupatis, quibus & aliæ littorales in Pomeraniâ & Comitatu Embdenſi additæ, inter quas * Veimaria. Ob id, Amiralius, incognitum per plura ſæcula Germanis nomen, primùm creatus Fridlandiæ Dux, ſub titulo maris Baltici, huic cum Daniæ Regi bella fuerant: Danus, Femeram Inſulam, in eo mari, trucidatis Germanorum præſidiis, recuperauerat, maritimámque continentis vrbem Ecklenfortum diripiendam militi conceſſerat. Occurrit victori Fridlandiæ Dux, ſed ſæuis turbinibus concuſsâ claſſe, ad reparandæ eius cogitationem conuerſus eſt, & vt præſens validius reſiſteret, aut arma inferret, præter Amiralij titulum, Mechelburgenſem Ducatum ab Imperatore in feudum accepit, claſſémque nouam, * Arnemi ductu. Expulſi nihilominus inſulâ * Denholminâ Germani, magnáque pars nauium eorundem à Pomeranis concremata. Rugia quoque Inſula illis per Danos erepta. Nec diu ſine vindictâ hæ clades fuerunt. Roſtochium à Fridlandiæ Duce ſub conditione acceptum, vnde liberis ciuitatibus terror: commiſsâ ſiquidem claſſe Guilelmo Mansfeldiæ Comiti, quâ mare Balticum Imperatori pacaret, ipſe terreſtrem exercitum moderandum ſuſcepit, & niſi pax ſequuta eſſet, hic ignis incendium inextinguibile per totam Europam ſparſurus videbatur, & tamen adhuc dubia videtur, nondum in totum firmata. Antiquiora ſunt iſta, & minus cognita de Moſcis. In Iſlandiæ Annalibus * legimus, tempore Aldebrandi Epiſcopi Bremenſis, nobiles Bremenſes aliquot, Viſurgi oſtio relicto, Iſlandiam, & Groënlandiam perueniſſe, hinc inter frigora & glaciem per mare Tartaricum, in regionem calidam, auro & argento fœcundam penetraſſe, inde opulentiam ſecum per eandem viam in patriam reduxiſſe. Moſci, imperante illis Theodoro, Ieneſeyam & Piſidam fluuios Tartariæ tenuerunt,

Vide Cromeri Poloniam.

* Veimar.

ANN. 1628.

* Le Colonel Arnhem.
* Denholmir.

* Apud Bleſkenium.
ANN. 900.

E Rep. Moſcouitica Boekbornaurij.

cc.leucis vltra Obi flumen : qui à Kitaysco lacu exiens, per XVI. M. Polonica, Ruſſica LXXX. Oceanum Glacialem intrat, & Regionem, quam alluit, Obdoriam de ſe nominat. Accolunt Vogulici, & Hugritzchi. Infra, alij minores amnes. Irtiſca, Boreſuua, Soſa, Tachnim, Danadin, & alij è montibus erumpentes. Theodoro Duce rerum potiente, aliquot arces oppidáque ad Obi irruptionem conſtructa deductis è Ruſſiâ, Tartariâ, & Poloniâ coloniis, quos ſceleta exilio damnauerant. Obdoriæ finitima Condora prouincia ad eundē Oceanum, ſicut & Lucomoria, ſupra quam Gruſtintzi; nigro colore, ad lacum Kitayſcum ſiti. In hoc item mare ſeſe VII. oſtiis exonerat Petzora, nomen Regioni faciens, ad hunc amnem, Papini, & Samoeidæ, Ruſſis *Samogedz*, hoc eſt, ſeipſos comedentes, oppida *Papinovvgorod*, & Puſtoſera, ab Æquatore poſita, ſub gr. LXVIII. & XXX. ſcrupulis. Flumen à medio Maij, ad medium Auguſti, nauigabile, reliquo anni tempore congelatum eſt: è montibus Ioëgoriis fluens, cis fretum *Vveygats*, Oceano miſcetur. Moſcorum gens piraticæ dedita, lembos in ſolitudine fabricatos, armíſque onuſtos, humetis portat, mox præcipitatos de rupibus in mare, vel ſaltu intrat, vel natatu, tum ſtantes in portubus incuſtoditas naues diripit, prædáque onuſta redit ad ſuos. Sunt autem ad Oceanum aliquæ vrbes ſub ditione Pruſſiæ, ſiue Moſcouiæ Ducis, quæ fœderi Anzeatico ſubſcripſerunt. Anzæ, ſiue Hanſæ nomen primò inuenitur in diplomate Olai III. Noruagiæ Regis, ann. Sal. 1278. quo nomine deſignabantur mercatores linguæ Teuthonicæ, qui ſocietatem inter ſe inierant, vel ad merces, vel in hoſtes piraticam exercentes. Iidem in diplomate Aquini VII. Noruagiæ item Regis ann. 1319. mercatores ciuitatum Romani Imperij, & mercatores Hanſæ Teuthonicorum appellantur. Quod Hanſæ nomen poſtea inualuit, remansítque ſolum coniurantibus ciuitatibus in Principes tyrannos, & claſſem parantibus. Ceterum, ann. Sal. 1300. hoc primùm factum fuerat, contra Hunnorum excurſiones, qui Saxoniam maritimam, & Pomeraniam occupauerant. A Finnico ſinu, qui eſt in vltimo receſſu maris Baltici, vſque ad Rheni oſtia, vrbes præcipuæ conſpirauerunt in hoſtes, noménque Anzeaticarum indiderunt ſibi, vel à mari Teuthonico, quòd ad illud ſitæ eſſent, hoc enim eſt, *An zee*, vel à fide, quam iunctis dexteris iuramus mutuam, manum quippe *Handt* Germani vocant, fœdus verò Hanſam: vel etiam ab immunitatibus, *Frye Hanſſen*. A ſinu Codano vſque ad Chronum fluuium, quem incolæ *Memmel* dicunt, huic fœderi ſubſignauêre maritimæ ciuitates portubus celebres. Lubecca, è ruinis Vinetæ, à Lubouio quodam, qui eo loci primùm caſas aliquot ædificauit, inter ripam Trauæ & lacum Vvakeniſſam: in vrbis formam deducta eſt, à Golſchalko Vvagriæ Principe,

Angelius à Vverdenaghen de Rebuſpubl. Hanzeaticis.
Staniſlaus Krizistanovvic.

cipe, qui de nomine filij, arcem Butham vocauit, ann. 1040. Sub tutelâ Suecicâ hodie acquieſcit. Vviſmaria, à Vviſmaro Rege Vandalorum, qui circa tempora Conſtantini Magni regnauit, conſtructa eſt.: Lacinio veteri ſucceſſit Roſtochium, à Primiſlao II. Herulorum Rege ad Varnam amnem ampliatum, ann. 1160. nomen habet à diuortio aquarum, quæ Vandalis, *Rotzok*; vel à roſetis fragrantibus, *Rozenſtock*. Sundia, ſiue Straliſundium, præcipua Vandaliæ Hanſæ ciuitas in Pomeraniâ, ab Inſulâ vicinâ Strale, & freto dicta eſt, conditore gloriatur Sunio II. Francorum Rege, ann. Sal. 144. ædificata: eundem Sunium, Francofurti authorem, memorant. Semirutam Sundiam reſtituit Vviſlaus Rugiæ Princeps ann. 1231. In eadem Pomeraniâ, eiuſdem Anzæ ſunt, Gryphiſvvalda, Ancla, Stetina, ſiue Stetinum, conditum ab Henetis, ann. 400. aula Pomeraniæ Ducum. Sequuntur Colbergia & Stolpa omnes Vandalicæ Anzæ, Anzeaticæ quippe ciuitates diuiduntur, in Vandalicas & vltra-Vandalicas: Vandalicas recenſuimus: vltra-Vandalicæ ſunt: Dantiſcum, Boruſſinæ Anzæ, ſiue Pruſſiæ, Danorum colonia, ſicut & *Dans-Vvick*, arx eius, ad Viſtulæ oſtium condita, ann. 1164. à Valdemaro I. Daniæ Rege. Anzæ quoque Boruſſinæ cenſentur, Elbinga, Suecis obſequens, inter lacum Drauſenicum, fluuiúmque & ſinum Elbingam: Koningſberga, in clientelâ Regis Poloniæ, Brandeburgenſium dominium: ædificauit eam Otto, Marchio Brandeburgenſis, ann. 1255. ad amnis Pregeli ripas: Golnouia, ad Inam fluuium ſita: vt ad Regæ fluenta, Rugenvvaldium, Valdij Regis opus: ad Viſtulam, Culma, ſiue Culima: Torvvia, ann. 1235. extructa: ad Paſſariam flumen in Liuoniâ, ſub ſceptro Polonico, Branſberga ædificata ann. 1255. Ad Duinam, Riga, Metropolis Lettorum, 11. M. ſupra Venedicum ſinum, Colonia Bremenſium: Derbetum, aliis Torpatum, inter duos lacus collocatum eſt, Vvorſerum, & Peibam, Suecici Imperij. Panoruia, nomen habet à fluuio præterfluente. Reualiam Valderamus II. Daniæ Rex, condidit, an. 1223. Guſtauus Adolphus Sueciæ Rex interruptum commercium nuper reſtituit, colono è Belgio deducto. Lunæburgum, inter ciuitates Anzeaticas numeratur, cum Vlyſſæa, aliàs *Vltzen*: cui fœderi adiuncta Colonia Agrippina. In Iuliacenſi & Cliuenſi Ducatu Duiſburgum, Veſalia, Embricum, Vvarburgum, Vnna, Hamma. In Vveſtphaliâ, Monaſterium, Minda, Oſnabrugga, Tremouia, Suſatum, Herfordia, Padeborna, Lemgouia, Bilſeldia, Liſtadium, Vvarberga, Coſfeldia. In Geldriâ, Nouiomagum, Zutphania, Rurmunda, Venloa, Arnhenium, Thiela, Bommelia, Elburgum, Harderuicum. In Brabantiâ, Antuerpia, Traiectum ad Moſam, incolis *Maeſtrick*. In Flandria, Brugæ. In Trans-iſelaniâ Dauentria, Campetum, Zvvolla. In Hollandiâ, Briela, Dordracum, Enchuyſa,

chuyſa, Vvieringia. In Friſiâ, Groninga, Bolſvverdia, Strauera, Gorcum, Embda. In Zelandiâ, Midelburgum, & Ziriczea. Statuta & ordinationes ciuitatum Anzeaticarum, habet Angelius, parte IV. de Rebuſpublicis Anzeaticis, vt & enumerationes ciuitatũ, & quid vnaquæq; ſingulis annis in Societatem Anzæ contribuat. Huic fœderi ſimile ſtatutum in Sueciâ, à Guſtauo Adolpho Rege, anno 1626. Ad nauigationes per totum Orbem agendas, Guilelmo Vſelinxo Antuerpienſi authore. Datúſque portus, armandæ, inſtruendæ, & recipiendæ claſſi, agendarúmque rationum, Gottenburgum.

Mercurius Gallic. tom. 19. p. 468.

CAPVT DECIMVMSEPTIMVM.

Anglorum res mari geſtæ.

Tacit. in vit. Agricola. Polydor. Vergilius Anglicæ Hiſtor. lib. 1. & 2.

PRIMVS omnium Romanorum Iulius Cæſar cum exercitu Britanniam ingreſſus, quanquam proſperâ pugnâ terruerit incolas, ac littore potitus ſit, poteſt videri oſtendiſſe eam poſteris, non tradidiſſe. Conſularium primi Aulus Plautius, & Oſtorius Scapula, ſub Claudio Imp. paulatim in formam Prouinciæ eam Inſulæ partem redegerunt, quæ oppoſita erat Gallico littori, additâ inſuper Veteranorum Coloniâ. Quædam ciuitates Cogiduno Regi donatæ, vetere iampridem receptâ Pop. Romani conſuetudine, vt haberet inſtrumenta ſeruitutis & Reges. Sub Nerone Auitus, Legati nomine, hanc Prouinciam rexit. Poſt hunc Suetonius Paullinus, Monam Inſulam, receptaculum barbarorum in poteſtatem redegit, per cuius abſentiam cùm miles cuncta Britanniæ amicæ ſtupris, & rapinis turbaſſet, Britanni, Voadicâ, Praſutagi Regis viduâ, duce, veteranos, qui in templum confugerant interfecerunt. Legio Noua cæſa. Catus Decianus Britanniæ Procurator, media trepidatione dilapſus in Galliam fugit. Verulamium municipium vaſtatum, Colonia quoque Victricenſis, quæ Camaloduni, vel * Camuloduni degebat, expugnata. Nec multo poſt Paullinus adfuit, qui exercitu Voadicæ fracto, eam ad mortem adegit. Hinc Petronius Turpillianus, & Trebellius Maximus, ſatis pacatè Prouinciam rexerunt. Tum Vectius Volanus, Petilius Cerealis, Iulius Frontinus, & iam ſub Veſpaſiano Iulius Agricola. Hic Monam Inſulam, quæ poſt Paullinum defecerat, ad iugum reduxit. Mouitque Romanorum arma vſq; ad Taum Æſtuarium, eámque partem, quæ Hiberniam aſpicit, copiis inſtruxit, Galgacum rebellantem profligauit: tunc primùm Roma-

** ibi hodie Dancaſtrum.*

na

na claſſis, circumuecta, Inſulam eſſe Britanniam affirmauit, & ſimul incognitas ad id tempus Romanis Inſulas, quas Orcadas vocant, inuenit, domuítque. Deſpecta eſt & * Thyle, quam hactenus nix & hiems abdebat.

* Schetlan *vulgò, nautis* Thilenſell, *nonnullis Iſlandia.*

Neglectâ demum Septentrionali Inſulæ Britannicæ parte, quia aſpera & penè deſerta, antequam Iulius Agricola ſucceſſori ſuo Prouinciam traderet, quatuor Legiones tuitioni Angliæ impoſitæ: Secunda Auguſta, quæ alio nomine Britannica dicebatur; in * Iſca vrbe: Sexta Victrix apud *Eboracum: Nona Hiſpanienſis, incerto in loco: & Viceſima Victrix, *Deuæ.

* *Caerlon.*
* *Yorck.*
* *Cheſtre.*

Tum ſub fide Romanâ Britannis regnabat Aruiragus: Scotis verò, Luctacus XXII. Scotiæ Rex. Inter has duas nationes varia bella. Pulſi Scoti, fauentibus Romanis, totâ Inſulâ, donec amiſſa, Ferguſio duce recuperarent, ann. VI. Imperij, quod Arcadius & Honorius ſimul tenebant, poſt toleratum per annos XL. exilium. Fatigati bellis Britanni, cùm à Romanis auxilia aduerſus Scotos impetrare nequiuiſſent, ab Imperio deſciuerunt, annis D. poſt appulſum Iulij Cæſaris in eorum Inſulam. Electúſque, qui iam libera ſceptra caperet, Vvortigerus, Polydoro Vergilio, Vortigerius, qui viribus ſuis diffiſus, Saxones Anglos rei militaris famâ illuſtres è Germaniâ vocauit.

Polydor. Vergil. Nembrugenſis. Andreas Quercetanus, Beda, & Gildas, rerum Anglicarum, ſiue hiſt. Angliæ.

AN. Sal. 449.

Iſti, Hengiſto & Horſo ducibus, victis Pictis, Scotíſque; circa Cantium habitauerunt. Bedas addit, Saxonibus & Anglis, Vitas, Germaniæ etiam populum, adiunctos: ex Vitis ortos Cantuarienſes, atque eos, qui hodie Vectim Inſulam incolunt: è Saxonibus, eos Saxones profectos, qui, Orientales, Meridionales, & Occidentales nuncupantur: ab Anglis verò, à loco, vel ab eorum Regina ita cognominatis, originem traxiſſe Anglos Orientales, Mediterraneos, & qui Northumbriam colunt. Penituit Britannos in auxilium ſuum tales hoſpites acciſſiuiſſe, iunguntur Romanis ſuperſtitibus, quorum dux erat Aurelius Ambroſius, cęduntur Horſus & Hengiſtus cum exercitu, à cuius filiis ipſe cæditur. Poſtquam verò Britanni Artuto regnati ſunt, res eorum in melius mutatæ, Saxones, Scoti, Hiberni, finitimíque Inſulares coacti parere, vt victi.

Polydor. Vergil. Angl. hiſt. l. 3.

Lucius Romanorum Dux prælio ſuperatus. Quæ de iſto leguntur, fabulæ, quam hiſtoriæ propiora ſunt: dicunt enim eum Iſlandiam, Orcades, Noruegiam, Daniam, Groënlandiam, Inſuláſque Orientalis Oceani vſque ad Ruſſiam, ad ipſum Septentrionem ſubegiſſe.

Guilielm. Lombard. de Priſcis Anglor legibus. Henric. Mutius Germ. Chronic l. 5.

Poſt hunc Vertigernum, ann. Sal. CCCCXLIX. regnaſſe, adeo confuſè res illo tempore patratæ ſcribuntur. Iſto regnante Saxones, Iutios, & Anglos, Romanis, Britanníſque victis; & decimo quoque captiuorum Diis maris mactato, Britanniam Inſulam in ſeptem regna diuiſiſſe, totidem principibus regnata. Quorum prior rex nationis Anglicæ vocabatur, ceteris præſtantior, nobiliórque: ſiue quòd Angli ſe in iis bellis reliquis generoſius geſſerant:

Pluribus iam ante ſæculis, Britanniæ partem Angliam dictum Meurſio placet. Danicæ hiſtor. lib. 1. & nos quoque diximus Cap. 15. iſtius Libri.

rant: ſeu quòd hominibus, viribúſque reliquos Saxones anteirent: & ab eâ die Britanniam, quæ à Britannis, Galliæ populis nomen tenebat, Angliam dictam, quoniam tunc Egbertus Anglorum Rex, in eâ Britannicæ Inſulæ Heptarchiâ, velut vnus, & ſupremus Monarcha eſſet. Sed maximè tum prævaluit Angliæ nomen, cùm reliquæ Inſulæ partes vni Regi, ceſſerunt, obtinuítque omnia littora, Alfredus, quæ noſtris terris obiecta ſunt,

AN. Sal. 880. eáque longis onerariíſque nauibus muniuit, quibus Danorum incurſationes reprimeret. Post hunc, Edgarus Hiberniæ partem, Inſuláſque circumiacentes domuit. Sed incumbentibus atrocius Danis, Angliæ regnum inter Edmundum Inſulæ regem, & Ca-

ANN. 959.

ANN. 1017. nutum Daniæ diuiſum eſt. Mox ad Canutum totum deuenit, pulſis Edmundi liberis. Rurſum Dani Inſulâ eiecti, factâ lege, ne quis Danicæ nationis deinceps ad ſceptrum Anglicanum vocaretur, ad quod legitimi illius hæredes è Normanniâ Gallicâ reuocati ſunt. Horum ſanguine parentibus ſuis Eduardus litauit, fractâ hoſtium claſſe ad Sandvvici portum, cæſíſque totâ orâ Danis. Guilelmo demum Normanniæ Duce in Regem Angliæ ſalutato, pacatior Inſulæ adminiſtratio fuit, patriis legibus abdicatis, admiſſis, obſeruatíſque Normannicis, quæ Gallico ſermone compoſitæ erant, iuſſúmque, vt cauſæ eodem idiomate agerentur. Sequens ſæculum Richardum vidit Angliæ & Cypri Regem, Saracenorum in mari victorem, dum hoſtiles naues annonam

** Ceux d'Acre.*

* Acrenſibus obſeſſis deferrēt. Inuenti in his harpagones CCL. alias igne Græco refertas, alias ſerpentibus plenas, quas in Chriſtianorum claſſes barbari iniicerent, innumeras reperit. Sequuta eſt hanc victoriam Acræ deditio, Chriſtianorúmque Dux, per totam Aſiam, Richardus conſtitutus, omnium quæ in exercitu erant, nationū conſenſu. Vrbes iſte Syriæ maritimas, quas Saladinus, cùm ſeruare non poſſet, diruerat, mœnibus circumſepſit, propugnaculis & præſidiis muniuit: intérque eas Acram ipſam, Porphyriámque, & Aſcalonem. Pace poſtea cum Saladino compoſitâ, victor in patriam remeauit, ad eam, ciuili motu, vocatus. Huic

ANN. 1214. Ioannes ſucceſſit, & ipſe ingentis animi Rex, qui in orâ Flandriæ, Philippi II. Galliarum Regis claſſem ſubuertit, omnibus nauibus captis, aut igne conſumptis. Ceterum cùm Anglos ſubſidiis opprimeret, à primoribus regni Ludouicus, dicti Philippi Galliarum Regis filius, ad Angliæ regnum, obſidibus miſſis, vocatus eſt, eiúſque Inſulæ Rex ſalutatus; quam amicitiâ & vi occupauit, tenuítque, quandiu Anglis placuit, Gallica arma ſequi. Poſtquam enim Henricus III. Ioannis filius, Rex proclamatus eſt, tum amor in Principem rediit, & exoticæ potentiæ tædium. Sic Anglia ad obſequium veteris familiæ Regiæ rediit. Neque ob id tamen pax illi cum Galliâ integra fuit. Eduardus I. Henrici III. ſucceſ-

Polydor. Vergilius Anglica Hiſtor. lib. 15.

ſor

ſor, occupationem Normanniæ diu meditatus, infeſtâ claſſe per eius oram excurrit: moxin Aquitaniam cõuerſus Rupellam terrâ marique obſeſſam expugnauit, Burgum, Blaiam, Baionámque cepit. Paulatim tandem ardor ille bellicus quieuit, & pacis amor. Acrius deinde bellum ſurrexit, Eduardo III. Angliam moderante, in Philippum Valeſium Galliarum Regem: poſt horrida prælia in terris tractata, Philippi claſſis ad * Sluſam, ſiue Cluſas Anglicam claſſem obſeruabat, ne Flandricæ iungeretur. Eduardus iratus fortunæ, quam iniquam terreſtri in pugnâ ſibi ſuiſque nuperrimè ſenſerat, maritimo prælio ferocior incubuit, reperítque proſperam, noſtrâ claſſe victâ, poſt ingentem hinc & inde cladem, & adhuc pendente certaminis euentu acceptum in crure vulnus, quod ſagitta fecerat. Hinc in Armoricam arma victricia conuertit, Roberto * Arteſio Duce, cui alia pugna naualis ante Inſulam * Cæſaream ad littus Normannicum, cum Ludouico Hiſpano, Galliæ Amiralio, fuit, æquâ vtrinque iacturâ, diſperſis poſt varias cædes improuisâ tempeſtate claſſibus. Hac in pugnâ Montisfortis Comitiſſa, pro quâ Angli tum bellabant, ingentis virtutis ſpecimen præbuit, infeſto enſe noſtros feriens, mulier vltra ſexum fortis. Noſtris longius ab Armoricâ vento reiectis, Heroina illa cum Roberto Arteſio optatum littus tenuit, magnámque Armoricæ partem domuit: cuius tuitioni, ſeruandiſque portubus, cum maritimo exercitu, Sariſburienſis Comes præfectus eſt. Spectabatur à noſtris Anglia, vel vt belli futuri campus, vel vt præda. Cùm Richardus II. Eduardi hæres, præpoſitum claſſis & oræ maritimæ totius Inſulæ Richardum * Arondeliæ Comitem creauit, conceſſis illis XL. onerariis nauibus. Omnes quoq; portus præſidiis muniuit. Inſulam * Vectim Comiti Saliſburienſi defendendam dedit. Sic ille tempeſtatem imminentem nõn vitauit modò, ſed & aliam fecit, Flandricâ claſſe propè * Gagantum deletâ, eius Amiralio Ioanne Bucquio Capto, ductóque ante Richardum Arondeliæ Comitem, eundémque Angliæ Amiralium. Totum dein Flandriæ littus vaſtatum, & quia hoſtis attonitus nuſquam occurrebat, patria victori repetita. Tranſlatum mox in Irlandiam bellum, totáque ea Inſula quatuor Regibus ſubactis, ditioni Anglicæ acceſſit. Fracta & claſſis Gallica, per Clarenciæ Ducem, in orâ Normanniæ. Exin in Anglorum partes tota Gallia, Biturigibus exceptis, iuit, donec pedetentim deturbarentur; belláque ipſa terrâ maríque ceſſarent, Henrico VIII. regnante, claſſes verò Anglicas moderante Thomâ Hauardo: cuius tempore Lethe vrbs, cum portu totius Scotiæ celeberrimo, ab Anglis capta eſt, penetratúmque altè in regnum Gallis ſocium. Hinc excitatis noſtrorum animis, * Annebaltio Duce, XXV. triremibus, nauibus LX. Anglia petita, inter quam, & Vectim Inſulam,

Marginalia: ANN. 1293. — Gregorius Lilius in Epitome Chronices Anglor. Regum. — * l'Ecluſe. — ANN. 1340. — * D'Artois. — * Grenefey. — ANN. 1343. — * Montfort. — ANN. 1386. — * D'Arondel. — * De Vvight. — * Gagant. — * Bucq. — ANN. 1387. — ANN. 1416. — ANN. 1519. — ANN. 1545. — * Annebaut Amiral.

** Dud.* propè promontorium S.Helenæ,bis diuerſis diebus æquo Marte,
ruinâ ingenti,cum Anglis pugnatum eſt,quibus * Dudleyus im-
perabat. Fauebat noſtris nauigiorum militúmque numerus,An-
glis fretum vadoſum & ſyrtibus obſitum, amicum propè littus,
anguſtum æquoris ſpacium, nauéſque longæ, triremibus etiam
ſtrictiores, quas Rambergas vocant, moueri & ad ventum æſtúſ-
que circumagi faciles. Paulò poſt Henrico VIII.fatis functo,
** Seymer.* Eduardo VI.regnante, Thomas * Seymerus Angliæ Amiralius
creatus eſt. Poſt hunc Anglorum claſſi præfuit Cliton,cuius Vi-
** Drack.* ceamiralius Franciſcus * Dracus fuit. Hic in Americam prouе-
ctus,in Hiſpaniolâ Inſulâ,Hiſpanorum colonias, vrbéſque litto-
ANN. 1586. rales aliquot euertit, intérque has S.Dominici vrbem, portu, ne-
gotiationibus,& populi frequentiâ celebrem. Tum vaſtatâ con-
tinentis orâ, ſaluus cum ingenti prædâ in Angliam rediit. Inde
ANN. 1588. cum Carolo Hauardo Amiralio expoſitâ ante Plemuthium, An-
gliæ portum,claſſe,ventum & æſtum nactus,in Hiſpanorum na-
ues, quæ tam milites, quam nauticos, centum triginta millia ve-
hebat,igne ferróque ruit,mediáque acie quaſſatâ, gallionem Si-
ciliæ, cui Petrus Valdeſius imperabat, malo fracto, diſruptíſque
** D'Oquenda.* velis,ad deditionem compulit, Viceamiralij quoque * Oquen-
dini nauem igne conſumpſit. Poſterâ die,iuxta Portlandum,pu-
gnâ renouatâ, ſubmerſa Veneta nauis,cum celocibus octo, claſ-
ſíſque Anglicana aliquot nauibus aucta,in hoſtilem aciem pene-
trauit, ante Inſulam Vectim. Sic Hiſpanicâ claſſe recedere co-
actâ,iuxtáque Iccium portum anchoras mari mergere,nihilomi-
nus tamen eam in anchoris ſtantem,immiſſis de nocte incendia-
riis nauibus, Anglica claſſis turbauit, compulítque, anchorariis
funibus ſecatis,cum tumultu,& ſine ordine altum repetere. Inter
** De Moncada.* hæc Hugone * Moncadono cæſo, eius galeacia(ingentis nauigij
ſpecies eſt) amiſſo gubernaculo, in Anglorum manus peruenit.
Tum gubernatorum vocibus exauditis,ducum imperio accepto,
** Grauelinge.* ſedatóque tumultu,Hiſpanicæ naues in ordinem locatæ, * Gra-
uelingæ ante muros,impetum Anglorum aliquantulum retinue-
runt, donec in fugam verterentur. Excepit tempeſtas fugientes,
ſeruatis ægrè viginti, quæ in Hiſpaniam nunciæ cladis ſolæ per-
uenerunt: reliquas enſis,flamma, ventúſque & fluctus abſorpſe-
runt. Erat & hoſtis natali in ſolo vincendus: ob id claſſis victrix
** D'Euerelt Comte d'Eſſex.* Ducibus Roberto * Eueroltio Eſſexij Comite, Carolo Hauardo
Magno Angliæ Amiralio,Thomâ Hauardo Viceamiralio, Vlyſſi-
ponenſem oram prætervecta, perterritis incolis, cùm in littore
Gaditano, hoſtilem claſſem ſtare accepiſſet, onerariorum LVII.
triremium XX. Galeaciarum II. cum innumeriis aliis nauigiis,
animis ipſo periculo inflammatis, eum locum expanſis velis pe-
ANN. 1596. tiit. Confuſi hoſtes Anglorum audaciâ,poſt exonerata belli tor-

menta

menta, arenis naues impingunt, quas ſtatim deſtituunt, cimbíſque iniecti, aut aquis, partim littus capiunt, partim gurgitibus retinentur, toto elemento ſepulti. Pauca nauigia Portu Regali excepta ſunt, triremes contis impulſæ, ſubſequentibus ereptæ, ſaluæque, * Suaronis Inſulam tenuerunt. Galliones SS. Matthæi & Andreæ, capti, ſeruatique; SS. verò Philippi & Thomæ abierunt in flammas, cum multis aliis onerariis & celocibus. Victores in portum intruſi, deſertâ claſſe, cæſis, qui aditum in Inſulam prohibebant, obſeſſas Gades expugnauerunt, cúmq; vrbe ſeruare poſſent, maximo Hiſpanorum incommodo, quaſi ſeruare non poſſent, deprædatam diruerunt. Dum conſulunt, ſeruaréntne vrbem, an æquarent ſolo, inter altercandum, Mexicana claſſis proximum portum ingreſſa, & iam, ſi libera dimitteretur, ingentem auri cumulum victoribus offerens, cum negligeretur oblatum, quibuſque rebus precioſis exonerata, iuſſu Ducis Medinæ Sidoniæ cremata eſt. Sic Victoriæ incuriâ, quæ ſæpenumerò magna conſilia turbat, Inſula tota, cum opulentiſſimâ claſſe victoribus neglecta. Potuit & Hiſpanica claſſis, quæ ex Oriente tum redibat, ante Aſores debellari, ſed Ducum diſcordiâ, benè gerendarum rerum perpetuò inimica, bonum propoſitum in peius mutauit: placuítque Amiralio, cui Eſſexij imperium diſplicebat, Angliam repetere. Paucis ante menſibus Dracus obierat, in loco, cui nomen Portus Pulcher, tædio malè geſtæ rei ante Iſthmum Americæ, quà noſtram Europam à longè deſpicit, vrbs * Nomen Dei. In Draci locum ſuffectus Richardus Luiſſonus, qui in ipſo Liſbonæ flumine, ante Setubalis caſtellum, contra Caracam Hiſpanam, magnitudinis inuſitatæ, triremeſque XI. claſſem incitauit, ſimul præcipiti curſu inuectus, Prætorias duas Frederici Spinulæ, & Marchionis S. Crucis, ferreis tormentorum orbibus terebrauit. Viceprætoria Spinulæ in neceſſitate deditionis conſtituta, deprędata eſt, dataque libertas remigibus. Caraca, ruinæ proxima, permiſſa victori, eâ conditione, vt omnibus, qui in eâ erant, tutò in littus abire licitum eſſet, ſecúmque, quidquid vno trajectu poſſent, deferre, reliqua Anglis cederent. Dum Caraca oppugnatur, laceræ triremes IV. exitium euaſêre: nec diu, nam paucis poſt diebus reſarcitæ, Dunquercam petentes, naufragium iuxta Grauelingam paſſæ ſunt, ab onerariis Anglorum nauibus remis & gubernaculo deterſis. Anno MDCVI. Coloniæ Anglorum dux in Virginiam deductæ, Thomâ Gateſio & Thomâ Hamundo Duumviris: hæc regio Americæ eſt, littori noſtro penè obiecta, in quâ & aliæ duæ Coloniæ è Londino & Plemuthio, ann. MDCVIII. miſſæ ſunt, Vincfeldo duce. Ann. MDCXXI. in Algeræ portu, Galliones VI. totidémque pataceæ, cum ingenti prædâ ab Anglis captæ, vrbiſq; ipſius ſuburbiis incendium immiſſum. Petrus * Hein-

* Del Suazzo.

Meteren. hiſt. Belgic. l. 23. 24. & 28.

* Nombre de Dios.

ANN. 1602.

* Peeter Hein.

Ann. 1628. ſius ante promontorium Mantacæ, in Inſulâ Cubæ, claſſem Ibericam oppreſſit. Anglorum audaciam nemo ſatis expreſſerit, hi ad Moluccas aditum per Septentrionale pelagus tentaue-
Ann. 1590. runt, & ni glacies vlterius progredi vetuiſſet, Aniani fretum tenuiſſent: Nieulandiam, ſub LXXX. gradu ſitam occupauerunt, inueneruntque illud mirabile, aquas Polo ſubiacentes, à gelu intemeratas, virentes terras, & præſentia ſemper animalibus pabula: contra, ſi littora noſtra tenueris, minus profundum æquor, illabentibus in illud fluuiis, ventíſque frigidis de tellure propinquâ ſurgentibus, facilè in glaciem durari inuenies. Itaque conijcitur, iter ſub Polo ſemper apertum, ob id quod diximus, & etiam ob iſtud, quòd profundum mare ſempérque inquietum, & ob id congelari difficile, aër verò minus vaporoſus & humidus, ob lentitudinem motus celeſtis, vnúmque diem VI. menſium ſpatio durantem. Tentabunt nauigationem per hanc viam in Orientem qui volent, ſine vſu acus magneticæ, nam & ipſa ſub Polo ſilet, quaſi amati & exoptati ma-
Ann. 1344. riti amplexibus vincta & retenta. Eadem audaciâ Macham Anglus Nauta in Maderam Inſulam Canariarum primus appulit, hodiéque portus, in quo ancoras fixit, Machico, de eius nomine, nuncupatur. In iis Inſulis multas vrbes Angli, aut euerterunt, aut ditipuerunt, intérque illas, portum Sanctum, Presto-
Ann. 1496. ne duce. Quid in Americâ? Ibi Anglia, Scotia, Neufonlandia,
Ann. 1611. ſiue terra Noua, in quam è Londino, & Briſtolio, Coloni miſſi,
& 1621. Scotiáque Noua, Guilelmo Alexandro Scoto conceſſa, diſtribuendis terris, nominandíſque iis, & arcibus extruendis. Quid?
Ab an. 1608. quod Anglis amicitia & fœdus eſt cum Mogolo Mahumete Exe-
1612. 1615. bare, Mogolo Selino Principi Indiæ Orientalis, Candaharis, & Corazani Rege: cum Pedukâ Sirieo Sumatræ domino, aliíſque Principibus per totum Orbem ſparſis.

CAPVT DECIMVMOCTAVVM.

De legitimo Regis Angliæ in mari dominio contra Seldenum, ex ipſo Seldeno.

SED & hæc, aliáque ab Anglis relata, nihil ad maris dominium faciunt, alioquin quiſquis nauigat, dominus eſſet maris illius per quod nauigat, dum nauigat: vbi deſiit, aut nullius mare eſſet, aut illius, qui ſuccedit; fluxile Elementum, & nunquam idem, poſſideri non poteſt: & ſi qua prætereuntium poſſeſſio foret, momentanea eſſet, & tranſitoria, ſimilis

ſimilis naui quæ tranſit, & pelago, per quod fit tranſitio. Omnium eſt, quod omnibus Natura expoſuit, quod occupare non potes, dum præteris: quod tenere non potes, etiam dum in anchoris ſtas, effluit enim, vel vento, vel æſtu agitatum, diuerſúmq; à primo ſemper, quod ſuccedit, eſt. Itavt neſcias quid poſſideas, vel potius, quodnam te poſſideat. Ridiculum enim eſſet dicere, hanc nauim, aut claſſem, æquor poſſidere, niſi & auem aëra dum volat, poſſidere dicas. Quod maius eſt, poſſidet quod minus eſt. Terras Aquæ, vtráſque Aër poſſidet. Omnium autem vnus Deus poſſeſſor, & dominus eſt. Hic Elementis, hic Imperiis metas dedit, & Terris metam, Mare. Nihil vltra eſt. Prodiit tamen nuper, ſub titulo, MARIS CLAVSI, liber à Ioanne Seldeno Anglo in publicum miſſus, qui Regi Angliæ, non circumflui modò maris, ſed & immenſi, & ignoti dominium aſcribat. Quod dominium, ſi quod eſt Anglis, operæ pretium duxi intra ſuos limites recludere, non tam Galliæ meæ, cui compedes author ille videtur annexuiſſe, quàm hiſtoricæ veritatis amore ſtimulatus. Igitur Seldenus, veterum, recentiorúmque Coſmographorum authoritate contemptâ, ad Geographum Arabem anonymum recurrit, cuius verba, vt ipſi placet, Latinè ſic ſonant: *Ab Aquilonari parte Andaluſiam ambit mare Anglorum, qui ex Romanis* (id eſt, qui ex Europæis ſunt. Nam tum Romanos, tum Francos, generatim Orientalibus dici Europæos ſolemne eſt.) *A Toleto ad S. Iacobum, quod ſitum eſt ſuper mare Anglorum, nouem ſtationes*. Igitur à Toleto ad S. Iacobum mare Anglorum fuit, & ob id Anglici dominij. Hoc ab innominato, & in remotiſſimis terris morante authore, vt fabuloſè, ita & ridiculè dictum nemo non videt, hiſtoriis omnibus reclamantibus, cunctis Coſmographis contradicentibus, qui omnes S. Iacobi oppidum ad Celticum, ſiue Nerium promōtorium, quod hodie, Finis terræ dicitur, collocant, ad Oceanum Occidentalem, nulla mentione facta maris Anglorum. Quod melius Celticum, ſi nomen ſpecialius haberet, à promontorio vicino diceretur, & è concluſione Seldeni Gallici dominij eſſet, quia Celtæ populi Galliæ, ſicut & Gallecciæ Prouinciæ veteres incolæ, à quâ Gallicum, vel Gallecianum vicinum pelagus, meliùs quàm Occidentale deberet appellari. Quis porro inſcitiam authoris anonymi non miretur, qui Toletum, quod in meditullio Hiſpaniæ oppidum ſitum eſt, velut maritimum facit, & ab eo ad S. Iacobum nouem ſtationes, hoc eſt, loca nouem, recipiendis ad tempus nauibus in littore ſinuoſo: cum à Toleto ad S. Iacobum nullum mare ſit, nec vlla terreſtris ſtatio, in qua milites excubarent ad hoſtes arcendos. Præterea, vt à meo Salmaſio accepi, in eo exotico authore, pro *Elancluſiin*, legendum *Elanduſiin*, vt ſit mare Andaluſiorum, non Anglorum, qui ab Arabibus aliter vocantur,

Seldenus Maris clauſi lib. 2. c. 1.

cantur, longè alia terminatione. Hunc autem authorem, cuius nomen Seldenus reticet, Nubam, ſiue Nubienſem vocari mihi aſſeruit, quod è Nubiâ oriundus ſit, in cuius Geographiam ſcripſit Gabriel Sionita: multis erroribus eum conuincit, quod P. Bergeronus vir curioſus annotauit, in Tractatu de Tartariâ, & libello de Saracenis. Addidit Salmaſius, nunquam inter Romanos Anglos annumeratos fuiſſe ab Orientalibus populis. Quod denique ille Arabs dixit, *Andaluſiam ab Aquilonari parte ambire mare*, quodcunque illud ſit, falſiſſimum dixit, cùm ab Aquilonari parte Andaluſia continenti iuncta ſit, nec aliud admittat mare, quam illud, quod, ab eo quòd ab Occidente Andaluſiam Galleciámq; pulſat Occidentale dicitur. Sed neque firmiori fundamento nititur Seldenus, cùm ait, Orientale & Auſtrale pelagus, quà Britannia Inſula, Germaniam, Galliámque reſpicit, ideò Britannicum olim & nunc dici, quod Imperij Britannici olim & nunc ſit. Ante appulſum Iulij Cæſaris nauigia Britannis fuiſſe, quibus per vicinum mare diſcurrerent, adeóque illud occuparent. Britanniâ deuictâ, ſub Claudio & Domitiano Oceani Britannici dominium ad Romanos tranſiiſſe: & ab eo Domitiano ad Diocletianum Archigubernum, ſiue Archigubernium marinum Imperium cum claſſe numeroſâ in Britanniâ Inſulâ defendiſſe: denique, Comitem littoris Saxonici per Britanniam, à Conſtantino, vſq; ad eam diem, quâ Romani Inſulâ pulſi ſunt, mari vniuerſo, quod Gallias, Batauiam & Cimbricam Cherſoneſum & Magnam Britanniam interfluit, veluti parti, ſeu termino terminato Imperij Britannici, imperaſſe, nec huic tantum, ſed & Belgico, Gallicanóque littori, & Cimbrico, quod Saxonicum dicebatur. Quæ omnia temerè obiecta, à viro alioquin immenſæ & lectionis & doctrinæ, ſecundum hiſtoricam fidem, & authoribus paſsìm ab ipſo Seldeno citatis paucis refellam. ANTEQVAM Albion Britannia vocaretur, mare inter Galliam Germaniámque & Angliam poſitum, Britannicum vocabatur, ſeruátque hodie vetuſtiſſimum & nulla aliâ appellatione corruptum nomen, non ab incolis Albionis, qui tardè Britanni nuncupati ſunt, ſed à noſtris Britannis Gallis: nam cùm *Ptolomæus Albionem Inſulam & circumiacẽtia maria deſcribit, nulla factâ mentione Britannicæ Inſulæ, mare, quod Britannos noſtros & Albionenſes interfluit, non Albionenſe, ſed Britannicum vocat. Cuius confinia, cùm à Ligeris oſtio vltra Iccium portum non extendantur, Oceano Germanico à dextra ſubeunte, Aquitanico à ſiniſtrâ, ſequitur, ab ea Britannia appellationem veniſſe, quæ illud terminat, non ab Albione, quæ longè vltra Britannicum mare terras ſuas, & promontoria, prætendit. Populos autem iſtos Galliæ noſtræ, qui, & Armorici & Aremoricani, Britannos antiquiſſimo nomine vocatos ſupra * memoraui, & ab iis Albionenſes

* *Tabul. 1. Europæ.*

* *Cap. 11. iſtius Lib. & Cap. 36. præcedentis.*

nenſes colonis acceptis Britannos nuncupatos. De vetere eorum nomine, * Plinius, qui eos aliis quoq; Inſulis circumpoſitis Britanniarum appellationẽ indidiſſe affirmat, colonis ibi deductis inter quas Albion, Hibernia, Orcades, Acmodæ, & Hæbudes. Albionem colonos è Britannia noſtra & nomen accepiſſe tradidit *Paulus Merula, de Britanniis Inſulanis loquens, ex Inſulâ ſuâ ab Anglo-Saxonibus eiectis, circa annum Sal. CCCCL. *Rediit poſtremò toti huic Prouinciæ* (Aremoricæ ſcilicet) *nomen antiquum, Britanniáque iterum cepit audire, Britannis eò, ex aduerſâ Inſulâ, ab Anglo-Saxonibus, Pictis, Scotiſque contra fidem compulſis. Sciendum enim Britannos Inſulanos, ſic in Galliam tunc temporis tranſgreſſos, vt olim Britanni Galli è Celticâ in aduerſam Inſulam colonias ducturi tranſierant: Britanni namque Inſulani Britannorum Celtarum antiquiſſimi cenſendi ſunt coloni.* * Polydorus Vergilius: *Inſulam Galli occuparunt ex Armoricis ciuitatibus, eius rei argumentum eſt, quòd, qui Cornubiam incolunt, eandem habent linguam, quàm Galli Britones Britonantes, vnde Cornugallia tunc, quæ nunc Cornubia. Iulius Cæſar tradit, Inſula partem interiorem cultam ab incolis, maritimam è Belgio.* Tacitus verò, Siluris, Hiſpanis, Gallis. Addit * Meurſius, à Scotis, Pictis, Daníſque Saxonibus mixtis ante tempora Iulij Cæſaris. Ceterum nihil mari, ne terris quidem, aliquid Inſulanos illos egiſſe, cùm Albionenſes eſſent, vſquam legitur. Pauca vt Britanni, Britannorum ſcilicet noſtrorum, ſiue Aremoricorum, ſiue Bretanorũ, vt Dionyſio Afro placet; ſiue Britanniclanorum, vt Notitiæ: ſiue Britonum, vt Iuuenali: tot enim huic genti nomina fuerunt; coloni. Sat enim illis erat hoſtem littore arcere, & iam Pictis, Scotis, Danis, Saxonibus vrgẽtibus, paucas terras retinebant, cum Britanniam Iulius Cæſar tentauit. Nulla tum miſeris nauis, nec tum claſſis, terrebat eos inuſitatior longarum nauium ſpecies, inaſſuetos nauali bello, vnde ſtatim littus deſeruerunt. Quid enim in integram claſſem lembi fluuiatiles iunctis aptati pellibus. Hoc nimirum tum illis maris Imperium erat, quibus vix ſua littora, & noſtra, quia ex illis colonos acceperant, nota erant: qui nec portus ipſos nouerant, in ſuâ Inſulâ, maioribus nauigiis aptos. Quíque antea eos, *Qui præda, & belli inferendi causâ ex Belg.. tranſierãt; qui omnes ferè iis nominibus ciuitatum appellabantur, quibus orti ex ciuitatibus eò peruenerant, & bello illato, ibi remanſerant*, agros colendos permiſerant, vel inuiti. Cùm Veneti, Ligeris incolæ, numeroſâ pollerent claſſe, qua Romanam ſuſtinerent. Quis credet tunc Venetis Galliæ populis nullum imperium in mare fuiſſe, ſed ſolis Britannis Inſulanis apud quos nullæ maritimæ vires, nulla notio portuum, littorúmque. * *Illâ ætate nec Britannia vllis erat ad nauale bellum armata nauigiis.* Neque fuit ſub Claudio, Veſpaſiano & Domitiano, *Britannos, vt è captiuis audiebatur, viſa claſſis obſtupe-*

* *Lib. 4. natur. hiſt. cap. 16. & 17.*

* *Coſmogr. part. 2. lib. 3. cap. 31.*

* *Anglica hiſt. l. 1. Eadem dicunt Mercator, Hondius, & Bertius in deſcript. Angliæ.*

* *Hiſt. Danica l. 1.*

Cæſar. belli Gallici, lib. 4. & 5.

Hæc fatetur Seldenus dicto l. 2. c. 2.

Verba Cæſaris.

* *Panegyriſtes ad Maximianum, de Iulij Cæſaris quo loquens.*

Tacitus in vita Iulij Agricolæ, in Septentrionalem Inſulæ plagam nauigantis.

faciebat, tanquam aperto maris ſui ſecreto, vltimum victis refugium clauderetur. Quod ſecretum Septentrionalis maris fuit, cognitio littorum, ſinuum, promontoriorum & portuum, quos cum ipſi Inſulani vix ſcirent, ideò nec alios eos noſcere poſſe cogitabant, tanta eorum populorum rei naualis ignorantia erat, vt ad eos velis peruenire aliquem poſſe non putarent. *Docuit illos Oceanus ſeruitutis patientiam, poſtquam transfretantibus & ipſe Romanorum nauigiis, inſuetam ſibi ſeruitutem agnouerat.* Nempe Britanniam circumalluente pelago, tunc claſſe preſſo, qui hoſtem, tulit, vidítque e ſuas ipſas Orcadas, nemine mari repugnante, ſub Domitiano Imp. Romano ſceptro adiectas. Venêre Orcades, venit Britannia, Inſulæ ſub Romanum iugum, ſed non Imperium maris, vt pars dominij Britanniæ Magnæ, in qua tunc nulla nauis, ne tum dominium vllum in mare. Hoc illo tempore, vt Capite præcedenti docuimus, Britannia Inſula Romanorum Prouincia facta, per Procuratores & Legatos adminiſtrabatur, mox per Duces, quorum officium erat, Pictos & Scotos Romanis terris arcere, tutaríque vallum, à Seuero Imperatore reſtitutum, munitúmque muro & caſtellis à Tinæ oſtio ad Eſcam amnem, à mari ſcilicet Germanico, ad Hibernicum. Nullus tunc Archigubernus Romanis, qui Britannicum Imperium mari, vel in orâ tutaretur, nulla Britannica claſſis ad hoc, terreſtria tantum bella nouis incolis cum veteribus agitantibus, & certè nullum authorem, qui contrarium affirmet adduxit Seldenus, neque adducere poteſt. Quod enim de Seio Saturnino Archigubernо, ſiue præfecto claſſis Britannicæ, adfert, ad rem nihil facit, cùm illa ad defenſionem Inſulæ inſtituta non fuerit, ſed ad defenſionem oræ Gallicæ, iam inde ab eo Caligulæ Imp. qui turrim, & in ea pharum erexit, ad Rheni oſtium prope Cattouicum, nominauítque eam Britannicam, de nomine ludicræ victoriæ, ab eo de Britannis Inſulanis, ex ipſo ſolo intuitu reportatæ. Cúmque eo loco ſtationem haberet Romana claſſis, ſiue fluuiatilis fuerit, ſiue maritima, ob id illi Britannicæ nomen datum. Quod ſi ad Britanniæ Inſulæ tutelam, Britannica claſſis deſtinata fuiſſet, haud dubiè illi portus, nauale, atque vrbs in eâ Britannia fuiſſet, quam claſſiarij milites, ſocij nauales, nauclaríque habitarent. Qualis Rauenna, Rauennati claſſi: Miſenum, Miſenenſi: & certè nulla tunc claſſis Inſulanis illis fuit, non præfectus oræ maritimæ, non littoris Saxonici Comes, quî littore ſcilicet Saxones repelleret. Primus omnium Britannici maris atque oræ maritimæ præfectus creatus eſt Carauſius Galliâ oriundus, vt Cimbros, Saxones, Francos, alióſque Germaniæ populos, qui Britannicum mare terráſque atque Inſulas vicinas latrociniis infeſtabant, reprimeret. Ille piratas non niſi onuſtos prædâ aggrediebatur, ſpoliatos liberos eſſe iubebat, quod

Seldenus eod. lib. cap. 4. ex Hegeſippo, de excidio Hieroſolimit. lib. 2. c. 9.

Polydor Vergil. Angl hiſt. l. 2.

Spartian. in Seuer. Polyd. Vergil. Anglic. hiſt. lib. 2.

Ex l. 46. D. ad S.C. Tertull.

Iſtis aſſentitur Selden. dicto lib. 2. cap. 3. & 6. dicitque eam ſententiam eſſe Lipſij, & Ortely.

Thomas Riuius hiſt. naualis media lib. 2. Polyd. Vergil. l. 2. Angl. hiſtor.

quod plerunque duces faciunt, datâ poteſtate, in ſuum commodum vtens. Quo audito, Maximinus Imp. cum bello non poſſet, per inſidias eum de medio tollere conſtituit, at ille, vt percuſſorem in ſe miſſum comperit, Britanniam occupauit, nullis tum munitam claſſibus, & ſe ibi pro imperatore geſſit. Romanæ claſſi, quam ad Britannici maris tutelam habuit, nouas naues eadem formâ & robore ædificatas addidit, Romanâque Legione & Gallis impleuit. Maximinus, quia veterem claſſem Romanorum Carauſius obtinebat, aliam ad Rhenum conſtruxit, quâ Conſtantio traditâ, Francos, Carauſij ſocios, prælio nauali fregit, antequam Carauſio iungerentur. Interim Carauſio ab Allecto in Britanniâ cæſo, cum iſte purpurã illi detractam induiſſet, victus ab Aſclepiodato Conſtantij Legato, mille telis confoſſus occubuit. Nec ob id quieſcebant Saxones ſubitis inuaſionibus littoralia inſulâſque depopulantes, qui, vt repremerentur, Comites inſtituti, quorum cura arcere à littore Romano, hoc eſt, quod Romani occupabant, Saxones: vnde Saxonici littoris, & Comitis littoris Saxonici per Britanniam nomen, quod littus totum hoc tractum continebat,* quod à Cantio promontorio ad Boderiæ æſtuarium protenditur Gallico Belgicóque littori obuerſum, quod etiam eo tempore ob eandem cauſam Saxonicum dicebatur, illúdque contra Saxones tutabantur Duces Armoricani tractus, & Belgicæ Secundæ. Dictus Comes littoris Saxonici per Britanniam, quòd illius poteſtas vltra dictum tractum non extenderetur, nec vltra littus Saxonicum Britanniæ Inſulæ imperium haberet, quod, tum illa nomina, per *Britanniam* indicant, reſtrictiua ad ſolam Britanniam, tum quia nullam illi claſſem, ne lembum quidem vllum Notitia tribuat, quo poſſit in pelagus & aduerſas terras deſcendere; tum quia omnia præſidia in quibus ille degeret, in ipſâ Inſulâ fuêre, nulla extra Inſulam: Præſidia illa in eo tractu littoris Sanici per Britanniam à Cantio ad Boderiæ oſtium, nominantur in Notitia, Portus Adurni, ſeu Madurni, quod Aderington hodiernum eſt, ad Britannicum Mare. Alterum, Dubris, *Douer*, Dauernum Ptolomæi, ad promontorium Cantium, *kent*. Tertium, Lemanis, pari cum fluuio eo loci ſeſe mari inſinuante appellatione, *Rhotler*, Nouus portus Straboni & Ptolomæo. Neque longe ab eo ad oſtium Tameſis, Regulbis, vel Regulbium, *Reculuer*. Anderidos, vel Anderida *Nevvenden* Candeno. Sequitur ſextum Præſidium ſub eodem Comite Rittupis, olim Rutupiæ, ad fretum Gallicanum, vbi hodie oppidum, *Vveſtelif*. Tum Othona ad Trinobãtum littus, quod Centuriæ de *Dengy*, in agro Eſſexiano prętenditur, ipſe Seldenus collocat: *Haſtens* Candeno. Octauum, Branodunum, prope Metaris æſtuarium, hodie *Brancheſter*. Tandem Garianum, quod *Gernemutha* Anglis, *Yarmouth* Candeni:

E Notit. Imp. Occident. Capp. 72. 73. 76. 77. 78. & 79.

** Ortelius in Theſauro Geograph. Paulus Merula Coſmogr. parte 2. lib. 3. c. 31. & Cluuerius Germaniæ Antiq. l. 1. c. 18.*

Lib. 2. Maris Clauſi, cap 6.

omnia in dicto tractu,qui Saxonicum littus in Britannia dicebatur, vt intelligatur, imperium Comitis littoris illius Saxonici, inter Cantium & Boderiæ æſtuarium reſtrictum: cúmque Comitem nihil iuris habuiſſe(contra opinionem c.v.)Seldeni,in littore Saxonico,quod Daniæ Regni parti Occidentali proximat, vbi antiqua ſedes Saxonum,à nullis Romanorum tentata,nedum occupata, vnde in illam poteſtas eſſe non potuit Comiti littoris Saxonici per Britanniam: vt neque in littus Saxonicum, quod à Ligeri,ad Sequanam extendebatur,cuius tutelæ,Dux tractus Armoricani vigilabat: neque etiam in littus Saxonicum, quod intra Sequanæ & Rheni oſtia claudebatur, quod ſub diſpoſitione Ducis Belgicæ Secundæ cenſebatur: iſtíſque longè alij limites, alia præſidia, iuráque erant, à limitibus,præſidiis, & iuribus Comitis Saxonici per Britanniam. Cuius ſi aliquod ius, vel imperium tum fuiſſet in Saxonica littora, Saxonum ipſorum, Gallorum, & Belgarum,nullum hoc in interfluens mare Britannis Inſulanis daret,ſed Gallis noſtris, quorum tum pars & portio, & veluti Prouincia, Britannia illa erat,ipſæque etiam Hiſpaniæ; cùm ſub diſpoſitione Præfecti Prætorio Galliarum eſſent, & patrimonio Gallico, ſub Romanorum Imperio annexæ. Cuius poſtea fuit littus Saxonicum,quà Saxonum ſedes,à Carolo Magno Galliarum Rege ſceptris noſtris additum,quod Romanum per plura ſæcula contempſerat. Ceterum,& ſicut nomina,ſic & iura,ſedéſque eorum magiſtratuum,qui littori Saxonico per Galliam, Belgiúmque præfuerunt, diſtinguamus à Comite illo littoris Saxonici per Britanniam,pauca ſubiiciemus ex ante citatis locis Notitiæ Occidentalis, vbi Ducum tractus Armoricani, & Belgicæ II. meminit. * Duci Armoricano longe alia, quam Comiti littoris Saxonici per Britanniam, præſidia, omnia in littore Saxonico à Ligeri ad Sequanam, in Notitia collocata. Grannona, oppidum, Ptolomæi ætate nondum conditum. Blabia, hodie *Blauet.* Venetiæ, *Vannes.* Oſiſmium, hodie *Landriguet* Ortelio, ad Gobæum promontorium, Gallis noſtris, *le Four.* Mannatias vbi ſit hodie,& quale eius nomen,nemo,quod ſciam dixit. Aleta, ſiue Aletum, *S. Malo.* Conſtantia appellationem ſeruat. Rotomagus, *Roüen.* Abriacatum,ſiue Abrincatum, cum Grannono ignoratur. Similiter & Ducis Belgicæ II. Iuriſdictio in littore Saxonico ab oſtio Sequanæ ad Rheni oſtium, aliis Præſidiis à ſuperioribus diſtincta fuit, ſub eius quippe diſpoſitione equites Dalmatæ in littore Saxonico degebant Marcis,vel Marſis, Marſi autem Corn. Tacito,oppidum erat Friſiæ,hodie *Oetmarſen*, in Tuentiæ regione. Tribunus militum Neruiorum Portui Æpatiaco, alij Patiacum legunt, putátque * Pancirollus Petrumviacum hodiernum eſſe, è ſchedâ Volſerij: & Præfectus claſſis Sambricæ in loco Quartenſi,

**De hoc Seldenus l.2.c.7. E Ioſepho Scaligero in lect. Auſonianis: & Candeno in hiſtor. Britannica.*

Malè Panciroll. Blaie, *Blabiam putat, ad Garumnæ oſtium, vt & malè exiſtimat, hoc littus, ſicut & illud quod Saxonicum in Britanniâ dicitur, à Saxonibus, qui illud occupauerant, ante hãc Notitiam dictum, cur enim Comites & Duces iis littoribus tutandis, qua Romanorum non eſſent.*

Ortelius, in Theſauro Geograph.

Tacit. de moribus German. & in vita Iulij Agricolæ.

** in Notit. Occid.*

Quartenſi, ſiue Hornenſi. Locus Quartenſis, hodie *Vuerdt*, vt * ſupra annotaui. Dicta fuit Sambrica claſſis, à fluuio, cui etiam hodie nomen Sambra, Sabis Cæſaris, qui per Neruios fluens, vbi hodie Hannoniæ Comitatus, ad Namurcij mœnia Moſæ miſcetur. E ſyluis, quibus Regiones illæ, quas hic fluuius alluit, abundant, claſſis conſtructa, per Moſam deſcendebat ad mare Germanicum, ante Inſulam Dortum, vernaculè *Dort*, vbi olim forſan ſtationem habebat illa Sambrica claſſis in loco Quartenſi, alterámque in loco Hornenſi, vbi hodie vrbs Hornum, *Hoorn*, cum ſinu eiuſdem nominis, inter celebres Hollandiæ vrbs poſita. Sub hoc Duce quinque alij Præfecti fuerunt, inter quos Præfectus Batauorum Contraginenſium Nouiomago ad Rhenum. Igitur cauſa inſtitutionis Comitis littoris Saxonici per Britanniam, & Ducum tractus Armoricani, Secundæque Belgicæ, per Saxonicum littus Galliarum Armoricanarum, & Belgij, defenſio illius littoris contra incurſantes Saxones: qui tunc temporis ita claſſe pollebant, vt non obſtante illâ inſtitutione, ipſas Orcadas occupauerint, tandémque, ſiue ſuâ ſponte, ſiue ab ipſis Britannis euocati, vt eos ſeruitute Romanorum, bellis tum ciuilibus, tum externis occupatorum liberarent, in eorum Inſulam deſcenderint: Romanóſque, Duce Inſulæ Bulchobaude, & Nectarido, Saxonici littoris per Britanniam Comite, cæſis, Romanum nomen & dominationem, euerſis municipiis, trucidatis præſidiis extinxerint, atque excutierint. Quo anno hoc acciderit Hiſtorici diſſentiunt. Alij ſub Valentiano I. Romanos Inſula eiectos volunt, Nectaridúmque, ſiue Nectaridium, cum Bulchobaude interfectos, Ann. Sal. CCCLXX. alij Ann. CCCCXLIX. vt ſuperiori Capite dixi: alij Ann. CCCCI. Vt* Pancirollo placet, qui ſibi ſtatim contradicit, aſſerítque hoc factum Ann. CCCCLV. Martiano imperante. Alij etiam ſtatim ab obitu Maximiani Orſonem & Engiſtum Saxonum Duces, cum ſuis popularibus in Britanniam veniſſe. Sunt qui Ann. CCCCVIII. qui Ann. CCCCXXXIII. Romanos pulſos velint. Tanta diſſentio eſt inter ſcriptores. Conſentiunt tamen, vtrunque Ducem Orſonem & Engiſtum ex Angriâ, regione ad Germanicum Oceanum, prognatos, Angros & Saxones in Inſulam deuectos, Pictos, Scotóſque Britannorum hoſtes pulſis Romanis acie viciſſe, mox & ipſos Britannos in Britanniam minorem, ſiue Armoricam, eorum Inſulâ occupatâ, exegiſſe, ſeptendecim annos ab eorum appulſu, ab iis Angris, ſiue Anglis, Anglorum Inſulam vocatam, vel ab Angriâ Reginâ Voltigerni coniuge, Orſonis & Engiſti ſorore: vel ab ipſo Engiſto, quaſi, Engiſti terram. Ex ſupradictis concluditur, contra opinionem Seldeni, Britannos Inſulares nullum dominium in mari Britannico & littoribus aduerſis, vt Inſulæ appendicibus, Romanis victo-

Margin notes:

* *Cap. 14. iſtius Libri.*

Nouiomagum, hodie Nimeghen, *ſupra Vahalim.*

Zoſimus lib. 6.

Seldenus dicto lib. 2. c. 7. è Marcell. hiſtor. lib. 27.

* *Ad Notit. Occid. cap. 72.*

Idem cap. 89.

Gothfridus Viterbienſis Chron. p. 18.

Beda lib. 1. Eccleſ. hiſt. gentis Angl. cap. 15.

Gildas in epiſt. de excidio Britanniæ.

Blondus Decad. 1. lib. 2.

Anglia in Daniâ ab Hondio & Mercatore collocatur, hodie Engeland, *id eſt, terra Anglorum: vel quaſi* Engiſtland, *hoc eſt, terra Engiſti.*

ribus rradidiſſe, cum nullum dominium neq; in Britannico mari, neque in littoribus aduerſis haberent, ne nauium quidem, ne tum claſſem, imò miſeri, barbaris vndique infeſtantibus ſeruirẽt: Hibernis, Pictis, Scotis, Danis, Saxonibus, & Britannis Armoricanis. Præterea Romanos, tunc victores, & occupatores illius partis Inſulæ, quæ Gallias Belgiúmque ſpectat, vt illius partis dominos, nullum dominium in dicto mari & littoribus habuiſſe, & ſi quod haberent, vt dominos Galliarum habuiſſe, quarum pars Armoricanus tractus & Belgicus, vicinúmque mare, Britanniáque ipſa, quæ ab appulſu Romanorum in eam Inſulam, vſque dum eâ expellerentur ab Angló-Saxonibus, Præfecto Galliarum paruit, cum Vicario, & Prouinciis eius quinque, Maxima Cæſarienſi, Valentiâ, Britanniâ Primâ, Britanniâ Secundâ, & Flauiâ Cæſarienſi, cúmque omnibus magiſtratibus illi Inſulæ præpoſitis, ſeu ad ius dicendum, ſeu ad bellum repellendum. Legatis nimirum, Præſidibus, Ducibus, & Comitibus littoris, quod in eâ Saxonicum, etiam ante Saxonum aduentum dicebatur. Reſtat, vt videamus, an Anglo-Saxonibus, pulſis Inſulâ Romanis Britanníſque, aliquot imperium fuerit, & quale. Edgarus Rex, inquit *Seldenus, cum Maccuſio Monæ Regulo Archipirata, & poſt hunc Haraldus, littus Inſulæ muniuerunt, atque circumnauigauerunt, exploratores, ne quid piratæ turbarent. Ethelredus ad conſtruendas naues, & claſſiariorum commeatus tributum indixit. Sacramentum à fiduciariis clientibus extorſit, quo ſe illi adſtrigebanr, Angliæ Regi terrâ maríque opem laturos. Si Rex iret ad mare, vt littus cuſtodiret, Gloceſtriam, ferrum ad clauos nauium promiſiſſe: Leiceſtriam, vecturam rerum ad claſſem neceſſariarum: Suſſexianos verò ſtipendia eorum qui in nauibus arma cuſtodiebant. Edgari, qui regnabat circa ann. Sal. DCCCCLXIV. Titulum fuiſſe: *Ego Edgarus totius Albionis Baſileus, nec non maritimorum, ſeu Inſulanorum Regum circumhabitantium.* Canutum ad æſtum maris ſedentem ſuæ ditionis mare dixiſſe. Hæc ille, quæ, pace tanti viri dixerim, nihil ad marinum Imperium dominiúmque faciunt. Edgarus, vel vt aliis, Edegarus, vt probus pater familias, poſſeſſiones ſuas, ſiue dominium ſuum, circuiuit, vt quod ad tutandum eum neceſſarium eſſet, præuideret, metuẽtis hoc eſt, non imperantis, & vt vicina loca per quæ paterfamilias ambulat, vt poſſeſſiones circumeat, illius non ſunt, ſed vicinorum, ſic Edgari nõ erat mare per quod nauigabat, vt Inſulam ſuã luſtraret, ſed aut vicinorum, aut piratarum validis claſſibus illud infeſtantium, aut nullius, aut omnium. Idem dici de Haraldo debet, niſi quod Danorum in Angliam imperium oſtendit, à prædeceſſoribus Regibus Danico ſceptro vinctam, à Frothone VI. Daniæ Rege, cum rebellaſſet, ad obſequium reductã: quam iterum rebellantem, Haraldus,

Ex Notit. Imp. Occident. & Pancirollo ad eam cap. 4. & 67.

* *Dicto lib. 2. c. 10. 11. & 12.*

Meurſius lib. 3. hiſtor. Danica.

raldus, præſidiis ad portus collocatis, nauibus aliquot communiuit, ne iterum atque iterum rebellarent, dum ille in Aquinum Noruegiæ Regem bella geſturus proficiſcebatur. Sic Seldenus, quod contra Anglos fuit, in fauorem Anglorum ponit, imperiúmque illis marinum facit, cùm ne ipſi quidem terreſtre vllum in ſuâ Inſulâ haberent, ſeruientes Danis, apud quos Imperium marinum tunc fuiſſet, vt claſſe armatis, & victoribus, non Anglis toties victis, & à victoris claſſe, præſidiiſque littori impoſitis; aſſeruatis, ne ſeruitutem exuerent. Quod cùm tertiò conarentur, Sueno II. Haraldi illius VI. filius, victis Noruagis, eorúmque Regno Daniæ addito, cum Canuto filio, claſſe Angliam applicat, Alfricus rebellantium dux, & ipſe claſſe inſtructus (quæ prima Anglis fuit, neque enim antea vllam eos claſſem armaſſe hiſtorici produnt) vltrò adeſt, pacem orat traditâ claſſe. Aduenit & Ethelredus, ſiue Ethalredus, qui Regnum Anglicum occupauerat, cui & pax à Suenone data iſtis conditionibus: *Regimen Inſulæ Regiámque dignitatem Ethalredus retineret, ſub certo tributo: quo defuncto, regnum denuò, priſco iure, in Danorum poteſtatem perueniret.* Quodnam hoc tributum fuerit, ipſe * Seldenus explicat, qui illud Danegeldicum, hoc eſt, tributum Danicum dictum affirmat, quod ſcilicet ab Anglis Danis ſoluebatur, ne Inſulanis inſultarent. Erat autem duodecim denariorum, pro vnaquaque terræ hida: fuitque per ſingulos annos, dum Sueno vixit, quadraginta octo millia librarum argenti, ſub Canuto verò II. Suenonis filio, octoginta duo millia. Sacramentum porro illud clientalare, quod ceteris Principibus ſubditi omnes præſtare ſolent, nihil facit ad dominium maris, niſi in quantùm omnium mare ſit, & hæc præparatio claſſica, præſidiáque in portubus: *Ne quis hoſtium ſine graui conflictu introiret in Regnum. In Northumbriam, in Scotiam*, & Inſulanos ceteros; námque ſatis tum Anglis fuit, Hibernos Inſulâ ſuâ arcere, acceptâ à Danis claſſe conductitiâ, vel factis in portubus ſuis, nauibus, quas Dano milite implebant, vt natiuo habiliori ad mare. In claſſem denique ferrum dare, aut ſtipendia, præparantis ſe ad nauigationem eſt, non dominantis. Sicuti & Danegeldi ſolutio, ſeruitutis, non imperij nota, vt ipſa verba *Seldeni indicant, qui etiam de aliis tributis Dano ab Anglo-Saxonibus datis loquitur: *Quod vt ritè intelligatur, aduertendum eſt ex hiſtoria Anglo-Saxonica, tributum, ſeu cenſum Danis perſolui ſub id tempus ſolitum non vnius fuiſſe generis. Aliud erat tributum, ſeu pecunia vis, quâ pacem interdum Anglo-Saxones ab illis Inſulam grauiter infeſtantibus redimebant. Aliud verò quod claſſi Danicæ, ad tutandum mare oráſque defendendas maritimas conducta, vt ſtipendium præſtabatur. Nec certè pecunia quantitate finiebatur, ſed quanta claſſiariorum victui & veſtitui ſufficeret.* Et hoc vltimum tributum, heregildum, id eſt, tributum militare,

* *dicto lib. 2. cap. 11.*

Hidam Seldenus explicat, quidquid terra annuo aratro excoli poteſt. Polydor. Vergil. lib. 9. Angl. hiſtor. ſingula iugera, hidam Anglis vocari ait.

* *Verba Seldeni dictis lib. & Cap.*

* *Eiuſd. lib. c. 11.*

militare,ſeu nauale appellabatur. Vnde apparet,quàm commento ſimillima fuerit,ſi qua tamen fuit,illa Edgari iactantia, qui ſe Albionis baſileum, & maritimorum, ſeu Inſulanorum Regum circumhabitantium dixit,nam præterquam quòd fictirium titulum denotant Albionis & baſilei verba,cùm Albionis nomen ante annos mille deſſueuiſſet, nuſquam poſtea auditum, & à nullo alio Rege quàm ab Edgaro,ſiue Britannorum, ſiue Anglorum vſurpatum, aut repetitum, & baſilei vocabulum Græcorum ſit, quorum voces in Angliâ Edgaro regnante nondum peruenerant: conſtat è * Polydoro Vergilio in eius vita, nihil eum neque in littore, neque in mari geſſiſſe. Melius Canutus II. Daniæ, Noruagiæ,& Angliæ Rex potentiſſimus, atque Edgaro longè maior & melior,vnde illi Magni cognomen,hic victo Eduardo, qui in Angliâ rebellauerat,in Oceani littore, inter proceres & Legarum Imperatoris,qui ibi erat,eúmque Regum omnium potêtiſſimum appellabant, conſtitutus, reciprocante æſtu impulſus & madefactus,conuerſus ad Legarum: *Illum*, inquit, *cuius iuſſu commouetur acquieſcit mare iſtud,Regem iuſtius potentiſſimum appellabimus, & colemus. Huic gratia ſit, honóſque, qui me tanta dignitate ornauit.* Nec multo poſt, coronam Regiam capiti detractam Chriſti crucifixi imagini dedicauit. Iſte nimirum omnium, quotquot vnquam fuerunt, Septentrionalium Regum maximus, cuius Regnorum minor pars Anglia,cui tot Principes parebant, cuius poſſeſſiones Sarmaticum, Germanicum, Britannicum, Verginium,Hiberniaúmque maria vallabant, cui nauigia innumera erant, abdicato pelagi dominio imperióque, vaſti huius Elementi ſolum Deum agnoſcit dominum & Regem: * *Quoniam ipſius eſt mare,& ipſe fecit illud.* Poſt Danos regnauêre in Angliâ Normanni, qui Guilelmum Normanniæ,quæ in Galliâ noſtrâ eſt,Ducem,abolitâ veteri Anglorum proſapiâ,Daníſque Inſulâ fugatis,Angliæ Regem conſtituerunt,ann.MLXVII. Hic continuatâ ad hanc vſque diem ſobole,inſignia ſua, iubatos ſcilicet leones,ſceptrúmque Anglicum ſucceſſoribus tradidit, legéſque Normannico, quo etiam Galli tum vtebantur,idiomate promulgauit,vt ij, qui Britannico Aremoricano vſi olim fuerant, Normannico vterentur, legéſque Gallicas, Gallicè ſcriptas, cum Rege acciperent. Sub iſto, & ſequentibus Regibus, multa quæ ad dominium marinum Regis Angliæ facere videntur * Seldenus annotat, qualia ſunt: *Præfectura, ſeu Amiralatus maris Anglicani. Dominium Inſularum littori Gallicano præiacentium. Impetrata exteris tranſeundi per hoc mare venia. Libertas piſcandi in eo exteris viciniſque indulta, & tutela piſcatoribus præſtita. Leges & termini exteris, qui inuicem hoſtes, vt per hoc mare mutuo deprædarentur,conſtituti. Tabulæ publicæ de marino illo dominio. Ius patrium, moréſque recepti, & teſtimonia veterum.* Quæ vt

probes

* *Lib.6. Anglica hiſt. Idem lib.7. Meurſius hiſt. Danicæ lib.3.*

* *Pſalmo 94.*

* *Dicto lib. 2. à cap.13. ad finem libri.*

probet v.c. Ait, Henricum I. Butſecarlis ſuis præcepiſſe, vt mare cuſtodirent, & obſeruarent, ne quis de partibus Normanniæ fines adiret Angliæ. Sub Henrico III. Thomam Moletonium Capitaneum & cuſtodem maris Orientalis, coſteram Angliæ, & quinque portus cuſtodiuiſſe. Sub Eduardo I. nomen Cuſtodis quinque portuum in Amiraliorum nomen tranſiiſſe. Sub eo & Eduardo II. tres Amiralios trium plagarum Angliæ fuiſſe. Sub Henrico VI. Literas inuentas, quæ protectiones verbo Forenſi dicebantur, quibus indulgebatur litium vacatio, iis, qui ſuper ſaluâ cuſtodiâ, & defenſione maris morarentur. Sub diſpoſitione eorum Amiraliorum Cæſaream, & Sarniam, Gallicas Inſulas, poſitas. Ab Eduardo I. tributum indictum ad cuſtodiam limitis Scotici, Vaſconiæ, & Inſularum. Sub Henrico VI. publicis Comitiis indicta tributa ad cuſtodiam ſaluam maris. Amiralios Angliæ, Hiberniæ, Vvalliæ, Inſularum, Caleſiæ, Normanniæ, Gaſconiæ & Aquitaniæ dici, claſſiúmque & marium præfectos. Ius illis in Aquitanicum, Normannicum, & Gaſconicum littus. Henricum IV. conceſſiſſe Hiſpano liberam nauigationem è portu Londinenſi vſque ad Rupellam. Mariam Reginam, quæ Philippo II. Hiſpaniæ Regi nupſerat, Hamburgenſibus & Danis ius tranſportandi merces ſuas in Hiſpaniam dediſſe. Ioannem adduci iuſſiſſe naues omnes, quæ in mari Anglicano, & circa portus Angliæ nauigabant. Eduardum III. & Henricum V. dominos, in diplomatis Regiis, vocari orarum, ſeu littorum vtriuſque partis maris Angliæ & Franciæ. Henricum VIII. vt maris Britannici dominum, ius habuiſſe, prædatores ſummouere pelago & iter tutum nauibus præſtare. Dictum Eduardum III. de rebus maritimis & controuerſiis legem tuliſſe in Vliari Inſulâ, vnde ea lex, Inſulæ * Vliaris dicta. Eundem, nobilem roſatum cudi iuſſiſſe, in quo ipſe cum enſe armatus ſtat in naui, vnde probatio dominij marini. Ioannem ann. MCC. edictum promulgaſſe, vt quælibet nauis, quæ in mari Britannico Regiam claſſem occurſantem haberet, vela demitteret. Iacobum vetauiſſe, ne quis exterus in Hibernico mari piſcaretur, niſi prius piſcandi veniam obtinuiſſet. Iuſſiſſe autem, vt piſcatores, qui haleces, aut aſellos in oris Scoticis intra Inſulas, & æſtuaria caperent, eos in portus liberos inferrent, ne vectigalibus Rex fraudetur. Denique Regis Angliæ marinum dominium à Septentrione finem alium non habere, quam infinitum Oceanum, etiam vt ille

Butſecarls apud Anglos miniſtri nautici ſunt, & claſſiarij.

* L'iſle d'Oleron, *ad Charentonis oſtium, in ſinu Aquitanico.*

Qui finis Mundo eſt non ſit & Imperio.

Quæ omnia à Seldeno in Regis ſui fauorem dicta, ipſius Seldeni allegatis, atque argumentis, aut refellam, aut confundam. Septentrionale mare Angliæ dominij non eſſe, nec veniam ab eius Rege, ſeu nauigandi, ſeu piſcandi, peti, Hiſpani, Galli, Bataui, Dani,

** Ex Edicto Franciſco I. anni 1517. ſoli Amiralio competit, mercatoribus ad halecum, aliorúmque piſciũ in omni maris parte breuicula concedere.*

† Verba Seldeni dicto lib. cap. 30. Idem aſſerit c. 32. Anglos certum telonium, ſiue vectigal Noruagis ſoluiſſe, item & Danis, vt circa Iſlandicam piſcarentur.

Eod. lib. cap. 32.

Sueci, Noruagíque & Sarmatæ abſolutè negant, ſed eo vt communi Elemẽto omnes vti pro lubito, nemine ſpeciale dominium eius poſſidente. Hinc Oratio illa Legatorum ab Eliſabethâ Angliæ Reginâ ad Chriſtianum IV. Daniæ Regem miſſorum aſſerentium: †*Reges Angliæ nauigationem & piſcationem in mari Hibernico inter Angliam & Hiberniam nunquam impediuiſſe: ideò nec piſcationem nauigationémque inter Iſlandiam & Noruagiam à Dano prohibendam, quoniam neutri maris domini, ſed pari iure littora vtrinque poſsiderent.* Sic, ex ipſius Reginæ confeſſione, nullum Anglis marinum dominium, ſicut neque & aliis Gentibus, ne in ipſo quidem Hibernico freto, ſolas licet Anglici dominij terras atterat, quod tamen haud ita ſtrictè vſurpandum exiſtimauerim, vt freta inter duas terras vnius Regni aut Reipublicæ commiſſa, illius Regni, vel Reip. non ſint, cuius littoribus vndique cingitur, vt ſequenti Capite docebimus. Vnde per maria lancinantia & diuidentia Regna Sueciæ, Daniæ, & Noruagiæ, ſinúſque eorum, portúſque illegales, vt partes dominij, nauigare & piſcari prohibitum eſt, Regis Daniæ edicto, Ann. MCCCCXLII. Quod & in Sinubus, portubus, æſtuariis, fluminibúſque ab Anglo poſſeſſis vſurpari poteſt, & leges nauigantibus & piſcantibus in iis à Rege vel Comitiis Regni dari, vectigalia, & portoria indici, præſidia, cuſtodes, Amiralij, claſſes, creari, fabricari, Inſulæ muniri, tutela nauigantibus, piſcandi nauigandíque licentia præſtari, hoſtes piratæque arceri, puniri, aliáque omnia fieri, quæ iure naturali, gentium, & ciuili non impediuntur. Benè Henricum I. ſuis præcepiſſe, vt mare cuſtodirent, ne quis de partibus Normanniæ, vnde hoſtis timebatur, fines adiret Angliæ. Benè Henricum III. Cuſtodes oræ maritimæ, & quinque portuum per Angliam conſtituiſſe. Benè Eduardum II. Tres Amiralios trium plagarum Angliæ conſtituiſſe, eíque, cui Auſtralis pars Regni commiſſa, Cæſaream & Sarniam, prætentas Gallico littori Inſulas, ínque dominio Gallico olim nominatas, dediſſe, cùm illæ Inſulæ Anglorum tunc fuerint, ſed poſtea receptâ à noſtris Normanniâ, aſilum omnibus populis factæ ſunt, Regum noſtrorum Anglorúmque conſenſu, ita vt omnium ſint, licitúmque ſit omnibus, tutò ad eas confugere, & permanere, & quamuis inter nos Anglóſque bellum ſit, vltrò citróque venire, omniúmque nationum mercatores, tàm hoſtes, quàm amici, ire & redire, ídque non ſolùm intra Inſulas illas & præcinctum earum, verùm etiam infra ſpatia vndique ab iiſdem diſtantia, vſque ad viſum hominis, id eſt, quatenus viſus oculi poſſit aſſequi. Similiter Reges Henrici V. & VI. Vt Angliæ Reges, Duces Aquitaniæ & Normanniæ, in portubus ſuis indicere tributa potuerunt, Amiralióſque Angliæ, Vvalliæ, Hiberniæ, Normanniæ, Gaſconiæ, & Aquitaniæ creare, dominóſque ſe appellare

Ibid. cap. 22. Harum Inſularum incolæ hodie Galli ſunt, colonis è noſtrâ Britanniâ & Normanniâ acceptis.

orarum,

orarum,ſeu littorum Angliæ & Franciæ, ſed ita, vt ſuperiorem in Franciâ cognoſcant. Licet enim ad ipſos Ducatus Normanniæ atque Aquitaniæ pertinerent,proprietas tantum & poſſeſſio apud illos erat,cum particulari dominio, directum enim, ſiue vniuerſale,iuriſdictionis,protectionis,& ſuperioritatis penes Reges noſtros ſemper fuit,qui cuncta Galliarum Imperij poſſident. Vnde concluditur Reges Angliæ, qui Aquitaniam, Normanniámque poſſederunt, maris Aquitanici, Normannique, cum littoribus, vſum,& emolumenta habuiſſe, iuriſdictionem verò, cum principali dominio, ſiue directo, Galliæ Regum fuiſſe. Feudatarios eorum Angliæ Reges, vt Aquitaniæ & Normanniæ Duces, omnes hiſtorici prodiderunt, monetáq; illis ſæculis cuſa teſtatur: in quâ, Philippo II.Galliarum Regi Richardus Angliæ Rex ducalē Normanniæ coronam ſummittit, ſedentíſque Regis in manus ſacramentum fidelitatis iurat, cum iſtis litteris: Richardo Angliæ Rege clientelari fidei svmmisso. Vt intelligatur cauſa præſtiti iuramenti in eodem ære, infra ſolium Philippi,legitur: Normanniæ Dvcatvs. Idem in alio eiuſdem Philippi numo videtur, paululùm titulo immutato. Ioanne Anglorvm Rege in clientelam recepto. Nor. Dvc. Item & tertius, in quo Ducali in veſte Edvardvs Angliæ Rex in fidem et clientelam recipitvr à Philippo IV. Galliæ Rege. Cui additus iſte, eum hac epigraphe: Edvardo Aqvitaniæ nomine fide ac ivre clientelari svbmisso. mcccvi. Eius Eduardi filium, in altero numo in clientelam, eundem Ducatum, recipiendum, & ipſum eodem cum patre nomine, Iſabella mater ante Carolum IV.ſiſtit. Ann. mcccxxiv. Qui, & in alio, genubus flexis, Philippo VI. coronato, & in throno ſedenti, hæc verba profert, Sic Regi et Domino meo ero fidelis. Ann.mcccxxix. Duorum numorum, quos vltimo loco recenſui,imaginem hîc traduxi,in fauorem legentium, & antiquorum ſæculorum memoriam:

Primus Neuſtriã, ſiue Normanniam in feudum à Philippo I.Galliæ Rege,Guilelmus Angliæ Rex tenuit, Ann. 1087. antea tributariâ erat. Iacob. de Bie, Franciâ Metallica, fol. 13. 28. 29. 30. 31.



Agnoſcit ille, nulli Angliæ Regum poſtponendus, Eduardus III. Regem & dominum ſuum Galliarum Regem, hoc nimirum illi

in mate noſtro & littoribus dominium erat,vt ſuperiorem fateretur,Regémque & dominum ſuum appellaret. Sit iam, per me licet,Orbis dominus Anglus, ſub Rege Galliæ; omnia dabo illi, dum ſe nobis dabit. Sed ad Seldenum redeo,ne Caput hoc vltra extendam. Non mirum eſt,Henricum IV. Hiſpano liberam nauigationem conceſſiſſe è Londinenſi portu ad Rupellam, cum Londinum & Rupella illius eſſent. Angliæ Reginam Mariam, quæ Philippo II. Hiſpaniæ Regi nupſerat,cuiq; cum Henrico II. Galliarum Regi bellum erat, conceſſiſſe Danis atque Hamburgenſibus, vt merces ſuas in Hiſpaniam tranſmitterent, quæ eos ob id è ſolo natali euocauerat, vt laborantibus inediâ Hiſpanis, opulentæ annonæ deductione ſuccurrerent, cùm illis frumenta è Galliâ non venirent. Nemo negat, Vliarim Inſulam, Eduardi III. fuiſſe, vt Aquitaniæ Duci, ideóque eum in eâ de quacunque re legem ferre potuiſſe. Quod autem de nobili roſato Seldenus concludit, nihil facit ad dominium matis, alioquin ab initio imperij Gallici, dominium maris apud Gallos eſſet,cùm ab omni æuo ſtemma Lutetiæ fuerit, quæ totius Regni primaria eſt, nauis

Iacob. de Bie, Franc. metallic. fol. 36.85.91.93.

victrix ventorum & pelagi. Quid iſte numus! in quo Carolus V. Galliæ Rex, coronatus in puppe ſolus ſedet, vento proſpero, tumidis velis, cum hoc titulo: ME REGO. QVODCVNQVE MEVM EST. NVNC ARBITER ÆQVI. Vulgaris iſta moneta, Delphinus, æſtuoſum Oceanum ſecans,coronatus,figura primogeniti Regum Galliæ,delphino cęleſti, in cœlo apparente,cum iſtis titulis: NOSTER PONTVSQ. POLVSQ. COELOQ., SOLOQ. SALOQ. TVMIDA ÆQVORA PLACAT. PLACATVMQVE REGAM PATRIIS VIRTVTIBVS

Eſt & argenteus Ludouici XIII. in figura eadem Neptuni per mare currentis.
Dicto citius tumida æquora placat.

ORBEM. VNVS NON SVFFICIT ORBIS. Omitto & alia quamplurima in numis noſtris emblemata, ſi hæc pauca ad marinum noſtrum dominium addidero. Argenteus numus ab Henrico Magno cuſus,in quo Neptunus conchæ ſuperſtat, hippopotamis per mare vectus: DO COMITEM ROBVRQ. VIRIS. MDICIV. PRÆSTAT COMPONERE FLVCTVS. MDCII. Nauis tranquillo vecta, de ſummâ arbore laurus producens: TEMPESTATESQVE SERENAT. Alibi, Mariâ Medices gubernaculum regens, multos nauigãtes à procellis ſeruat, cum hoc hemiſtichio: SERVANDO DEA FACTA DEOS. Aurei quoque extant, in quibus Ludouicus XIII. Herculis habitu, claua montibus vndíſque minitatur, Pedemontio ſcilicet, & Rupellæ: elegans epigraphe: NON MARE NON MONTES FAMAM SED TERMINAT ORBIS. In aliis, Fama palmata, capite cælum tangens, delphino impoſita, per mare vehitur, cum hoc titulo: IMPERIVM OCEANO FAMAM QVI TERMINAT ASTRIS. Duorum numorum ſupramemoratorum typos hîc àddidi, tum ob argumenti maieſtatem, tum ob opificum ſolertiam atque artem, vnum, Caroli VI. Alterum Ludouici XIII.

Mille



Mille alij numi ſunt, quibus Gallorum in mari dominium probati poſſet, ſi emblemata auro, argento, vel ære inſculpta ad probationem huius dominij aliquid facerent. Ad ſuperioritatem autem ſiue imperium in mari multum facit velorum demiſſio, quæ ab omni æuo, ab omnibus Gentibus introducta eſt: vt paſſim libro ſuperiore docuimus, obſeruarúmque, vt qui Imperatoriæ, Conſulari, vel Regiæ claſſi, pelago occurrerent, pergulam ſiue vela demitterent, ſi qui nauigabant, inferiores robore, vel dignitate eſſent occurrenti, hodiéque illud etiam obſeruatur, honóſq; habetur illi, qui dignitate præualet. Quod autem dicit vir doctiſſimus * Seldenus, Ioannem Angliæ Regem iuſſiſſe Ann. MCC. vt quælibet nauis, quæ Regiam claſſem in mari Britannico occurſantem haberet, vela demitteret, quamuis hiſtorici de hoc edicto taceant, verum illud tamen, & promulgatum volo, nihil enim contra imperium Gallorum maritimum in Britannico mari facit, quod in illo mari, circa Angliæ littora, Ioannes ille habebat, primarium: circa verò Normanniæ littora, in eodem mari Britannico, ſecundarium: cùm eo anno Dux Normanniæ eſſet, & in iſto mari, quod Normanniam alluit, ſecundarium dominium haberet: non potuit, vt neque eius edicti ſenſus fuit, iubere domino ſuo, & Regi, ad quem dominium primarium & directum in hoc mare, littora, & terras Ducatus Normannici pertinebat, vt vela ſuæ claſſi ſummitteret, niſi Saturnalia etiam in Oceano reuocaueris, quibus ſerui dominis imperabant. Et vt amplius nihil repetam, notandum eſt, omnia edicta, tum ab ipſis Regibus Angliæ, tum ab Ordinibus Parlamentariis eius Regni, de dominio maris Britannici & littorum obiectorum, promulgata fuiſſe, cum Reges Angliæ, Aquitaniæ, & Normanniæ Ducatus obtinerent, ſacramento clientelari Regibus noſtris præſtito; probatur ex eo, quòd à nullis aliis Regibus Angliæ hæc edicta emanauerint, neque alio tempore, quàm quo Angli iis Ducatibus gauiſi ſunt, vnde etiam hæ leges maritimæ, Normannico, hoc eſt, eo, quo ſeculis illis Galli loquebantur, idiomate, ſcriptæ ſint, vt intelligatur,

* *Lib. 2. cap. 26.*

Hoc videbis apud Seldenū, dicto l. 2. Maris Clauſi, cap. 23. 24. & 25.

Gallicas fuiſſe, & in fauorem Galliæ Regum conditas, apud quos directum ſemper dominium fuit, in littora, tractúſq; maritimo, & maria Galliam cingentia: ereptúmq; etiam ſecundarium dominium huic Ioanni, per Philippum II. Galliæ Regem, pulſis Normanniâ Anglis, eáque recepta, Ann. MCCIV. Adeóque malè cum eò Rege actum eſt, vt etiam Ludouicus, dicti Philippi II. Augusti filius, Rex Angliæ crearetur. Nemo autem ignorat Galliarum Regem ceteros Europæ Reges Principéſque dignitate præcedere, vnde illius claſſi, quicumque in noſtro mari, vel libero occurrit, vela ſumittit voluntariè, ſi ſocius eſt: inuitò, ſi hoſtis. Ex *edictis Henrici II, & III. iuſſæ naues quæcumque noſtris occurrunt, tentorium, aut vela demittere, ſi non paruerint, remulcantur, bonáque omnia fiſco & Amiralio applicantur, ſi hoſtium ſint, vel ad hoſtes deuehantur. Quod in Capitulariis Caroli Magni longè antea expreſſum erat, quibus iniunctum negociatoribus, *Ne arma & brunias ducerent ad venundandum: quòd ſi inuenti fuerint portantes, omnis ſubſtantia eorum auferatur ab iis, dimidia partibus palatij, altera inter miſſos, & inuentorem diuidenda.* * Expedit enim ſociorum nauigantium rationales libros, merces, & prætemauigantes explorare, ne quis ſcelerata factione deprædationis, aut victoriæ cauſam hoſtibus noſtris, per annonæ, armorum, aut militum deportationem præbeat. Ita tamen, ne quid in littore, ſinubus, portubus, & æſtuariis alterius Gentis geratur, ante impetratam, ab eo, cuius illa ſunt, veniæ teſſeram, ſunt enim illa priuati dominij, populi, vel Principis, quod violare eſt nefas: reliquum maris commune, & liberum, omnibus quidem nauigantibus, ſed maximè illis, quæ vicinas Inſulas, aut continentem occupant: vnde inter noſtros & Henricum IV. Angliæ Regem concluſum, vt interiacens mare vtrique populo liberum eſſet, ad nauigationem & piſcaturam, à portu Scardeburgenſi, & Southamtonienſi in Angliâ, ad Flandriæ extrema & oſtia Sequanæ in Galliâ: quod ſi quid contra hanc legem, & alias fœderibus contentas, quæ inter nos atque Anglos fuerunt, peccaretur, iudices ex vtroque Regno creari, qui de rebus eiuſmodi, aliiſque controuerſiis iudicarent: cúmque in fœdere cum Philippo Pulchro, & Eduardo I. Angliæ Rege inito, cautum eſſet, ne alter alterius hoſtem iuuaret, & Eduardus Danos, Noruagióſque hoſtibus noſtris Flandris auxilia portâtes, portubus & breuiculis ſuis iuuiſſet, Renierus * Grimoaldus Franciæ Amiralius, mercatores, alióſque, qui è portubus Angliæ ſoluerant, annonam atque arma Guidoni Flandriæ Comiti deportantes, medio in mari interceptos, coniecit in vincula, captiuis fruſtrà vociferantibus, illo fœdere, & breuiculis ab Eduardo impetratis, vt ex Angliâ in Belgium nauigarent, tutos eſſe debuiſſe. Quid inde? diues & honoratus à Philippo noſtro rediit

Polydor. Vergil. Angl. hiſt. l. 15. Georg. Lilius epit. Chronic. Anglor. Regum. Bernard. Girard. hiſt. Franc. lib. 10.

* ANN. 1555. & 1584.

* *Ex l. Cotem ferro. D. De public. & vectigal. l. ſi quis. C. de re militari. Item ex Edicto Franciſci I. Ann. 1543.*

Selden dicto lib. 2. cap. 21.

Idem cap. 27. l. 2. Ex fœdere inito inter Philippum Pulchrum Galliæ Regem, & Eduardum I. Ann. 1303.

* *Hunc malè Grimbaldum, Seldenus vocat.*

Grimoaldus

Grimoaldus. Vituperatus Anglus, infractor iurati fœderis: * iurauerant enim Reges, ne alter, qui alteri hoſtes eſſent fouerent, néve illis opem ſubminiſtrarent, neque impunè tulit Eduardus infractionem fidei, Aquitaniâ cedere coactus, ceteríſque terris quas in Gallico ſolo poſſidebat. Sic omne marinum dominium, quod Anglis competit intra ſinus, portúſque, & æſtuaria Inſulæ reſtrictum eſt: etiam ex * Edicto Iacobi Regis, qui ea, loca iuriſdictionis ſuæ appellat, Regiáſque Cameras, & portus Regios, quibus comprehenditur * *tota ora maritima, quæ rectâ lineâ ab altero ad alterum promontorium, circa regnum Angliæ ductâ, intercipiuntur.* † Ita ſpatia lineis rectis à promontorio ad promontorium ductis, Cameræ, ſeu portus erant Regis Angliæ, quorum dominus eſt, & hoc illi marinum dominium, reliquum pelagi, reliquorum. Sed, ô tempora? hoc etiam marino dominio ſucceſſor Iacobi Carolus excidit, Comitiis Anglię ad ſe cuncta trahentibus, vt iam Seldenus immutare debeat titulum lib. II. Maris Clauſi, & ſcribere, *Parlamentum Angliæ maris circumflui, hoc eſt, Camerarum Regiarum dominum eſſe.* Nam de dominio marino Regis Angliæ, vt neque de terreſtri, hodie nihil dicitur, ceſſátque in illo vetus illa Imperij definitio, quæ eſt poteſtas abſoluta, atque extremũ ius omnium earum rerum, quæ ad Maieſtatem Regni, & Reip. pertinent, vel belli titulo, vel ſubditorum patientiâ acquiſitum, *partiri quod nemo poteſt: ea enim conditio eſt imperandi, vt non aliter ratio conſtet, quàm ſi vni reddatur.* Sic Regis Angliæ dominium infinitum eſt, & metas non habet, fatidico ſpiritu iſtud præcinente Seldeno, cùm hodie nullum dominium Carolus habeat: quod autem nullum eſt, definiri non poteſt: ideóque iudicatum eſt, & concluſum, de quæſtione illâ, quam toto ſudore vir eruditiſſimus agitat, nempe de dominio marino Magnæ Britanniæ Regis, CLAVSO illi MARI.

Hoc fatetur Selden. cap. 28. Robert. Gaguin. lib. 7. de geſtis Francor.

* *quod promulgatum 2. Martij, ann. 1604. Seldeno referente dicto lib. cap. 22.*
* *verba Edicti,*
† *verba Seldeni.*

Clapmarius lib. I. de iure Imperij cap. II.

CAPVT DECIMVMNONVM.

De Imperio & dominio maris in genere.

SICVT ille, qui claſſi præeſt, imperium claſſis habere dicitur, ſic & ille aut Imperator, aut Rex, aut populus, imperium maris aliquod tenere, qui ceteris claſſe prævalet. Quod Latini copiis naualibus pręſtare, θαλασσοκρατεῖν Græci dicunt. Secundum hanc definitionem primum maris Imperium apud * Gallos fuit, tum apud Cretenſes, Pelaſgos, Thraces, Rhodios, Phryges, Cyprios, Phœnices, Ægyptios, Mileſios, Caras, Leſbios, Phocen-

* *Hoc probauimus cap. 6. iſtius Libri.*

ſos

ſes, Corinthios, Iones, Eretrienſes, Æginetas, Lacedæmonios, Athenienſes, Tyrios, Carthaginienſes, Romanos; Gothos, Saracenos, Francos, Saxones, & Hiſpanos: hodie, cuius ſit, quæritur, Gallis, Anglis, Batauis omnia maria validis claſſibus percurrentibus, & quotidie aliquid Hiſpanico Imperio abſcindentibus. Ceterum hæ Gentes non in vniuerſum pelagus Imperium habuerunt, pleræque partibus aliquot Mediterranei maris; imperauerunt, quod Populus Romanus totum occupauit. Franci; & Saxones Germanico Britannicóque: Hiſpani Luſitaníque, Atlantico, Indicíſque maribus per noſtrorum diſcordias, illuſerunt. Quiſquis autem in ſuo, vel vicino mari imperat, hoc eſt, plus ceteris populis claſſe pollet, illud tantum efficit, vt cunctis nationibus, piratas & hoſtes excipio, nauigatio tuta ſit, & mare liberum, ius enim illud & imperium, quod eſt in mari, iuriſdictionis eſt, & protectionis: vnde nauigationem, quæ communiter ad omnes pertinet, iuriſque naturæ & gentium eſt, nemo ſibi vni arrogare poteſt, inſanáſque eorum opiniones iudicat * Alphonſus Caſtrenſis Hiſpanus, qui Caſtellanos atque Luſitanos ita præſcripſiſſe maria putant, vt reliquis Gentibus æquora illa transfretare non liceat; & ridiculam ſententiam eorum eſſe, qui exiſtimant, loca iuris Gentium communia, etſi acquiri non poſſint præſcriptione, acquiri tamen poſſe conſuetudine. Tyrannicum verò iſtud, ſine licentiâ Luſitaniæ Regum, per Atlanticum mare, Indicum, Æthiopicum, & Septentrionale nauigantes, ſi Luſitani non ſint, morte punire: vſus quippe maris communis eſt Naturæ lege, proprietas nullius. Vnde colligitur, quòd ei legem imponere, terminos præſcribere, vni dare, & alios priuare, nulli poteſtati Eccleſiaſticæ aut ſæculari permiſſum eſt: ita tamen, vt iuriſdictio penes eum Regem, aut populum ſit, cuius terreſtri dominio vicina ſunt maria: veluti, Aquitanicum, Britannicum, Gallicúmque, quæ prouincias Gallicas terentia, Gallicæ iuriſdictionis cenſentur. Quod autem mare vicinius eſt terris, illud dominij eſt illius cuius & terra: vnde illa maria dominij Gallici dicuntur, ſcribente Ariſtotele in Politicis, pelagus maritimis ciuitatibus territorium, vnde ſumunt alimenta atque auxilia: quod, quâ ratione intelligi debeat, paucis expedio. Tria ſunt dominij genera: ſupremum, quod eſt Principis non recognoſcentis ſuperiorem: ſubalternum, quod eſt recognoſcentium ſuperiorem Principem: & particulare, hoc eſt, priuatorum hominum. Primi & ſecundi dedimus exempla præcedenti Capite, vbi oſtendimus, Regibus Galliæ ſupremum ſemper fuiſſe dominium in littoribus & maribus vicinis Aquitaniæ, Aremoricæ, & Normanniæ, etiam cùm Aremorica Ducis ſpecialis eſſet, Aquitania verò & Normannia Angliæ Regum, apud quos ſecundum dominium fuit. Priuatorum eſt,

Grotius, Maris Liberi, c.6. & 7.

** De poteſtate legis pœnalis, lib. 2. cap. 14.*

L. 3. §. 1. D. Ne quid in loco publico, & §. Littorum. Inſtit. de rer. diuiſione.

Vide Pacium diſceptatione, de dominio maris Adriatici.

eſt, quod quiſque in littore & mari vicino poſſidet. Sicut enim fluminum, ſtagnorum, & lacuum quædam Regalia ſunt, quędam bannalia, ita & littorum, orarum, ſinuum, & æſtuariorum maris. Regalia ſunt; ex quibus Princeps iure patrimoniali vectigal capit, & in quibus modum ac tempus piſcationis conſtituit, propriόſque magiſtratus præficit; vnde in ſacro Principis patrimonio fluminum, ſtagnorum, lacuum, ſinuum, portuúmque & littorum vectigalia ſunt. Bannalia verò dicuntur, quæ beneficiis dominis confinio prædiorum, aut longi temporis pręſcriptione, aut permiſſu Principis; alióve iuſto titulo, ſunt acquiſita; factáque priuata, quæ naturâ publica erant. Vnde ait * Vlpianus, venditorem fundi Hieroniani, fundo Botriano, quem retinebat, legem benè dediſſe, ne contra eum piſcatio thynnaria exerceretur, quamuis mari, quod naturâ omnibus patet, ſeruitus imponi priuatorum lege non poſſit: ob id, quòd in bonæ fidei contractibus ſtipulatio ſeruari debeat. Quamuis autem vnicuiq; ius ſcit ex flumine nauigabili aquam ad potum haurire, cuius vſus publicus eſt, non ideò licet eam in priuatos vſus deducere, ne flumina exareſcant, aut aquâ nimium depreſsâ, nauigatio impediatur. Piſcationis verò in fluminibus, ſtagnis, lacubus, ſinubus, & & mari, modus; Regiis legibus præſcriptus eſt. De inſtrumentis piſcatoriis, piſcandi tempore, licentiâ, ratione, & prouentu, qui ærario publico aſcribebatur, paſsim in Edictis Regum noſtrorum. Ab omni quippe ſæculo Reges & potentiores, quæ iure Naturæ & Gentium communia erant, ſibi vendicarunt, aut ſibi publicum populus fecit. Etiam priuati priuata in mari terríſque dominia fecerunt: *Pro ſingulari libidine inciditur terra, mare infunditur, vt Inſulas faciant: vt poſſideant freta, ſpatia maris ſibi vendicant iure mancipij, piſciúmque iura, ſicut vernaculorum conditione, ſubiecta ſibi commemorant. Ipſe*, inquit, *ſinus meus eſt, ille alterius. Diuidunt Elementa ſibi potentes.* Sic Lucullus, perfoſſo ſub Neapoli monte, mare clauſit, & dominus erat curſuum maris. Sic C. Sergius, Orata cognominatus, quod inter ceteros piſces, oratas maximè, interceptis maris fluctibus, molibus incluſerit. Vnde iſtud elegans:

Si quando Nereus ſentit Æoli regnum,
Ridet procellas tuta de ſuo menſa;
Piſcina rhombum paſcit, & lupos vernas.

Atque ea loca in quibus mare intromittitur, effoſsâ tellure, à curſu maris, curricula vocantur. Olim ampliſſimum vectigal Populus Romanus accipiebat, è Lucrino & Auerno lacubus, in quos cùm aliquando impetuoſius mare penetraſſet, mox recurriſſet, publicani queſti ſunt ad Senatum, impetu pelagi adductos piſces, & vectigalia immunita: res ad Iulium Cæſarem remiſſa, qui publicanis tertia reditus parte leuatis, brachia duo iactis aggeri-

Chopin. de Domanio, l. 1. tit. 16.

* *Lib. 8. opinionũ. ex L. 13. D. Communia prædior. & L. 13. D. De iniuriis.*

D. Ambroſius.

Seldenus Maris Clauſi, l. 1. c. 15.

Nnn bus

bus deduxit, quibus æſtus marinorum fluctuum arcerentur, anguſto tamen oſtio relicto, per quod in Auernum piſcis conuenire poſſet. Hinc iſtud Virgilij:

Quid memorem portus, Lucrinóque addita clauſtra,
Atque indignatum magnis ſtridoribus æquor,
Iulia quà ponto longè ſonat vnda refuſo
Tyrrhenúſque fretis inducitur æſtus Auernis.

Ceterum vt immiſſa terris maria curricula dicebantur, ſic præiacentia, veſtibula: Græcis πρόθυρα τῆς θαλάττης, veſtibula marina; quorum ij domini ſunt, ad quos proxima tellus pertinet, in tantùm, vt eos propellere poſſint, qui ſine dominorum permiſſu piſcari vòluerint: in quorum dominio, latitudo maris eſt, æqua latitudini prædij: de longitudine verò controuerſia eſt: nam alij parem latitudini longitudinem volunt, alij totum illud in longitudine attribuunt poſſeſſori prædij, quod acie conſpici de littore quis poſſit. Solebant ij domini habere epochas, ſiue remoras piſcatorias, quas τρώνας Græci recentiores vocauerunt, id eſt, retia confixis palis in mare extenſa: hac tamen lege, vt quęlibet epocha à vicina diſtaret, vbi maritimi prædij latitudo commodè permittebat, CLXXXII. paſſibus cum ſemiſſe. Is prouentus rei maritimæ προθύριον κέρδος, veſtibularium è mari lucrum, & τοπιατικὸν, quod locarium verti poteſt, Iuriſconſultis Orientis dicebatur: cùm ſcilicet is reditus annuus à cōductore domino ſoluebatur: atque ex iis topiaticis, ſiue locariis vectigalia annua Principi data. Adeò vt tam priuatorum, quàm Principis dominium marinum propter littus in Oriente fuerit, maximè circa Boſporum Thracium, eâ tamen conditione, vt qui, vel paupęrem, vel piſcationi inhabilem, vel pigrum vicinum haberet, cogeretur eum pro ſuum poſſe, iuuare, ne vectigal Principis minueretur, eúmque in communionem capturæ, quam ἄγραν Gręci nominant, aduocare, lucrúmque cum eo æqualiter partiri, quamuis non æqua portio maritimi prædij vtrique eſſet, & ideò ex duobus remorarum ſeptis, vnum facere. Nec valebat decennij præſcriptio, ſi quis in prothyrum vicini ſui ἐποχὴν per id tempus porrexiſſet, eo tacente, & præſente: vt neque præſcriptio vicenalis, per abſentiam eiuſdem. Seu quòd maria * non præſcribantur, ſeu quòd iniquum fuiſſet, exiguam maris portionem vicino inuidere atque adimere, alto mari ad piſcandum aperto, & libero. Item inter Regalia numerantur præter piſcationum reditus, portus, ęſtuaria, ſinus, & ſalinæ, etiam & littus omne quod Regis, aut Reipublicæ dominium includit. * Portoria pro ſolutione & appulſu nauis, mercium oneratione & exoneratione publicani exigunt, qui ob id portitores in iure dicuntur. Eximere à portitoriis, vel noua portitoria indicere ſolius eſt Principis, vel Reipublicæ. Pe-

Leo. Nouella 56.

Leonis Nouell. 57. 102. 103. 104 & in eas Dionyſ. Gothofredus, è Phauorino, & aliis.

* *Vide Grotium, Maris Liberi, c. 7. Feudor. lib. 2. Tit. 56. Quæ ſint Regalia.*
* *l. Caſar. D. de publicanis. Videndus Matth. de Vanzellon. lib. ſingulari Gallicè inſcripto*: Des Peages.

dagia

dagia * Canones vocant, telonia Conſtitutiones Caroli Magni, quæ pro nauligiis, mercatu, & animalibus per pontem tranſeuntibus imponuntur, ad diſtinctionem eius generis vectigalis, quod τὸ τέλος, ἢ τέλεσμα Græcis vocatur, mercium vectigal, ſiue portorium venalium. Eſt & aliud genus vectigalis noſtris legibus ſtabilitum, quæ nobilitates ſuper nauibus, vel * breuia conductionis appellantur, ob ſcopuloſa & importuoſa littora, etiam ob metum piratarum, cautum, ne quis portu ſoluat, niſi prius illi periti maris dentur, qui viam præeuntes demonſtrent, tutámque eam, armato nauigio inuecti, faciant, addita & veniæ ſymbola: aſpernantibus, publicatio nauis & armamentorum indicta. Veniâ factâ, nullum periculum eſt à fiſco, etiam naufragia colligere naufragis impunè licet. σῶστρα adiutoribus præſtantur, ob ſalutem præſtitam, quod * ius ſalutis dicimus. Ea autem ſymbola, breuiáque ab Amiralio, vel eius Subpræfecto dantur, ad quem cognitio criminum in mari & portubus patratorum pertinet, damnorúmque Gallis, ſociiſque Gallici nominis illatorum, exterorúmque, qui Gallicos portus ſubeunt, non impetratâ prius appellendi veniâ, niſi tempeſtatis vi eiecti fuerint. Rectè quippe ex timore & ſuſpicione domini, à portubus arcentur mercatores peregrini, cùm Principis ſit iudicare, cum quibus ciues ſuos communicare velit. Sequitur inter Regalia annumeratum * ſalinarum vectigal, de quo multi multa. Primis ſæculis ſal, velut elementum quintum, ſine quo viuere non poſſumus, commune fuit; poſtea cum illud Principes, & Reſpublicæ illud ſibi proprium feciſſent, permisêre tamen illis, in quorum prædiis mare per foſſas eductum, aut in agros eorum ſubrasâ algâ ventis immiſſum, ſal faceret, proprium habere, quod Natura, vel caſus dediſſet. Lyſimachus Rex Thracum, Ancus Martius Romanorum, primi hoc vectigal impoſuerunt: & Ancus quidem prope Oſtiam, primúmque inuentum fuit punire fœminas in opus ſalinarum, exemplo virorum, qui ad metalla damnabantur. Cúmque ſalis pretium à Claudio Liuio Cenſore auctum fuiſſet, illi Salinatoris agnomen additum eſt. Primus in Galliis Philippus Longus in ſingulas ſalis libras duos denarios Turonenſes impoſuit, auxerunt poſteri impoſitum tributum, quod nunc in immenſum creuit. Dicuntur ſalitores, qui ſalis tributum colligunt, & paludoſa loca, in quibus ſal, conficitur mariſcæ. Cenſentur & in dominio Principis, quod iam ſuperiori Capite oſtendimus, æſtuaria, ſinus, littora. Sic æſtuaria, in quibus Venetorum vrbs condita eſt, cum ſinu Adriatico Venetorum eſt, an vltra Clodiam foſſam hoc dominium marinum extendatur, non diſputo. Certum eſt, Laurentio Theopulo Venetiarum Duce, ann. Sal. MCCLXIII. afflictâ per Genuenſes Rep. tum primum per

** Si quis Romipetas. Cauſa 24. quæſt. 3.*

** Bref de conduitte.*

Ex Edictis Regum Franciæ Ludouici XI. 1480. Franciſci I. 1517. & 1543. Henrici III. 1584. Chopinus de domanio lib. 1. c. 16.

** Droit de ſauueté.*

Ex Edictis Caroli VI. 1400. Franciſci I. 1517. 1543. Henrici III. 1583. L. 2. l. mercatores. & l. vlt. C. de Commerciis & mercator.

** Vide Bodinum, Reip. lib. 1. c. 6. & 7. lib. 4. c. 1. lib. 6. cap. 2.*

** Vide Cuiacium lib. 3. Obſeruat. cap. 31.*

L. forma. §. Salinæ. D. De Cenſibus. L. Aut damnum. § in miniſterium. D. de Pœnis. L. Mulier. D. De capt. & poſtlim. reuerſis.

Interpres Ciceronis, lib. 4 ad Attic.

Adriaticum nauigantibus vectigalia impoſita, legémque latam, quæ hodie etiam obſeruatur, vt intra oſtium Phanatici ad Polam & Rauennatium plagam nauigantes, ad ſolutionem vectigalis illius cogerentur. Ob id creati Magiſtratus, qui die & nocte inuigilant, ne fraus huic legi fiat, ſæpenumero littus perluſtrantes. Facit ad probationem eius dominij repetita quotannis diſpenſatio maris, per anuli iniectionem. Simile illi dominium eſt, quód iam Anglos diximus habere in æſtuariis & ſinubus ſuis, quas Cameras Regias appellant. Quod Sueciæ & Noruagiæ Rex in Boddico ſinu. In Megarico, Corinthiaco, & Iſſico Turcarum Imperator, aliíque Principes, aliis in locis. Nempe, cùm vnius domini littora ſunt, per quæ pelagus terras ſubit, illius quoque mare eſt quod terras penetrat, ideóque in iis θαλάσσια δίκαια, iura maritima conſtituere poteſt, etiam in fretis, ſi quodcunque littoris ab vtraque freti parte cernitur, eius dominij ſit. Hac ratione, fretum quod Angliam ab Hibernia diuidit, Anglorum eſt: Daniæ, fretum, quod, *De Sund*, dicitur. Turcarum, Helleſpontus, & Boſporus Thracius. Diuerſa eſt cauſa prætenturarum, licet enim proiectionibus continentis non includantur, hæ tamen, quia littori prætenduntur, cum aliquot diuerticulis, illius ſunt, cuius & ſolum, argumento veſtibulariorum, ínque dominium eius cenſetur, quidquid de littore conſpici poteſt; itavt terminus oculi, terminus ſit dominij maritimi. Tale eſt dominium Genuenſium, in Liguſtico mari. Tale Florentinorum, in Thuſco. Tale Summi Pontificis, in eo, quod Eccleſiæ dicitur. Tale Galliæ Regis in Aquitanico, Britannico, Normannico, Gallico. Tale Hiſpaniæ Regis, aliorúmque Principum in prætenturis maris adiacentis, & diuerticulis eiuſdem. E ſupradictis conſequens eſt, vt ſi quis populus, aut Rex, tanti territorij eſſet, vt mare integrum ambiret, terræque portio, comparata cum mari, maior, aut ſaltem æqua cum eo foret, eius integri maris dominium adſcribendum illi, cuius & circumuallantia eſſent littora. Vnde concluditur, dominium vniuerſum maris mediterranei, primùm Gallorum, mox Romanorum fuiſſe, cùm vterque populus vario tempore, terras omnes illud vallantes à freto Herculeo, ad Thracium Boſporum & vltra tenuerit, Africæ, Aſiæ, & Europæ poſſeſſor, quâ Mediterraneum pelagus vndequaquè tangunt, itavt ſimile illud eſſet, ſtagno, ab omni latere occupato, terris vndiquè ſub vnius domini poſſeſſione nuncupatis. De illo Gallorum Imperio maritimo, * ſupra diximus: de Romanorum in eodem mari dominio & imperio, vir ſublimis doctrinæ † Iac. Gothofredus, vbi ait, Imperatorem, de Antonino loquitur, non minus maris, Mediterranei ſcilicet, atque terræ dominum fuiſſe, Inſulis omnibus, quæ in eo ſunt imperaſſe. Appianus verò affirmat, Romanos Mediterranei

E ſententia Seldeni Maris clauſi, lib. 2 c. 22 & Grotij, Maris Liberi. cap. 7.

** Cap. 6. iſtius Libri. Plura ad illud Picardus in Celtopædia.*

† ad l. Ἀξίωσις. D. de l. Rhodiâ de iactu, c. 12. ex Appiano.

totius maris & Inſularum omnium Imperium tenuiſſe. Et verè Mediterraneum mare, cum Oceano comparatum, ſpecies eſt ſtagni, à Mæotide palude & Ponto manantis, ſeſéque per Herculeas fauces in Oceanum exonerantis, qui immenſus, infinitus, rerum parens, cælóque conterminus appellatur. Ex iſtis apparet, Gallorum, Romanorúmque dominium cum Imperio fuiſſe, ſecundum definitionem præallegatam, quandò non modò ceteris nationibus claſſe præualuerint, ſed etiam tunc illis dominantibus, nulla alia claſſis, quàm Gallica, aut Romana per totum Mediterraneum mare, nullus populus circa eius maris littora, niſi Gallus, aut Romanus: Seſtos & Abydos æquoris, in placidi lacus ſpeciem protenſi, exordia ſeruabant, exonerationem verò eius, Calpe & Abila, ita vt in interiora nauigare inuitis dominis nemo poſſet: propriúmque Principis & Reip. fretum, & pelagus fretis incluſum, Seldenus Grotiúſque conſentiunt, ſi freti littora adeò ſtricta fuerint, vt vel cathena per mare acta ad vtrunq; littus religari poſſit, aut caſtellis & propugnaculis muniri, vnde tormenta belli fulminantia impedire poſſint nauigantes: qualia ſunt dicta freta Europam ab Aſiâ Africáque ſeparantia. Sub Conſtantinopolitano Imperio, cùm barbari maiorem partem, quæ Mediterraneo incumbit, occupaſſent, Ægæi pelagi præfecto Helleſpontus aſcribitur cum territoriis adiacentibus, quoniam Helleſponti fretum ab vtroque littore Conſtantinopolitani Imperij adhuc erat, & ſi quæ Inſulæ ita vicinæ eſſent continenti, vt ab ipſo conſpici poſſent, cenſerentúrque in vnius dominio, illius quoque erat quidquid pelagi de littore remotiori Inſularum cōſpiciebatur in quibus locis, ſi & aliæ naſcerentur, accreſcebant vicino domino. Imperator Turcarum dominum ſe dicit maris tam Albi quàm Nigri, hoc eſt, Ægæi & Pontici, quod terrarum illa cingentium dominus ſit in Europâ atque Aſiâ. Quicunque autem dominus eſt littoris, naufragia in iis colligere poteſt, ſiue priuatus ſit, ſiue Princeps, aut Reſpublica: adeò tot naufragiis homines, poſt naufragium in mari, obnoxij ſunt. Hæc δημόσιοι, hoc eſt, ſerui publici ciuitatum, ſub Conſtantinopolitano Imperio colligebant, quod olim annotauit, iam allegatus, V. Clariſſ. amicus meus * Iac. Gothofredus. Abrogatis quippe Antonini legibus, quibus ſeuerè in naufragorum naufragiorúmque expilatores animaduerti iubebat, priuati, fiſcus, aliíque fiſci nomine, ciuitates etiam & Reſpublicæ, & Inſularum incolæ, iure maris, naufragia ſibi, vel ex iis partem aliquam vindicauerunt. Quippe ſub Imperio Romano Prouinciæ, regiones, Inſulæ maris, ſuis peculiaribus legibus, conſuetudinibus & priuilegiis egerunt. Cautum eſt lege Regiâ, de maris præfecturâ, tertiam partem omnium quæ pelago extrahuntur, ad Principem Regio iure pertinere: alteram

Inſulæ Italiæ adiacentes, pars Italiæ ſunt. l. Inſulæ D. de iudiciis.

* *Ad l.* ἀξίωσις. *D. de l. Rhodia de iactu.*

Conſtit. ann. 1517. 1543. art. 11. deſumpta ex Friderici II. Authentic. Nauigia. *C. de furtis.*

ad maris præfectum: tertiam ad nauarchos repertores. Quod ſi dominus intra annum rerum ſuarum iacturam perſequatur, eas recuperat, τοῦ εὑρέτρου nomine, ſumptibus reſtitutis. Si naufragi præſentes ſint, licet vndis ereptis, aliena prędia, à priuatis poſſeſſa, intrare, & quod cuiuſque eſt colligere, nec quidquam cuiquam eo nomine dare, vetitúmque ne milites, aut priuati, ſeruíve Principis colligendis naufragiis interuenirent, naufragóſque deprædarentur: nullum enim ius habet fiſcus, in re luctuosâ, ſuorum, vel ſociorum: quorum ſi nauis capta ab hoſtibus, mox à noſtris recepta ſit, nauigantibus integra, cum omnibus quæ in eâ ſunt, reſtitui debet, impenſis antea reſtitutori, ex æquo & bono perſolutis. Quod ſi mercium aliarúmque rerum in littus eiectarum dominus nullus oſtendatur, pars ad dominum fundi, pars ad Rempubl. aut Principem, pars ad repertores pertinet. Sed ſuper ea ſtatuere, innouare, aut amplificare ſolius Reip. aut Principis eſt, apud quem ius legis & dominium: quem ſeruitutem imponere poſſe littoribus & vicino mari nulla * lex negat. Is cùm dominium Imperio coniunxit, hoc eſt, cùm præter dominium maritimum, etiam armatis claſſibus præualet, tum vectigalia Inſulis, atque vrbibus maritimis, etiam non ſuis, indicere poteſt, & ὑποφόρους, ſeu tributarias facere, ob id, quòd vicinum mare à latrociniis purget, tutámque nauigationem illis præſtet. Sic Athenienſes poſt occupatum Bizantium, vectigalia mercium in ipſo Helleſponto, & vtroque eius littore exegerunt. Sic olim Tyrij vicinos populos, etiam & remotas Mediterranei maris oras habitantes, ita deuinxerunt, vt eorum iniuſſu nauigare non poſſent, vnde prouerbium ab Afranio relatum apud Feſtum, *Tyria maria*, pro iis maribus, quæ ita occupantur, vt non niſi tributariis, pateant; & iis, qui ditionis ſunt illius, qui in ea Imperium habet. Victis, aut inualidis lex datur, Imperium æquales partiuntur. Poſt Punicum primum, fœdus inter Carthaginienſes & Romanos, in hanc conditionem ictum eſt, ne Romani, eorúmve ſocij vltra Pulchrum promontorium nauigarent. Victo Antiocho à Romanis iniunctum, ne deinceps præter actuarias decem haberet, traderet longas omnes naues, & armamenta, néve citra Calycadnum nauigaret. Mille alia ſunt ad hanc rem exempla, ex quibus concluditur, dominium quidem maris terminatum, ſicut & Imperium in mari, cuius omnes oræ Inſulæque ad vnum pertinent. Imperium verò magni maris, vnius, aut duorum populorum, puta Luſitanorum & Caſtellanorum eſſe non poſſe, cùm infinitus ſit Oceanus, & cunctis patens; ideò nec in vniuerſum piratis purgari, tutum nauigantibus præſtari, & nauigiis occupari poſſe: & ideò cùm de Caſtellanorum Luſitanorúmque Imperio maris ago, cùm de ceterorum egi, atq; acturus ſum, ſciendum

L. vlt. ff. D. de incendio, ruina, naufragio. l. 7. eod. tit.

E S.C°. Rothomagenſi, 14. Februar. ann. 1553. à Bochelo relato in Bibliothecâ iuris Gallici: ſub nomine Amiralius. Vbi agit de iis, qui iure Amiralatus in prædiis ſuis maritimis gaudẽt, de decima præda ad Amiralium pertinentes, & iure excubiarum maritimarum.

** Fulgoſ. & Cæpola. ad l. venditor. de ſeruitute prædior. ruſtic. Gothofred. ad dictã legem* Ἀξίωσις, *cap. 11.*

dum eſt, hoc diuerſarum nationum Imperium maritimum, continere littora, portúſque, & vicina littoribus maria, ſiue veſtibula, cum Inſulis quæ omnia ſupremi dominij ſunt,quod cum Imperio confunditur, nullum enim ſupremum dominium ſine Imperio, non autem me de Imperio Oceani loqui, quod in dominium venire non poteſt, occupari, poſſideri, aut præſcribi, manétque in ſuo iure & eſſe primæuo,quo omnia communia erant, neque protectionem aut iuriſdictionem admittit, vltra viſum oculi à littoribus pręcedentis.

CAPVT VIGESIMVM.

Imperium Hiſpanorum maritimum.

REGNIS quæ inter Pyrenæos montes & vtrumque mare iacent Iberiæ nomen dediſſe, Iberi Aſiæ populi Caucaſi montis incolæ, huc aduecti, putantur. In iis terris antiquiſſimi Reges regnauerunt fabulis proximi, niſi & ipſi fabulæ ſint. Poſt Herculem Hiſpalis, poſt Hiſpalim Hiſpanus,à quo hodierna illis regionibus denominatio. Iſtorum poſteritas Trinacriæ, quæ hodie Sicilia eſt, à Sicano Rege, nomen Sicaniæ indidit. Omnium terrarum Hiſpania populorum variorum inundationibus maximè obnoxia fuit. Hanc olim Afri,Zacinthij,Tyrij,Græci,Celtæ, Cyprij, Romani, aliíque populi,non terræ fertilitate, ſed auri, aliorúmque metallorum fodinis allecti, tenuerunt. Eadem Carthaginienſium, Romanorum, Gothorum,Sueuorum, Vandalorum, Saracenorum, Gallorúmq; præda poſtea,& ſedes fuit. Ex tot gentibus, velut è diuerſis fluminibus mare, gens vna facta, hodie, ceu diluuio quodam,littora omnia terráſque pulſat & terit, redítque Orbi colonias, quas olim accepit.. Græcorum occupationem, præter ea, quæ Libro ſuperiore Cap.xxxii.memoraui,oſtendunt montes Calpe, Idrus, & Pyrene.. Inſulæ, Aphrodiſiades,& Gymnaſiæ,quæ Baleares vocantur, Græca nomina. Vrbs Tarteſſus,ab Ionibus condita, nunc Carteia. Tyde in Luſitaniâ inter Minium, & Limiam amnes, eius author Ætolus Diomedes,Tydei filius,indito patris nomine, cuius etiam coloni Grauij dicti,quaſi Graij. Vnde Silius:

Ex hiſt.Hiſpani. Muieraei Turqueti. Alphonſi à Carthagena. Michaelis Ritij, & Franciſci Terapha.

Ioan.Vaſæus in Chronico Hiſpaniæ.

Punicor.lib.3.

Et quos nunc Grauios violato nomine Grajum
Æneæ miſére domus, Ætoláque Tyde.

Aſtir quoque auriga Memnonis,eodem teſte, Aſturicam vrbem, quæ nunc Aſtorga, ædificauit, vicinóſque Gallecis & Cantabris populos Aſtures nominauit.

Venit

Venit & Auroræ populis profuſus in Orbem
Diuerſum, patrias fugit cùm deuius oras
Armiger Eoi non fœlix Memnonis Aſtir.

Sunt qui hodie Aſtiris, ſiue Aſtigis oppidum Eciiam putant, antiquam coloniam, ab Auguſto, Auguſtam Firmam appellatam: Aſturam verò, fluuium Aſtorgam, qui Durio mixtus nomen perdit. Sed & Teucer locum occupauit, vbi poſtea Noua Carthago, nunc Cartagena.

Dat Cartago viros Teucro fundata vetuſto.

Similiter Tlepolemus Herculis Græci filius, Baleares Inſulas habitauit.

Iam cum Tlepolemus ſator, & cui Lyndus origo
Feruida bella ferens Balearis.

** Cap. 21. & 32. Libri 1 iſtius Operis. & Cap. 2. 3. & 7. iſtius Libri.*
De reliquis populis, qui Hiſpaniam incoluerunt, alibi * diximus:
Hanc poſt Romanos Gothi, ſiue Viſigothi (eadem gens eſt) ab
anno Sal. CCCCXVIII. ad ann. DCCXIV. tenuêre, ibíque XXX. Reges imperauerũt, donec à Mauris ſiue Saracenis ex Africâ oriundis, pellerentur: quibus imperãtibus, varij Hiſpaniæ proceres Gothorum gloriæ memores, è quorũ ſanguine maior pars fuit, paulatim per negligentiam, vel diſcordiam Saracenorũ, diuerſis Principatibus & Regnis initia dedêre. Exordium à Cantabris cepit, gẽs iugi impatiens, Pelagium Ducem ſibi, diſpersíſq; per Hiſpanias
AN. Sal. 716. Chriſtianis elegit. Eius imitatione, Pyrenæorum populi Sobrarbræ; quæ hodie Nauarra eſt, Garciam Ximenem eodem tempore Regem creauerunt. Originem, & Ximenes & Pelagius, qui poſtea Ouiedi Rex appellatus eſt, à Gothis repetunt. Iſtius ſucceſſores, Legionis regno per bella & victorias aduerſus Saracenos parto,
827. Ouiedi & Legionis Reges appellati ſunt. Hoc illo ſæculo Ranimirus Rex magnam Normannorum claſſem in Galleciam appulſam incendit, LXX. hoſtium naues hoc incendio periêre, reliquæ ad ſuos, direptâ Hiſpali, remearunt. Hiſpanis per Saracenos
Ioan. Vaſæus in Chronic. Hiſpan.
898. afflictis, ſolatio fuerunt, Barcinonenſes & Caſtellanenſes Comites: & vltimis quidem ab Ordogno Ouiedi & Legionis Rege ſolo ſuo pulſis, Caſtellani Iudices duos à quibus regerentur elegerunt. Eorum nomina non pigebit referre, quòd ab illis, qui Hiſpaniis hodie dominatur, ortus ſit. Iſti igitur fuere, Nugno Razura, & Razuræ gener Flauinus Caluus. Nugnoni pater fuerat Nugno Bellides, qui è Germaniâ inuiſendi S. Iacobi ſepulchri causâ nuper aduectus, Sullæ, Comitis Porcelli filiæ, formoſitate captus, ex eâ Razuram genuit, à quo Caſtellæ Comites, mox Reges fluxerunt, ſanguine Gothico per matrimonia commixti, cùm Regiis fœminæ ſuccedentes afferrent maritis ſua iura, & deficiente prole maſculâ, in alienas familias paternas poſſeſſiones inueherent. Sic poſt Bellidem, Germanum hominem,

Caſtella,

Caſtella, ſiue Caſtillia per diuerſas familias rotata, ad Germanicam gentem ſeptem poſt ſæcula rediit, Auſtriacis Principibus ad idem Regnum per vxores vocatis: vt appareat Phyſicorum iſtud, omnia ad ortum relabi, etiam in Regnis & Principatu locum inuenire. Iam Ouiedi nomen Legioni ceſſerat, quia iſtius dominatio amplior. Iam Fernandus, relicto Comitis titulo, ab exercitu Caſtellæ Rex proclamatus erat, & nondum maritima prælia, nondum lentata maria armatis claſſibus. Ex omni Hiſpaniâ conſcriptus miles ab Alphonſo VIII. Caſtellæ Rege, in Maurorum exitium. Hic, aliíque Chriſtiani Principes terreſtribus copiis valuerunt; claſſis apparatus Raimundo Berengario, Barcinonenſis Comiti, mandatus, cui Galceranus Cataloniæ Amiralius, & Vrgelli Comes, præpoſiti: ea, Anſaldo Auriâ duce, Genuenſium ſociis nauibus, coniuncta (dum Alphonſo, cui terreſtris exercitus parebat, mediterraneæ vrbes deduntur) Almeriam, ad Herculeum fretum ſitam, obſeſſam, vi cepit, mox & Tortoſam maritimam quoque vrbem, ingenti gazâ à Mauris per plura ſæcula congeſtâ opulentam. Ob hoc beneficium à Genuenſibus acceptum, Berengarius S. Laurentij inſulam illis conceſſit, edixítque, ne portorium, aut vectigal, in portubus Cataloniæ atque Aragoniæ deinceps perſoluerent. Viuebant tunc in Hiſpaniâ Mauri ſub Miralmuminſorum Africæ Regum dominatione, ideóque vinci difficiles, ſub vno capite tot membris connexis, & ad obſequium imperantis paratis. Poſtmodò verò Regum, qui in Africâ regnabant, Imperio neglecto, ibi per Hiſpanias diſſipata eſt eorum monarchia, pluréſque tenere ſceptra voluerunt: tum ſeparatis à capite illo membris exitium inferre facillimum fuit. Capta Corduba, prima Regum Saracenorum in Hiſpaniâ Bæticâ ſedes. Hinc Valencia, alterius Regni caput: Murcia, & ipſa alterius Principatus Regia, Granatæque Regnum, Barbaris hoſtibus in feudum à Caſtellæ, ſiue Caſtilliæ Regibus conceſſum. Sic paulatim minui & euaneſcere Africana dominatio cepit, quæ paucis hinc & inde vrbibus contenta, vnum Granatæ regnum, atque illud feudatarium, habebat: & qui timorem facere ſolebant, accipiebant. Itaque Chriſtianis Hiſpaniæ Regibus, totam gentem perdere cùm liceret, quia pacifica erat, bellum ab eâ in Chriſtianos Principes conuerſa. Petro Aragoniæ Regi Sicilia obuenerat, Conſtantiâ, Manfredi Friderici Imp. nothi, qui eam Inſulam occupauerat, filiâ, in vxorem acceptâ: ſed cùm Carolus Valeſius, Ludouici IX. Galliarum Regis frater, eandem Siciliam legitimo titulo teneret, diſſimulatio primùm, mox apertum bellum Petro Regi placuit. XL. triremes, naues multæ inſtructæ, prętextu tranſfretationis in Africam, & belli Saracenis inferendi: re verâ, vt in Siciliam traiiceret, reliquiáſque Gallorum, poſt Veſperas Siculas,

ANN. 904.
AN. Sal. 1037
ANN. 1146.
ANN. 1236.

Ann. 1281. opprimeret. Quod cùm feciſſet, è claſſe victrici xxv. triremes Siciliæ ſeruandæ cauſâ Rogerio Auriæ Calabro, Aragoniæ Amiralio conceſſit, ipſe cum reliquis nauibus in Sardiniam tranſmiſit, ſi quid Galli molirentur, ſuis auxilio futurus. Rogerius Auria cunctis per Siciliam cedatis, Apuliam, Calabriámque, quà ſeſe Prouinciæ ille in mare proturbant, deprædatus, Carolum Salerni Principem, Caroli Valeſij Siciliæ Regis filium, irritauit ad pugnam: in quâ triremes ix. cum Carolo Salerni principe in Neapolitano ſinu captæ, reliquæ fluctibus merſæ. Sed neque inulta Gallo clades, qui expoſito Narbonenſi in orâ exercitu, xxv. Cataloniæ tum oppida, tum vrbes vi captas deprædatus, non Aragonicis armis, ſed peſtilētiâ recedere coactus, auxiliares Genuenſium Piſanorúmque triremes ſoluto ſtipendio dimiſit. In conſpectu nauigantium Liguria erat, cùm illis Rogerius Auria Siciliæ Amiralius cum triremibus xlv. in auxilium Principis ſui Aragonum Regis properans, obuius factus, eas in ſtipendium accepit, auctáque in hunc modum claſſe, in Gallicas naues, quæ in Narbonenſi portu cum leui præſidio & nauticâ multâ turbâ ſtabant, irruit. Fugêre nautæ ad hoſtis conſpectum, præſidióque impoſitus miles, vt exercitui, qui in terrâ erat, iungeretur, triremes deſeruit, quas in poteſtatem, ſine prælio, redactas, incendit Auria. Alphonſus huius nominis III. Petro patri in Aragoniæ regno ſucceſſerat, Sicilia fratri Iacobo relicta. Illius armis debellati Mauri, Maioricâ, Minoricáque Inſulis in totum ceſsêre, quarum regnum Iacobo, ex teſtamento Petri conceſſum eſt. Diſplicuit Alphonſo patrui authoritas, in hunc ſine cauſâ à Barbaris bellum conuerſum, donec neceſſitate Siciliæ defendēdæ in aliud tempus differretur. Miſerat Maria, Neapolitani regni moderatrix, per captiuitatem Caroli coniugis, Renaldum à Balſo, Auellini Comitem in Siciliam, is expugnatâ Catanâ, ad nouum militem vehendum triremes Neapolim remiſerat, eodémque tempore Guido Monfortius lectum in Etruriâ militem Sienenſi littore ſoluens, mari tranſportabat in Siciliam, vtramque claſſem Rogerius Auria Aragoniæ Amiralius peſſum dedit. Primam, in ipſo Neapolitano littore: alteram, in ora Etruriæ, cum quâ, maius bellum. Iunctæ claſſes vario euentu dudum pugnauêre, donec inclinante in Aragonicas partes victoriâ, Galli noſtri vel cæderentur, vel caperentur. Captiuus Monfortius captiuitatis tædium cælo commutauit, reliquos pecunia libertati reddidit. Tum Catana à noſtris, totáque Sicilia, metu maioris cladis, relicta, reuerſúſque Neapolim miles. Sub idem tempus relicto Friderico fratri Siciliæ regno, Iacobus huius nominis II. in Alphonſi locum Aragoniæ ſucceſſit. Initio regni fœdus cum Ferdinando IV. Caſtellæ Rege contra Saracenos iuratum, iſti Gibaltar oppugnatum,

illi

illi Almeria, captiui ex vtraque vrbe in Africam tranſmiſſi. Hoc bello confecto, aliud ſuperuenit. Genuenſium & Piſanorum potentiam cùm S. Pontifices timerent, Sardiniam, quæ iſtorum, Corſicam, quæ illorum erat, Aragoniæ Regibus conceſſerant. Prætendebatur, has Inſulas cauſam æternæ diſcordiæ inter vtramque Remp. eſſe: re verâ autem odio vtriuſque gentis à SS. Pontificibus, qui tum pro ſuâ libidine regna auferebant, & concedebant, hanc donationem factam inuenio. Ceterum armis opus erat, vt ratum eſſet, quod malè donatum erat. Igitur verſa in Sardiam arma, dilata occupatio Corſicæ, quia Genuenſium opes viréſque deprædatori metum faciebant. Claſſis imperium Franciſco Carroſo Amiralio mandatum, * Calaris ab eo obſeſſa & ad deditionem compulſa, victúſque Manfredus Donaratici Comes, qui cum XXV. triremibus Piſanorum, Sardorúmque aliquot, in auxilium obſeſſorum à Rep. miſſus fuerat: ſtatímque pax ſequuta eſt, eâ conditione, vt Piſani Sardiniam in feudum ab Aragoniæ Regibus retinerent. Tutandæ verò Inſulæ Berengerus Carroſus, Franciſci filius, cum claſſe relictus; pulſurus ab eâ Saracenos, ſi fortè ex Africâ venirent. Neque dubium erat, eo conſilio hoc factum fuiſſe, ne Sardi, prò leuitate gentis, rebellarent. Quod ſtatim euenit, acceptâ à Piſanis, & Genuenſibus Gibellinæ factionis XXII. triremium claſſe, Gaſpardo Auriâ duce. Prælia inde multa & atrocia cum Aragoniis mari commiſſa: quorum maximum in Calaritano ſinu peractum, in quo Franciſcus Carroſius Aragoniæ Amiralius ſuperior euaſit. Inſulâ Piſani ſubindè diſceſſerunt, quæ ab eo tempore ditionis Aragonicæ eſſe cepit. Sed ea poſſeſſio occupatori ingrata erat, ob immanitatem tributorum, quæ ex conuentione donationis à SS. Pontificibus exigebantur: nihil enim ab iis dari ſolet, niſi & ipſi ex ſuo munere aliquid molumenti carpant. Præterea & præſidiis opus erat & claſſe, vt in obſequium nouorum dominorum Sardi tenerentur: quæ non modo annuos prouentus, qui ex Inſula percipiebantur, conſumebant, ſed etiam eos qui ex Arágoniâ & Catalonià obueniebant. Igitur primò diminutio debiti S°. Pontifici tributi petita, & accepta. Mox, vt nihil ex eâ Inſulâ S. Pont. haberet, poſtulatum, propter crebros Sardiniæ motus, & impenſas belli ſemper præſentis. Hoc quoque obtentum, quia exigi non poterat. Aiton Auria conſtructis IX. triremibus, acceptíſque nauibus aliquot à Gibellinis Genuenſibus, iuxta Sardiniæ promontorium, quod Terræ appellatur, IX. Catellanorum naues oppreſſit, hoc Aragonibus terrorem, Sardis audaciam ad arma & libertatem reſpiciendi fecit. Hinc renouatio belli. Claſſis in Cataloniâ inſtructa, triremiû XL. nauigiorum aliorum diuerſi generis XXX. Hæc totam oram Liguriæ cæcâ vlciſcendi libidine cùm vaſtaſſet, omnes Ligures ſi-

Ann. 1309.

Ann. 1320.

* Cailleri.

Ann. 1325.

mul offendit, cùm tamen à Gibellinis Genuenſibus iniuriam tantùm accepiſſet. Hinc reconciliatio iſtorum cum Guelphis, communis iniuriæ vindicandæ causâ, coniuratúmque in Aragonas, qui in Sardiniâ erant. Duces vtriuſque apud Ligures factionis erant Auriæ & Spinulæ. Sic animis paccatis, itáque in hoſtem Ligures accenſi, LX. nauibus Cataloniæ littoribus primò vaſtitatem fecêre, mox Sardiniæ oram legentes, Aragonas coëgerunt intra Inſulam latere. Ceterum huiuſce belli euentus bellum in Maioricâ initum diſtulit. Imperabat in Aragoniâ Petrus eius nominis IV. qui Sardiniâ minime contentus, ad occupationem aliarum Inſularum animos intenderat. Viſæ ſunt Maiorica & Minorica dignæ quæ caperentur, dilatúmque in id tempus bellum, quò ſceleſtius eſſet, quoniam ſine causâ aduerſus Iacobum II. vtriuſque Inſulæ Regem, Petri cognatum, & profratrem, moueretur. Mirum! fauiſſe cælum nefariis conatubus. Claſſis ſub imperio Petri Moncadæ, CVI. nauium, Palomeram, celebriorem Maioricæ portum tenuit, nec modò iſtam, ſed & Minoricam quoque, fugato Rege, ſine ſanguine occupauit. Tum demum Inſulæ quatuor Aragoniis paruerũt, Sicilia, Sardinia, Maiorica & Minorica. Inter hæc Mauri ex Africâ maximâ claſſe Caſtellam vexabant, Abomelico duce, Imperabat tunc Caſtellæ Alphonſus XII. & primo quidem certamine, cùm ceteri Hiſpaniarum Reges auxilia Alphonſo adminiſtrarent, Godofridus Giralbertus Aragonum Amiralius, cui cura tutandi freti Herculei commiſſa erat, ante Algeziram, maritimam vrbem, claſſe victus, & cæſus eſt. Aragoniis cedentibus, idem fretum XXXIII. triremibus, cum nauibus aliquot, Caſtellana claſſis ſeruabat, impar hoſti, qui Hiſpanicis littoribus militem incolumem reddidit, debellato, cæſóque Alphonſo Godofrido Tenorio Caſtellæ Amiralio, eodem in loco, in quo paucis ante diebus ſuperati Aragones fiierant. Poſt hunc Amiralatum ſuſcepit Alphonſus Ortiz Carderonus, iſte reparatâ claſſe, præter triremes XV. naues XII. recenter fabricatas, multis aliis à Luſitaniæ & Aragoniæ Regibus acceptis, ab Albohaceni Saracenorum Imperatoris, innumero exercitu Tariſſam obſidentis, furore, obſeſſos liberauit: cum commeatus, qui ex Africâ ad alimenta hoſtilis exercitus comportabantur, intercepiſſet. Hinc Saracenis fames, & poſtquam relinquendorum caſtrorum neceſſitas fuit, inter recedentes orta diſſentio, cùm non ſeruatis ordinibus ad naues repedarent, exitium ingens ab exercitu Hiſpanorum terreſtri datum. Hac partâ victoriâ, Gilio Boccanigræ Liguri, præfectura claſſis atque oræ maritimæ mandata eſt. Hic Builonis in portu, Granatenſium XII. triremes imparatas ad pugnam obruit, ex quibus VI. inſtructiores ad bellum, ſuis addidit, decémque alias, quas illi ſubſidio miſerat Portugalliæ Rex, ſub

ANN. 1343.

imperio

imperio Caroli Peſani. Interim Septæ in Africâ ingentes maritimæ copiæ comparatæ, in Hiſpanias appulerunt, ad oſtium * Gadamecili; ibi à Boccanigrâ dum obſidentur, XIII. triremes Algezirenſium, qui ſociis Mauris auxilio venerant, poſt longum certamen profundo merſæ, vel captæ ſunt. Totus inde exercitus in Mauros conuerſus, eorum XXV. triremes, cæſis qui intus erant, reliquis fugientibus, eripuit. Hinc Algezira terrâ marique obſeſſa, & ad deditionem compulſa, nequidquàm reſiſtētibus Mauris. In eius vrbis obſidione, rebus mari præclarè geſtis, Iacobus Scriba, & Matthæus Mercerus, qui XX. Aragonum triremibus præerant, notiores ceteris ducibus fuerunt, multúmque à Caſtellæ Rege honorati. Tum primùm mira, de Canariis Inſulis, ſiue Fortunatis, fama vulgauit, eas occupandas Clemens VI. S. Pont. Ludouico à Cerdâ conceſſit: quaſi verò ea, quæ in notitiam noſtram non venerunt, Summorum Pont. ſint, illíſque etiam Deus Imperium in eas Orbis partes dederit, quæ ipſum Deum non norunt. Quidquid ſit, ſicut nuper Siciliam Sardiniámque Aragones ab iiſdem acceperant, ſic iſte Ludouicus à Cerdâ donationem Fortunatarum Inſularum cum titulo Principis accepit. Ceterum, quia quod liberaliter adeò concedebatur, difficillimè poſſideri poterat, donatarium vſquam in poſſeſſionem earum Inſularum veniſſe hiſtorici negant. Circa hæc tempora, Sardos in Aragonas rebellaſſe, Genuenſium impulſu, nunciatum eſt, claſſis Bernardo à Cabrerâ data, in quâ XLV. Vxeres (quod genus nauigiorum hoc primùm anno cognitum inuentúmque putatur) & XX. triremes Venetæ, duce Nicolao Piſano. Sardis, & Genuenſibus nauibus imperabat Antonius Grimaldus, qui ante Alguerum, Sardiniæ vrbem, victus, XXXV. triremibus, militibus nautíſque III. M. exutus eſt. Neque ob id Sardinia quieſcebat, claſſis altera in eos Barcinone parata, in quâ Petrus ipſe Aragonum & Sardiniæ Rex erat. Vt ex altiore Caſtelli Barcinonenſis loco vexillum Regium, profectionis ſignum, apparuit, tum reſolui anchoræ, explicari vela, excipi auræ, mandatúmque Bernardi à Cabrerâ Amiralij, audiri inceptum. Vt conſtituta in portu Comitis, qui Sardiniæ eſt, claſſis fuit, eductúſque miles, pax rebellibus data, pulſíque Inſulâ, qui bella toties renouauerant. Succeſſerat Cabrillæ Franciſcus Perillus, fuítque in magiſtratu, quandiu bellum, quod ipſe fecerat, cum Aragoniis & Caſtellanis durauit. Quo extincto, Ambroſius Boccanigra, ab Henrico II. Caſtellæ Rege ſuppetias Gallis aduerſus Anglos cum claſſe miſſus, reliquis nauibus in fugam actis, XXXVI. ad deditionem compulit. Quâ victoriâ Rupella, in cuius portu penè pugnatum erat, in poteſtatem noſtrorum peruenit. Imperabat Anglicæ claſſi * Pembrocij Comes. Nondum vltra noſtrum Orbem nauigatum fuerat, anno

Margin: * *Guadamecil.* — ANN. 1342. — ANN. 1346. — *Vide Mare Liberum Grotij.* — ANN. 1353. — * *De Pembroc.*

Ann. 1393. Sal. mcccviic. Biſcaiæ & Guipuſcoæ incolæ aliquot, ſuo ſum-
ptu nauibus fabrefactis atque armatis, in Lancelotam Canaria-
rum Inſularum vnam, primùm penetrauerunt, cæſóque exercitu
barbaro, reliquas Canarias circuitione multiplici cognouerunt.
Iſti in patriam reuerſi, quæ viderant Henrico Caſtilliæ Regi nun-
ciantes earum Inſularum occupandarum poteſtatem fecit Ioan-
ni Betancurtio, nobili Gallo, ſeruato ſibi, ſuíſque ſucceſſoribus iu-
Ann. 1395. re Regio. Iam noui Orbis viſundi deſiderio naues parabantur,
cùm vltrò à Ioanne Rege Caſtellani laceſſiti, quibus Henri-
cus III. tum puer imperabat, à nauigatione ad tutelam ſui Regis
Regníque conuerſi, quinque triremibus, vii. hoſtium triremes,
milite & armis onuſtas, è Liguriâ redeuntes auſi ſunt ad pugnam
prouocare. Fauit fortuna audacibus, fugatæ tres, vna ſubmerſæ,
cæteræ captæ: & quia diſruptis inter conflictum remis, inhabiles
ad nauigationem erant, remulco in proximum Caſtilliæ portum
deductæ, & tractæ ſunt. Vltimum hoc bellum Luſitanis cum
Caſtellanis fuit, durauítque pax inter iſtos, eorúmque ſucceſſo-
res vtriuſque Regni Principes incorrupta; quò factum eſt, vt ad
artes pacis, à laboribus belli conuerterentur, & Luſitani quidem
Orientis dominium peterēt, Caſtellani verò totius Americæ cum
Ann. 1417. Inſulis ad Occaſum vergentibus. Tum Betancurtius nauigatio-
nem bellis interruptam renouauit, domitíſque tribus Canaria-
rum Inſulis, Ferri, Palmæ, & Inferni, Rex earum appellatus eſt.
Lancerotam Hiſpani iam antea armis quæſiuerant, tenebátque
eam Betancurtius è liberalitate Caſtilliæ Regis, vbi arcem por-
* Menault. túmque extruxit mercaturæ causâ. Poſt Betancurtium *Menal-
tius, & ipſe Gallici ſanguinis, in iiſdem Inſulis regnauit, vbi cùm
multa tyrannicè ageret, dominium earum per venditionem ce-
*Perez Cheualier de Seuile. dere coactus eſt Fernando *Pereſo equiti Seuilenſi, cuius poſte-
ritas in hoc dominio ad tempora Ferdinandi V. & Iſabellæ Ca-
ſtilliæ & Aragoniæ Principum, perdurauit. Aragones interim,
quibus arma magis quàm mercatura, & ſtudium externi Orbis
quærendi placebant in partes Ioannæ II. Neapolitani Regni Prin-
cipis coniurarunt. Hoc regnum nuper Martini S. Pont. diplo-
mate Ioannæ ereptum, Ludouico Andegauenſi donatum fuerat.
Fauebant Gallis Ligures, aliíque Italiæ populi. Timebat Alphon-
ſus V. Aragoniæ Rex, ne per Gallos occupato Neapolitano Re-
gno, in Siciliâ bellum transferretur. Igitur vt Ludouici vires di-
uideret, minuerétque, bellum Liguribus intulit. Prima eius in
Corſicam Inſulam, quæ Genuenſium ſociorum noſtrorum ditio-
nis erat, expeditio fuit. Arma vndiq; & cędes, Inſulanis Genuen-
ſibúſque acriter ſua propugnantibus, cùm Alphonſus à Ioannâ
hæres nominatus, eiúſque per adoptionem filius factus, in nouæ
*De Perillos matris opem Raimundum *Perillium cum triremibus xiix. na-
uibus

uibus XIV. ire iuſſit. Ceterum cùm inter eum & Ioannam diſſentio orta fuiſſet, ab eadem, in eius, per ingratitudinem, repudiati, locum, Ludouicus Andegauenſis ſuffectus eſt. Sic & Corſicæ & Neapolis poſſeſſione iam animo deuoratâ priuatus, reuocatúſque in Hiſpaniam, vt imminentem ſuis terris Caſtellæ Regem propulſaret, ne omninò ſine vindictâ recederet, Liguriæ littore prætemauigato, Maſſiliam, Prouinciæ vrbem, quæ Ludouici Andegauenſis erat, oppugnatam diripuit. Hinc copiis cum Nauarræo iunctis, bellum in Caſtellam tranſtulit, in quâ Amiralius erat Alphonſus * Henriqueſus: bella vtrinq; ingentibus animis gerebantur, cùm illi nunciatum eſt, Ioannam Neapolis Reginam, eiúſque filium adoptiuum Ludouicum Andegauiæ, & Calabriæ Ducem, eundémque Prouinciæ Comitem, deceſſiſſe, ſucceſſiſſe in Regno Neapolitano Renatum Ludouici fratrem, quem Ioanna teſtamento hæredem ſcripſerat, multos Neapolitani Regni proceres, quibus imperium Gallicum diſplicebat, ſuis partibus fauere. Noua ob id claſſis parata, qua cum exercitu in Siciliam ſtatim tranſmiſit: hinc in Neapolitano littore Caietam obſidione cinxit, quam Genuenſes, Andegauenſium ſtudioſi, tenebant, in quorum auxilium Philippus Maria Mediolanenſium Dux, ſub cuius tutela Genuenſium Reſp. erat, claſſem miſit, Blaſio Araxeto duce. Iſti cùm obuiam ante Ponciam Inſulam Alphonſus occurriſſet, conſertâ pugnâ, deterſis triremis, quâ vehebatur, remis, eáque in latus inclinatâ, atq; ob id aquam accipiente, permiſit ſe ſuóſque Iacobo Iuſtiniano Genuenſi, Chius Inſulæ gubernatori, qui onerariæ imperabat, cuius impetum Regia illa triremis ſuſtinere non potuerat. Nauis altera, quâ Ioannes Nauarræ Rex, Alphonſi frater, vehebatur, ruptis antennis in poteſtatem quoque Genuenſium venit. Venerunt etiam Henricus infans, aliíque principes Aragoniæ & Nauarræ; XIII. cum iis naues, variæque triremes, quæ ſpoliatæ, & quia inutiles putabantur, fluctibus datæ. Plures captiui, quàm qui capiebant, onus victori, & cauſa metus, niſi eorum maiorem partem, ſed obſcurioris nominis, dimiſiſſet. Territi qui Caietam obſidebant, deſeruêre iam anhelantem & penè victam. Alphonſus in colloquium Philippi Mariæ Mediolanenſium Ducis admiſſus, plus eloquio quàm armis fecit: neque enim modò gratuitam libertatem cum ſuis recepit, ſed & cum eo in noſtros ſocietatem iniuit, vndè ab eius imperio & cuſtodiâ, Genuenſium diſſentio facta eſt, cùm iſtis, vt hominibus noſtri ſanguinis, Gallica virtus, & gloria placeret. Neque ob id à Neapolitano bello Alphonſus ceſſauit, obſeſsâ vrbe Regni primariâ, eam cepit, noſtris fruſtra cum Renato Andegauenſi reſiſtentibus. Hinc in eius verba Neapolitani iurauêre, poſt vicenale bellum, ab eo tempore à quo primùm, cùm

* *Henriquez.*

in

ANN. 1442. in Corſicâ eſſet, à Ioannâ Reginâ adoptatus fuerat. Sic poſt Si-
ciliæ, Sardiniæ, & Maioricæ Regna, Neapolitanum Regnum Ara-
goniis acceſſit, dum Caſtellæ Reges amplificandæ vltra Æquato-
ANN. 1478. rem dominationi ſtudent. Eorum variæ per Oceanum claſſes,
vna Petro à Verâ præfecto, per triennium Canarias nondum in
totum partas multiiugo euentu tentauit. Altera, ſub præfecturâ
* De Cobides. Petri * Cobideſi Guineam verſus nauigauit: quinta pars prædæ
Caſtellæ Regi ſeruabatur: quidquid reliqui erat, duces, militéſ-
que, & nautæ, inter ſe diuidebant. Iſtud certè memorabile eſt:
quoties contra Saracenos vel Indos claſſis parabatur Caſtellæ in
orâ, ſigna, vexilláque nauium, poſt celebrationem miſſæ, ab Epi-
ſcopo, vel alio ſacerdote, benedici, atque aquâ luſtrali aſpergi ſo-
lita, tum datam proficiſcendi in hoſtes licentiam. Vbi verò ca-
ptiuæ naues deducebantur, poſt victoriam: ſigna vexilláque ho-
ſtium templorum tholis ſuſpendebantur, mox in vnaquaque na-
ui tria vexilla ſuffigebantur, cum precibus huic ſolemnitati con-
gruis. Et primum qnidem vexillum, in quo crux figurata erat, in
ſummo eminentioris mali collocabatur: alterum, in quo D. Iaco-
bi figura erat, Caſtellæ protectoris: tertiúmque, in quo ſtemma-
ta Regnorum, quæ Regibus Caſtellæ parebant, de prora puppí-
que dependebant. Quod & in vrbibus oppidíſq; Saracenis ere-
ptis, poſt Meſchitarum februationem, hoc eſt, luſtrationem, fa-
ANN. 1484. ctum legi, Ferdinando & Iſabellâ in Caſtella dominantibus, Fre-
derico Henriqueſo Amiralio. Horum Regum impenſis, Chri-
ANN. 1492. ſtophorus Columbus Ligur, acceptâ claſſe in Occidentales In-
Ex nauigationibus dias primus mortalium vela fecit, poſtquã pulſi Granatæ Regno,
eiuſdem Columbi. totáque Hiſpaniâ Mauri reſpirandi licentia in Iberiæ fecerunt, ho-
Petri Alonzi, ſtibus ſinu ſuo pulſis, & in natale ſolũ fugatis, vbi per DCCCLXXV.
Pinſony, Veſpucij, annos regnauerant. Et Columbus quidem apud Inſulam inco-
& aliorum. gnitam, poſt longiſſimum iter appulſus; eam de Regni nomine,
vnde primùm egreſſus fuerat, Hiſpanam, ſiue Hiſpaniolam ap-
pellauit, quæ incolis Haiti vocabatur, portúmque Regalem lo-
cum eum, è quo in terram deſiliit. Hac primâ nauigatione Gua-
nahami, Florida, Cubáque cognitæ, Ferdinandíque & Iſabellæ
nominibus harum noui Orbis regionum poſſeſſio in ipſo littore
telluris tactu capta. Tum arce conſtructâ, præſidióque ibi reli-
cto, intra quinquageſimum diem in Baramedæ Caſtellæ portu,
à quo ſoluerat, cum duabus nauibus rediit: nam tertiam tempe-
ſtate perdiderat. Aurum, captiui, aliáque præda ab ignotis terris
aduecta, in magnas ſpes totam Hiſpaniam erexit: iuſſus eſt Co-
lumbus, cum titulo Indiarum Amiralij, inuentas nuper terras re-
ANN. 1493. petere; quas Alexander VI. S. Pont. Caſtellæ Regibus conceſſe-
rat. Secundâ itaque nauigatione Canibalorum terras adiuit, iux-
táque eorum littus Inſulas, quarum vni Dominicæ nomen dedit,
quòd

quòd die Dominicâ eò applicuerit: alteram dixit Crucem, in proximo promontorio cruce lignea conſtitutâ: tertiam, Guadalupeam, quoniam ſitus loci in quo ſubductæ naues fuerant, ſimilis viſus fuerit monti illi Sanctæ Mariæ in Hiſpaniâ, quem incolæ Guadalupum vocitant: quartam, Matininam, ſolis mulieribus, quæ priſco Amazonum more viuebant, cultam: quintam, Ferratam, à montium per littus ſtantium aſperitate: ſextam, à rotunditate, Mariam Rotundam nuncupauit: ſeptimam, S. Martini: octauam, à ceteris milliaria cccc. diſtantem, quæ *Ay* incolis vocabatur, S. Crucem appellauit. Pugnâ ante eam cum Inſulanis factâ, claſſi imperante muliere, quæ decuſſis ab arcu venenatis ſagittis, multos Hiſpanorum occidit. Barbari poſtremò cymbis eorum in fundum actis, de ſummis fluctibus veluti de continenti inter nandum ſagittas teláque torquebant; donec in vicinam rupem euaderent, in quâ circumuenti, multis ſauciis, pluribus trucidatis, permiſêre ſe Amiralio, qui captiuis in cuſtodiam miſſis, quamplurimas Inſulas alias prætereuectus, hunc Oceanum ob earum frequentiam Archipelagum dici voluit. Tum Buchema nauigantibus apparuit, quâ omiſsâ, ad Hiſpanam Inſulam, quam primâ nauigatione cognouerat Columbus, peruenit. Ibi arcem, quam conſtruxerat, dirutam, præſidióque relictos milites cæcos inueniens, incolarum ſanguine mortuis litauit, progreſſúſque altius in Inſulam, aliquot antea domibus circa Portum Regalem in vici formam extructis, fluuium auri ramenta, granáque profusè teſtagnantem, vndíſque & ſabulo condentem, reperit. In interiori Hiſpaniæ, ſiue Hiſpaniolæ ſinu, Caſſicus, id eſt, Rex, Canoba imperabat, quod nomen incolæ Dominum domus auri interpretantur: Caſſicus enim dominus eſt, ſiue Rex, Boá domum, Canum aurum, ſignificant: in eius regno auri fodinæ multæ. Ibi Amiralius nouæ vrbis fundamenta cùm ieciſſet, domos, quas circa portum Regalem, in loco, qui Lociſron dictum, conſtruxerat, mœnibus cinxit, vt vrbs eſſet, quæ primò vicus fuerat. Hinc exuuiis telluris auriferæ diues, Cubam petiit: dederat ante alteri Inſulæ Ioannæ nomen, in memoriam Ioannæ Ferdinandi & Iſabellæ filiæ, Philippi I. Hiſpaniarum Regis, tum Archiducis, vxoris. Vt autem res hominum variis caſibus ſubiacent, gloriæque Comes eſt inuidia, Columbi duo, Bartholomæus, Indiarum primus gubernator, & Chriſtophorus Amiralius, à Rolando Ximene proditionis accuſati, apud Caſtellæ Reges, carceri dati ſunt. Mœſti, qui cum iis nauigauerant, ſuâ impensâ liburnicas expediuêre, alij alias Orbis partes petituri, eâ lege, vt nemo eorum ad L. leucas locis illis appropinquaret, quæ Amiralius detexerat. Sic poſt vltimos amplexus valedicto, vbi cuique placuit, vela conuerſa. Petrus Alonſus, cognomine Niger, Pariam peruenit, regio-

ANN. 1499.

nem baccis margaritiſque feracem, in quam & Columbus antea deſcenderat, ideóque annonâ acceptâ, ex conditione inde ſoluit, relictíſque terris iam cognitis, ad Prouinciam, quæ Curtana dicitur, peruenit: inde Cinianam, victis maritimo prælio Canibalis. At Pinzonij duo, Vincentius, & Arias, Columbi nuper ſocij, Mare Dulce, hoc eſt, potui ſuaue, tranſnarunt, immenſis fluminibus Oceani ſalſedinem penè in totum minuentibus, quorum duo ceteris maiora vaſtioráque, immenſam aquarum copiam deuoluunt in mare, Maragnon, & Orillana. Iſti ad regiones Chianam, Payrámque acceſſerunt, intérque nauigandum plures Inſulas deſertas conſpexerunt nō audi ingredi, Canibalorum metu. Americus Veſpucius dum Molucas per Occidentem petit, iſtud maximè profecit, quòd quartam, & eam maximam Orbis partem, de ſuo nomine, Americam vocauit. At Vaſco Nugneſius à Balboâ, ceteris felicior, poſtquam Iſthmum, qui Americam Auſtralem à Septentrionali diuidit, tenuit: è ſummâ rupe conuerſus in Occidentem, Pacifico mari detecto, quod nondum fragili naue domuerat, ſolis oculis credidit domitum, quæſitúmque & proprium Caſtellæ Regibus, quos abſentes intuitu ſolo in eius elementi poſſeſſionem mittebat, quod totas claſſes, terráſq; dum abſorbet, poſſidet. Sub hoc tempore immortalem ſui famam peperit, factis Heroum * geſta ſuperantibus, Ferdinandus Corteſius. ANN. 1509. è Cubâ Inſulâ in Iucatanam Prouinciam Iberos milites DL. expoſuit, vſus Hieronimi ab Aguilar ope, qui in Inſulâ * *Acuçamil* à Ioanne Gricaluo relictus, populorum mores linguámque didicerat, oratorem eum, & expoſitorem habuit. In eâ orâ, & non alibi per Americam Atlanticum mare exæſtuat, creſcénſq; in caput ſuum longè repellit fluminis Tauaſci aquas, quod nunc Gricalui dicitur, de nomine eius, qui fluuij oſtia primus ſubiit, quem ſequutus Corteſius, vrbem Pontochan cepit, nominauítque Victoriam, ob id quòd antequam eam expugnaret, variis præliis huiuſce Prouinciæ Principem vicerat. Hinc ad flumen Papaloapan, cui iam Aluaredus nomen ſuum dederat, vela conuertit, vrbémque S. Crucis cum arce iuxta vrbem Zempoallan oportuno in portu conſtruxit, demerſíſque inibi nauibus, vt ſuis redeundi ſpem eriperet, & vincendi aut moriendi neceſſitatem faceret, præſidium militare, fœderatis populis ibi accitis, ſub imperio Petri Hircij reliquit, primáque expeditione Zempoallan expugnat, quam Seuillam dixit. Inde ſibi viam ad ipſam vrbem Mexicanam in aquis ſitam, ferro facit, Monteculmum Regem dolo capit, quo occiſo, Corteſius quoque per ſeditionem vrbe pulſus eſt, qui malis infractus, collectis ſuorum, fœderatorúmque reliquiis, terra maríque vrbem oppugnat, reſtagnante pelago, & aggeribus ſupra vndas erectis firmatam, quam poſt

* *De iis ſpecialem lib. compoſuit* Lopez de Gomare.

* *Nunc S. Crucis, à Iucatana 5. leucis ſeparata.*

poſt multa prælia, immenſos labores, innumeras cædes cum nouo Rege Quahutimoco, in poteſtatem Caroli V. cui militabat, miſit, cum quintâ parte prędæ, quam nemo æſtimauerit. Reparatâ Mexicanâ vrbe, cuius gentile nomen alij *Temiſtitan*, alij *Tenuchtitlan*, volunt, dirutâ Chilâ, propiùs mare, de ruinis eius, oppidum S. Stephani Corteſius ædificauit, tradiditque ſeruandam Petro Valleio. Arcem quoque nauium tutelæ & vrbis Mexicanæ cum portu extruxit, coloniſque ab Hiſpaniâ aduocatis, Americanarum vrbium caput impleuit, terriſque ſubactis, quibus hodie Noua Hiſpania conſtat, paucorum hominum Dux, populorum innumerabilium victor, feſſus ſenio, bellis indefeſſus, terras occupatas deſeruit. Sic eodem tempore quo *Oran* in Africâ, Caſtellæ oppugnatur, ceditque Cardinali Ximeni, terrâ marique victa: America per partes, Oceanúſque nondum in totum cognitus, in Iberorum Imperium conſentit. Canes ipſi victoribus pugnabant, & moloſſi multi in Nugheſij claſſe erant, qui militis ſtipendia, partémque prędæ acceptam dominis transferrent: adeò difficile erat Barbaros vincere, cùm iis dilaniandis etiam & canes adhiberentur; hoc Caſtellana ſuperbia, hoc ſupplicium inuenerat auaritia, in omne tormentum ingenioſa. Iam in oſtio *Parauaguaſu* fluminis Ioannes Dias anchoras fixerat, fluuiúmque* Argenteum, ab argenti ramentis nominauerat, iam Chica, Braſiliáque ad famam venerant, & regio auro fertilis Caſtellæ nomen acceperat, pérque terras cognita primùm Peruana regio, cùm nihil auaris ſatis eſſet, & crimen putaretur vitam etiam victis relinquere. Iam in ſe Hiſpani exhauſtis integris regnis tela verterant, cùm iudices Carolus V. Caſtellæ Rex, qui poſtea Imp. fuit, ſub nomine Caroli V. in vrbem Nominis Dei in Iſthmo ſitam, qui inter vtramque Americam iacet, ſedandis Caſtellanorum controuerſiis, ire iuſſit, & niſi exemplis, ſeditionibus obuiam itum eſſet, & pœna capitis contumacibus illata, quidquid Hiſpani rapuerant, Americani recepiſſent. Nondum auidos Inſulæ totúſque continens ab Auſtro ad Septentrionem ſatiauerat, quærenda via erat, quâ continens ille circumuectus, Orientem & Molucas Inſulas aperiret, quas à Luſitanis poſſideri iniquis animis Caſtellani ferebant. Huic nauigationi ſeſe obiecit Ferdinandus Magellanus, qui ſuæ Luſitaniæ, neſcio quam ob cauſam, iratus, Caſtellæ Regi promiſit, ſe compendiario itinere per Occidentem ad Orientem & Molucas Inſulas peruenturum. Itaque acceptis à Carolo Rege nauibus v. die x. Auguſti, ann. MDXIX. Baramedæ portu ſoluens, relictis à tergo Fortunatis Inſulis, littora Americæ, quæ Auſtrali polo ſubiacent, ſinui, in quem primùm delatus eſt, S. Iuliani nomen dedit, terrámque huic incumbentem, quia eius incolæ ſupra omnem Europæ gentem corporis proceriores erant, Gigantum

ANN. 1521.

ANN. 1513.

* *Rio de la Plata.*

Ex Epiſt. Maximiliani Tranſiluani, de Molucis.

appellauit, proximum, fluuium S. Crucem, promontorium quod ſequebatur, quoniam die D. Vrſulæ ſacro viſum primò fuerat, vndecim millium Virginum. Hinc fauces mari immiſſo profundæ, duorum, trium, aliquando x. M. latitudine, mox ipsâ nauigatione cognitum eſt fretum eſſe, quod Auſtralem terram ab Americæ Meridionalis continenti diuellebat, nomen illi Magellani inditum. Tranſmiſſo freto illo, ingens mare, quod Pacificum vocatur, per plures dies Peruana regione, totâque Americâ poſt ſe relictâ, Magellanus nauigauit: tâdem Æquinoctiali circulo (à quo fretum illud L. gradibus diſtat) tranſmiſſo, tribus nauibus (altera enim in Hiſpanias ortâ ſeditione redierat, altera fluctu merſa interierat) Inuagauam Inſulam tenuit. Nec aliam omninò Inſulam tam vaſto in Oceano hactenus inuenerat, præterquàm exiguas duas ſteriles ſub tropico Capricorni, quas ob id Infortunatas dixit. Poſt Inuagauam in compluribus aliis ſtationem habuit, quarum nomina ſunt: Acaça, Selanum, Maſſana, Subuth, & Mauthan, vbi prælio cum Inſulanis facto, Magellanus ipſe telo confoſſus interiit. Qui mortem euasêre, Ioannem Serranum claſſis Præfectum elegerunt, ſed eo à Subuth Rege amicitiæ ſpecie cum aliis XXIV. Hiſpanis inter conuiuia cæſo, cùm ſeruandis tribus nauibus ſatis non eſſent, placuit inhabiliorem è tribus ſubiecto igne cremare, ínque reliquas duas neceſſaria quæq; tranſportare, quod in littore *Cohol* Inſulæ factum ſcribunt. Inde ad Inſulam *Gibeth* reliquiæ Magellanicæ claſſis delatæ ſunt: mox & aliæ Inſulæ petitæ, *Porne, Siloli, Gilona*, tandémque Moluccæ octauo menſe, poſtquam Magellanus, in *Mauthan* occubuerat, viſæ & penetratæ. Inſulæ ſunt numero V. Ternate, ſiue Terenate, *Muthil, Thidora, Mare, & Matthien* nuncupatæ, partim vltra, partim ſub ipſo Æquinoctiali ſitæ: caryophilum, myriſticam nucem, gingiberem, cynamomum, aliáque aromata gignunt. Iſta tot laboribus petebantur, quaſi Plutus, Ceréſque & Bacchus ad luxum non ſufficerent, quæſita in ignoto orbe gulæ incendia, conuiuantium venenum. Igitur ab Almanſore Thidoræ Rege emptis aromatis, vel permutatione acceptis, duæ illæ Caſtellanorum naues, Victoria & Trinitas, diuerſo itinere in Hiſpaniam vela dederunt. Hæc eadem penè viâ quâ ad Moluccas venerat, reditum meditabatur, niſi quòd Auſtrali terrâ ad dextram relictâ, Panama vrbs petenda erat, quæ obiecta Pacifico Oceano, & inter vtramque Americam fluctu ad Iſthmum propulſata iacet: ſed cùm illa in nouam Hiſpaniam tenderet, infelicibus ventis ad Thidoram reiecta, ab Antonio Britone, qui cùm Luſitanâ claſſe eò appulerat, capta & ſpoliata eſt. Sic vna è quinque Magellani nauibus, cui Victoriæ nomen, huic nauigationi ſuperſtes fuit, famâ Argo naui celebrior, digniórque cælo, quæ â Baramedæ portu per Auſtrum in Occidentem,

dentem, inde in Orientem, tum demum toto Orbe circumnaui-
gato, Indiâ, Africáque dimiſsâ, in ſuas Hiſpanias poſt triennium,
duce Sebaſtiano * Canono, opulenta remeauit, Luſitanorum, *Del Cano.*
quorum lata in Africam atque Orientem dominatio erat, poten-
tiæ, mariſque & ventorum contemptrix: itá vt fato facta deno-
minatio huic naui Victoriæ credi poſſit, quæ prima totum orbem
luſtrando veluti ſubegerit. Dum Hiſpanos exoticæ longæque ANN. 1522.
nauigationes fatigant, ecce Africa, vt eorundem arma ſentiret, ex-
ordium locúmque bello præbuit. Tunetum vrbem, Regni ho-
die quód in Barbariâ eſt caput, * Barbaruſſa piratá cum † arce *Barberouſſe.*
Guletanâ nuper expugnauerat, eiecto Rege, cuius nomen Mu- †*Le Fort de la Golette.*
ley Haſcen, cui vt ſuccurreret Carolus Rex Hiſpaniarum, idém-
que Imp. claſſem in Calaris portu, qui in Sardiniâ eſt, conuoca-
uit, in quâ auxiliariæ Genuenſium naues plures erant, Luſitano-
rúmque; præfecto Ludouico Ioannis Portugalliæ Regis fratre;
Romanorum item, Paulo Iuſtiniano & Virginio Vrſino ducibus,
nec deerant Melitenſium equitum triremes, ceteráque appara-
tus maritimi. Vt terram claſſis tetigit, paulò ſupra ruinas veteris ANN. 1535.
Vticæ, in loco, qui portus Farinæ dicitur, Turcis, qui in littore
erant, profligatis, cæſiſque iis qui è Guletâ in caſtra eruptionem
fecerant, arx, mox vrbs ipſa oppugnatur, pulsóque Barbaruſsâ,
qui eiectus Regno fuerat, Caroli liberalitate, Muley Haſcen re-
ſtituitur, ſub conditione tributi, & ceſſione vrbium, Africæ ſcili-
cet, quæ antiquorum Aphrodiſium eſt, Biſertæ, Bonæ, proxima-
rúmque Inſulatum, quas nuper Turcæ & Barbaruſſa occupaue-
rant. Data quoque Imperatori cum vicinis terris Guleta, quam
præſidiis Hiſpanicis muniret. Inde expugnatio Algeri terrâ ma-
ríque tentata, infauſto ſidere, caſtris imbre ſuperfuſo turbatis, foſ-
ſis impletis, tentoriis diſruptis, nauibus inter ſe colliſis, vel littori
impactis, malis, tranſtris, antennis, gubernaculis, velíſque lacera-
tis: deſideratæ onerariæ naues CL. triremes XV. cum armamento,
milite & nautâ. Relicti, fugæ ſtudio, in arenâ, qui iugularentur,
nec quidquam ex tantâ claſſe præter aliquot triremes, cymbáſq;
& naufragas tabulas relictum eſt. Non ſerenius Fortuna Philippo ANN. 1553.
II. Hiſpaniarum Regi Caroli huiuſce filio, riſit, nam dum Dra-
gutum, famoſiſſimum Turcarum piratam, Andreas Auria inſe-
quitur, Hiſpanicâ claſſe vectus, paruóque in ſinu, vbi mare Zer-
bim Inſulam exiguo aquarum interuallo lacerat, pugnam detra-
ctantem obſidet, multas è claſſe naues, ventis vehementioribus
agitatus, perdidit: quo tempore coactis è Siciliâ nouis nauigiis,
quibus Dux Medinæ-Cæli, ſiue Zelini, imperabat, aliíſq; à Me-
litenſibus, Pontifice, atque Etruriæ Duce accerſitis, Zerbim Inſu-
lam, quæ alio nomine Gelua vocatur, repetitam intrauit: ſed
dum arcem reparat, nouo impetu ſæuientis Fortunæ, à Turcicâ

claſſe victus, fugatúſque, Inſulam arcémque deſeruit: neque vl-
ciſcendæ cladis acceptæ alia poſtea occaſio ſeſe obtulit quàm ce-
lebri illa apud Naupactum nauali in pugnâ, quâ Turcarum mari-
timæ vires à Ioanne Auſtriaco in totum penè deletæ ſunt. Verum
de eâ quia res cum Venetis agebatur, ſuo loco memorabimus.
Interim Hollandi Zelandíque Hiſpanicum nomen naualibus vi-
ctoriis terebant, Tunetúmq; Regnum cum Guletæ arce redierat
ad barbaros, Turcicis armis ſubactum, & niſi Portugallia, per do-
los & fraudes Philippo, cum Tingitanâ Africæ prouinciâ, totó-
que penè Oriente obueniſſet, exiſtimabatur Hiſpania Belgicis
armis impar, toties fugata, toties victa, quoties pugnandi audacia
fuerat. Sed deceſſu Sebaſtiani, atque Henrici, mox Antonij fu-
gâ, qui Portugalliæ Reges erant, Philippi adaucto Imperio, Gal-
lis noſtris, Philippo Strozzio Duce, nauali prælio ante Inſulam
ANN. 1582. S. Michaëlis ſuorum proditione, dum Antonio Luſitaniæ Regi
pugnant, ab Aluareſio Baſſano S. Crucis Marchione profligatis,
omnibúſque Tercerarum Inſulis ferre iugum coactis, pace pa-
râ, ſolis Belgis reluctantibus à Pyrenæis montibus ad vtrumque
mare, à Liguriâ vltra Tyrrhenum Siculúmque fretum, per Afri-
cæ Indiæque littora, & Americæ continentem, ingentem quie-
támque dominationem Philippus II. filio Philippo III. reliquit:
qui Belgas Terenate & Tydorâ, Molucarum Inſulis, Petro Acunâ
ANN. 1608. claſſis Hiſpanicæ Præfecto, repulit, victíſque infra Guletam Tur-
cicis piratis, eorúmque XXXIII. nauibus concrematis, ne quid
imperio ſuo noceret, etiam cùm Belgis Batauíſque in X. annos
fœdus percuſſit. Hinc in Africam tranſportatum bellum, S. Ger-
* *Arrache.* mano claſſe concreditâ, cuius virtute & vigilantiâ * Arraca,
ANN. 1610. Feſſæ vrbs celeberrima, imperio Hiſpanico addita, arcíque eius
vrbis Mariæ nomen inditum, eo quòd, die Præſentationis D. Ma-
* *D'Arrigon.* riæ expugnata ſit. Parte ex aliâ Octauius * Arrigonius, Sicula-
ANN. 1613. rum triremium præfectus, cum VIII. triremibus è Palermitano
portu ad Chium Inſulam delatus, X. Turcarum triremes oppreſ-
ſit, claſsíſque ducem Sinan in vincula congeſſit. Dux quoque
ANN. 1619. Oſſunæ, Neapolitani Regni Pro-Rex, Cairæ Baſſam in Tenedi
portu dolo cepit, præfecto claſſis veſtem Turcicam induto, cir-
cáque malum Turcicis inſignibus volitantibus. Iam in Africâ
Mamora arx ad oſtium fluminis eiuſdem nominis, qui Subu ab
antiquis vocabatur, ſurrexerat, à Ludouico Fagiardo Hiſpaniæ
Regis iuſſu ædificata, ann. MDCXIV. Hæc Mauris, Batauíſque, &
ANN. 1621. Feſſenſibus grauis erat, magnúmque nauigationis impedimen-
tum, quapropter à Feſſæ & Marocci Rege terrâ obſeſſa eſt, à
Mauris verò & Batauis ſociatis, mari. Obſidioni leuandæ Al-
phonſus Contrera ex Hiſpaniâ miſſus, quod & ipſe pluribus ho-
* *De Tolede.* ſtium cæſis effecit. Eodem anno Fridericus * Toletanus Præfe-
ctus

ctus claſſis & oræ Hiſpanicæ, è XXIX. Hollandicis nauibus in ipſo freto Herculeo III. expugnauit, quartam ſubmerſit. Idem cum nauigiis XXIX. alterâ claſſe Luſitanorum, XXXVI. nauium, duce Manuele Meneſeſo, additâ, S. Saluatoris portum, vrbem, atque arcem in Braſiliâ Batauis validè reſiſtentibus, vi cepit, Batauorum claſſe fractâ, & ſuperſtitibus ex pacto in patriam remiſſis. ANN. 1625.

CAPVT VIGESIMVMPRIMVM.

Imperium Luſitanorum maritimum, priuſquam Regibus Caſtellæ ſubiicerentur.

IDCIRCO Luſitanos ab aliis Hiſpaniarum populis ſeiunxi, quòd iſti ſeparatim virtute natiuâ & armis, duas Orbis partes penè domuerint, Aſiámque ſimul & Africam vnum victoriarum ſuarum limitem poſuerint. Natio Caſtellanis inimica, & alieni impatiens Imperij, ſe contenta, qui reſiſteret non inuenit, non mare, non deſerta, non homines. Ab antiquiſſimo Rege Luſo, qui tertiùs poſt Atlantem in Hiſpaniis regnaſſe dicitur, nomen ſortita eſt. Portugalliæ appellatio, à Portu vrbe, & Gallo caſtello, longè ante appulſum Saracenorum in Hiſpaniis à piratis Gallis condito. Sed neque piratæ noſtri maritimam tantùm Portugalliæ hodiernæ oram tenuerunt, verùm & illam antiquam totam, in quâ Celtæ, & Callaici, ſiue Gallici, qui poſtea Brecarij appellati ſunt. Vnde non mirum tantam genti virtutem, tantos animos ſupereſſe, quæ Gallos noſtros, ſub quibus Roma, Græciáque, Aſia atque Africa quondam vapulauerunt, parentes ſuos atque authores habet. Si propiora ſequimur, primus Portugalliæ Comes fuit Henricus Lotharingus, & ipſe Gallici ſanguinis & ditionis, qui Saracenorum in Hiſpaniis debellator atq; triumphator, ab Alphonſo Caſtellæ Rege III. filiam eius Tereſam in vxorem, Comitatum verò Portugalliæ in dotem accepit: è quo matrimonio Alphonſus Henricus, par animo, imò maior patre, dedignatus Comitis titulum, & Comitatus limites, in Saracenos promouit exercitum, fugatíſque hoſtibus, & multâ terrarũ parte illis ereptâ, Portugalliæ Rex appellari meruit, maximorum parens Regum. Hic multis vrbibus maritimis, Mauris ereptis, Vlyſſiponam (quæ hodie Liſbona Metropolis Portugalliæ eſt) cepit. Galli, Angli, Flandri, qui pietate impulſi, victoris ſignis militauerant, ſuis coloniis Almadam, Villamuetdam, Arrudam, Zambuiam, Caſtagreram, Lurinham, Villamfrancam, aliáſq; vrbes oppidáque

Ex Oſorio in hiſt. Portugalliæ. Turqueto in hiſt. Hiſpaniæ. E nauigat. Vaſqueſi à Gamâ, Cadamuſti, Aluareſi, Joſephi Indi, Lud. Romani Patritij, Pauli Veneti, Caſtagnedei in hiſt. Portugalliæ. Item è litteris Ferdinandi Corteſij, & Petri Martyris, lib. de Inſul. nuper inuentis.

ANN. 1090.

ANN. 1147.

pidáque bellis deſerta, impleuerunt. Alphonſi hæres Sanchus, ſiue Sanxius, exemplo patris Gallos Anglóſque in Syriam nauigantes Liſbonæ in portum ventis reiectos hoſpitaliter excepit; quorum auxiliis, ſimul & Philippi Flandriæ Comitis profratris xiix. nauium claſſe vſus, * Syluam expugnauit. Hinc ædificandis, reſtaurandíſque vrbibus ſtudio belli conuerſo, Valenciam à Minio, Turreſ-nouas, Montem-maiorem Nouum, Batellas, Penamaſorem, Sortellam, Penellam, Figueiram, Conillanam, Folcacinum, Montemorum, aliáque oppida vel fundauit, vel ornauit, vel nouis coloniis auxit: vnde illi Ædificatoris cognomen. Poſt id temporis quies penè Regibus Portugalliæ fuit, niſi quòd leuia bella interruperunt pacem cum ceteris Chriſtianis Principibus iuratam. Atrociora in Mauros fuerunt. Septa, vrbs Mauritaniæ, ſiue Barbariæ, illis erepta. Inde ab Henrico Infante, Ioannis I. qui ſeptam expugnauit, Portugalliæ Regis filio, Madera Inſula detecta. Dicta Madera, quaſi materia, quòd ibi ingens materia lignorum ſit, plena ſyluis & lucis Inſula, multíſque cannis ſaccari. Tum primùm circumnauigari incepta Africa, quà Atlantico Oceano pulſatur, Oriénſque petitus. Nam poſtquam ab Alphonſo Ioannis II. Portugalliæ Regis patre, Tingis & Arzilla vrbes Mauritaniæ, Saracenis ereptæ fuerunt, littus Africæ Æthiopiam vſque ſub Luſitanorum armis, veluti ſub grandine & procellâ, cum vicinis Inſulis vapulauit. Hinc Ioanne II. imperante, Æthiopia ipſa patefacta, etiam quâ parte ab antiquis Coſmographis inacceſſa putabatur. Tunc Antarctici, ſiue Auſtralis Poli ſidera noſtri cæli hominibus conſpecta, extremóque Africæ promontorio, quod vltra Tropicum Capricorni altè in mare Atlanticum protenditur, à crebris vorticibus, & tempeſtatibus, Tempeſtuoſi nomen factum, quod poſtea, quia aditus in Indiam Orientalem eo tranſmiſſo patere exiſtimabatur, ab ipſo Ioanne II. Rege, Caput Bonæ Spei appellatum eſt, qui Manicongi & Guineæ dominus voluit nuncupari. Hic, paulò ante obitum, Emanuele, qui poſtea illi ſucceſſit, in filium & hæredem adoptato, Sphæram tradidit, quaſi eum in poſſeſſionem Orbis mitteret, fauſto ſane præſagio, nam Emanuele illo regnante, non modò totus Oriens atque Indiæ, quà mare tangunt, cognitæ, ſed & occupatæ, domitæque, placuítque indè ſtemmatibus Portugalliæ, in eius facti memoriam, Sphæram ſuperponere. Primus itaque Luſitanorum, auſpiciis dicti Emanuelis, Vaſqueſius à Gamâ, Inſulâ, quæ ante continentem Æthiopiæ eſt, S. Iacobi nomine conſpectâ, ægre inter tempeſtates ſæuámque hiemem, Bonæ Spei Caput præternauigauit, regionem vicinam, quæ Orientem ſpectat, S. Raphaëlis nuncupauit, bono ibi nuncio accepto, patere ab eo loco facile in Indiam iter, vndè exiguo pretio aromata petebantur,

Margin notes: * Syluã. — Ann. 1419. (beside "Atrociora in Mauros fuerunt") — Ann. 1420. (beside "qui ſeptam expugnauit") — Ann. 1497. (beside "fauſto ſane præſagio")

tebantur, ob id flumen quod per eam terram diſcurrens in Oceanum labitur, Bonorum Signorum vocauit, ínque eius ripâ, crucem lapideam erexit, quæ inſculpta Portugalliæ Regis ſtemmata habebat. Mirandum iſtud, apud incolas ſepoſitarum ab Orbe noſtro Regionum, acum maritimam multis antequam ad nos perueniret ſæculis in vſu fuiſſe: typographiam quoque, & fabricam æneorum tormentorum, quibus ferreis globis, per ſulphureum puluerem ad ruinas vrbium & hominum mortes explauſis, nihil non patet. Iam Gama prouectus portu, Mozambicam habebat in conſpectu, quæ Ptolomæi Ægeſimba putatur, cuius portio eſt Cephala, auri ferax, tactóque littore, Mombazam, Melindæque oras ſalutauerat, cùm Calecutij montes apparuêre, regnúmq; illud aromatibus fertile, quod tantis periculis petebatur. Hîc occaſio belli, Luſitanorum reſignandi libido, qui cùm viribus impares eſſent, eodem Gamâ duce patriam petierunt. Dum redeunt, à Perſico Arabicóque ſinubus, ſolo metu reiecti, Magadaxo vrbe, cum Saracenicâ claſſe, quæ in portu erat, incendio corruptâ, ne occaſionem nauigandi dimitterent, Zamzibare Inſulâ, Melindâ, Quiloâ, Mozambicâ, à puppi relictis, iterum promontorium Bonæ Spei metati, per iter olim Cadamuſto notum, remeauerunt in patriam. Hic Aloiſius Cadamuſtus, Maderâ, Canariis, Arginâque Inſulis, Senegæ regno, Capite viridi, Gambrâ, Inſulis item Boni Viſus, S.Iacobi, Duarum Palmarum, Andreæ, mox Capite Rubro dimenſis, ann.Sal.1455. apud Vlyſſiponam conſederat, nominibus pleriſque Inſulis lociſque pro arbitrio inditis, quæ nomina, ſitúſque continentis, Inſularúmque ſibi cognitarum, cùm Petro Sinziæ, vel, vt aliis placet, Sintrio, tradidiſſet, vtráque penetrandi animos addidiſſet, Sintrius ab Henrico Portugalliæ Infante, Ioannis filio, celocibus duabus acceptis, capite Sagres ſuperato, vſque ad flumen Palmarum prouectus eſt. Huic dictus Gama ſucceſſit: Gamæ, Petrus Aluareſus, Cabral cognomine. Huic XIII. naues datæ, quibus Calecutium peteret. In Braſiliam deiectus, remenſo itinere, per tot æquoris ſpatia, Quiloæ in littore claſſem explicauit, inde Calecutium fauentibus ventis tenuit, vbi fœlicibus aliquot præliis cum barbarâ gente mari commiſſis, fœdereque cum Cochimi & Cananoris Regibus percuſſo, natiuo in littore naues reduxit. Viuebat adhuc Gama, qui, vel vt nouas terras quæreret, vel nuper viſas ditioni Luſitanicæ adiungeret, par omninò putabatur; naues quas in Orientem duceret x. attributæ, v. Vincentio Sodræ, totidem Stephano Gamæ fratri. Anteceſſerat claſſem Ioannes Nouius, qui præceps in Inſulam nouam vento impulſus, paulò ſupra Mozambicæ continentem, eam Conceptionis appellauit: inde inceptam nauigationem ſequutus, aliam S.Helenam dixit: neſcio an

Ann. 1499.

Ann. 1493.

Ann. 1500.

Ann. 1502.

* Corterea̋l. maiore profectu, quàm Gaſpar *Curiæregalis, qui tentatâ per Septentrionem in Orientem viâ, hoc ſolo beatus & immortalis creditus eſt, quòd Septentrionalis Americæ partem de ſuo nomine vocauerit, hic naufragus, ille egens. Interim Gama Mozambicæ in portu, materiâ nauibus ſuis è Luſitaniâ aduectâ, nouum genus nauigij concinnabat, Carauellæ illi nomen eſt, corbem non habet, non antennas per ſummitatem mali adactas, ſed ſupra malum alligatas, vela illi triangularia, tigna lateribus imminent malorum loco, quæ nunc hac, nunc illac modò ſubtrahuntur, modò figuntur, veláque momentanea & nauigationi congrua ſuſtinent, ideóque eiuſmodi nauium ſpecies circumagi, & quaquauersùm moueri impellíque facilis. Hæc carauella claſſi coniuncta Quiloam contigit, vbi tributo Regi eius regionis, cui nomen Habraam, imperato, Calecutij Regi bello indicto, Cranganoris incolis in tutelam Luſitaniæ Regis acceptis, renouato cum Cochimi & Canoris Regibus fœdere, nauigiis aromatibus plenis, in patriam vela vertit, quo tẽpore in Regnum Manicongi, quod anno MCCCCLXXXIV. à Iacobo Canuſo detectum fuerat, nouæ Coloniæ è Luſitaniâ mittebantur. Interim Calecutij Rex per Luſitanorum abſentiam Trinumparam Cochimi Regem, bello victum, Regno exuit, diſplicuit Franciſco Albuquerco, alterius claſſis Luſitanorum Præfecto, ſocij Regis calamitas, omni igitur morâ omiſsâ, vt in Indiam venit, Eduardo Pacheco, iuſſo claſſi præſidere, ipſe cum militibus aliquot in continentem ingreſſus eſt. Calecutiani terrâ maríque victi, Cochimi Regnum deſerunt. Rex Regno reſtitutus, Albuquerco licentiam fecit arcis conſtruendæ, quâ hoſtium impetus arceret.

ANN. 1503. Eius fundamenta ſtatim iacta, confectúmque opus incredibili celeritate. At parte ex aliâ Antonius Saldagnus, qui ſtatim poſt Albuquercum è Luſitaniâ diſcedens vento ſe atque æquori dederat, in Zacoterâ Inſulâ, quæ in oſtio Arabici ſinus eſt, quam aliqui Ptolomæi Dioſcuriadam volunt eſſe, hyeme tranſactâ, piraticam exercuit. Zanzibarem Inſulam vaſtauit, illius Regi annuum tributum impoſuit. Claſſe Regis Mombazæ in ipſo portu debellatâ, proximam vrbem, Brauam nomine, Luſitaniæ Regi ſubiecit. Hæc ille, dum Calecutij Rex Cochimi Regnum nouis viribus adoritur: hinc alto mari magnâ claſſe, illinc cimbis, peditatu equitatúque, dum æſtus exiguum fluuium relinquebat, qui vtrumque regnum diuidit. Præter actuarias naues phaſeli LXXVI. cathenis ferreis connexi vnà remis agebantur, quibus circuire Pacheci carauellam imperatum erat. Sed Pachecus huic artificio ſimile artificium oppoſuerat, cimbis carauellæ alligatis, quibus latitudinem Cambalamici ſinus occupabat, ne circuiri poſſet. Vt prælium commiſſum, ferreis tormentorum globis præcurſo

præcurſoriæ cimbæ diſruptis retinaculis ſeparatæ & quaſſatæ ſunt. Recruduit bellum aduentu ſequentium triremium, quæ virtute tandem Pacheci in fugam actæ, cùm ne vnum quidem militem Luſitani inter pugnandum amiſiſſent. Hoc, ſi ſupremi Numinis arbitrium tollas, ſicut & ceteræ Luſitanorum victoriæ, fabulis proximum, imò vltra fabulas eſt. Vna nauis in centum & plures hoſtium naues, Luſitanus vnus in Calecutianos centum inſurgunt, durat nauis, viuit Luſitanus, cetera pereunt. Ego vel fœminis imbecilliores Indos puto, vel Luſitanicæ hiſtoriæ ſcriptores mendaciſſimos. Quidquid ſit, vigilantiâ Pacheci, ſolertiáq; mira exiſtimanda eſt, ſiue validos hoſtes, ſiue inualidos habuerit, illi enim præter ſinum Cambalamicum, ſinus alter Palurcianus, vadúmque Palignaranum, vnicâ carauellâ, paucis cimbis, militibus LX. tutanda erant. Nouerat ille maris ingenium, cùm enim vadum Oceano recedente pateret, Palurci alueum nauibus adire impoſſibile erat, demiſſo fluctu: ſic Palurcianum fretum inſurgente mare naui ſuâ tutabatur; & rurſum vbi æſtus ceſſauerat, milite in fluuiatilia nauigia tranſmiſſo, Palignaræ vadum. Addidit huic notioni geminum ſtratagema: fixis in luto vadi palis acuminatis, quibus homines atque equi hoſtium vulnerarentur: naui verò ſuâ, aliiſque minoribus nauigiis, tranſtris, veluti foſsâ, & vallo, ante Palurci fretum munitis. In quadranguli formam altiſſimas & craſſas trabes anchoris retentas, vt fluctibus reſiſterēt, ſtatuerat; intra, tuta claſſis per certum limitem ſpatiabatur, ne telis hoſtium peti, vel quominùs pugnare cogeretur, nauium & hominum numero longè inferior. Nouum genus ſolertiæ & hoſtis ipſe inuenerat, turribus ſuper phaſelos duos exarmatos contabulatis, trabibus inter ſe compactis, & multo lapide veſtitis, vndè in hoſtium claſſem tela ſecutè vibraret. X. huius generis turres fuêre. Huic malo remedium iſtud Pachecus oppoſuit, truncos arborum ſuper nauium tabulata defixit, in quorum ſummitate aceres erant, æquali cum Calecutianorum turribus altitudine, vnde Luſitanis in hoſtium naues proſpectus eſſet, & iis qui in turribus erant reſiſtendi facilitas. Vt tubæ cecinêre, primum ingruentium impetum oppoſiti mali, anchoríſque fundo infixi tardauêre, turres bombardarum fulmine attritæ, mox cooriente vento, cum totâ claſſe diſiectæ, coactæque retrocedere. Quibus verò per vadoſum flumen in Cochimum irrumpere audacia fuit, ij latentibus in luto præacutis palis, vel ſagittis à littore decuſſis vulnerati, morte victoriam ancipitem emere recuſauerunt. Iſtis Cochimi ſalus, Pacheci gloria firmata eſt, qui patriæ ſuæ paucos poſt menſes redditus, Præfecturam vrbis S. Georgij, quæ in Æthiopiâ eſt, pro munere ab Emanuele accepit, cuius reditu cum vxore & liberis viueret, egens auri, famæ & tot victoriarum honoribus, di-

ues. In eius locum ſuffectus Louanius Soareſius, Cranganorem vrbem incendio abſumpſit; quo anno ampliatâ per Indias dominatione, Franciſcus * Almeis, Orientis Pro-Rex I. ab Emanuele creatus, acceptâ claſſe in Indiam tranſiuit, cum imperio in omnes Luſitanos. Hic medio in itinere, Quiloæ in portu explicatis nauibus, victóque huius regionis Rege, alium, Mahumetem nomine, in Regium faſtigium erexit, feudatarium Luſitanici Imperij. Neque minori audaciâ Mombaza, è quâ nomen Regno, diruta. Melinda, inde Anchediua petita, vbi arce conſtructâ, ſtabilitóque inibi præſidio, arcem aliam S. Angeli nomine, in Cananoris Regno erexit, quibus incolentium perfida leuitas arceretur. Poſtremò ictâ cum Narſingæ Rege ſocietate, in Cochimi Regem, Trimumparâ Regnum abdicante, Nambeadaram coronauit. Miſſæ inde nouis terris deregendis naues VIII. quibus Madagaſcar Inſula primùm cognita eſt, quæ hodie S. Laurentij appellatur, quòd die ſacro huic Diuo viſa ſit. Miſſa & altera claſſis ab eodem Almeide, filio eius Laurentio duce, quâ in Maldiuas Inſulas itum eſt. Eadem vehementi vento pulſam, Inſulam Zeilan appulit, quam Ptolomæi Cori putant multi, quæ antiquum nomen habuit à vicino Cori promontorio, cui oppoſita eſt. Hoc promontorium etiam hodie corruptam appellationem ſeruat, vocatúrque Comori. Portum in quem primum Luſitani ſeſe intulerunt incolæ Cabalicam nuncupant, vbi hodie etiam Emanuelis Regis ſtemmata in columnâ marmoreâ videntur, quam Laurentius, Franciſci Almeidis Indiarum Pro-Regis filius, erexerat, Inſulanis, in fidem acceptis, & tributo eius Regi impoſito. Non otio, non molliciei inter hæc pater Almeis vacabat, ſed gloriæ pariter prædæque ſtudens, Calecurianos maritimo prælio fractos, compeſcuit: diuiſâ deinde in duas partes victrici claſſe, partem Emanueli Pazagno, partem filio tradidit. Illa, vt Cochimi naues ad negotiationem veliſicantes vſque ad promontorium Cori comitaretur, ſeruarétque à piratis: hæc, quâ mare purgaretur, portúſq; & Inſulæ in tutò eſſent. Lex apud nouos Indiarum incolas fuit, vt quicunque ſine literis, quas cuſtodiæ vocant, à præfecto aliquo Luſitano, vel claſſis, vel arcis, prouenientibus, nauigaret, is hoſtis loco putaretur, libertatémque ſimul & merces nauéſque amitteret. Hæc maximam non modò authoritatem, ſed & opulentiam Luſitanis fecit, cùm nullus eorum iniuſſu mare rentare commercij cauſâ auderet. Hinc ſine fraude portoria exacta, opéſque & vires Indorum exiguo tempore cognitæ. Iſtud quoque Luſitanicæ dominationi multùm fauebat, quòd nouæ claſſes ſubſidiariæ quotannis ab Emanuele in Africam, & Aſiam mittebantur. Hoc anno, qui Salutis fuit MDVIII. XV. naues Triſtano * Cugneo attributæ, iis Melindæ Regi fœderato in rebelles opem

* Almeide.

ANN. 1505.

ANN. 1506.

* De Cugne.

opem tulit, Hoiam, Brauámque vrbes incendio abſumpſit, captáque arce Zacororæ Inſulæ, in eáque præſidio relicto, Almeidis claſſi claſſem coniunxit. Simul in hoſtes ire, Calecutianas Arabicáſque naues ante Pananam vrbem Calecutianorum perſequi, profundo mergere, ingredi nudatis enſibus, quibus, qui reſiſteret, cæderetur iuſſit: Campſonis Ægypti Sultani claſſem, non longè à *Chaulo, vrbe Cambaiæ vicinâ, harpagonibus admotis retinere, lacerare, populari, obſtantia quæque propellere, vbíque victores, niſi quòd, à Cambaiæ Ægyptíque nauibus, Laurentius Almeis, Pro-Regis filius, circumuentus, in lacerâ naui & aquas vndique accipiente, dum pugnat, hortatúrque ſuos, animoſo pectore ſagitta traiecto, occubuit. Erat tum in Indiâ cum claſſe Alphonſus Albuquercus: is, Ormum Inſulam ſinus Perſici, Emanueli ſubdere tentauit, expugnatæ vrbes Curiate, Maſcate, Soar, & Orfazamum, quæ in extremo Arabiæ ſitæ, Ormus Regi parebant: mox in ipſo Inſulæ portu nauali prælio victor, militem in littore conſtituit: iámque exitium vrbi admotis machinis minabatur, cùm ad arcem conſtruendam Luſitanis iuxta mare loco conceſſo, cuncta quieti reſtituta ſunt. Huic Inſulæ tunc imperabat Zerfadinus II. qui vt tempeſtatem imminentem arceret, tributum annuum Emanueli, impenſas belli Albuquerco promiſit. Imminebat extremum imperij momentum Almeidi, cui vlciſcendæ filij necis animus erat, priuſquam ſuos in Luſitaniâ Penates, ſi modò id Deo placeret, reuiſeret. Ægyptij, Calecutiani, Cambaij, aliíque Luſitanorum hoſtes, quorum nuper armis Laurentius Almeis ceciderat, circa Diu vrbis portum nauigabant, in eos XIX. nauibus Pro-Rex inuectus, per ſtrages & ſanguinem graſſatus, omnes vrbes oppidáq; maritima, inter Diu & Cochimum poſita, cum dominis eorum, parere, & tributum pendere coëgit. Poſtpaulò imperij tempore peracto, ægrè licet, moderandas tamen Indias, ſecundum reſcriptum Regis, ſucceſſori Albuquerco tradidit: ſed dum redit, patriámque relicto Bonæ Spei promontorio, ſpe deuorat, qui toties armatos trucidauerat, barbaro in littore à nudis hominibus cum ſociis trucidatus eſt. Prima noui Pro-Regis rudimenta, bellum fuit contra Goam, quod nomen vrbis pariter atque Inſulæ; huic Zabaimus imperabat, exactionibus variis incolis ingratus, quæ cauſa fuit voluntariæ deditionis, tertiam tributi remittente Albuquerco. Aberat tum Inſulâ Zabaimus, qui accepto nuncio defectionis Inſularium, militibus celeriter nauibus impoſitis, traducto in terram exercitu, poſt aliquam contentionem, vrbe Inſuláque potitur; nec Albuquercus ſine hoſtium ſanguine, quæ nuper occupauerat, amiſit, maritimo prælio victor, ſupplimento in claſſem à Luſitaniâ accepto, per medios hoſtes in Inſulam vrbémque ſibi ſuíſque viam enſe

* De Chaul.

ANN. 1510.

fecit, pulſi inde Saraceni, milėſque cuſtodiendæ arci impoſitus, & quo ſecurius imperium eſſet, Luſitanos cum Inſulanorum filiabus matrimonio coniunxit, hos muneribus, illos officiis, dignitaribúſq; ornabat, milites ſuos filios, eorum coniuges nurus vocabat. His ſtabilitis, contra Malacam XXIII. nauium claſſe nauigabat, cùm medio in mari nauigium ingens apparuit, conſerto prælio, victor Luſitanus in hoſtilem nauem ſaltum fecerat, cùm ſubitus ignis per tranſtra tabulatáque ingenti volumine erumpės, vltra progredi prohibuit, claſſémque amicam cum metu & ſtupore repetere. Irriſus poſtea refugientium timor, cùm cognitum eſſet, artificioſam flammam innocuè micare, lucere non vrere, eámque cum lubet extingui. Continuatâ nauigatione, claſſis inde in Malacano portu conſedit, obſeſſámque vrbem, admoto milite vi cepit, reſiſtentes è tectis, ſuppoſito igne concremauit, perturbatum Regem fugere coëgit, tanta præda fuit, vt CCM. nummûm pro quintâ parte Regi Portugalliæ ceſſerint, arx continendis in obſequio oppidanis, è ſepulchris Regum Malacanorum euulſis lapidibus, erecta. Ad alia quoque Albuquercus animum intenderat., variis claſſibus ad nouas terras Inſuláſq; ire iuſſis. Vna Antonio * Abreio commiſſa, ex * Amboinâ, Molucarum vicinâ, Gariophilum; è * Bandanâ Myriſticam nucem, quam Muſcatam appellamus, ingentibus aceruis collegit, aduexítque Malacam. Noua ſeditio in Goam Albuquercum reuocauit, quâ cedatâ, auditiſque Perſarum Æthiopúmque Regum legatis, arce Calecutiæ Regi imperatâ, inſtauratáque à Luſitanis, in ſinum Arabicum prouectus, Andradum Amiralium in ſinu Malacano reliquit, cui cum Iauæ Maioris Principe in mari cùm res fuiſſet, eius claſſe incensâ, diſpersâque, victor Malacam peruenit. Aden vrbs, è quâ nomen Prouinciæ, à ſinu Perſico in Arabicum intrantibus littore dextro ſedet, ab huius obſidione reiectus Albuquercus, arce in Calecutiano portu ædificatâ, * Lingæ Rege claſſe profligato, Ormus Inſulâ, vrbéque turribus & propugnaculis, quò tutò ſinus Perſicus Luſitanis nauigaretur, firmatâ, Imperium Indicum ſub auſpiciis Emanuelis, Louanio Suareſio tradens, ſimul & vitam animámque cœlo tradidit. Tradit * Blancius, Albuquercum aliquando deſtinaſſe Mecam euertere, cineréſque Mahometi ibi ſeruatos diſpergere, vt ceſſaret adoratio Deo ingrata, ſed Turcas cadauer Pſeudo-prophetæ, ne in Chriſtianorum poteſtatem veniret, Medinam tranſportaſſe. Addit, eundem in animo habuiſſe, opem promittentibus Abyſſenis, Nilum fluuium in Arabicum ſinum cauato alueo deriuare, vt negociationem Indicam, ſimul & fertilitatem Ægyptiis auferret. Suareſio Pro-Rege proclamato, ad eum illicò legatos Adeni mittunt, mandata ſe facturos pollicentes, quorum deditione aſpernatâ, ne miles otio torpeſceret, Zeilan

ANN. 1611.

* Abrei.
* Amboin.
* Bandan.

* Lingæ.

* Le Blanc en ſes Voyages.

ANN. 1616.

Zeilan maritimam Æthiopiæ vrbem diripiendam conceſſit, donec in claſſem Ægyptiaci Sultani, quam in Arabico ſinu eſſe referebant præcurſores, inueheretur. Tardè, imò ſerò Suareſium pœnituit, Adenorum deditionem voluntariam cõtempſiſſe, cùm neque hoſtilis claſſis appareret, nec Adenis permittendi ſe Pro-Regi amplius voluntas eſſet. Sic primâ rei benè gerendæ occaſione omiſsâ, ſucceſſit & ad aliud malum: victo quippe terreſtri prælio Campſone Ægypti Sultano, à Selimo Turcarum Imp. littora Syriæ Ægyptique per victorem ſtatim præſidiis arcibúſq; conſtitutis, diligentiore quàm ante cuſtodiâ ſeruata ſunt. Circiter hoc tempus, Andradus Tamantabuam Inſulam Sinarum Imperio vicinam appulit, inde Tamam, mox ipſum continentem, in quo cùm amicè per aliquos menſes degiſſet, auctâ per licentiam audaciâ, cuncta diripere fas duxit, inde tandem multis ſuorum bello amiſſis, fugatus eſt. Omnia in Indiis vacillabant, nouæq; arces in Zeilanâ Inſulâ, & Culami Regno, aliíſque regionibus abſolutæ, totum timorem incolis, dubiæ adhuc fidei, non fecerant, impárque tantæ dominationi conſeruandæ Suareſius putabatur. In Indiam itaque Iacobus Lopezus profectus, poſtquam à reuocato ſuſcepit imperium, aliquot populis tumultuantibus tranquillitati redditis, per Antonium Corream Legatum * Bintami Regem prælio victum, Padáque vrbe captâ, accipere conditiones pacis adegit: * Mochrim * Barahemæ Inſulæ (quæ priſcorum Icaria exiſtimatur, exiguo fluctu ab Arabia abſciſſa) Regem, regno exuit. Hæc ille per ſe ſuóſque Duces: qui verò Lopezo ſucceſſit Eduardus * Meneſeus, per Georgium Albuquercum, Regem * Pacemi Regno reſtituit, eâ conditione, vt & annuum tributum penderet, & arcem ſuo in littore à Luſitanis excitari pateretur. Primo iſtius Indici Imperij anno Emanuel fatis conceſſit, omnium Hiſpaniæ Regum haud dubiè maior, neque enim modò vtriuſque Indiæ, quæ citra vltráque Gangem eſt, littora præſidiis, claſſibúſque firmauit, ſed & Perſicum, Arabicúmque ſinus, totúmque pelagus Æthiopicum, Atlanticúmque claſſibus tenuit, & quod, contra Naturæ Gentiúmque ius creditur, nulli, niſi ſociis, aut ſubditis nauigatione conceſsâ. Negociatoribus Venetis, quibus cum Perſis, Arabibus, atque Indis amicitia erat, ab ann. Salutis MCCLXIX. toto mari excluſis, & Syriæ, Ægyptiq; littoribus contentos eſſe iuſſis. Barbariâ præterea magnâ ex parte occupatâ, * Safino, Azamore, Titâ, vrbibus captis, Marocci & Feſſæ Regibus ſæpius profligatis, maritimis Africæ populis iugum, vel tributum ferre coactis. Pluribus denique Inſulis Regno Luſitanico adiunctis. Sceptra ſuſcepit eius filius Ioannes III. quo tempore ſub Eduardo Meneſeo Indiarum Pro-Rege Ludouicus Meneſeus Amiralius Ormus incolas in fide retinuit: Garſias verò

Henriquezius

ANN. 1518.
* Bintam.
* Mocri.
* Barahem.
ANN. 1521.
* De Meneſis.
* De Pacem.
* Safin.

ANN. 1521. Henriquezus Bandanæ Inſulas tres, Bandanam, Miram, & Gunuapem acceptis à Pro-Rege nauibus circuiuit, Molucáſque iis proximas adiuit, ínque earum vnâ, cui Tidoræ nomen eſt, reliquias Magellanicæ claſſis oppreſſit, trucidatis, vel captiuitati datis omnibus Caſtellanis. Impoſita Ternatanis arx, cautúmque, ne aliis quàm Luſitanis aromata venderentur, quibus aceruatim recipiendis, ſeruandíſque domus erecta, quæ Factoria, dicta eſt. Hoc ipſo anno Pro-Rex, à Portugalliæ Rege Hectorem Sylueirium

ANN. 1523. Amiralium Indiarum inſtitutum, Goæ in portu gratâter excepit. Motæ hinc in Malacam naues, quibus ab obſidione vrbis Laqueximenes, Bintami Regis Amiralius, arceretur, quod cùm feliciter ceſſiſſet, orâ Bintamicâ ab Alphonſo* Suſæo luſtratâ, *Pami, Patanæ & Iauæ nauigiis captis, pluribus in vincula coniectis, aliis cęſis. Inſulæ Machian & Batochin ad dominium Tidoræ, quæ vna Molucarum eſt, pertinentes, direptæ. Audita Cambocanoræ Inſulæ Principis legatio, qui ſocietate cum Luſitanis initâ, Antonio Brittioni, cui cum Tidoræ Rege bellum erat, XII. homines miſit, quos ipſe *Ourans Soangues*, appellabat, quaſi Anthropodæmonas: quòd prętigiis quoties volebant inuiſibiles eſſent. Riſit Brittio ineptas, vt putabat, ſuppetias, cùm ij in Inſulam Tidoram miſſi, plurimis trucidatis, exempta corporibus capita ante Brittionis pedes proiecerunt. Nec Brittio credebat alienæ fidei, cuius experimentum fecit, vno ex iis XII. columnæ alligato, manicíſque & compedibus ferreis vincto, cuſtodiâ additâ. Mane intacta vincula, circáq; columnam, ſine captiuo, fluitantia reperta ſunt. Hoc ſeu verum, ſeu falſum fuerit, certum eſt, eorum deinceps ope Brittionem vti noluiſſe, ne Tidorenſes crederent, Luſitanos victoriam non armis ſed magicis artibus quærere. Noua

* *De Souze.*
* *De Pam.*

ANN. 1524. deinde excogitata apud Luſitanos in Indiâ regnandi ratio. Vaſquesius Gama, cui primùm tota Africa Aſiæque pars per Atlanticum, Æthiopicúmque pelagus, claſſe metatæ olim fuerant, ipſe confectus ſenio regendas Indias accepit, & quia breui moriturus putabatur, aliis litteris Henricus Meneſeus Pro-Rex ſcribebatur, ſi ante tempus imperij triennalis Gama deceſſiſſet. Tertiis litteris Meneſeo Maſcaregnus, quartis, Lopezus à Sampaio ſucceſſores nominabantur. Ne ſi prior abreptus fatis fuiſſet, Indicum Imperium ſub nullo aut incerto Pro-Rege vacillaret. Quod prudenter excogitatum fuiſſe exitus comprobauit. Neque enim in magiſtratu Gama diu durauit, ſed victis maritimo prælio Calecutianis, intra paucos menſes in Goâ ciuitate decedens, nomine Principis Henrico Meneſeo adminiſtrationem Indiarum tranſmiſit. Litteræ, quibus iſte Pro-Rex ſcribebatur, ſigillo Regio ob-

ANN. 1525. ſignatæ, hoc foris habebant ſcriptum: ISTVD RESERATVR, VBI, QVOD DEVS AVORTAT, VASQVESIVS A GAMA PRO-REX ET

MAGNVS

MAGNVS INDIARVM AMIRALIVS VITAM FINIERIT. Vt in Templo Cochimi ab Auditore, conuocatis Luſitanorum Ducibus, litteræ iſtæ oblatæ, vt repagulis diruptis apertæ, lectæque, Meneſeus abſens Indiarum Pro-Rex proclamatus eſt: cuius etiam vita breuis fuit, proſperis & aduerſis mixta. Nam poſtquam dubio marte ſæpius pugnaſſet, tandémque Caletianorum claſſem in Culetæ, ditiſſimo Calecurij Regni portu, profligaſſet, hoſtium nauibus potitus, Turcicâ claſſe in * Dabulis orâ laceratâ, aliâ Maurorum, ante Saëlem Arabici ſinus vrbem, captâ, victo nauali prælio Patanæ Principe, item & Laquexímenê Bintami Regis Amiralio, cum nauibus auxiliariis * Draguini Regis, ſuis, qui in arce Calecutianâ acri obſidione premebantur, liberatis; è vulnere, quod in crure per iaculum acceperat, mortuus; & quia Maſcaregnus in ſuperiori Indiæ parte tunc erat, Lopezum Sampaium ſucceſſorem habuit. Is à Georgio Tellione ad fluminis Baccanoris oſtium vocatus, quia per Malabaros, tignis medio in alueo ipſóque in mari ſuffixis, funibúſque in laqueorum modum, quibus nauigia implicarentur, extenſis, toto littore arcebatur, primo impetu hoſtes fudit. At Maſcaregnus in Indiâ Superiore ſubſtitutum ſe Meneſeo intelligens, indignatúſque Lopezum ſibi præpoſitum, dum tempeſtatem in Indiam Inferiorem nauigationi idoneam expectat, interim ſe Pro-Regem gerens, XIX. nauium claſſe, in Bintamicâ orâ Laqueximenem Bintami Regis Amiralium, auxiliarémque Pami Regis claſſem debellauit, Bintamum vrbem vi captam incendit, Regíque mœrore conſumpto alium ſubſtituit, eâ conditione, ne exercitum vllum terreſtre aut maritimum iniuſſu Luſitanorum deinceps haberet, ſed ſe, ſuáque eorum tutelæ committeret. Aperiebantur interim maria, & Maſcaregnus in inferiorem Indiam claſſe prouectus, arbitros inter ſe & Lopezum dari petebat, qui iudicarent, vter eorum Pro-Rex eſſet; negabat Lopezus ſe vllum iudicium ſubiturum, donec amicorum conſilio adductus, vt ſubiret quod æquum putabant, corruptis iudicibus in Pro-Regis dignitate eorum ſententiâ confirmatus eſt, miſſúſque in Luſitaniam Maſcaregnus. Alio quoq; diſſidio res Luſitanica periclitabatur, vrbis Tidoræ excidium, nullâ causâ factum, reliquos Moluecarum populos in odium Luſitanorum incitauerat, & claſſis Caroli V. Imp. Hiſpaniarúmq; Regis nuper huc appulſa, gratuito hoſpitio, ceteriſque officiorum generibus à Tidorenſibus excepta fuerat. Excitatus in portu murus, geminis propugnaculis ſeruatus, diſpoſita longo ordine per hæc & illum tormenta bellica, ſi Luſitani aliquid molirentur, portui, nauibúſq; ſuis, præſidium. Hiſpani, Igniguezo duce, Moluccas ad ſe pertinere contendebant: has à Magellano, auſpiciis ſui Regis primùm derectas, ſocietatem & commercium cum In-

* Dabul.
* Draguin.
Menſe Februar. ANN. 1522.
ANN. 1527.

ſulanis initum, iudicium denique ſumptis arbitris pro ſe factum. Contra Henriquezus pro Luſitanis. Iniquam Caſtellanorum ſententiam à Luſitanis iudicibus abrogatam, decennio ante Magellanicam nauigationem Moluccas ſuis petitas, nauità Antonio

* De Brito. *Breuo, in cuius comitatu & ipſe Magellanus erat, nondum tranſfuga: miſſum iis detegendis Breuum Alphonſi Albuquerci Indiarum Pro-Regis iuſſu. Hæc illi pro ſe pacificè primò, mox iracundè; iſtis Ternatæ, illis Tidoræ & Giloli incolis fauentibus. Initium belli à Caſtellanis fuit, qui auctâ claſſe, ſociiſque adſcitis, Ternatanam arcem obſidione cinxerunt, primóque congreſſu, obſeſſis Luſitanis, nauem eripuerunt, Chriſtiano ibi ſanguine Indis litatum fuiſſet, forſan vtriuſque gentis internecione, niſi Carolus V. Imp. aliis bellis occupatus, Molucarum Imperium neglexiſſet, & ius quod in iis Inſulis vendicabat, Ioanni III. Luſitaniæ Regi, acceptis, CCCC.M.D. aureis, ceſſiſſet. Sic pacatis Molucis, Indiarum Pro-Rex Lopezus, Ioanni Dezæ aliquot nauibus traditis, eum Canonoris oram tutari iuſſit. Alterâ verò claſſe Al-

ANN. 1528. phonſum Melionem Zundam Inſulam petere: dum nauigat, à Calecaræ principe, cuius in littore vniones legebantur, legationem accepit, quâ tributum offerebat, ſi à Luſitanis contra Calecutianos iuuaretur. At Deza quidquid à Calecutio Cambaiam tranſmittebatur intercepiens, ingenti damno vtrumque populum afficiebat; cúmque Magaloris ad portum perueniſſet, vacuam ciuibus vrbem & deprædatam in flammas abire iuſſit: Cutialem, Calecutianorum Amiralium, maria infeſtantem, claſſe vicit, captiuúmque in Cananoris arcem deduxit. Parte aliâ Antonius Miranda in ſinum Arabicum prouectus, diuerſas Arabum claſſes, nunc in alto, nunc in littore conſtitutas, euertit. Ipſe Lopezus Maurorum CXXX. naues aromatibus onuſtas, verſùs Mecham nauigantes, Cananoræ incolis de littore pugnam ſpectantibus, fregit: Porcæ dominum, piratam toto æquore metuendum, expoſito in littore milite, oppido capto, fugauit. Nunquam maiora victori ſpolia obuenerunt, cùm caloni vel minimo, aurei mille ceſſerint. Ex eo portu nauibus eductis, clauſíſque carinâ captiuis, inflatum prædâ militem, in Haliſſam Cambaiæ Regis

* Bombain. Amiralium, iuxta * Bombainam, c. aureis propoſitis illi, qui prior in hoſtium nauem ſaltum feciſſet, eadem proſperitate vela conuertit. Diſſipatis hoſtium nauibus, victricem claſſem Mirandæ tradidit. Huic ſtatim cum Malabaris in oſtio Chialæ pugna fuit, hoſtes conſumpti igne, ferro, fluctu. Aromatum acerui Chochinum traducti, ex occiſis præda. Tana vrbs capta, tributarius eius dominus factus, Haliſſáque iterum fugatus. Dum iſta in India geruntur, Nonius Cugneus Pro-Rex à Luſitaniæ Rege nominatus, itineri incepto omni ſtudio incumbebat, cum Simone

Cugneo

Cugneo, fratre, Indiarum Amiralio deſignato, prætereitáque Melindæ orâ, à Mombazæ Rege hibernandi licentiam petebat, quâ recuſatâ, inuito Rege in portum claſſem coëgit, vrbéque in prædam militi datâ, vere primo iterum ſe pelago commiſit. Appulſus in Indiam, Pro-Réxque ſalutatus, vrbem arcémque Diu occupare conſtituit, paratâ itàque claſſe, vt in conſpectu vrbis fuit, miſſus à Badurâ Cambaiæ Rege legatus, qui arcem Luſitanis tenendam concederet. Sita eſt ponè fluminis Indi in mare erumpentis ripam, in exiguâ Inſulâ, Dizam Malabares vocant, Diu Indi; arce præpoſitus eſt Antonius Syluéireus. Cæterum Cambaiæ Rex à Turcis incitatus, qui tius vrbis arcíſque potiundæ deſiderio flagrabant, arcem, quam Luſitanis dederat, eripere tentauit, funeſto omninò euentu, cum Turcis auxiliariis, militibúſque ſuis confoſſus, totâ claſſe depreſſâ. Nec morâ portu illo totius Orientis celeberrimo nemine reſiſtente, cum ipsâ vrbe Pro-Rex potitus, aliam Turcarum claſſem à Solimano Imperatore in Arabico ſinu collectam, expectabat. Huic Solimanus Baſſa Cairi gubernator præerat, qui per proditionem capto, & ſtrangulato Adenorum Rege, cum aliquot Cambaiæ proceribus, eductâ in terram exercitus parte, interclusis aditibus, Diu arcem magno circuitu obſedit. Erat tunc in vrbe Goâ Pro-Rex, qui acceptis à Sylueirio litteris, quibus ad auxilium arcis vocabatur, cum iam Gratianum Norogneum ſucceſſorem haberet, imperium Indiarum, curámque leuandæ obſidionis illi reliquit. Iuuit Luſitanorum res Solimani Baſſæ in Adenorum Regem perfidia, iuuit eiuſdem erga Calecutianorum & Cochimorum Reges inſolens arrogantia, pacem iſti dudum recuſatam à Luſitanis petierunt, acceperúntque. Hinc auctæ vires, mixtíſque claſſibus hilari cantu, tædíſque accenſis, tibiíſque ſuauè modulantibus, quaſi amicorum claſſis eſſet, per Turcarum naues iter in arcem vrbémque Diu, Luſitanicis, auxiliariíſque nauibus factum. Non tentoria, non tormenta bellica, aliáque ſupellectilis & caſtrorum, quæ in terrâ erant, vel Solimanus, vel primores Cambaiæ, quæſiuêre: ſed tumultuariè fugæ conſulentes, vulneratos cum ſanis trucidandos in littore reliquerunt. Cambaianis, poſt occiſum Baduram, Mamudus imperabat, & iam in locum Norognei Ioannes * Caſtrenſis ſuffectus, Indiam moderabatur, cum Cambaiani, Turcæq; eandem arcem oppugnare adorti ſunt. Prorupit Caſtrenſis in obſtantes, terráque & mari profligatos, per omne ætatis genus æquâ crudelitate graſſatus, vrbi munimenta adiecit, arcémque de nouo condi iuſſit, loco meliore, & è duratiore materiâ muris propugnaculíſque conſtructis. Sic cuncta Luſitanis parebant, nec erat qui victoribus reſiſteret, cùm Sebaſtianus, qui Ioanni III. ſucceſſerat, temeritate propriâ in Africâ cecidit, vel cecidiſſe vulgatum

Ann. 1538.

* De Caſtro.

Rrr 2 eſt,

ANN. 1583. eſt, cuius regnum, Henrico atque Antonio, excluſis, qui legitimi hæredes erant, Philippus II. Caſtellæ Rex occupauit, occupatúmque tranſmiſit ad poſteros: donec è veterum Regum Luſitanorum familiâ reſurgeret Comes Bragancius, qui vnanimi ſubditorum conſenſu electus in Regem, ſub Ioannis IV. nomine, Luſitanis hodie, Braſiliæque, & Aſoribus Inſulis fœliciter regnat: expectatúrque in dies, vt & ceteræ partes, quæ ad prædeceſſores eius pertinuerunt in Aſiâ, atque Africâ, ad eundem redeant. Fuerunt autem olim in Africâ ſub Luſitaniæ Regibus, Septa, Tingis, Mazagaon, Arguin caſtrum, xx. gr. ab Æquatore versùs Arctum, ab Olyſipone CCCLI. leucis diſtans: vbi fretum, ſiue ſinus Arguin vadoſus, de nomine imminentis caſtri, quod ann. Sal. MCDXLI. condidit Soucrius Mendezius. Horum etiam fuêre Inſulæ CAPITIS VIRIDIS, ab Æquatore versùs polum noſtrum XIV. gradibus ſeiunctæ: oppoſitus iis tractus, Capitania Capitis Viridis appellatur, in quo Marchionatus Serræ Leonæ, IX. gr. ab Æquatore. Celeberrima Inſula S. Iacobi diſtat à continente LXXXVIII. M. vbi arx Luſitanorum. Ab eâ ſepoſita eſt, VII. M. Inſula *Fogo*, ſub XIV. gr. versùs Auſtrum, cui montes Igniuomi. *Majo*, & ipſa Inſula ſalinis commendatur, raro habitatore, ſicut & Inſulæ S. Vincentij, & S. Luciæ. Inſula PRINCIPIS ſaccaro diues, XL. leucis à Guineæ littore, II. gr. Ab Æquatore versùs Auſtrum. Inſula Ferdinandi *Do Pao*, exiguo traiectu à continente diſiuncta, longitudine, XVIII. Mill. In continentis orâ vrbes, aut caſtella, Ocre, Arda, & Calabar portus, ſub diſpoſitione Præfecti Inſulæ S. Thomæ, quæ ſub Æquatore ſita eſt, LX. leucis à continente, vbi oppidum *Pauoaſa*, à Luſitanis excitatum. Hinc vndique mari clauſa Annobon, ad Caput Bonæ Spei declinans, DII. leucis, I. gr. ab Æquatore versùs Auſtrum. Regnum Congi littus occupat, ſub VI. gr. ab Æquatore, Angolæ verò ſub IX. Vbi arces S. Pauli & Leonda. Inſula S. Helenæ, ab Æquatore versùs Auſtrum, XVI. gr. CL. leucis à continenti remota, IV. M. ambitur: ad hanc, aquandi lignandíq; gratiâ, mercatores ex Indiâ venientes appellunt. In tractu Africæ poſt Caput Bonæ Spei, arx Sofala, à P. Nayâ cõſtructa ann. MDV. XX. gr. ab Æquatore ad Auſtrum. Huic Capitaneus à præfecto Mozambici imponitur, ſicut & arci Tetes, in Regno Manamotapæ. Eſt autem Mozambicum ſub gr. XV. Auſtralis poli, ſupra, ad IX. gr. arx Quiloa, ann. MDC. reparata à Franciſco Almeidâ, antea per Vaſqueſium Gamam conſtructa, Quiloæ Rege tributario facto. Inſula Magadagaſcar, ſiue S. Laurentij à ſolido ſeparata LXX. leucis, à XX. gr. ad Auſtrum, ad XII. extenſa. Longa leucis CCLXXXVIII. lata XC. Melindæ caſtrum ſub II. gr. & XXX. ſcrupulis, reliqui ad mare Rubrum Reguli, aut tributarij, aut amici Luſitanorum. In Aſiâ & Indiâ Orientali eorundem fuêre arces,

Diu,

Diu, xx. ſub grad. Auſtralis hemiſpherij, Damaon, Tarampor, Vaylite, Caſil, Bazain, Ormus Inſulâ, ambitu VII. M. vbi & arx ab Alphonſo Albuquerco condita, nunc Angli Batauíque occupant, Goa vrbs metropolis Indiæ, Pro-Regis ſedes, ad caput continentis Malabarum, Cananor arx, ſub XII. gr. Tum Onor, fertilis pipere & oryzâ: Barcelor, Mangalor, Calicut, Cranganor, Coulan, Cochin, ſub x. gr. ad extremum oræ Malabaricæ iuxta promontorium Comorin, VIII. gr. ab Æquatore. Tum Ceylan arx, vbi pars Occidentalis Indicæ oræ deſinit, eiuſdémque nominis Inſula Ceylan, circuitu xx. leuc. tota ditionis Luſitanicæ, canellæ, ſiue caſſiæ aromaticæ ferax: in eâ vrbes, Columbo, Manara, & Maluco. Vltra Comorim, ad littus, Negapotaon ciuitas, XI. gr. Auſtralis poli. S. Thomas, ſub XIV. Luſitanorum colonia. Bengala, ſub XXIV. Ab iſta ad arcē Pegu, CD. leucæ. Malaca, ſub II. gr. & XXX. ſcrupulis dicti poli, ad quam ex omni Oriente mercatores confluunt. Tum Inſula Banda, nucibus muſcatis famoſa, ſicut Moluccæ gariophyllis, è quibus nuper Luſitani à Batauis eiecti, qui hodie cum Sinenſibus liberum habent commercium. Sinenſis autem ora incipit ſub XIX. gradu ab Æquatore ad Septentrionem, deſinit ad XLVIII.

CAPVT VIGESIMVMSECVNDVM.

Notitia maritimi Hiſpanorum Imperij, claſſes magiſtratos claſſicos, & littorum complectens.

QVAMVIS è ſuperioribus conſtet, quomodò & quandò penè totum Orbem terrarum Hiſpani cum Luſitanis domuerint, tamen ſpecialia cuiuſque maritimi magiſtratus non ſatis innoteſcere mihi videntur: neque ex iis, quot claſſes, quotannis è portubus tum Hiſpanis, tum Italis, Siculis, Americanis, atque Indicis exeant, quandò redeant, quibus in locis ſtationem habeant, aut à quibus regantur, ſatis conſtat. Itaque ea huc ſeruaui tranſmittenda, ne lectorem fugiat quidquam eorum, quæ propoſiti mei eſſe duxi. Varij in Europâ Hiſpanorum Amiralij.

Ex iiſdem qui ſupra authoribus, quibus adde Linſcotum, Bergeronum, Pyrardum, in nauigat. Meteranum hiſtoricum, ab aliis Demetriū appellatum, & Antonium ab Herrera in deſcriptione Indiarum Occidentalium.

Sub diſpoſitione Pro-Regis Siciliæ,

Amiralius, plerunque cum claſſe Meſſanæ, vel Palermi, quæ & Pro-Regis ſedes eſt, degens.

Sub diſpoſitione Pro-Regis Neapolitani,

Amiralius Neapoli moratur, quæ caput eſt Regni, littus omne ſub eius tutelâ, cum Inſulis circumiacentibus, inter quas Diomedeæ, Dioſco-

ris, Calypſus, Palmerola, Pontia, Iſchia, & Capreæ. Habet armamentarium nauticum Neapolis.

Galiciæ *Amiralius, Corunnam habitat.*

Biſcaiæ, & Guipoſcoæ, *Bilbaum.*

Aragoniæ, & Cataloniæ, *Barcinonem:* ſed nunc illi aliam ſedem eſſe oportet, Barcinone totáque Catalonia noſtro Imperio redditis.

Valenciæ, *Alicantona.*

Murciæ, *Cartagenam.*

Granatæ, *Almeriam.*

Andaluſiæ, *Sibiliam,* vulgò *Seuilla* eſt: ſed hîc ſub diſpoſitione Caſtellæ Amiralij putatur, neſcio cur id fiat, cum Caſtellæ Regnum longè à mari poſitum ſit.

Portugalliæ *Amiralius, Liſbonæ degit,* quæ & Vlyſſipo priſcis.

Algarbæorum, ſiue Algarbæ, *Villæ Nouæ Infantis.*

Sardiniæ Inſulæ, *Calari, tutatúrque etiam in Africæ littore Portum Magnum, Marzahibir, vel Marzalcabir, vulgò: Oran, Melillam, & Curacam.*

Maioricæ, & Minoricæ Inſularum *Amiralio, ſedes eſt, Gades; ſub eo & aliæ Inſulæ, Dragoneta, Cabrera, Ophiuſa, ſiue Colubraria, Ebiſſa, Frumentaria, Pityuſa, Conirella, & Dracomagus.*

Freti Herculei, Gibr*altar,* noſtris, & Afris, *Amiralius, oræ quoque Tingitanæ, Arzillanæ, Arraches, & Septanæ in Africâ cuſtos eſt.*

Amiralius maris Germanici in Belgio, Antuerpiæ degit, ſub Imperio Flandriæ gubernatoris.

Omnium magiſtratus triennales, vel quinquennales, aliquandò etiam, ſed rariſſimè, decemnales: creantúrque ab ipſo Hiſpaniarum Rege. Vrbes arcéſque maritimas, milite, annonâ, rebus bellicis Pro-Reges muniunt; naues, ceteráque nautici ſumptus, & armaturæ, Amiralij. Si in claſſe Pro-Rex fuerit, Vicariatum Amiralius obtinet, imperio omni ad Pro-Regem deuoluto. In Atlantico mari nullus Amiralius, vt quiſque exeunti è Luſitaniâ claſſi (ſiue illa in Orientem, ſiue in Occidentem vela faciat) præeſt, is dum nauigat, præfectus illius æquoris, quod tranat, putatur. In Africæ littore, viciníſque Inſulis, minoris dignitatis gubernatores incubant, præſidio terreſtri, aliquandò maritimo, comitati & muniti. Portus ſeruant in Anglos, Batauóſque piratas, & vt tuta commeantibus Hiſpanis aquatio ſit, ſedulò curant. Refugium etiam ſi maior vis, vel à tempeſtate, vel ab hoſte ſubſequente ingruerit. Eiuſmodi autem dignitates ſunt Inſulis tutandis circa Africam.

Rector *Maderæ,* Rector *Aſorum, ſiue Flandricarum Inſularum,* Rector *S. Michaëlis, S. Mariæ, S. Georgij, Pici Fajalis, Gratioſæ, Florum, Corui, Capitis Viridis, S. Helenæ, S. Iacobi, Principis, S. Thomæ, Boni Viſus,*

Viſus, S. Antonij, S. Nicolai, Canariarum, cuius ſedes in Allagonâ, Magnæ Canariæ vrbe, Triſtani ab Acunâ, Magadaſcaris, ſiue ſancti Laurentij, & Loandæ.

In littore Africæ cuſtodes vrbium arciúmque ſunt, vſque ad promontorium Bonæ Spei.

Septæ, Arzillæ, Azamoris, Arguini in Guineâ, Metallariæ, ſiue auri argentíque fodinarum, ſancti Georgij in eadem Guineâ, & ſancti Saluatoris in Regno Congi.

Cis promontorium Bonæ Spei, Rectores vrbium arciúmque numerantur.

Soffalæ, & Monomotapæ, tutandis aurifodinis ſub diſpoſitione Præſidis Moſambicæ, quæ ſub X. *gradu poſita eſt, ad Antarcticum polum proiecta. Hi Rectores, vel ſi mauis procuratores, ter aut quater in anno ad Præſidem Moſambicæ cymbas mittunt,* Pangaios, *vocant, onuſtas auro. Dignitas Præſidi triennalis, emolumentum ordinarium dignitatis* XXX.M. *ducatorum. Trienno elapſo, Præſes ille impenſis propriis Regi ſuo ſeruit, ſub diſpoſitione Pro-Regis Indiarum, nec ante id tempus, quod ſeruitij vocant, in Luſitania permiſſus eſt reditus.*

Sequitur in eo tractu Quiloæ, olim Raptæ, *cuſtos: tum Melindæ, Patæ, Mombaſæ, Brauæ, & Magadaxi, nomina magnarum vrbium, diuerſis in Regnis ſitarum.*

Hîc fœderati, vel tributarij Hiſpanis Reges, Congi, & Angolæ: excuſſerunt alij iugum, vel ſemper dedignati ſunt. Claſſis peculiaris quotannis contra Turcas in ſinum Arabicum mittitur, ſub vno Præfecto, cuius cura eſt, piratas ab eo ſinu, & littoribus vicinis arcere. Sinus is in longitudine habet CCCLX. leucas: quà ſtrictior eſt, XL. in latitudine. Antequam vlterius progrediar, vndè claſſes in has oras veniant, quis earum ſtatus, quæ conditio ſit exigendum eſt. Ingentia nauigia è portu Liſbonenſi ſoluunt ſingulis annis, nomen illis *Caracæ*, in prorâ & puppi ſpecies arcium vltra vndas prominentium, contignationes, & contabulationes quatuor, onus ordinarium caracæ, II.M. doliorum, machinarum, quas canones dicimus, XL. leuioris ponderis, *Perrieros, & eſperas* vocamus, numerus incertus, nauigantium ad minus M. Officia in naui æqua penè illis, quæ Capite IX. huius Libri enumerauimus, ſi plura, pro magnitudine & amplitudine nauigiorum, exiſtimaueris. Non in claſſem modò, ſed in ipſis nauibus Luſitaniæ *Amiralius pro lubito qui imperent, nominat. Hic captiuos in cuſtodiâ & vinculis tenet, *Merinthona* nuncupant. XI. viris educendorum & reducendorum velorum cura eſt, cymbámq; in æquor leni propulſu transferre, illis nomen *Strinceri*. Æqualis vnicuique nauigantium ordinarius victus, panis bis cocti libra & ſemis, dimidia vini menſura, aquæ tota, ſalitæ carnis libræ duæ, cum piſcibus aliquot furno ſiccatis in menſem. Singulorum qui nauigant

** Proeuador Plura ad hanc rem & digna lectione vide apud Pyrardum, part. 2. Nauigat. c. 14.*

nomina

nomina, Scriba, ab ipſo Rege nominatus, chartis mandat, ſub quo & alij III. aut IV. Scribæ coadiutores in triennium, quorum officium eſt, ſingula quæ importantur, aut exportantur videre, examinare, & deſtinato ad id volumini inſerere tranſcripta. Qui Caracæ præeſt, ſi quid ingruerit, officiarios & mercatores in conſilium vocat, in criminalibus noxios ad diuerſa ſupplicia damnat, ſi mortis ſuſtuleris: qui enim pœnam capitis incurrit, ſeruatur iudicibus ordinariis, in ipsâ Luſitaniâ damnandus. In ciuilibus ab eo appellare nō licet, niſi condemnatio cc. Cruciatos exceſſerit. Vt ad Caput Bonæ Spei ventum eſt, machinarum explauſu, & acclamationibus lætis eo ſalutato, Hiſpaniæ Regis litteræ leguntur, quibus omnes milites in Indiam Orientalem miſſi nobiles declarantur, tanti periculi honos: ſi fortunæ non fauerit, inter ſcopulos & inſidias vadoſi maris, aut littoris perfidi ſolatium: ſi fauerit, decori recentis nobilitatis, ſpolia occurrentium, & ignotorum addunt, redeúntque in ſerico, qui centumciis pannis, vix tecti, Orientem petiuerant. Militant omnes ſub * Pro-Rege Indiarum, ſub cuius diſpoſitione ſunt quicunque per Æthiopicum mare nauigant, quíque Orientis littora, Inſuláſque Perſici, Indicíque pelagi radunt. Ei ſubſunt, qui tributa, vectigalia, portoriáq; exigunt. Facturiarum quoque Rectores, quíque ex aromatis, gemmis, margaritíſve bello quæſitis, quintam partem, quæ Regi Hiſpaniarum debetur, colligunt. Magnus Indiarum Amiralius nunc ab Hiſpaniarum Rege in certum tempus datur, cùm antea à Pro-Rege crearetur: ſub Pro-Regis tamē diſpoſitione cenſetur, quia cùm Pro-Rex in claſſe eſt, omne Imperium claſſis in Pro-Regem decidit. Reliqui Amiralij & Præfecti triremium particulares à Pro-Rege ſimul & Magno Amiralio creantur. Qui verò vel imperium ſpeciale, vel officium in triremi, vel naui exercent, illi ab Amiralio Magno nominantur, cenſentúrque omnia nauigia ſub eius diſpoſitione: ſicuti Cuſtodes arcium vrbiúmque quæ in littore, vel in Inſulis Hiſpanicæ dominationis ſunt, ſub diſpoſitione Pro-Regis & authoritate habentur: ſunt autem iſti.

* *Hoc immutatum ann. 1630. Quo in locum Pro-Regis, III. viri creati ſunt. Indiæ Orientalis regendæ, qui Goa degunt.*

Cuſtos vrbis & Inſulæ Ormus, in ſinu Perſico, ſed hæc dignitas, nuper Batauis Perſarum Regi auxiliantibus, abolita, pulſis vrbe & Inſulâ Luſitanis.

Cuſtos Inſulæ, vrbis & arcis Diu, olim Alambater, hæc quoque erepta nuper Luſitanis per Batauos.

Cuſtos vrbis & arcis Goæ, ibi Pro-Rex Indiarum moratur.

*Cuſtos Malacæ, quæ colonia eſt Luſitanorum cum portu: clauis putatur Sinarum, Iaponiæ, & Molucarum: emporiúmque Indiarum celeberrimum. Hanc Alphonſus de Caſtro, obſidentibus Batauis, & Rege * Ioris, virtute ſuâ incolumem ſeruauit.*

* *Ior.*

Cuſtos.

Cuſtos arcis Cananoritanæ, Calligerim vocat Ortelius.

Cuſtos Cochini, cuius Imperium perpetuum eſt, non triennale.

Cuſtos Colanicæ arcis.

Cuſtos portus Columbani in Inſulâ Zeilanâ, quę priſca Nauigeris putatur.

Cuſtos vrbis & arcis Daman.

Cuſtos vrbis & arcis Chaulitanę.

Cuſtos vrbis & arcis Bacainæ.

Cuſtos vrbis & arcis Onoritanę, olim Hippocura.

Cuſtos vrbis & arcis Barcelorinæ, vel Barceloris.

Cuſtos vrbis & arcis Mangalorinæ, quæ antiquis Monogloſſum.

Cuſtos Cranganoris.

Cuſtos arcis Columbi in Inſulâ Gryloniâ.

Cuſtos vrbis Nagabatanæ.

Cuſtos vrbis S. Thomæ.

Cuſtodes Amboinæ arcis, Tidoris, & Ternatæ, quæ Inſulæ Molucarum: duas primas Batani occupant, tertiam Rex Ternatæ, ceſo preſidio Luſitanico, conſeruat, niſi quod iis, qui in ceteris Inſulis Molucarum degunt, libertas commercij relicta eſt.

Cuſtodes arcium per reliquas Molucarum Inſulas.

Cuſtodes Bandæ Inſulę, muſcatæ nucis & macis feracis.

Cuſtodes Philippinarum Inſularum.

Fallitur ille quiſquis eſt, qui de ſtatubus & Imperiis totius Orbis nuper ſcripſit, eo Capite, quo de Imperio Regis Hiſpaniarum agit. Hic enim tres Pro-Reges facit, primum ſcilicet Africæ, qui Moſambicæ: ſecundum Indiæ Inferioris, qui Goæ: tertium Indiæ Superioris, qui Malacæ degit. Vnus enim ſemper Pro-Rex Indiarum fuit, nunc Treſ-viri ſunt, non Pro-Reges, qui omnes Goæ degunt: ex cuius vrbis portu quotannis geminæ claſſes exeunt, *Armadas,* Luſitani vocant. Vna in Perſicum Sinũ atq; Arabicum nauigat, vocatúrque Arctica, ſiue Septentrionalis claſſis. Altera Malabaras petit, vſq; ad Comorinum, ſiue Cori promontorium, piratis pelago arcendis, atque hæc * Antarctica vocatur. * *Del Sud.* In ſingulis triremes L. vel LX. ſexremes II. In triremibus captiui remigant, vel ſcelerati, damnati ad hoc onus. In aliis remiges voluntarij ſunt, & omnes liberæ conditionis, vno nomine *Laſcary* vocantur: his autem qui imperat nauita *Monçadon.* Sexremis *Nauia* dicitur. Piratici verò lembi, ſiue phaſeli hoſtium Malabarum, *Pairaux.* Ad ſingulum remum cuiuſque ſexremis, remex vnus. Ad ſingulos remos triremis, idem captiuorum numerus qui apud nos. Pręter hæs duas claſſes, aliæ quoque inſtruunrur, quæ versùs Malacam, Sondam, Moſambicam, aliáſque regiones maritimas vela faciunt. Sondæ nomine veniunt Inſulæ omnes poſt Malacam pelago irretitæ, quaſi Inſulæ * Sudi, hoc eſt, ad Me- * *Du Sud.*

 ridiem

ridiem poſitæ. Quarum pręcipuæ, Regnorum variorum mater Sumatra, tum Iaua, & Moluccæ. In iis claſſibus, non triremes, ſicut in aliis, nō ſexremes ſunt, verùm nauigia rotunda, ſine remis, ſed ſolis velis curſus captantia. Ibi Indicæ naues, & quos vocamus Galiones, ſi res poſcat, ſupplementum, ſubſidium, vitam ſalutem, præſidiario militi ferunt: ſeu bella, ſeu maligna pax amicos vocet. Subſidiariæ etiam naues Inſulis & portubus excubāt, inflaturæ claſſes ſi aduocentur: quibus & adduntur * onerariæ mercatorum, ſi ob metum piratarum ſolæ tentare pelagus non audeant, vel ſi armatæ claſſes, iis, veluti propugnaculis, latera ſua munire voluerint. Impenſam in omnes claſſes Hiſpaniarum Rex, vel inuitus, ſuſtinet: cui iam quæſita nocent: ſuis, aut corradentibus onera eius maieſtati debita: vel ſyrtibus abſorbentibus, quidquid in eius fauorem & nomen corraſum eſt. Prima poſt Pro-Regem Indiarum, vel III. Viros, dignitas, Magnus Amiralius, ſub quo triremium Præfecti, aliíque minoris nominis Amiralij reputantur: ita tamen, vt Pro-Regi liceat inſtituta Magni Amiralij reſcindere, vel abdicare: & hoc tantùm cùm in claſſe eſt, vel cùm claſſis in pòrtu Goæ anchoras fixit, quod rariſſimè contingit. Si hæc dempſeris, Duces, vexillarij cuiuſq; nauis, exercitores, magiſtri nauium, quęſtores claſſici, nauphylaces, pręfecti & artifices fabricę maritimæ, ſcribæ, militéſque, & nautæ, ſub Magni Amiralij imperio putantur. Maiores hîc dignitates huic ſummiſſas memorare ſatis erit. Sunt autem eiuſmodi.

* *Naues de Chatie.*

Præfectus triremium Ormuſianarum: Hodie hæc Pręfectura abolita eſt.

Præfectus triremium Goanarum.

Amiralius Calecutianus. Is quoque abrogatus, pulſis hoc ſolo Luſitanis.

Amiralius Malacanus.

Amiralius Perſici Sinus.

Præfectus Sinui Bengalæ.

Amiralius maris, quod inter Cochini, ſiue Cochimi Regnum, & promontorium Cori, ſeu Comori protenditur.

Amiralius in Piratas.

Tum qui ex eius iuſſu naues inſtruunt, armántque, quíque Luſitani propriis ſumptibus piraticam exercent.

Hæc naualis rei adminiſtratio in Oriente: In Occidente, ſiue Americà, Pro-Reges duo, totidémque Amiralij, cùm olim vnus Pro-Rex, vnus Amiralius eſſent. Sub Pro-Rege Caſtellæ, ſiue Caſtilliæ Auriferæ.

Præfectus Inſulæ S. Ioannis: Incolis, Boriquen.

Præfectus Inſ. Hiſpaniolæ.

P. Cubæ.

P. Iamaicæ.

P. Iamaicæ.

P.P. Harutij, Cunaæ, Lucayi, & Carybûm Inſulárum.

A littore Floridæ ad fretum Magellanicum.

Præfectus arcis S. Helenæ.

Præf. S. Iacobi.

P. S. Philippi.

P. S. Auguſtini.

P. portus Hauani.

Præf. portus S. Ioannis à Luâ, vbi tuta Hiſpanicis nauibus ſtatio, ſicût & Mexicanis.

P. Vrbis Culicanæ.

Pp. Portus S. Iacobi, natiuitatis, & S. Antonij.

P. Tauaſci.

P. Mexici, quæ Regia pro-Regis eſt.

P. Vrbis & portus Villæ-Diuitis.

P. portus Veræ Crucis.

P. Guatimalæ.

Pp. Fonduræ, & Beragæ.

P. Vrbis portúſque Nominis Dei.

Pp. Paribæ, Farnambuci, S. Saluatoris, S. Georgij, portus Securi, S. Vincentis, portus Regalis, Tamaracæ, oræ omnium Sanctorum, ſiue Terræ Regis, Duarum Inſularum, ſanctus Spiritus, & Canabaræ, ſiue Iuniperi.

Sub Pro Rege Peruæ, Inſularum, littorum; & vrbium arciúmque ad pacificum mare Præfecti iſti ſunt.

Præfectus oppidi ſancti Iacobi.

*Pp. Valdiuiæ, Imperialis, Tarapatæ, Aricæ, portus Quilcæ, portus Acari, portus * Collai, inſulæ Arequippæ, Peſci, Quayquili.* * *Melius*, Calao.

P. Vrbis & arcis Limæ, Pro-Regis & Archiepiſcopi ſedes, diues mercibus pretioſis.

P. Portus Gauræ, & Caſmæ, ligni & ſalis abundantiâ loca celebrata.

Pp. Sanœ, Quanaplæ, Paytæ, ſanctæ Helenæ, Portus Veteris, Tumbeſi, Pinæ, Panamæ.

Poſt hos ab Iſtmo Americæ ad mare Rubrum Præfecti numerantur: Granatæ, Chiræ, Fonſecæ, Smacatlæ, Acaxutlæ, Nicalapæ, Socomiſci, Aquatulci, & Xaluſci, cum vicinis Inſulis, Anubladæ, S. Thomæ, & Xaliſci. Hodie pleraque circa maritimos magiſtratus immutata, reſciſſa, aut abdicata. Ann. MDCXXI. varios Amiralios per Hiſpanias inuenio, interq; eos Hieronymum Auguſtinum Contreram, & Carolum Ibarram. Præfectum verò Generalem claſſis atque orarum maritimarum Hiſpaniæ Fridericum Toletanum, Generaliſſimum porrò maris, vel, vt alij vocant, Principem maris, Philibertum Sabaudum: quæ dignitas, *In Mercurio Gallico.*

poſt Andreæ Auriæ deceſſum in iſto quaſi reuiuixerat. Ann. MDCXXV. vſque adeò, vt Carolus Catholici Regis frater, eâ honoratus fuerit, Anno MDCXXXII. Eundem Fridericum Toletanum Oceani generalem in hiſtoriis lego: Ioannem Faxardum generalem claſſis & ſinus Herculei, & Manuelem à Meneſe Præfectum claſſis Luſitanicæ. Anno MDCXXVI. apud Sibiliam Amiralatus, ſiue Societas mercatorũ ad negotiationes Septentrionales inſtiruta eſt: in quâ ſoli Germani, Flandri, Andaluſij, & Granatenſes admiſſi. Huic Septemviri opulenti, & Septentrionalis Oceani periti, præpoſiti ſunt; ſequentes conditiones additæ.

Iudicia penes Societatem eſſent, tam in ciuilibus, quàm criminalibus. De criminibus omnibus inter nauigandum, vel extra, in naui, vel portu commiſſis ſententiam ferret: Item de omnibus rebus, quæ negotiationes, armamenta, vel fabricam nauium ſpectarent, ſub iiſdem priuilegiis, quibus in eadem vrbe Societas Indici commercij vtebatur. XXIV. bellicas naues ſuâ pecuniâ ædificaret, inſtrueret, armaret. Claſſi nullus præponeretur, quocunque titulo, niſi ſubditus Hiſpaniarum Regi, nec ab alio quàm à Rege, vel Pro-Rege, vel ab Iſabellâ Archiduciſſa Flandriæ nominaretur, vel ſaltem probaretur. Decima prædæ, è quacunque re, dicto Hiſpaniarum Regi cederet: Centeſima verò mercium ad annua ſtipendia magiſtratuum Amiralatus, perſoluenda impenderetur. In Socios, nec in eas res, quæ Societatis eſſent, aut erunt, Adminiſtratorem generalem, neque particulares Adminiſtratores, Officiarióſque Magni Receptatoris rei maritimæ, aut Indiarum, vllam animaduerſionem habituros, ſicut neque iuriſdictionem: ſed illud tantùm Tribunal de appellationibus iſtius Amiralatus ius dicturum, quod ob id particulare erigeretur. Alia quamplurima hoc ipſo tempore typis vulgata, quibus totum maris Imperium Iberis deſtinabatur; inter libellos eiuſmodi, famam meruit ille, cui titulus VERIDICVS BELGA. Miſſi deinde Lubecam, vrbem Anſiaticarum vrbium præcipuam, ab Hiſpano Legari, aliíque Dantiſcum, Pruſſiæ ciuitatem, qui Vandalos, & Pruſſios ad dictam Societatem Septentrionalis commercij inuitarét. Lubicenſes, aliíque ad Germanicum mare populi, iniquis auribus hanc legationem acceperunt, cuius prætextu, vires omnes, opéſque Septentrionis, vi clandeſtinâ in Hiſpaniam trahebantur: retinendis nationibus Inferioris Germaniæ in fide & obſequio gentis Iberæ, apud quam opes ſuas, velut in depoſitum, hac arte, ſi exitum res habuiſſet, collaturi erant. In India porro Occidentali variæ Audientiæ ſunt, quas nos Galli Parlamenta dicimus. Prima, Sancti Dominici, ſiue Hiſpaniolæ Inſulæ, cuius iuriſdictio ab Oriente ad Occidentem DL. leucas habet, à Septentrione verò ad Meridiem CCC. Sub eâ, Hiſpaniola, Cuba, ſancti Ioannis, Iamaica, Margarita, & Vnionum piſcatio, Inſulæ omnes. In continenti verò Præfectura Veneſuelæ, & quæ terræ, Andaluſiæ, Guianæ,

janæ, & Floridæ vicinæ ſunt, cum minoribus Inſulis, mari Septentrionali velut innatantibus. Secunda Audientia, ſiue Parlamentum Hiſpanorum, in India Occidentali, quod Mexicanum & Nouæ Hiſpaniæ dicitur, intra ſequentes terminos iuriſdictionem ſuam includit: Iucatanam ſcilicet Prouinciam, Archiepiſcopatum Mexicanum, Epiſcopatum Tlaſcalanum, qui & Angelorum, Mechoacanum, Guaxacanum & Chiapam. In eo, Præfecturæ, Panuci, Iucatanæ, Tabaſci, Philippinarum Inſularum, & nauigationis ius in Chinam. Hæc Audientia ab Ortu Guatimalæ vicina eſt, à Meridie mari Auſtrali, quod *del Sur*, vocant, à Septentrione, Septentrionali, pulſatur, ab Occaſu Nouam Galiciam & Floridæ deſerta attingit. Longitudo iſtius Iuriſdictionis ab Oriente ad Occidentem cccc. leucarum eſt; latitudo verò à Meridie ad Auſtrum cc. leucarum. Tertia Audientia, Nouæ Galiciæ, ſiue Guadalajaræ & Xaliſci dicitur. Separatur à Nouâ Hiſpaniâ, Nauigationis portu & lacunis paludibúſque Chiápalæ. Terris etiam hodie incognitis à Septentrione iungitur. Versùs Occidẽtem Oceano Meridionali alluitur. A Gonſaluo Sandauallio, Ferdinando Corteſio iubente, Hiſpanis quæſita & deuicta Regio. Prouincias continet, Guadalajaram, Xaliſcum, Zacatecas, Chametlam, Culiacanam, Nouam Biſcaiam, Cinoloam, & quod nuper cognitum eſt Cibolæ & Quibiræ. Hæc iuriſdictio incertos terminos habet, fertilis & habitati ſoli longitudo centum leucarum eſt. Ibi ſedes Parlamenti & Epiſcopi Guadalaiara in mediterraneis ſita. Quarta Audientia, S. Iacobi Guatimalenſis, ſub cuius diſpoſitione, Guatimala, Soconuſco, Honduræ, Nicaragua, S. Saluator, S. Michaël, Chuluteca; Taguzgalpa & Coſtarica: extenditur ab Oriente ad Occaſum 240. leucis, à Meridiano 84. ad 98. gradum longitudinis. A Septentrione verò ad Auſtrum in latitudine 180. à x. gradu altitudinis, ad xix. In has regiones primus arma tulit Petrus Aluaradus, ann. 1524. Totius Parlamenti, & Prouinciæ Guatimalenſis caput, S. Iacobus, incolis *Cachequil*, hoc eſt, Aquila, iuxta Sinum ad ripas fluminis vrbs poſita. Supra, Soconuſco, eius nominis Prouinciæ præcipua, ora pluribus fluminibus in mare Notium procurrentibus lancinata. Infra Guatimalam, Ciuitas ſancti Saluatoris, Indis, *Cuzcatlan*, ſub qua oppidum Trinitatis, cui vetus nomen *Conzonate*, & aliud de nomine S. Michaëlis, quod ab alio, cuius appellatio *Xeres à Frontera*, incuruantis ſeſe in terram pelagi obliquitas ſeparat, ſinum Fonſecæ vocant, vtrique oppido, portus. Xeres olim Chuluteca, nomen Prouinciæ. Sinus, denominationem ſumpſit à Gillio Gonſaluo ab Auilâ, ann. 1522. in honorem Ioan. Roderici Fonſecæ, in Conſilio Indiarum tum Præſidis. Littoris totius celebratior portus Acaxutla, proptèr vrbem Trinitatis, vnde in Peruuiam & Hiſpaniam

Nouam frequens nauigatio. At Nicaragua, nomen Prouinciæ, per Louaſium à Salſedo, nouum Regnum Legionis dictæ, Granadam habet ad lacum Nicaraguanum, opus Franciſci Ferdinandi, circa quam montes igniuomi. Coſtarica Nicoyam oſtendit, propè portum S. Iacobi, & Chiræ. Cætera Audientiæ Guatimalenſis ad mare Septentrionale vſque ad Iucatanam è mediterraneis Prouinciis dependent, celebratior vrbium maritimarum versùs Arcton *Truxillo*, à Franciſco *de las Caſas* conſtituta, anno 1524. colonis nouis impleta à Ferdinando Corteſio. Et iſtæ quidem Caſtellanorum, ſiue Hiſpanorum Audientiæ, ſiue Parlamenta ſunt in America Septentrionali, in Meridionali verò, prima occurrit Panamæ, aliis Caſtellæ Aureæ, ſed pluribus, Terra Firma, cæteris Parlamentis ſtrictior, vix enim aliis de cauſis ibi quæſtio eſt, quàm de mercibus in Peruuiam deportandis, aut è Peruuiâ aſportatis. Ab Oriente ad Occidentem 90. leucis extenditur, à confiniis Cartagenæ ad Caſtellum Veraguæ, latitudo eius à Notio mari ad Septentrionale, 60. leucæ ſunt, quà minor eſt, 18. à Nomine Dei, vel à Portobelo ad vrbem Panamam. Subiecta huic Parlamento Nicaragua Prouincia, vrbes verò, Nata, ſiue Natan, Nomen Dei, Portus belus, Conceptionis, & Trinitatis. Secundum Parlamentum Americæ Meridionalis, Sanctæ Fidei dicitur, vel Noui Regni Granatenſis, in cuius iuriſdictione ſunt Præfecturæ, S. Marthæ, Cartagena, Popayana, & Eſtramadura. Longitudo eius, & latitudo æqualis, vnaquæque leucarum 300. Tertij iuriſdictione continetur, Caſtella Noua, cuius primus Preſes fuit Franciſcus Pizata, recentiori nomine Audientia S. Franciſci Quitenſis, hoc eſt, *de Quito*, dicta. Incipit à Septentrione poſt Portum Bonauenturæ, qui iuriſdictionis eſt Panamenſis, à meridie Limæ iuriſdictioni contermina eſt: à dicto portu ad oram Paytanam per 200. leucarum interualla diſtenditur, per ducentas verò quinquaginta leucas latitudinem extendit à Paria vſque ad infima Popayanæ ad Eurum: Prouincias ſequentes complectitur. Popayanam, Quixorum, Canelam, Ioannis Salinarum, Picamorum, & Gualſonguim; omnes ſub eo, qui Vicem-Regis in Peruuiâ agitat, poſitæ; portio Peruuiæ Æquinoctiali circulo vicinior, frugibus ferax, vt pote quas nec hyemis rigor, nec æſtatis feruor atterat, ſalubri aëre. Quarto Parlamento, quod Limanum, Peruuianum, & vrbis Regum vocant, ſubſunt, Lima, *Limac* incolis, Hiſpanis vrbs Regum, in quâ Pro-Rex habitat. *Arnedo* Vitibus ferax, à Comite *à Nieua*, primùm culta: *Truxillo* cum flumine & portu, per Franciſcum Pizarrum ædificata, ann. 1533. Miraflores, à pratis floribus conſitis dicta: *Cañete*, ſiue, *Guarco* frumento & mayzo abundans, ad ripam Guarci fluminis poſita, vnde appellationem ſumit: tum Arequipa & Quiloa, maritimæ

omnes

omnes vrbes, cætera iſtius iuriſdictionis in mediterraneis ſunt, cuius extenſio à Septentrione ad Meridiem, 220. leucæ, ab orâ verò maritimâ ad Orientem, 100. Summa huiuſce Regionis altis montibus obſita, frigent; media, tẽperantur; infima, æſtuant. In montibus, & circa montes pluit, in planicie neque pluit, neque fulminat, altitudine montium à ventis tutâ, niſi quà mari incumbit, è quo venti tantùm veniunt, qui, quia contrariis nuſquam impediuntur, vapores è terrâ genitos exprimere non poſſunt, neq; pluuiam generare, montibus oppoſitis vaporum condenſationem impedientibus, è quibus ſolæ tenues pruinæ gignuntur, quæ in terram cadentes, ſemina, herbáſque & arbores humectant, inferúntque cultis vitam & fertilitatem. Sequitur Parlamentum Platæ, ſiue Charcarum, cuius Imperij longitudo, 300. leucarum eſt, à flumine Nominis Dei, & extremitate Collai lacus, ad vallem *Copiapo*, vel *Copaiapo*, dictam, vnde exordium ſumit Chilenſis Prouincia: Latitudo verò eius à mari Meridionali ad Prouincias, quæ initiis fluminis Platæ alluuntur, extenditur per diuerſas & inæquales menſuras. Sub Pro-Rege Peruuiæ Gubernatores duo ſunt, Charcarum vnus, Tucumanorum alter. Tucumania in continenti tota eſt, ſicut & pleraque Charcarum. Fuerat olim & aliud Parlamentum, in ciuitate S. Iacobi conſtitutum ab ann. Sal. 1567. vſque ad ann. 1574. Nunc ſub Pro Regis Peruuiæ poteſtate poſita Prouincia Chile, Hiſpanorum dominio addita, ann. 1537. per Petrum Valdiuiam: à valle *Copeapo*, & littore Auſtralis pelagi versùs fretum Magellanicum per leucas 300. deſcendens, cùm 20. tantum leucarum ea Regio latitudinem habeat, altis montibus à Septentrione comprimentibus terram, frumento, mayſo, & auro feracem. Et hæc Parlamenta ſunt vtriuſq; Americæ, nam quod reſtat, Prouinciarum nomine contentum eſt, veluti Prouinciæ hinc & inde Magellanico freto incumbentes, ab extremis Chilenſis Prouinciæ ad ripas & exonerationem Platæ, ſiue Argentei fluminis, quæ in diſpoſitione Pro-Regis Peruuiæ ponuntur. Cetera ſub Braſiliâ comprehenduntur, portio Luſitanicæ dominationis, cui hodie multum detraxêre Batavi, nobilioribus portubus atque vrbibus occupatis. Regio inter Tropicum Capricorni & Æquatorem iacens, à ſyluis, braſilio arbore conſitis, nomen ſortita, dicta etiam & S. Crux, quòd in eam S. Crucis die, ann. 1500. Petrus Aluareſus Cabralis, Luſitanæ claſſis Præfectus, appulerit: ſaccaro & goſſipio abundat. In eâ octo Præfecturæ quibus totidem Capitanei præſunt, ab Hiſpanis numerantur. Antiquior omnium Tamaraca, tum *Pernambuco*, aliis *Fernambuco*, tertia Sanctorum, quarta Inſularum, quinta Portus Securi, ſexta S. Spiritus, ſeptima fluminis* Iuniperi, vltima S. Vincentis: ſed duæ vltimæ Antarcticæ Franciæ ſunt, quam Tupinambutij Gallis mixti incolunt.

* Geneure, *Gallicum vocabulum, à Gallis, qui illud omnium primi intrauerunt, ſic dictũ.*

CAPVT VIGESIMVMTERTIVM.

Maritimum Genuenſium Imperium, pugnæque in Saracenos, Piſanos, & Venetos, mari, aut in littoribus facta.

EXPEDITA Hiſpaniâ, nunc ad eas terras, quæ in Italiâ, partim ſub Hiſpanorum dominatione ſunt, partim ſub priuatis Principibus, deuoluor: occurrítq; prima ad Gallicum littus Genua, non quidem ſub Imperio Regum Hiſpaniæ, ſed velut in horum tutelâ acquieſcens, neceſſitate coniuncta Ibericæ dominationi, exuta pecuniis & miſera penéque captiua, vicinitate gentis inexpletæ. Vix vllus populus magis Romanis teſtitit, deluſitque aut æquauit Romanorum arma. Bellum quippe in eum motum ab anno Vrb. Cond. DXV. P. Valerio & Ti. Sempronio Coſſ. ad ann. DXCIX. perdurauit, quo tempore à Q. Opimio Conſule victus, triumphatúſque, quieuiſſe putatur. Et primò quidem Liguria pop. Romani prouincia facta, per Coſſ. adminiſtrata eſt. Ceſſante Rom. Imperio, circa ann. Sal. MC. bini Coſſ. creati à populo Genuenſi, quibus Genua gubernaretur. Ann. eiuſdem Sal. MCXXIX. tres Coſſ. lecti, cum Quatuordecim Viris rerum ciuilium. Poſtea, decem Conſules, annali poteſtate, Reip. præfecti. Ita ventum ad ann. MCXC. quo prętor inſtitutus, nunc ciuis, nunc externus. Ann. demùm MCCLVIII. Præfectus Populi creatus, & in ſocietatem gubernationis Prætori additus. Poſt bini Præfecti è Patritiis eidem Prætori coniuncti. Exin Præfectus & Prætor externi à Populo acciti, quibus Abbas, ſeu Cuſtos Populi additus. Hæc forma ciuitatis ad ann. MCCCXVIII. ſtetit: quo populus in Ioannis XXII. Pont. Rom. & Roberti Neapolitanorum Regis poteſtatem conceſſit. Horum Imperio vrbs gubernata, vſque ad ann. MCCCXXXV. Inde turſus Prætorem binóſque Præfectos ciues, Abbatem & Antianos ciuitas ſibi legit, ſub quibus anni quatuor exacti. Hoc tempore diſcordiis ciuilibus enatis, pulſi vrbe Spinulæ cum Auriis, & exinde odiis atque contentionibus inteſtinis gliſcentibus, poſt clades plurimas nouum Magiſtratum & illum perpetuum, hoc eſt, quandiu electus viueret, creare ex vtilitate publicâ primoribus viſum, primúmque Ducem Boccanigram elegerunt, ann. MCCCXXXIX. Quanquam & antea Ducem factum Dominicum Fregoſum, duobus ante annis, Volaterranus affirmet. Sequutus eſt Boccanigram in Ducatu, Ioannes Valens, qui cùm tribus annis Imperio functus eſſet, ſucceſſorem habuit, Ioannem Vicecomitem, Archiepiſcopum

Sigonius in Faſtis Rom.

Leander Albertus in Liguriâ.
Petrus Bizarus hiſt. Genuenſis, de Syriacâ expeditione, de bello Saracenico, de bello Piſano.
Sigonius de Regno Italiæ, lib. 8.

chiepiſcopum & Principem Mediolani, quo; Ducatu pulſo, tędio alieni Imperij, rurſus Simeon Boccanigra Dux factus eſt. Poſt ſeptimum annum Gabriel Adurnius ei ſublectus: huic alij duces intra paucos annos. Guelfis Gibelliniſque diuerſis factionibus graſſantibus, in Caroli VII. Francorum Regis clientelam Genuenſes ſe contulêre, qui rectorem vrbi dedit è Galliâ * Bucicaldum. * Boucicault.
Quo vrbe pulſo, ann. MCCCCIII. Comitiis habitis, ciuitas in fidem Ioannis Mariæ Vicecomitis, Mediolani Ducis conceſſit, hic annis quatuor vrbi præfuit. Occiſo deinde Ioanne Mariâ, Dux Genuæ Georgius Adurnius appellatus eſt. Mox in Philippi Mariæ clientelam ciuitas venit. A cuius fide, poſt annos octo, deſciſcens ciuitas, octo libertatis Præſides creauit: iiſque, non diu poſt, magiſtratu abire iuſſis, Iſnardum Guarcum Ducem dixit, annó MCCCCXXXVI. Hinc leuitate gentis factum, vt iterum Pręſides octo legerentur, mox & Ducatus reſtitutus: rurſúmque in fidem Caroli VII. Francorum Regis, ann. MCCCCL. deuenit, permanſitque in noſtrorum Regum dominatione, ad annum MCCCCLXI. quo per ſeditionem pulſis Gallorum præſidiis, Proſper Adurnius Dux electus eſt. Poſt & Genuenſes Franciſcum Sfortiam, Mediolanum Ducem, Principem nominauêre. Ceterum cùm Ludouicus XII. Galliæ Rex, ann. MCCCCXCIX. Ludouicum Sfortiam Mediolani Imperio deturbaſſet, Genuenſes ſub ditione ſuâ recepit, caſtellúmque portui impoſuit, cuius præſidio ciuitas in obſequio contineretur. Pulſis ann. MDXII. totâ Italiâ Gallis, Genuenſes libertate receptâ, Ianum Fregoſum Ducem appellauerũt; mox & alium Fregoſum, Octauianum nuncupatum. Vterque deponere Principatum coactus, noſtrâ virtute, cui ſub Ludouico XII. & Franciſco primo Mediolanum & Liguria ceſſit. Sed & eodem Franciſco I. regnante, Octauianus Fregoſus, Legati nomine, Genuæ præfuit, donec Proſper Columna captus, in Inſulam Prochytam relegaretur. Eo capto dux creatus Antoniottus Adurnius, ſub quo iterum vrbs terrâ maríque obſeſſa, ad nos rediit. Huic præpoſitus Theodorus Triuultius, veteríque demum libertati, gratiâ Franciſci I. poſtquàm reddita fuit, Octoviri cum Duce facti ſunt. Duodetriginta gentes (ipſi Albergos vocant) habet Genua, quæ nobiles cenſentur. Ex iis quadringentorum conſilium nobile, Dux vnus, gubernatores octo, totidem procuratores, quinque ſyndici creati, apud quos vrbis Imp. fuit. Primus in biennium Dux creatus eſt, ann. MDXXVIII. Albertus Acianus. Quo dominante, Carolus V. Imp. Reip. Genuenſis formam hanc ratam habuit, quæ hodie durat. Tria Genuenſibus pelago maximè memorabilia bella fuerunt: primum in Saracenos, ſecundum in Piſanos, tertium in Venetos. Vetuſtiores Genuenſium expeditiones, poſt Sardiniacam Corſicámque, in Syriam

Ttt fuerunt

Ab ANN. Sal. fuerunt: iis Antiochiâ expugnatâ, Seleucia, Myra, Antipatris, &
1100. Cæſarea à Guilelmo Embriaco claſſis Præfecto captæ, quas ſe-
ad ANN. 1250 quuta eſt Ptolomais, & Biblus (Gibellum maius hodie dicitur)
& Tripolis, Berythus, Malmiſtra, aliæque Phœniciæ, & Syriæ lit-
torales vrbes. Nec ceſſatum eſt à bello: quocunquè Saraceni
fugêre, quacunquè erupêre, ibi præſtò Genuenſes cum validis
claſſibus fuerunt. Balearis Minor, quæ communi indigetatione
Minorica vocatur, Almeria quoque, Granatæ vrbs, iuxta Gartæ
promontorium ſita, & Derthuſia, magnâ reſiſtentium clade ſub-
reptæ. Longè antea Sardiniam Corſicámque Genuenſes Sara-
cenis eripuerant, Pipini Galli Italiæ Regis auſpiciis, florebátque
ſub Comitibus vrbs potens à Carolo Magno Imp. Pipini patre, de
ſuis ruinis, quas Rhotaris XVII. Longobardorum Rex fecerat,
nuper eruta, & reparata. Nec qui Genuenſibus reſiſteret, poſt
Saracenos, inueniebantur, ſi Piſani, Venetíque hoſtes defuiſſēt.
De vtriuſque gentis origine & victoriis infra dicemus. Nunc
quæ bella Genuenſes, quæ odia, quas amicitias exercuêre in Pi-
ſanos exordiar. Bellorum tum penè omnium arena Sardoum
Corſicúmque litus erat, has Inſulas Saraceni, Genuenſes, & Pi-
ſani, viciſſim, & quaſi per ſucceſſiones, Fortunæ munere obtine-
bant, nec vllis tutum erat imperium, victi mox victores, pulſi
ANN. 1015. mox pellentes. Piſis incenſis, Sardiniam, Piſanis fugatis, Muſa-
ctus Saracenorum Rex, occupauerat. Quapropter Piſani Ge-
nuenſibus in belli ſocietatem vocatis, tertiam expeditionem in
Sardiniam aduerſus barbaros fecêre, eo ſucceſſu, vt non modò
amiſſa recuperauerint, ſed & victum claſſe Muſactum primo Ge-
nuam, mox in Germaniam adduxerint. Orta inter vtrunque po-
pulum è diuiſione prędæ diſſentio, inde bellum, rurſúmque pax,
iterúmque bellum, páxq; iterum, donec Piſani Genuenſibus ce-
derent. Prælia maritima, in quibus ij, aut illi victores fuerunt,
plurima omitto, maiora memoraturus. Igitur, vt primùm, fuga-
ANN. 1127. tis Piſanorum nauigiis, Corſicam Genuenſes inuaſerunt, por-
túmque Plumbini cum adiacente caſtro occupauerunt, obſeſ-
ſáſque Piſas eâ conditione deſeruerunt, vt omnia domorum fa-
ſtigia ad primam vſque contignationem ciues demolirentur.
Piſani è contumeliâ audaciores facti, repentinis incurſioni-
bus circa Peram, Siciliámque & Liguſticam oram Genuenſium
res afflixerunt, fracto nauali pugnâ Balduino Guiercio Genuen-
ſis claſſis Præfecto, aliiſque mox claſſibus profligatis in Thuſ-
co & Gallico mari. Victi tandem Piſani ante Syracuſas Siciliæ,
omni claſſe amiſſâ, v. triremibus exceptis, cùm debellati crede-
rentur, fortiores è clade ſurrexêrunt. Vaſtata illis Sardinia, Lar-
gerus expugnata, Eryx, & Trebianum, oppida Liguribus ablata,
& niſi Auriatum & Spinularum virtute Piſanis obuiam itum eſ-
ſet,

ſet, extremus dies Reip. Genuenſi imminere putabatur. Tridui ſpatio LXX. triremium claſſis inſtructa Vberto Auriæ cōceſſa eſt, triremes IV. longæ naues V. Henrico Mario datæ, XX. triremes alias Caccianimicus Cataneus obtinebat. Piſani Vgolino Comiti & Andreotto Saracenō, de Sen. conſentiente, totius rei naualis expediendæ negotium demandarunt; quorum induſtriâ & operâ factum eſt, vt XLIV. nauigia Ioannis Caualcæ auſpiciis educerentur. Hic XX. triremibus ſelectis, contra Marium in Sardiniam profectus, in conſpectu Inſulæ pugnauit, tractáque in noctem pugnâ, XV. amiſſis, reliquas Piſas deduxit. Inſtabat noui Prætoris creandi tempus, omnium ſuffragiis Piſanorum prætor nuncupatus eſt, Petrus, ſiue, vt aliis placet, Albertus Maurocenus Venetus, vt; ſimul, & ductore eo præliis maritimis aſſueto vterentur, & amicitiam ſibi Venetorum conciliarent, qui arbitri magis, quàm amici, aut hoſtes vtriuſque Reip. credebantur. LXXII. triremes Mauroceno conceſſæ in Ligurem, qui audito tantæ claſſis apparatu, eodem Vberto Auriâ Duce, LXXX. triremes, phaſelos VIII. quos vulgo Pamphilos vocant, cymbáſque innumeras in Piſanos conuertit. Imperabat claſſi poſt Auriam, Conradus Spinula, cui ſiniſtrum cornu mandatum eſt. Prælium ad Lamellam Inſulam, vulgò Maloram, iuxta portus Piſani fauces ſitam, commiſſum. Ann. 1284.
Ne Piſanus pugnam detractaret, partem claſſis Auria poſt tergum manere iuſſerat. XXX. triremes, Giacario duce, auxilium periclantibus medio in ardore prælij laturæ, aderant; & vnicuique triremi celocia nauigia in omne periculum parata. At Piſana claſſis nauium numero inferior, ſub turribus, aliiſque portus munimentis pugnabat, dextrum cornu Maurocenus, ſiniſtrum Hugolini Comitis filius in Prętoriâ cum vexillo Piſano tutabatur, acerrimè omninò vndique conflictatum eſt, donec ſemilacerum & fruſtratim diſcerptum Piſanæ Reip. vexillum, prætoriâ captâ, Genuenſes auellerent: hinc conſternatio & fuga. XXX. triremes in Ligurum poteſtatem peruenêre, in ipſo conflictu VII. ſuppreſſæ interierunt. Reliquæ, quòd ſeſe intra portus Piſani munimenta intruſerant, incolumes euaſêre. V. M. Piſanorum deſiderata: magnum captiuorum fuiſſe numerum, inter quos & Maurocenus fuit, ex ſequenti prouerbio inde facto, intelligitur, Genuam eat qui Piſas cernere voluerit. Ob id Sen. Conſulto Genuenſis Reip. decretum, vt VIII. Id. Auguſti, quo die tam proſperè à ſuis pugnatum eſſet, ſolenni ſacro anniuerſario ad ædem D. Sixti, eius rei memoria celebraretur, & vexillum ex hoſte captum, in D. Matthęi fano, ceu perenne victoriæ monumentum, aſſeruaretur. Erepta inde victis Ilua Inſula, turris portu Piſani diruta, Ligurnum direptum, cathena, quâ portus Piſanus muniebatur, fracta, & Genuam tranſuecta, tandémque Piſanorum vires exciſæ, quibus olim vi- Ann. 1288.

Ttt 2 ctis

ctis Saracenis, Sardiniam receperant: Carthaginem, pertinacem
Imperij Romani quondam æmulam, vincto eius Rege, & ad
Pontificem Romam adducto, perdomuerant: Panormum Sici-
liæ Metropolim, diu à Saracenis occupatam, ſuperatis, cæſiſque
barbaris, in priſtinam libertatem ac ſplendorem, defixis ad tem-
plorum omnium veſtibula, hoſtilibus manubiis, reſtituerant: Sy-
riam Chriſtianis Principibus aperuerant: auxilia Aragonenſibus,
auxilia Impp. victoriáſque præbuerant, vel fecerant: diu denique
incertâ & prorſus ambiguâ fortunâ contra Ligures, antiquos &
penè domeſticos hoſtes, vſi fuerant: adeò nihil ſtabile in Mun-
do eſt, & ſeruituti plerunque obnoxius eſt, qui alios in ſeruitu-

Bizarus de bello Veneto: & in hiſt. Genuen. Sabell. hiſt. Enn. 9. & 10. Item rerum Venetarum, dec 1. 2. 3 & 4.

tem miſit. Conſurgit maius in Venetos bellum: Henricus, cog-
nomento Piſtator, Malliacæ oræ Princeps, cum auxiliari Genuen-
ſium claſſe, Candiam Inſulæ caput, è qua & illi nomen, aliáque
oppida & arces Venetis eripuerat: nouæ præterea in Ptolomai-
de, vrbe Syriæ, diſſentiones inter Venetos & Genuenſes ortæ fue-
rant, nec iſti ſuperiorem, vel illi æqualem potentiâ & felicitate
populum ferre poterant. Iámque Palæologus Græcorum Imp.
Genuenſes Smyrnâ Aſiæ celebri vrbe, Chióque Ægæi maris In-
ſulâ, Saches Turcis vocata, donauerat: hinc inuidia & emulatio,
frequentes bellorum cauſæ, non citra Chriſtiani Orbis & Impe-
rij grauiſſimam iacturam. Genuenſium in Syriâ Tyrus erat, Ve-
netorum verò Ptolomais, & iam quæcunque rates commercio-
rum causâ Orientem petebant, maximo cum periculo nauiga-
AN. Sal. 1266 bant. Onerariæ x. mercibus repletæ, quæ ad Remp. Venetam
pertinebant, à Simone Grillo Ligure, propter Dyrrachij muros,
interceptæ ſunt, Veneta claſſis ab obſidione Tyri repulſa, Cydon,
nunc Canea, vrbs Cretæ, ſiue Candiæ, ab Vbertino Auriâ expu-
gnata & direpta, & in Venetorum contemptum magnâ ex parte
1267. diruta. Anno ſequenti xxv. triremes, Lucâ Grimaldo duce, con-
ſcriptæ, cui duo Senatorij ordinis viri, nempe Paſcaſius Cata-
neus, & Otholinus Nigrius, tanquam conſiliarij, vel potius Col-
legæ adhibiti ſunt: è maiorum ſcilicet inſtituto, qui in rebus ar-
duis & perplexis, vni ſoli Reip. ſalutem committendam non eſſe
exiſtimauerunt. Syriam dum peteret Grimaldus, tria Venetorum
nauigia in Ægęo mari intercepit, mox arcem Ptolemaidis, vi tor-
mentorum ad deditionem compulit. Nondum odiis, Ptolomai-
de amiſsâ, Chriſtiano ſanguine ſatisfactum erat, recruduit inter
vtrumque populum bellum, Pera & Phocæa à Venetis direptæ.
Peram mercatores Genuenſes tenebant, Galatis, veteribus colo-
nis, mixti, hanc Sabellicus, à breui traiectu, Græcâ voce dictam
putat, non alia ad Ponticas merces conuehendas vrbs aptior: in-
cenſam ægrè tulerunt Genuenſes, prædæ opulentæ pondus Vene-
ros, duce Rogerio Mauroceno, ſuperbos fecerat, ſed eos explicata
claſſe

claſſe Nicolaus Spinula ita contudit, captis xxv. triremibus, vt ſuperbire dedidicerint, eò magis, quò maius damnum eoſdē ſubſequutum eſt. Comparatâ cc. triremium claſſe, eáque ad IIC. redactâ, Lambas Auria Præfectus, ad Curſulam, aliis ad Corcyram Nigram, cum Venetâ claſſe, quæ xc. triremium erat, Andreâ Dandulo duce conflixit: victoria penes Ligures ſtetit, atque è Venetâ claſſe x i i. tantum ſalutari fugâ ſeſe exitio ſubtraxerunt, impatiénſque contumeliæ Dandulus, impacto, colliſóque in puppem capite extinctus eſt. Neque felicius M. Baſeius circa Helleſpontum in Genuenſes pugnauit, amiſſis xvi. nauibus. Eubœa Inſula à Philippo Auriâ Genuenſi variis populationibus & incendiis deuaſtata eſt, Chalcis, vrbs Inſulæ primaria, expugnata; & poſtquam Græco Imperatori & Aragoniæ Regi iunctus eſt Venetus, celebrior Ligurum fama, tot hoſtibus ſimul deuictis. Præter as Venetis nauibus Nicolaus Piſanus, Aragoniis, ſiue Catalanis, Pontius à S. Paulâ. Quem Ioannes Catacuzenus Græcorum Imp. ſuæ claſſi impoſuerit, diligenti inquiſitione nondum comperi. Liguſticæ triremes LX. Pagano Auriæ commiſſæ feruntur, impar nauium hoſtilium numerus. Circa Peram, olim Galatam, ad Boſphori anguſtias dimicatum eſt, ne ſi in alto prælium commiſſum fuiſſet, à triplici claſſe Ligur circumueniretur. Pontio medio in conflictu cæſo, Catalani ſuo Duce deſtituti, primi omnium pugnam remiſerunt. Inde Veneti ſensim cedere, Græci innatâ calliditate detrectantes pugnam, fugere, arbitrium victori omne in victos captóſque relinquere ceperunt. Captæ Venetorum triremes xxx. Aragonum x x v i i. Idem Auria & alteram Venetorum claſſem duobus poſt annis circa Oenuſas (hodie Sapientiæ Inſulæ) haud procul Meſſeniaco ſinu poſitas, debellatam, ipſúmque ducem, quo cum nuper circa Peram pugnauerat, Nicolaum Piſanum, cum XLV. M. hoſtium, vexillo D. Marci obliquè inuerſo, & ad puppim affixo, Genuam tranſmiſit, Parento, vrbe Adriatici ſinus direptâ atque incensâ. Hinc Cyprium bellum ſequutum eſt, Venetis Petrum Luſignanum, Cypri Regem, in Ligures inſtigantibus. Miſſus in Inſulam Petrus Fulgoſius cum Liguſticâ claſſe XLIII. triremium, obſeſſa per eum Famaguſta, receptáque ad deditionem, coactúſque eſt Rex Cypri, vt extremum exitium auerteret, pro arbitrio victoris pacis conditiones accipere, Famaguſtam illi relinquere, annuúmque tributum XL. M. aureorum promittere, & perſoluere. Tanta tunc erat nominis Liguſtici fama, vt Reip. amicitiam alij populi peterent, alij emerent. Andronicus Iunior, quò Andronicum auum Orientis Imperio deturbaret, priuatis viribus diffiſus, vt auxilium à Liguribus impetraret, Inſulam illis Tenedum conceſſit, quæ media inter Leſbum & Helleſpontum ſita, antiquam Troiam reſpicit: hanc Emanuel Caloioannis

ANN. 1298.

ANN. 1352.

ANN. 1354.

ANN. 1375.

filius eodem fere tempore Venetis promiſerat,ſi ſe in recuperando Imperio iuuiſſent. Ex eâ ſcaturigine renouatum bellum inter
Ann. 1378. Venetos & Genuenſes. Ligurum in partes Ludouicus Pannoniæ Rex, Franciſcus Carrarius Patauij Princeps, Archidux Superioris Pannoniæ, & Aquileienſis Antiſtes iurauêre. Venetis Barnaba Vicecomes Mediolanenſium Princeps, Petrúſq; Luſignanus Cypri Rex,immemor ſe Genuenſium tributarium eſſe, conſiliis armíſque fauebant. Vt Liguſtica claſſis, Luciano Auriâ duce, in Adriaticum ſinum peruenit,ſigna ille canere iuſſit, & in claſſem Venetam,cui Victor Piſanus imperabat,proras vrgere. Diu prælium protractum eſt, donec infeſto telo Lucianus Auria caderet. Quod multis exercitibus ſæpenumerò exitium,mors Ducis:idem fuit & Genuenſium ſalus. Qui cæſum viderant,ſanguine hoſtili manibus eius parentare voluerunt: qui non viderant, alio in defuncti locum ſubſtituto,iiſdémque armis munito,deluſi: qui generosè pugnabat, nefas putauerunt,etiam ducis imaginem non imitari. Vicêre tandem xv.triremibus occupatis, & vt ſolet malum dilatari, fugato Venetorum duce; Humagum in orâ Iſtriæ, mox Gradum, & Caprulas Venetiis vicinas cepêre. Indè dextrum littus tenentes, Paleſtriuam,poſtremò Clodiam adorti: illâ, ciuibus & milite vacuâ, leui momento potiti ſunt: hac verò, à præſidio repulſi. Succeſſerat Luciano Petrus Auria, qui vt præfecturam veteris claſſis ſecurius adminiſtraret, xv. nouis triremibus illam auxit. Primum eius militiei rudimentum Clodiæ expugnatio fuit,Veneti vacillare, ſummittere ſe, & dum ſeruitutem timent, iam ſeruire ceperant, ſi Auria voluiſſet: ſed ille Venetis oratoribus, qui pacem quacunque lege petebant, ad arma redire iuſſis, patriam ſuam penè perdidit. Nam poſtquam blandiente fortunâ,expugnationi Clodianæ Pupiliam, Methamaucúmque addidit, prælio nauali cæſus, exiguam benè gerendæ rei ſpem Gaſparo Spinulæ ſucceſſori reliquit: qui poſtquam Tergeſtum, Iuſtinopolim,& Polam Genuenſium dirioni addidit,claſſe Venetâ,quæ vltra Adriaticum ſinum nauigabat,in vrbem reuersâ, quo tempore primùm Veneti æneis tormentis vſi ferunrur,tum Liguſticæ res inclinare,& ſensìm,quæ occupata bello fuerant,bello ad antiquos dominos redire ceperunt: iámque laſſatis labore, ſuccurrere amor pacis, quæ æquis conditionibus tandem ſtabilita
Ann. 1380. eſt.Verum vbi cum Florentinis & Genuenſibus bellari inceptum eſt,Veneti Florentinorum cauſam ſequuti,in terras Philippi Mediolanenſis Principis, Ligurum ſocij,exercitum expoſuerunt,terreſtribus quidem prœliis ſemper victores,maritimis autem victi. Claſſem Venetam toto Pado ducebat Nicolaus Treuiſanus, Philippicam Ioannes Grimaldus, vir rei maritimæ ſcientiâ inter Ligures longè clariſſimus, qui Papiâ cum ſuis nauibus ſoluens, in
Padum

Padum naues traduxit, & cum validâ Venetorum claſſe, nauium numero & pugnantium multitudine longè ſuperiore, in eo flumine iuxta Cremonam pugnauit, eo ſucceſſu, vt Ligur tandem ſuperior euaderet, captis XXVIII. nauigiis. Pulſus quoque Chio Inſulâ Andreas Mocenicus, claſſis Venetæ legatus, pluribus nauibus, virtute Raphaëlis Montaldi, depreſſis in ipſo portu, aliis tempeſtate amiſſis. Vixque Mocenicus obſidionem reliquerat, cùm Petrus Spinula XXIV. nauibus comitantibus, quarum triremes X. reliquæ corbitæ ingentis magnitudinis fuerunt, aduenit: vbi cùm hoſtem non inueniret, Naxum maris Ægæi Inſulam, Andrúmque Eubœæ adiacentem, deditione occupauit. Et hæc multis prœliis, pluribus annis inter Venetos Liguréſque geſta ſunt, vſque ad ann. Sal. MCCCCXXXIII. quo tandem pax renouata eſt, captiui vltrò citróque dimiſſi, & quod fieri ſolet, cum nulli hoſtes externi Ligutibus eſſent, poſtpaulò domeſticus inquietis placuit, quo contuſi, maximum mortalium bonum, libertatem ſub variis dominis perdiderunt, ad quod pertinet ſequens epigramma à Scaligero olim compoſitum, cui titulus eſt, GENVA. ANN. 1431.

Ditis opes Aſiæ, & claros Orientis honores,
Quantáque ab Euxino tunditur ora ſalo.
Piſanas acies, Thuſcæ decora inclita pubis,
Et traxi ad Ligures Gallica ſigna manus.
Subiectis domitas tenui ceruicibus Alpes,
Et tremuit noſtras Africa terra trabes.
Afflictus toties Venetus, quæ fugerat olim
In patriis mouit tela petitus aquis.
Fruſtrà Galle cupis: fruſtrà es fruſtator Ibere,
Fruſtrà ſæua ferox Inſuber arma geris.
Vincor ego cùm vinco, par eſt victoria damno,
Súmque eadem domina, ſeruáque facta meâ.

CAPVT VIGESIMVMQVARTVM.

Eorumdem Genuenſium res mari geſta in ceteras gentes. Vbi & de Florentinis aliiſque Italiæ populis nonnulla recenſentur.

GENVENSIVM Annales ab ann. Salut. MC. incipiunt, non quòd multa æternitate digna ante hunc annum Ligures non egerint, ſed quia, Genuâ à Longobardis euerſâ, à Carolo Magno reſtauratâ, à Saracenis captâ, & antea Romanis ereptâ, nullus ordo hiſtoriæ ſeruari

Bizarus in hiſt. Genuenſium. Leander Albert. in Liguria. Goltzius in hiſt. Siciliæ.

ri poteſt, confuſâ narratione præcedentium ſæculorum incuriâ, variorúmque populorum examinibus Italiam infeſtantibus, qui agere,quàm ſcribere malebant. De eorum expeditionibus in Syriam, Ægyptum,& Africam antea dixi, Piſanorum, Venetorúmque in eos bella expediui. Iam ſæculum alterum tranſierat, cùm
ANN.1206. Ioanni Struſſio Præturam vrbis adepto, præter Coſſ. in cauſis forenſibus, quatuor ciues ſocij & conſiliarij dati,quorum curâ, cùm maximè ad res maritimas pertineret, ideò vulgò Conſules maris appellati ſunt. Florebant tunc Genuenſium opes,quibus ſe Niciani & Albintimilij vltrò permiſerant. Eorum, Septa Africæ, Tyrus Syriæ, erant: Corſicáque & Sardinia Inſulæ. Vrbs, portúſque ampliati, quo tempore nobiliſſimæ Auriarum Spinularúmque familiæ iam per multos annos ſummos Reip. magiſtratus nunc ſimul, nunc per vices obtinebant, donec Guelphorum
ANN. 1300. & Gibellinorum damnoſis factionibus diſtraherentur. Pulſi vrbe Auriæ cum Gibellinis,Liguſticam oram populationibus infeſtabant: in eos Fridericus Marabota cum claſſe miſſus,qui Aurianorum vires timens, nóxque iam viſo hoſte appeteret, poſitis in mari ſcutis,quorum medium lampades ardentes occupabant,extinctis verò triremium luminibus, hac ſolertiâ pugnam, & certum exitium vitauit, proſequente clypeos hoſte,qui deluſus nouo ſtratagemate, iactatos fluctibus clypeos, triremes Guelforum eſſe arbitrabatur ad faces remigantes. Tandem Aragoniis nunc Sardiniam, nunc Liguriam infeſtâ claſſe populantibus, vt hoſti reſiſteretur,Guelphis in vrbem reuocatis,& concordiâ factâ, vnanimes iunctis viribus, Antonio Grimaldo imperium in XLV. tri-
ANN.1332. remium claſſem Sen.dedit. Is è ſinu Liguſtico ſoluens, Cataloniam versùs enauigauit,in quam ſecundis ventis appulſus, plæráque Tarraconenſium nauigia in littore anchoris adhærentia, ſubito incendiô abſumpſit: hinc in Maiorem Balearicam deſcenſione factâ, ipſíque Aragónenſium Regi bello Reip.nomine indicto, eius claſſem, quæ XLII.triremium erat, circa Minoris Balearicæ portum in fugam coniecit. Huic ſequenti anno cùm Salagrus Nigrius ſucceſſiſſet, inuentâſque medio in mari, dum curſum versùs Maioricam tenderet, quatuor onerarias ingentes Catalanorum naues celerrimas aſſequi nô poſſet,militari aſtu,quidquid triremium ſuarum celeritatem morabatur,præcipitari in pelagus iuſſit,habitáque ad ſuos oratione, famem & inediam obiectabat, annonâ omni in pelagus miſsâ, ſi ab hoſte alimentum non peterent, eam commeatibus refertam,victoribus ſalutem,& vitam portare,imminere verò timidis omnium mortis generum acerbiorem è fame mortem. Itum alacriter in hoſtem pari audaciâ repugnantem,pluribus cæſis, CCCLX.cum omni claſſe captis, victor denique Ligur circa Sardiniam deuectus, X.Aragonias triremes

remes expugnatas ſecum in patriam deduxit. Nec aliud in Aragonas tunc mari geſtum eſt, ob tediuiuas Guelphorum & Gibellinorum factiones, ob quas, ciuitatis ſtatus immutatus, & Simon Buccanigra, primus Dux & Princeps Genuenſium renunciatus: Sub iſtius Principatu ad inhibendos Boniacobi Marocci Regis per Ionium, Ponticum, Syriacúmque pelagus excurſus, Simoni Quarto claſſis commiſſa in Euxino, non longè à Theodoſiâ, quæ hodie Capha dicitur, eáque eſt Genuenſium colonia, Zarabim Sinopis Regulum oppreſſit. Datæ & Ægidio Buccanigræ Ducis fratri xx. triremes, quibus Alphonſo Caſtellæ Regi in Mauros auxilio eſſet. Vt in Hiſpaniam deſcendit, Maurorum opes terreſtribus prȩliis contudit, cum illi detractarent maritimum certamen, ne ex Africâ auxilia peterent, in portu cohibuit. Miſſus & in Hiſpaniam eſt cum nouâ claſſe Buſſenus Eugubius, qui Boniacobi Marocci Regis Galeacias IX. roſtratas III. ad Bellenocè oppreſſit. Cùm autem Buccanigra Principatum abdicaſſet, in eius locum communibus ſuffragiis Ioanne Mottâ ſublecto, Simon Vignoſius claſſi præpoſitus eſt: illi à Principe in foro D. Laurentij, magnâ ceremoniâ, XI. Kal. Februar. D. Georgij vexillum traditum fuit. Per hunc Tetracina, olim Anxur, Genuenſi Reip. addita, caſtella circa Caietam, ripáſque Cariliani fluminis diſiecta, Traietum oppidum expugnatum, Sueſſa, vrbs Volſcorum celeberrima, libertati reddita, Chius Inſula recepta, Inſulares in Genuenſium ciuium ordinem cooptati, Foliæ nouæ ac veteres imperio adiectæ. Vix vna Reip. forma ſæculum tenuit, nouâ factione ad Ioannis Vicecomitis, Mediolanenſium Principis, tutelam concurſum eſt, quo rerum potiente, Philippus Auria xx. triremibus in Africam minorem delatus, Tripolim maritimam & totam Libyæ oram diripuit, debellatis piratis, ſub quorum tirannide tunc vrbs erat. Nec diuturnum fuit exotici Principis Imperium, Simone Buccanigrâ iterum Reip. Principe ſalutato, cui, poſtquam ab humanis rebus ſubſtractus eſt, Gabriel Adurnius Patrum ſuffragiis ſubſtitutus. Iſtius Principatum Soldaiæ, Scythiæ vrbis, deditio nobilitauit, nec aliud ſub eo à Genueuſibus mari geſtum: neque maiora Dominico Campofulgoſio dominante repetio, niſi quòd Melita Inſula, per Thomam Murchium dominationi Liguſticæ expugnata, ceſſit. Sub Antoniotto Adurnio bellum Tuneranum cepit, erepta Afris Meninga Inſula, antiqui Paruam Syrtim, noſtri hodie Zerbas vocant, illius adminiſtratio Manfredo Claramontio Siculo permiſſa eſt. Adurnio adhuc viuente, noſtris regibus Liguſtica ditio permiſſa, primúſque Præſes ad adminiſtrandam Remp. à Carolo VI. Gallorum Rege miſſus Valerandus Luxemburgicus, S. Pauli Comes. Cæſis poſtea totâ vrbe Gallis, Liguriæ dominium ad Montisferrati Regulum deuolutum eſt, quo

ANN. 1339. ANN. 1345. ANN. 1353. ANN. 1356. ANN. 1364. ANN. 1371. ANN. 1388. ANN. 1397. ANN. 1409.

imperante, Albintimilium, & Telamonis portus cum oppido direptus, nauale bellũ in Taraconenſes propter mutua odia redintegratum, victi Taraconenſes in ipſo penè Alexandriæ vrbis Ægypti portu, Baptiſtâ Franco Luſardo, Paulo Lercaro Genuenſi, claſſi imperantibus: iterum quoque Barcinonis in portu aliquot nauibus immiſſo igne concrematis, aliis in terram per metum ſubductis, Taraconenſes cum Aragoniis ab Antonio Auriâ cæſi fugatique ſunt. Redierat ciuium animis antiquorum Principum regimen: itaque, vt ſeſe Marchionis Montisferrati dominatione ſubducerent, maximo omnium plauſu Georgius Adurnius Princeps renunciatus eſt. Poſt hunc Barnabas Guanus, poſt Guanum Thomas Campofulgoſius, ſub quo recruduit bellum Corſicum, Bonifacianis auxilia aduerſus Alphonſum Aragoniæ Regem, à quo obſidebantur, petentibus: nec morâ, Ioanne Fulgoſio duce, ante portum Bonifacij, vrbis Corſicæ, delara claſſis: portus fauces cathena ferrea, trabéſque colligatæ obſtruxerant: medium, v. naues immenſæ magnitudinis occupabant, proris in Ligures conuerſis, & lateribus ita preſſis & cohærentibus, vt ex aliâ in alias nautis & militibus decurſus eſſet. Quæ ex his terræ propior erat, ponte in eam iniecto, terreſtre ſubſidium nullo labore accipiebat, adeò vt è continenti in primam, & ex eâ in reliquas per commodè tranſiliretur. Circa, in littore, tormenta bellica diſpoſita, in æquore verò, minora nauigia collocata erant. Reliqua pars exercitus in terram collocata, vrbem ingenti coronâ cingebat. Hæc Alphonſus ita ordinauerat. Obſeſſi verò miſſo ad Liguſticam claſſem egregio natatore, mandatum acceperunt, vt mœnia à fraude & inſidiis ſummâ curâ tuerentur: quod ſupereſſet iuuentutis, ſecuribus armarent, moneréntque, vt cùm Liguſticæ naues perrumpere clauſtra molirentur, ipſi ad mare decurrerent, funéſque & reliqua cathenarum vincula, cautibus religata, præciderent: hoc ſatis ad victoriam putari. Erat inter Liguſticas naues nauium vna maxima, huic præerat Iacobus Beniſſia, ipſa inter quatuor minores media, prima in hoſtem delata, vaſto impetu obſtantia quæque perrupit. Trabes, funes, cathenæ, omnia demum comminuta ſunt, & ſequenti claſſe via in portum facta. Pugnabatur vtrinque pertinaciſſimis animis, cum Andreas, à natandi ſolertiâ, Mergus cognominatus, galeâ tectus, & breui cultro accinctus, de Liguſticâ naue in mare ſe præcipitem dedit, & ima petens, regiarum nauium funes anchorarios præcidit: quæ vbi à retinaculis ſolutæ, fluitare primùm, conueti, latera proris, vel puppibus impingere, & cùm in vno loco ſtare non poſſent, pontes diſiicere, diſiunctas naues nouum militem amplius non admittere, amittere antiquum, & aditum in vrbem Genuenſibus relinquere, vbi Bonifacianis annonâ, milite, & armis

ANN. 1413 (margin, beside "ſubducerent")

ſubleuatis,

ſubleuatis, Beniſſia paſſis velis, per Alphonſi præſentis claſſem in patriam remeauit, Ceterum cum factiones in vrbe reuiuiſcerēt, & iis extinguendis laboratum eſſet, pluréſque ciues, qui diſcordiam facere putabantur, exilio multati, quos Philippus Mediolanenſium Princeps benignè receperat, factum eſt, vt Philippus propriâ amplificandæ ſuæ dominationis cupidine accēnſus, & exulum ſedulis precibus ad Liguriam inuadendam concitatus, Aragonias triremes VIII. conduceret, quibus & alias addidit. Huic claſſi Raimundus Coruarianus, Monteſianæ militiæ Magiſter, præpoſitus, ad Arni oſtium cum Liguſticâ claſſe conflixit, eo euentu, vt quinque Liguſticas triremes cum Baptiſtâ Fulgoſio Duce ceperit. Quæ clades, vt Genuam renunciata eſt, vltro ſe ciues Philippo permiſêre. Tum ſub externo Principe poſiti, paulatim decreſcere & minui Genuenſium res & gloria ceperunt, Turca, quidquid Ligures in Euxini littore poſſidebant, inuadente, nunc etiam in ipſo Genuæ portu deſcenſione factâ, grandinis inſtar omnia contundente. Animam tamen nobilem generoſa ciuitas ſub externo etiam dominio diu traxit, antiqui nominis memor. Nam ſub Philippo, cui bellum erat cum Alphonſo Aragoniæ Rege, ante Caietam, Blaſio Axereto claſſis Præfecto, totam Aragonum claſſem diſiecit, ipſúmque Alphonſum cum Ioanne eius fratre cepit. Verùm cùm Philippus tantæ victoriæ laudem apud ſe totam eſſe vellet, irritati ſuperbia Principis Genuenſes, inſtigante Franciſco Spinulâ, iterum ſe in priſtinam libertatem vendicarunt, cæſo Opicino, Mediolanenſium Ducis in vrbe Præfecto. Inde noua Reip. gubernatio inſtaurata, creatíque VI. Præſides, apud quos ſumma rerum eſſet: tum in inuidiam Alphonſi & Philippi, qui inter ſe amicitiam fecerant, Renati Andegauenſis partes Genuenſes ſequuti, eum Neapolitani Regni Regem ſtabiliuerunt; Inſubre & Aragonio nequidquam obſiſtente. Nec ita multos poſt annos immutata eſt Reip. forma, & Raphaël Adurnius Princeps renunciatus; quem alij longo numero in eâ dignitate ſubſequuti ſunt, donec iterùm ad Mediolanenſium Ducum imperium Reſp. deuolueretur. Quo toto tempore nihil memorabile in mari à Genuenſibus geſtum eſt. Tandem ſub Ludouici Sforttiæ Principatu, Carolo VIII. Gallorum Rege reliquum Italiæ tenente, illis cum noſtris bellum fuit. Gallicis nauibus Miolanius, Liguſticis Franciſcus Spinula, Maurus cognomēto, ab oris ſcilicet fuſcedine, præerat. Certatum eſt ad Rapallum, fuſa noſtrorum claſſis, captus Miolanius, omnéſque cum eo vel capti, vel ſine eo interfecti ſunt, Rapallum receptum. Sed poſtea Franciſcus I. noſtrorum cladem vltus, Maximilianum Sfortiam cedere Principatu coëgit, dedítque, quas voluit, leges victo.

(Marginal notes, in order: Ann. 1421. · Ann. 1435. · Ann. 1443. · Ann. 1495.)

Sic non Mediolanum modò, ſed & Liguria tota in noſtro domi-
ANN. 1515. nio cenſeri incepit, quæ Octauiano Fulgoſio adminiſtranda data
eſt. Eo Remp. ſub Regibus noſtris moderante, ſinus Liguſticus
à Cortologo Mahometano piratâ diuexabatur, in hunc Fridericus, Octauiani frater, ire iuſſus eſt. Hoſti xv. biremes, roſtratæ VII.
in Biſertino flumine erant. Has præſidio nudatas, vt pote nihil
tale in Africâ metuente piratâ, Fridericus Fulgoſius facili negotio
cepit, & captiuos Chriſtianos in libertatem aſſeruit: moxque Biſerti ſuburbana ædificia diripuit atque incendit. Neque ſub ditione Galliæ Genua dudum fuit, à Carolo V. Imp. expugnata &
capta, mox à noſtris recepta, cæſis nauali prælio ad Capreas Cæſarianis, Philippo Auriâ duce. Cæcidit eâ pugnâ Cæſarianæ claſſis præfectus Hugo Moncada, capti nobiles multi, ſolæque duæ
triremes & eæ inualidæ, victoris manus è tantâ Hiſpanorũ claſſe
euaſerunt. Miſſi captiui ad Andræam Auriam, Galliarum tunc
per mare Mediterraneum Amiralium, qui à Regibus noſtris ſtatim alienatus, quòd nullum pretium è redemptione captiuorum
accepiſſet, grande poſtea emolumentum potentiæ Hiſpanicæ
fuit, cui præter validam claſſem, quam priuatis opibus armauerat,
ANN. 1528. rat, Liguriam noſtris ereptam, ſocietatis initæ ſpecie tranſtulit,
nouâ gubernationis formâ, quæ hodie adhuc viget, introductâ,
XII. ciuibus, quos Reformatores vocant, Remp. ſub ſe adminiſtrantibus. Eiuſdem virtute & conſiliis, Corone, vrbs Græca, non
longè ab Acritæ promontorio, præſidio Turcarum necato, eorúmque nauibus concrematis, cuſtodiæ Hiſpanorum tradita eſt.
Mox Siculis & Neapolitanis triremibus ſibi adiunctis, Turcas, &
Pœnos Turcis fauentes, Clupeâ, Neauplio, Adrumeto, Ruſpinâ,
Tapſo, ac denique totâ eâ Africæ regione, vnâ exceptâ vrbe Lepti, quæ Mahomedia à Pœnis, à noſtris verò Africa nuncupatur,
à Mœnicis vſque ad Syrtes depulit, & Muleaſſi Tunetano Regi,
Caroli V. Imp. amico, parere compulit. Hinc Mahomedia, à
Draguto Turcico pirata captâ; XX. triremium claſſe Imperatoris
iuſſu Liburnum Tuſciæ portum tenuit; vbi acceptis à Coſmo
Medices III. triremibus. & IV. à Iulio III. S. Pont. Neapolim peruenit. Ibi Garciam Toletanum, Pro-Regis filium, cum Neapolitanâ claſſe, XIII. triremium, quæ Imp. ſtipendiis merebat, ſocium accepit, auctúſque ad Panormum Siciliæ vrbem XIV. triremibus in Africam vela fecit. Eadem procellâ Mahomediæ mœnia, Draguto fruſtra reſiſtente, quaſſata ſunt. Corſicam deinde
per noſtrum militem occupatam patriæ reddidit. Quæ poſtea
ſubſequuta ſunt, quia minus ad famam pertinent, prætereo. Adminiſtratio eorum naualis diuerſa, immutatâ ſubinde Reip. formâ. Hodie tutando littori deſtinata præſidia ſunt, in mari verò,
piratis arcendis triremes octo, quæ nauibus triremibúſque pri-

uatorum

uatorum additæ, numeroſam paratámque ſemper claſſem conficiunt. Corſicam Cercinámque Inſulas, quæ dominij Genuenſium ſunt, collegium S. Georgij ann. 1407. inſtitutum, terrâ ſimul & mari à Turcarum, Barborúmque irruptionibus & deprædationibus ſeruat. Nunc, ne tot capitibus lectorem diſtraham, reliquum Italiæ paucis lineis perſequor, ſingula enim ſi exequi vellem, ne vita quidem ſuppeteret ſcribenti. Taceo Comenſium & Mediolanenſium in lacu Lario, qui hodie Comi dicitur, nauales pugnas, nunc iis, nunc iſtis victoribus decertatas, profugóſque cum liberis & vxoribus in Vicum Comenſes, tandémque debellatos. Nec ipſa me Etruria longùm detinebit, quæ Thuſcia, Tyrrhenia, & Ianicula quondam, poſtea ſub Rep. Florentinâ, randem ſub Magno Duce Florentiæ acquieſcit. Thuſcorum opes ante Romanum Imperium latè terra marique patuêre: mari Supero Inferóque, quibus Italia Inſulæ modo cingitur. Quantum potuerint, nomina ſunt argumento, quod alterum Thuſcum, communi vocabulo gentis: alterum, Adriaticum mare, ab Adria eorum Colonia vocauerint Italicæ Gentes. Græci eadem Tyrrhenum, atque Adriaticum vocant. Ij in vtrumque mare vergentes, incoluêre vrbibus duodenis terras, prius cis Apenninum, ad Inferum mare: poſtea, trans Apenninum, totidem, Coloniis miſſis, quæ trans Padum, omnia loca, excepto Venetorum angulo, qui Sinum circumcolunt maris, vſque ad Alpes tenuêre. Victi à Romanis vetuſtatem nominis ſeruauerunt, poſt & famam recepêre. Atrox Etruſcis bellum cum Piſanis fuit, qui à clade per Genuenſes acceptâ, duobus poſt ſæculis primos ſpiritus reſumpſerant, ſocietate cum Venetis ictâ, ſed iſti à Florentinis prælijs maritimis victi, expugnatáque vrbe in ditionem Florentinorum venerunt. Paulatim itaque victorum nomen & Imperium creuit, validis claſſibus Adriaticum, Mediterraneum & Ponticum maria, ex inſtituto Coſmi Medices, tenentibus: qui Equites S. Stephani Papæ & Martyris ſtabiliuerat, in Turcas & Piratas. Ann. MDCVI. claſſis Ægyptia, quæ tributum Conſtantinopolim vehebat, capta, fugatáque Rhodia, quæ in Ægyptiæ auxilium venerat. Thuſciæ tunc Amiralius erat, Syluius Picolominus, qui Hipponam, S. Auguſtini patriam, in Africâ, vi factâ, intrauit, ſparſoque incendio concrematam, quia ſeruari non poterat, deſeruit: Biſqueram, eiuſdem tractus vrbem, paulò ſupra Algeram ſitam, ſolo adęquatam, in ſolitudinem redegit: IV. Turcicas triremes imperata accipere iuſſit, & triumphatori ſimilis, in Ligurni portum, quem Franciſcus Etruriæ Dux nuper capaciorem, profundiorem, & munitiorem reddiderat, importauit. Hinc ſequenti anno Gallionum Thuſciæ præfectus * Belliregardi dominus ſoluens, inter Cyprum & Caramaniam XL. triremes, galleaſſias duas inuaſit, &

Vide lib. 9. Sigonij de regno Italiæ.

Liuius lib 6.

Bembus hiſt. Venet. lib. 3.4.& 5.

Bizarus in hiſt. Genuenſium, lib. 18.

ANN. 1509.

ANN. 1608.

ANN. 1610.

* *Le Sieur de Beauregard.*

& pugnâ commiſsâ, v. triremes ſubmerſit, reliquis in fugam datis, quibus Muſtapha Grego Baſſa imperabat, reducénſque naues eum in locum vndè ſoluerat, circa Rhodum Catmuſailam (genus immenſi nauigij apud Turcas) oppreſſit. Hoc nauigij genus alibi lego Catamuſſalem appellari, eiúſque nominis tria ab Amiralio * Ingherramio, ann. Sal. MDCXIII. auſpiciis Coſini II. Etruriæ Ducis, capta, in orâ Natoliæ: quibus, & excidium arcis *Aglimanæ in Caramaniâ additum, nauibus, quæ in portu erant, coactis ad deditionem. Ann. MDCXIX. Iulius * Montautius, Etruſcarum triremium præfectus, in littore Calabriæ Tunetanum Gallionem & Tattanam expugnauit, mox & in Archipelago triremem, quâ Muſtapha Baſſa, Naupacto Præfectus, vehebatur. Propè Tenedum XXVII. Turcicæ triremes, quæ ad promontorium Ianiſſeri, in anchoris erant, ann. MDCXXVII. à triremibus Florentinis deductæ ad Liburni portum: in quo plures ſemper triremes, ſicut & in porto Ferraio Eluæ Inſulæ. Piſis verò Arcenale eſt munitiſſimum, omni apparatu maritimo repletum. Ibi triremes XII. & galeacæ II. Claſſis triremium VI. cum vno gallione, indefeſsâ vigiliâ, in Turcas piratáſque nauigat, ſub Imperio Equitum S. Stephani: qui Ordo ad exemplum Melitenſium Equitum, à Coſmo Medices, magno Etruriæ Duce inſtitutus eſt, ann. MDLXI. Reliqui Italiæ populi ſub variis nouíſque Principibus viuunt, quorum pars è ſanguine SS. Pontificum, aut ex affinitate eorum eſt. Mirum ibi plures Principes nondum eſſe, quàm artifices, cùm Summi Pontifices iam ſenes creati, tam frequenti morte Pontificatum amittant, quíque illis ſuccedunt, tot recentibus Regulis Italiam onerent, quot fratres, cognatos, parentéſq; atque affines habent. Romam, antiquum nomen Imperij, loci ſanctitas, curiæ maieſtas, authoritas regnantium, pietáſque & obſequium Chriſtianorum Regum & Rerumpublicarum conſeruat: nec vlla ciuitas adhuc reperta eſt, quæ fortiore Genio moderata, in æternitatem inquirat, toties afflicta, nunquam oppreſſa. Apuliam, Calabriámque & Neapolim, vt diuerſis Principibus ſubditas antea memoraui. Oram Adriatici Sinus S. Pontifex, Reguliíque ſub eo, Mantuæque Dux occupant. Æſtuaria, Iſtriámque & quidquid ad Dalmatiam vſque protenditur, Veneti: de quibus ſpeciali ſermone dicturus ſum.

* Ingherramio.

* Aglimana.

* De Montauto.

* *

CAPVT

CAPVT VIGESIMVMQVINTVM.

Venetorum res in mari & littoribus geſtæ. Vrbis fundatio, pugnæ & victoriæ nauales, ab vrbe conditâ, ad annum Sal. MCCCLXXXV.

HAVD vnquam alia gens exiguis incrementis in immenſum Imperium, conſilio magis quàm armis, ſurrexit. Africæ, Ægypti, Syriæ, Ponti, Græciæque littora complexa, cum vicinis Inſulis. Veneti à Venetis Gallis, Armorici Oceani accolis, orti putantur. Alij Troianæ ſtirpis Venetos exiſtimant, ab Henetis Paphlagonibus, qui occupatâ regione, quæ Abduâ, Padóque fluminibus, lacu Benaco, Alpibus atque Adriatico mari terminatur, pro Henetiâ, Venetiam nominauerunt. Hoc olim nomen regioni, nunc vrbi eſt. Quæ ab Iſtris, Carníſque, & Venetis, Barbarorum in Italiam incurſiones fugientibus, in Inſulis condita eſt, ann. Sal. CCCCXXI. Multi in eas Inſulas ex Patauio atque Aquileiâ confugerunt, nouæque vrbis fundamenta iecerunt: cui naſcenti præfuerunt Patauinæ vrbis Conſules eiecti, Galienus Fontana, Simon Glauconius, & Antonius Caluus. Tertio ab Vrbe condita anno, tres alij Conſules creati in annos tres. Ea adminiſtrationis forma ad Attilæ aduentum permanſit: quibus temporibus, in Conſulum locum Tribuni electi, quorum quiſque ſingulis Inſulis per annum imperabat, ius dicebat, vindicabat ſcelera. Sic Gothis, Hunnis & Longobardis in Italiâ regnantibus, nomen Venetum antiquæ regioni ereptum, in eas tantùm Inſulas tranſlatum ſeruatúmque eſt, à loco, qui Caput aggeris hodie dicitur, ad Gradatas aquas. Inſularum nomina fuerunt: Gradus, Crapulæ, Equilium, Metamaucum, Albiola, Phileſtina, & Foſſa Clodia; in orâ: in ſtagno verò, Turcellum, Maiorbium, Boreanum, Amianum, Conſtantiacum, Amorianum, & Riuumaltum. Nec procul hinc Inſula Oliuolus, ab oleâ dicta, Caſtellum hodie vocant, quia veluti arx quadam piratarum latrociniis obiecta eſt. Fuit & Pharus ingens ad nocturnos nauigantium curſus dirigendos, vbi nunc & turris magna, è candenti lapide, Barjonæ templo incubans. Inſulæ minus nobiles, Caſtraria, Marcelliana, Caſtrupontium, Centenaria, Muſſiones, Vigilia, Barbaria, Brentellæ, Beliæ, & Caput aggeris. Prima Venetorum virtus contra Iſtros & Dalmatas fuit, quos alto mari aſſequutos, victóſque, coëgerunt nauigiis abſtinere. Tergeſtinos in Caprulanis aquis oppreſsêre. Pipinum Caroli

Sabellic. rerum Venetarum.
Idem hiſt. Enn. 8. lib. 1. 2. & 3.
Enn. 9. l. 1. 2. 3. 4. 6. 8. 9.
Bizarus de bello Veneto.

roli Magni filium, Italiæ Regem, leuibus nauigiis, quæ in palude plurimum poſſunt, fugauêre. Vrſo Duce propè Tarentum, in Saracenos proſperè pugnauerunt, iterúmque in eoſdem, ad Albiolam, vbi Hunnos paucos ante annos nauali prælio vicerant. Petuntur deinde Narentani maria infeſtantes, XXXIII. nauibus, quas à formâ Gombarias appellatas reperio, victis, pacis leges dantur. Hinc ante Barium, Peucetiorum vrbem, inter Brunduſium & Aufidi fluminis oſtia, maritimo prælio ab Vrſeolo Venetorum Duce Saraceni ſternuntur. Iſtria, Dalmatia, Liburniáque Venetæ ditioni adiungitur, Vrſeolo Venetorum & Dalmatarum Duce ſalutato. Inſulæ quoque oram Illyricam ſpectantes victoribus accedunt, vſq; ad Drilonem amnem. Inter eas Pola, Chama, Corcyra nigra, quæ hodie Curſula, & Pharus, quam recentiores Leſinam vocant. Siluius in claſſem Roberti Guiſcardi, Normannorum in Apuliâ Principis, inuectus, occluſum obſeſſis Dyrrachiis mare aperuit. Conuerſæ in Syriam vires, Piſaníque in itinere circa Rhodum victi, Smirna occupata, vaſtata Phœniciæ littora, Sidon, & Farania, oppidum maritimum circa Nili oſtia, cum Tyro & Ptolomaide recepta, quamplurimæ Barbarorum naues oppreſſæ: atque ab iis rebus fœliciter geſtis multa priuilegia à Balduino Hieroſolymarum Rege, Venetis in Syriâ degentibus, aut per proximum mare nauigantibus, attributa. Rebellantibus mox Dalmatis ſeruitium impoſitum, Croaciáq; ſubacta. Ac tum primùm quidam exiſtimant, Venetos Duces, Croaciæ Principatus titulum titulis ſuis addidiſſe. Celebris ſequuta eſt in Syriam expeditio, Duce Dominico Michaele: hic CC. nauibus, in quibus onerariæ LXX. erant, in Saracenos, qui in obſidione Iopenſi ſtabant, ſigna canere iuſſit, ſimul miſceri claſſes, cuncta proſternere, & diſiectis hoſtibus obſidionem ſoluere, prædáque diuisâ, ſocios nauales, militem, ſéque & Remp. ingentibus diuitiis onerare, & properando in patriam, Chium, Samum, Leſbum, Andrum, atque alias Græcanici Imperij Inſulas armis domare. Quibus rebus actis, omni orâ maritimâ à Syriâ Dalmatiam vſque, partim domitâ, partim ab iniuriâ hoſtium vindicatâ, incolumi claſſe reductâ, Venetias victor Michael ingreſſus eſt. Hoc fatis conceſſo, Petrus Polanus Reip. regimen cepit, Ioanne fratre & Rainerio filio claſſi præfectis, claſſem Rogerij Siciliæ Regis Corcyrámq; Inſulam expugnauit. Emanuele Conſtantinopolitano Imp. ob plures vrbes Venetis in Dalmatia pacis tempore ſurreptas, hoſte iudicato, Tragurium, Raguſiúmque receptum, & ſubitâ inuaſione Inſula Chios in Venetam poteſtatem redacta. Hinc victricia ſigna in Leſbum, ex Leſbo in Lemnum, ex Lemno Scyrum tranſmiſſa. Sebaſtiano Ciano Duce, Othonis Friderici Imp. filij claſſis LXXV. nauiũ in Iſtriæ orâ, haud procul

procul à Salborio promontorio, victâ, naues XLVIII. captæ, ipſáq; regia triremis, in quâ Otho fuit, duæ mediâ pugnâ in alto depreſſæ. Redeunti in vrbem Ciano, Alexander III. S. Pont. poſtquam victoriam gratulatus eſt, anulum aureum porrigens, hunc accipe, inquit, & me authore ipſum mare obnoxium tibi reddito, quod tu tuíque ſucceſſores quotannis ſtato die ſeruabitis: vt omnis poſteritas intelligat, maris poſſeſſionem victoriæ iure aliquando veſtram fuiſſe, atque vti vxorem viro, ita illud imperio Reip. Venetæ ſubiectum. Hinc ſingulis annis, more deſponſationis feſto, Aſcenſionis die, longâ pompâ aureus anulus apud Venetos in mare proiicitur. Sequuta eſt Iaderenſium rebellio, Inſulæ his vicinæ vix viſis Venetorum armis imperium accepêre. Maior Iaderenſibus obſtinatio, quos piraticæ naues in mari, mœnia & alta propugnacula in vrbe tutabantur, dilatúmque in plures annos rebellium excidium. XLV. naues inſtructæ, quarum xxv. longæ, onerariæ reliquæ. Rainerius Zenus claſſi præfectus. Traiectis in Dalmatiam copiis, Iadera, toties imperium Venetorum aſpernata, expugnata eſt. Per idem tempus Piſani apertas cum Venetis inimicitias exercentes, Polam, tributariam Venetorum in Adriatico ſinu vrbem, ſubito incurſu oppreſsêre. Rei indignitate commoti Veneti, nouâ claſſe triremium x. onerariarum VI. comparatâ, nouóque milite in ſupplementum veteri addito, Polam continuò tranſmittunt: vrbe repentè captâ, quidquid Hetruſcarum nauium illic fuit, victor concremauit. Dirutis Polæ mœnibus, non tam in ciuium inuidiam, quàm ne amplius Piſanis receptus eò eſſet, illicò Methonem Venetæ triremes peruenêre, vt cum onerariis Piſanorum, & iis quæ præſidio illis ex Polâ profectæ fuerant, confligerent. In conſpectu vrbis pugnatum, fuſo fugatóq; Hetruſcarum nauium præſidio, duo ex onerariis captæ. Tum Venetorum gloria Orbem totum peruaſerat: Hinc Galli Germaníque à Rep. naues poſcebant, quibus miles in Syriâ tranſmitteretur: illinc Alexius puer ſibi patríque Iſaaco aduerſus patruum Alexium, qui Imperium Orientis per ſcelus inuaſerat, auxilium precabatur. Galli, quòd à Bizantio in Syriam compendiariâ nauigatione tranſire poterant, cum Veneto milite claſſem CCXL. nauium impleuêre. Captâ deinde Conſtantinopoli, portu occupato, hoſtium nauibus concrematis, Alexio puero in Imperatorem ſalutato, cùm ſibi inſidias parari videret, & ipſi Imperium inuaſêre. Gallis, Conſtantinopolis cum Thraciâ & proximis regionibus, ceſſit: Creta cum omnibus Inſulis Ionij & Ægæi maris, Venetis. Difficile erat tot Inſulas publicis præſidiis defendere. Lex promulgata eſt: vt qui ciuium, aut ſociorum priuatis auſpiciis Inſulas Ionij Ægæíque maris, ceteráque loca illis circumiecta, quæ antea Conſtantinopolitani fuiſ-

 ſent

ſent Imperij, domuiſſent, eos in iis locis, ius, quod ſemel ſibi armis quæſiuiſſent, perpetuò habituros. Sic tanquam ex vrbe Coloniis in Inſulas miſſis, omnia in Venetorum fide permanſerunt. Nam vt quiſque aliquid telluris virtute domuerat, eiectis poſſeſſoribus, illic vxorem liberóſque tranſmittebat, partis vſurus. Neque ob id tamen ceſſauit vigilantia publica, maioribus Inſulis ſub imperium ſuum mittendis occupata. XXX. triremes in altum deductæ, Rainerio Dandulo & Rogetio Permarino præfectis. Vix extra ſinum nauigabat claſſis, cùm Leonem Vetranum Genuenſem, hominem eâ tempeſtate maritimis victoriis illuſtrem, cum longis nauibus IX. obuiam habuit. Fracti Genuenſes, captus Vetranus, atque in Inſulâ Corcyrâ, mox receptâ, ſuſpendio necatus. Inde digreſſi Veneti, Methonem primò, mox & Coronem, duo eâ tempeſtate piratarum domicilia, expugnauêre. Sunt ea Peloponneſi oppida, illud inter Coriphaſium & Acritam promontoria, hoc verò in Meſſenio ſinu poſitum. Aperto igitur in hunc modum mari, quaſi in paratam prædam, ad Inſularum occupationem diſcurſum eſt. M. Dandulus & Iacobus Viadrus communibus armis Gallipolim expugnant. M. Sanutus aliquot ciuibus in belli ſocietatem aſſumptis, è Cycladibus Naxum, Parum, Molum, Herinam, Andrúmque ſubiecit. Rabanus Carcerius, Eubœam cum proximo Euripo: Andreas & Henricus Glaſij, Tenum, Miconémque (Micolas hodie vocant) Scyrum præterea, Philocolum, quondam Philocandrum, & Lemnum Inſulam, quæ nunc Stalamine, ſeu Staliminum dicitur. Henricus interea cognomento Piſcator, eius Peloponneſiacæ oræ Comes, quam Maleam vocant, Genuenſium nauibus fretus, Cretam Venetis adimere conatus eſt, ſed quatuor Genuenſium naues Rainerius Venetæ claſſis præfectus oppreſſit, Inſulámque vltrò citróque tutatus eſt. Nec ita multò poſt, ad inhibendos Græcorum motus, Candacem, quam vulgò Candiam dicunt: Vnde hodie Creta Candia vocatur, Veneti colonos miſêre. Genuenſes tunc grauiter maria infeſtabant, in eos Ioannes Treuiſanus cum nauibus IX. vela fecit. Is circa Siciliam, non longè à Drepano, Liguſticam claſſem aſſequutus, XII. hoſtium naues intercepit. Quâ clade fractis Genuenſium animis, pax ſequuta eſt. In Corcyram ſpecie præſidij miles miſſus, nouis Colonis Inſulam ſtabiliuit. Et quia apparebat Græcorum leuitate recidiuos motus in Cretâ futuros, alia colonia in eam deducta eſt, Candacem dictam habitare iuſſa: agri viritim diuiſi. Tranſlatum inde circa Boſporum bellum, & Leo Cauala, Græcæ claſſis præfectus, Conſtantinopolitano in portu diſiectis fractiſque XXIV. triremibus, victus, & in fugam actus. Imperabant Venetæ claſſi Leonardus Quirinus, & M. Guſſonius. Tunc quoq; Prætor Conſtantinopolitanus Ioan-

nes Michael, & ipſe Venetus, cum triremibus XVI. quæ in portu ad vrbis tutelam excubabant, in Ioannis Vatazi, qui Conſtantinopolim obſidebat, XXV. longas naues inuectus eſt. X. naues captæ, reliquæ fuſæ, fugatæque, victoriam Veneto, vrbanis mare aperuerunt. Haud ita multò poſt bellum cum Genuenſibus reuiuixit. Omnes nationes, quarum armis Syria Barbaris erepta, expugnatam Ptolomaidem, quæ hodie Accon, ſiue Acra dicitur, inter ſe per certas vrbis regiones diuiſêre. Veneti partem habitabant, partem Genuenſes, reliquas populi alij. In eâ diuiſione, quia proxima Genuenſibus Veneti incolebant, commune iis fanum conceſſum, de cuius poſſeſſione æmulatio, mox odium, ex vtroque bellum conflatum eſt. Occupant fanum Genuenſes, & in ſpeciem arcis propugnaculis veſtiunt. Indignati Veneti, XIII. triremes, quas per id tempus Tyri habebant, portu educunt, Laurentij Tepuli ductu. Prouecti ante Ptolomaidis mœnia, refractis cathenis, quibus portus occludebatur, XXIII. Genuenſium onerarias, triremes duas, quæ in portu ſtabant, diripiunt, demptóque nautico apparatu, ſubiectâ flammâ conſumunt: fanum recipiunt, Genuenſiúmque monumenta diruunt. Irritati eâ clade An. Sal. 1258
Genuenſes, XL. triremes inſtruunt, & cum iis ceteras X. pugnatum ante Ptolomaidis portum; & niſi Piſani Venetas res iuuiſſent, penes Genuenſes victoria fuiſſet, ſed iſti viribus impares, multa cum ſtrage diſiecti, XXV. nauibus in pugnâ amiſſis, aliis captis, demerſis nonnullis, ægrè Tyrum tenuerunt. Mirum, ſequenti anno, nauem vnam Venetam, cui nomen Leo, CC. naualium ſociorum, & C. militum præſidio munitam, cum II. triremibus ante Tenedum, à XX. Liguſticis triremibus obſeſſam, omnes in fugam egiſſe Conſtantinopolim versùs, paucos poſt menſes ab eâ die, quâ Palæologus Orientis Imperium, expulſis Balduino Galliſque, poſt annum LXIV. ab occupatione vrbis memoratâ, ſuſceperat. Statuit Sen. Venetus Iacobo Dandulo triremes, quibus Dalmatiam tueretur, mandatúmque ei, vt ſi è Rep. videretur, alias quoque, quæ ad præſidium Inſularum erant, ſuis adderet. Ex Iaderâ igitur III. acceptis, totidem è Cretâ, quas inter nauigandum obuiam habuerat, ex Eubœâ IV. X. præterea longis nauibus, quibus Gradonicus imperabat, in ipſo Raguſij portu adiectis, circa Lilybæum Siciliæ, III. Genuenſium triremes, quibus Lanfrancus Borbonius præerat, oppreſſit. Hinc ante Ann. 1266.
Drepanum, XXVIII. Genuenſium triremibus occurſãtibus, atrox pugna ſubſequuta eſt, placebat victis mori, ſed victoris miſericordiâ, II. M. & D. Genuenſes ſeruauit. MCC. ferro antea ceciderant, totidémque penè fluctus abſorbuerat hoſtibus permixtos. XXIV. naues captæ, reliquæ mediâ in pugnâ depreſſæ. Hanc puto omnium maritimarum victoriarum victoriam memorabilio-

rem, in quâ victor quem fugientem ſequeretur non habuit: tanta victi pertinacia fuit, vt inter concurſantes hoſtes periret, aut caperetur, morte vel ignominiâ captiuitatis, hoſtili nece vindicatâ. Victrices naues xxi. ſex enim amiſerant, Methonem miſſæ, ad maritimæ oræ tutelã. Simul & alia claſſis expedita, LXVI. nauium, Rogerio Mauroceno præfecto, in Ponticum mare ad res
ANN. 1294 Genuenſium infeſtandas demandato. Peram oppoſitam Conſtantinopoli Genuenſes incolebant, allecti loci opportunitate ad merces vltro citróque non modò conuectandas, ſed etiam ad bellorum rationem. Oppidum illud, quia nullis adhuc munitionibus erat firmatum, mox & aliud, quod Folia Vetera vocatur, & ipſum Ligurum ditionis, Veneti cremauêre. Grauiſſimi
ANN. 1298. ſunt morſus irritatæ neceſſitatis. Victus Ligur, gemino prælio, vltus eſt iniuriam, fractis Venetis claſſibus, primò ante Corcyram, mox in ipſis Helleſponti faucibus. Timuêre patres Reip. excidium, deprædante Adriaticum ſinum Ligure. Conuerſus in curam vrbis metus, reparatum vetus nauale & auctum, mœnibúſq; cinctum. Ibi nauium omnis generis ingens fabrica, aliæ infectæ, paratæ nauigationi aliæ, armatæ nonnullæ præludentes æquori, numeris innumeri. Artifices ibi omnis generis, vis armorum ingens inſtruendis pluribus exercitibus, armamenta nauiũ, & quidquid ad nauticam deſiderari poteſt, vltra ſpectantium expectationem. Erant tunc non tantùm cum Genuenſibus, ſed etiam ipſis Turcis apertæ inimicitiæ: claſſis Petro Zeno data. Is miro victoriæ curſu, longè latéque barbaros inſectatus, omnem maris oram circa Inſulas, Syriámque à Turcorum iniuriâ vindicauit, plurimis eorum nauigiis oppreſſis, Smirnam vrbem expugnauit, captámque, cæſis oppidanis, valido præſidio firmauit. Conceſſa claſſis altera M. Rucinio contra Ligures. Iſti cum na-
ANN. 1300. uibus XIV. ad Caryſtium portum inuenti, à fronte, à lateribus petuntur infeſtis proris, x. longæ naues cum præfecto claſſis & LXX. nobilibus Genuenſibus in Venetorum poteſtatem venêre, non numeratâ ignobili multitudine, quæ pro numero nauium ingens fuit. Patres cenſuerunt, hunc diem, quo Ligur ad Caryſtum victus eſt, inter feſtos dies perpetuò habendum. Fauebant Venetis Piſani, Græci, & Aragones. Iſti iunctis claſſibus ad Boſporum victi, ad Sardiniæ oram, ante Calarim cladem acceptam
ANN. 1353. vlti ſunt, fuítque prælium iunctis nauibus pedeſtri ſimile: rebus Genuenſium poſt atrociſſimum certamen afflictis, vix eorum Prætoria, cui imperabat Grimoaldus, cum vnâ & alterâ, ſtragem euaſit: ceteræ XLI. partim depreſſæ, partim captæ. Sic fractis Ligurum animis, Ioanni Vice-Comiti Mediolanenſium Principi, eâ conditione ſe vrbémque ſuam dedêre, vt ſe contra Venetos Aragonáſque tueretur. Adeò ipſa libertas, vlciſcendi ardore minor

nor

nor eſt. Ceterum cùm aliquot damna Venetis intuliſſent, illóſq; Vice-Comitum dominationis tæderet, pax inter eos Venetóſque ſancita eſt, imperiúmq; Vice-Comitum abiuratum. Duce Laurentio Celſo, Creta Inſula, quæ hodie Candia dicitur, à Venetis defecit, ob tributum Inſulanis imperatum. Orta eſt defectio à Venetis Coloniis. Extincta rebellio per Buchinum Vermium Veronenſem. Tunc quoque renouatum cum Genuenſibus bellum, cuius cauſa fuit, occupatio Tenedi per Venetos, quæ res Remp. in extremum diſcrimen adduxit, vt ſupra, vbi de Genuenſium geſtis agitur, commemoraui. Victi enim ad Polanum portum Veneti, Humagus, Gradus, Caprulæ, Clodia foſſa, occupatæ, pugnatúmque penè in ipſis vrbis vicis: & niſi Victor Piſanus, è carcere tractus, præfecturam maris ſuſcepiſſet, in Ligurum poteſtatem ciuitas iuiſſet, quæ iam ad deditionem reſpiciebat. Sed Ludouico Feſcio, Liguſticarum triremium duce, ad Antium victo, captóque. Portu vrbis, cathenis, nauigiíſq; depreſſis clauſo, validíſque præſidiis, hinc & inde locatis, reſpirare paulatim Veneti ceperunt. XL. ad bellum triremes inſtructæ, quarum imperium penes Contarenum Principem fuit: vtque nauales turmæ mari aſſueſcerent, à Iudaicâ regione ad D. Nicolai fanum quotidie claſſis acta, antequam experimentum aduerſus hoſtes faceret. Profuit & ad ſalutem Reip. factum à Patribus S. C. vt quicunque è populo pecuniâ, commeatu, militéve, aut claſſem, aut littorales copias iuuiſſent, fore vt Ligure deuicto, ex eorum numero triginta, qui optimè omnium de Rep. meriti crederentur, ad patricium traducerentur ordinem. Daturos ad hæc Patres operam, vt quinque aureorum nummûm millia quotannis reliquis diuiderentur, qui eam dignitatem aſſequuti non eſſent. Supra ſexaginta familiæ maximas opes in Remp. contulerunt. Hęc inter Carolus Zenus expectabatur, qui cum claſſe foris erat. Hic frumentariam Ligurum claſſem circa Siciliam ceperat, onerarias eorumdem circa Italiam interceptas, depreſſerat, cæteras tres mercibus onuſtas in ſuam poteſtatem redegerat, quidquid amœni ſoli à Venetis portu Genuam vſque patet, deſolauerat, ante Tenedum cæteam Neapolitanam, quæ pro Genuenſibus nauigabat, in conſpectu Rhodi, Liguſticas duas, totidem iuxta Cyprum expugnauerat, cùm iuſſus eſt patriæ ſuccurrere. Dum nauigat, Victor Piſanus nouâ claſſe ad Brunduli portum prouectâ, eum cum Ligure tenuit, diúque pari armorum iure cum hoſte poſſedit. In eius auxilium miſſus, qui iam in vrbe aduenerat, Zenus, quà hoſti anguſtus in mare aditus patebat, onerarias duas cathenâ ruptâ depreſſit. Reliquum claſſis hoſtem ad Lauretum & Virginium fudit, in quo certamine Petrus Aurius, Liguſticæ claſſis Præfectus, cum Genuenſibus DC. deſideratus eſt. Tum ex Piceno agro

Ann. 1278.

 totâ

totâ Flaminiâ, ex Ferrarienſi per Padi fluenta cœptum eſt Venetias nauigari, annonáque leuata. Contra interclusus Ligur, in Brundulano portu famem expectabat. Hinc vbi vi non poterat, artibus erumpere tentauit. Ducta igitur foſſa, xx. triremibus exitum parauerat, ſed hunc in eo conſilio Venetus intercepit, Brundulóque oppido terrâ maríque obſeſſo, captóque, triremibus incenſis, cæſis præſidiis trepidè ſe Clodiam recipere coëgit. Victor Piſanus vrbe portúque eius potitus, x. naues hoſtis, quæ ad præſidium Molarum erant, miſſis minoribus nauigiis remige & milite nudatas, Venetias adduxit. Clodia, Graduſque ſtatim receptæ. Maior circa Clodiam labor, in Genuenſium quippe auxilium noua claſſis aduenerat, è quâ commiſſo prælio, x. naues oppreſſæ. IV. M. captiuorum in vrbem ducta, quorum III. M. Genuenſium fuiſſe dicuntur. Fugitiui Iſtriam tenuerunt, hinc in maritimam Carnorum oram ſe recepêre, vbi Maranenſi in portu ereptas victori triremes reſarciuerunt. Bebium interim, ceteráque præſidia & oppida, quæ in ſtagnis & circa flumina fuêre, præter Caput aggeris, Veneto ceſsêre. Iuſtinopolis, quæ vrbs eſt maritima Iſtriæ, in quâ Ligures confugerant, obſeſſa per Piſanum claſſis Venetæ præfectum, eáque in exulum inuidiam direpta. Piſano fatis functo, dum Venetus mari hoſtem ſubſequitur, imperium maris Aloiſius Lauretanus accepit, donec Patres in locum demortui ducem alium claſſi dediſſent: quod & ipſi fecerunt; Carolo Zeno annali imperio in claſſem conceſſo. Hic dum Dalmaticum oram legit, XII. nauigia Illyrici nominis oppreſſit, oppreſſáque, ſublatis rebus concremauit: nec multò poſt in Peloponneſiaco littore onerariam Liguſticam precioſâ merce onuſtam. Neque ob id Ligures ceſſabant, iterúmque obſidio vrbis timebatur, quæ inter vtroſque populos pacis cauſa fuit. Captiui

Ann. 1384. ab vtraque parte reſtituti. Caput aggeris, & Morentianum, Venetus recepit. Præſidiariæ arces dirutæ, quæ in aquis & circa flumina à Ligure & Patauino Principe ædificatæ fuerant. Tenedus Inſula, cauſa belli, Aimoni Allobrogum Duci, qui fœderis iſtius author erat, per biennium tradita, fideicommiſſariâ lege. Venetum præſidium ab eâ abductum. Arx biennio acto demolita, Venetúſque prorſus Inſulæ poſſeſſione excluſus. Patres defuncti bello, quod per VI. annos durauerat, vt fides publica conſtaret, eorum xxx. qui medio ardore belli Remp. pecuniâ iuuerant, ad Patriciatum traduxêre, reliquis quina millia quotannis diuiſa.

* * *

CAPVT VIGESIMVM SEXTVM.

Cætera maritimæ Venetorum hiſtoriæ.

PACE terrâ marique partâ, Tenedi reſtitutio aliquandiu rem Venetam ſollicitam habuit; Ioanne Mutatio, qui Inſulæ Reip. nomine præerat, eius deditionem recuſante. Ne publica fides vnius ciuis pertinaciâ vacillaret, Fantino Georgio claſſis mandata, qui Tenedum oppugnaret, arcem dirui curaret, conditionéſque pacis obſeruaret: quod ille fecit. Florebat interim otio ciuitas, tantummodò mercaturæ intenta, cùm nouus Genuenſium motus ad ſtudia belli Patres excitauit. Struxerant illi ſub idem tempus XXI. triremes, cæteáſque naues XVI. Fama erat in Cypri Regem claſſem comparatam, cui Bucicaldus, homo Gallici ſanguinis, præerat. In eâ miles Gallus, cetera nautarum turba Ligur. Hæc, tempeſtate circa Ciliciæ littus iactata, magnáque ex parte colliſa, in Syriam vela mouit, Berytóque ſubito incurſu oppreſsâ, omnes naues, quæ in portu erant, inter quas aliquot Venetæ, hoſtiliter diripuit, Carolus Zenus ſinui Veneto cum triremibus XI. præfectus, inter Methonem & Iuncum, nuper amicum, nunc hoſtem, inuentum, pertraxit ad pugnam. Impar Gallis in Liguſticâ claſſe prælantibus erat, victóque propior cùm Hermolaus Lombardus, è longinquâ nauigatione cũ duabus triremibus rediens, oportunè iam cedenti affuit. Primo impetu impulſam prorâ Liguſticam nauem in profundum miſit. Exæquata tum pugna. Mox inclinante in Venetorum partes Fortunâ, tres naues captæ, totidem ſubmerſæ, quinque fugatæ, captiuorum numerus DCCC. Ceterum quæ prælio ſeſe triremes eripuerant, ſuorum cladem in Venetas naues, quaſcunq; obuiam habuerunt, vltæ ſunt. Hæc ſpecies belli, nondum bellum erat: cùm vterque populus æquâ pernicie certaſſet, ob id pax ſeruata, & quies reſtituta. Tum Iadera cum ſuis littoribus à Ladiſlao Pannoniæ Rege Venetis vendita, & niſi Philippus Mediolanenſium Dux turbaſſet Pacem, nullum Veneti bellum, nihil triſte verebantur. Picininus hoſtis, Brixillo proditione recepto (quæ vrbs Pado alluitur) arcem tentabat. Præerat Mediolanenſium claſſi Euſtachius Ticinenſis, totum Padi alueum nauigiis occupans. In eum Franciſcus Bembus ire iuſſus eſt. Dromones vtrinque expediunt, genus nauigiorum oblongum, non cariniato, ſed plano fermè alueo, biniſque, vel ternis contectum tabulatis; Ga-

Sabellic. rerum Venetarum. Decad. 2 l. 8 & 10. totâ quoque Decad. 3. & 4. lib. 1. 2. & 3. Item è Petro Bembo hiſt. Venet. l. 12.

leones

leones hodie vocamus. Octo ex his Bembus in primâ fronte arctiſſimo nodo inter ſe nexos ſtatuit, claſſis cetera ſequi iuſſa eſt. Sic occupato fluminis alueo, in Euſtachium mouit, fugatúmque Cremonam vſque, & ripam petere coactum, nauibus exuit. Hîc ille in nouum pugnæ genus incidit. Plurima lignea caſtella ſuper fluentem Padi à Philippo Mediolanenſium Duce

ANN. 1431. erecta, vlterius nauigandi libertatem occluſerant. Hæc quoque Bembus expugnauit, iniectóque igni concremauit. Sed cùm militem in terram expoſuiſſet, terreſtribus hoſtium copus laceſſitus, repetitâ claſſe, receptui cecinit. Poſtpaulo aute Cremonam Nicolao Triuiſano, Venetæ claſſis præfecto, ingenti clade affecto, Patres irati Genuenſibus, qui Philippi claſſem complebant, Franciſco Spinulâ Duce, (tunc enim Genuenſes ſub tutelâ Mediolanenſium Ducum erant) triremes XXIX. naualibus ſuis recenter eductas, Petro Lauretano committunt. Is omnium opinione celerius, circunactâ ex Supero mari ad Inferum claſſe, Liburnum applicuit: vbi triremibus V. à Florentinis ſociis auctus, Iacobum Adurnum, & Iacobum Fliſcum, factione Philippi, Genuâ cum multis aliis extorres, quòd vrbis libertatem cuperent, liberaliter ad ſe venientes accepit. Creditum eſt ab initio, eo nautico apparatu viſo, Genuenſes, qui in vrbe erant, ſeſe eiectis Philippi magiſtratibus in libertatem vindicaturos. Sed illi malè ſibi conſulentes, ad famam Venetæ claſſis iam antea exciti, XXIV. triremes, onerariámque I. Franciſco Spinulâ præfecto, parauerant. Proceſſerat interim Veneta claſſis ad Rapallitanum ſinum, X.M. paſſ. Genuæ propinquum, ibátque contra Ligur, animorum ac fiduciæ plenus, quam recens ſuorum ad Padum victoria faciebat. Tum pugnatum ad Rapalli promontorium, Caput montis hodie vocant, ſensìm Veneti in ſinum retrocedere ceperunt, quia in alto Liguſticam claſſem à puppibus fauentior ventus impellebat, qui in curuitatem ſinus inductus deſerebat Ligurem, pugnabátque pro Veneto. Excepit occurrentes intrepidè Spinula, triremibúſque tribus obſeſſis, dum premit, inſtátque ferocitèr, ab onerariâ Florentinorum naui impulsâ Prætoriâ, in quâ ille pugnabat, ęgrè remigum nautatúmque peritiâ naufragium euaſit. Dum erigitur, Venetus repentè proram occupat, atque ita accidit, vt in eadem naue hic ex prorâ, Ligur è puppi dimicarent. Interim, harpagonibus iniectis, VIII. hoſtium triremes Veneti retinebant, quæ acri ſe certamine tuentes, vbi Prætoriam nauim in diſcrimen adductam vidêre, factâ deditione, permisêre ſe Lauretano: reliquas fugientes, laceráſque Venetus perſequi, vel neglexit, vel non potuit. Victrix claſſis ad Rhecum admota eſt, quod oppidum voluntariè ſe dedentem Fliſcus recepit. Inde Liburnum repetitum. DCCC. ex vtraque parte deſiderati, ſaucij ad IV.M. Miſ-

ſus

ſus Venetias Spinula, cúmque eo VIII. triremium captarum Duces. Eugenij S. Pontificis rogatu, Lauretanus ad vrbem veterem appulit, vſque dum arx, quæ portui incumbebat, ad deditionem cogeretur: quà breui captâ, ipſe Corcyram applicuit, ſupplementum in claſſem expectans, inuaſurus Petrum Spinulam, quem Ligures nouæ claſſi præfecerant. Sed hanc pugnam, nunciata Genuenſium à Philippo defectio, interuertit, redditáq; Venetis cum Liguribus Pax, dum bellum in Picininum Philippi exercitus Ducem & Mantuanum Principem recrudeſcit. Stephanus Contarenus Lauretano ſucceſſerat, ſed iam non Tyrrhenum, aut Ionium mare tentandum erat, maior moles incumbebat, lacus Benacus obiiciebatur, claſſe, Zeno rectore, tentandus, quâ hoſtes ab oppugnatione Brixiæ auerterentur. Quærebatur in Senatu, quâ ratione fieri poſſet, vt claſſis in eo lacu pararetur, cùm neque ſyluæ eſſent, neque flumina vlla, per quæ naues è portu Veneto eò deducerentur: quandò Sorbilus quidam Cretenſis, locorum gnarus, ad Senatum acceſſit, docuítque, neque animum neque conſilium ex vrbe in Benacum naues transferendi ſibi deeſſe. Data ei omnia quæ ad id neceſſaria videbantur. Tractæ itaque naues aduerſo Atheſis fluuio Veronam vſque; inde aliquantò laborioſius, binis, quaterníſque iugatis bobus ad Mauri pagum eas Sorbilus attraxit: hîc ſubiectis triremi lapſibus, ingenti hominum boúmque conatu, in Diui Andreæ lacum, VI. M. paſſ. per plana fermè loca moles illa traducta eſt, reliqua minora nauigia curribus inuecta. Blondus duas maiores triremes fuiſſe tradit, & tres aliquantò minores, ac cum iis ſcaphas XXV. Imminebat lacui huic, in quem primùm naues delatæ ſunt, rupes, in muri ſpeciem, ſuſpenſa: ad eam rectitudinem caſtigandâ ingens agreſtium manus eſt adhibita, qui proximi tumuli parte in lacum deiectâ, vſque adeò aſperitatem illam mitigauêre, vt ſubuectæ ex aquis naues cum totâ mole in aduerſum iugum ſensìm agi cœperint. Mons ille arduus inter vtrunque lacum ſcindebat montis decliuia, quibus primò nauigia agenda erant: riuulus per abrupta ſaxa, & rupem hinc inde faſtigiratem, decurrens arborum truncos virgultáque, mox tellurem accepit, quâ æquatâ, ſubiectis lapſibus naues in ſummum montis cacumen actæ ſunt. Hinc præcipites per abrupta deuolutæ, tertio menſe, poſtquam Venetiis abductæ ſunt, Turbulas deſcenderunt: vbi triremibus diligenter inſpectis, conſtitit, earum alteram, priuſquam reſarcita eſſet, haud tutò in aquas deiectam iri. Reliqua claſſis ad Sarcæ oſtium deiecta eſt, ac triplici palorum ordine in hemicycli ſpeciem vtrinque, vt tutior eſſet, circunſepta. Caſtellum præterea ad exitum fluminis Venetus impoſuit, præſidióq; firmauit, veritus hoſtium incurſus, qui triremem vnam, cum galeonibus & ganzariolis ali-

quot habere dicebantur. Verum hæc, vt nulli momenti, ab hoſte iudicata, victâ Venetâ claſſe, præfectus eius Zenus cathenis oneratus, & niſi Turbulæ fugientibus pro azylo fuiſſent, ne ſcapha quidem victoris impetum euaſiſſet. Subſidium ob id ſuperſtiti claſſi à Senatu miſſum, diuerſâ prorſus à primâ illâ deducendarum nauium ratione. Solutâ nempe triremium materiâ, ac plauſtris Turbulas conuecta, vbi velut in nauali triremes VIII. compactæ; totidem galeones, & celoces IV. Claſſis imperium Stephano Contareno demandatum. Is cum hoſte medio Benaci lacus in gremio proſperè conflixit, cuius Blaſius Aſeretus Genuenſis, & Italus Foroiulianus, Duces erant. Hac victoriâ lacu Venetis patefacto, Ripa, & Garda vrbes receptæ, Brixia obſidione leuata, & iterum cum Philippo & Mantuano Principe pax icta. Tum verſa in piratas arma, qui Gotholani appellabantur. Tres onerariæ cum triremi vnâ ad mare latrociniis purgandum eductæ. IV. ad ſinus præſidium profectæ, quarum imperium Antonio Diedo eſt datum. Is Antibarim in Epiro, paucis per aduerſam factionem rem ad Venetos trahentibus, vi cepit, captúmque oppidum Venetæ ditioni ſubdidit. Biſtonium (hodie Beſticen, in Frentanorum orâ, vocant) piratarum tutiſſimum refugium, adortus, tempeſtate in portum impactus, claſſe & libertate amiſsâ, Alphonſi vtriuſque Siciliæ Regis iuſſu, quæ amiſerat, receptis, piratas inſequutus, eos nauibus exuit, prædáque ingenti onuſtus, victor quaſi & triumphator portum vrbis ingreſſus eſt, à quo Aloyſius Lauretanus exibat, X. triremibus inſtructus, quarum VI. Eugenij S. Pont. reliquæ IV. Belgarum Ducis ſumptibus in Turcas ædificatæ, armatæque erant. Imperabat tunc Turcis Amurathes, è cuius claſſe cùm Lauretanus aliquot naues intercepiſſet, Inſuláſque & continentis littora quieta ab hoſte reddidiſſet, aliam claſſem XXXV. triremium, onerariarum X. contra Alphonſum Siciliæ Regem, qui Venetos finibus regni ſui nuper eiecerat, à Patribus accepit: quâ in fretum Siculum progreſſus, Meſſanámque adortus, Regiam ceteam, quæ nondum aquas attigerat, iniectâ flammâ abſumpſit, & cum ea pleraſque naues, quæ in portu erant. Onerarias præterea duas, MD. amphorarum, Syracuſano in portu ſtantes, inuaſit. Genuenſes, ad quos alteram earum attinuiſſe conſtat, & alij, qui Venetorum metu ex alto eò ſe trepidè receperant, duas in ore portus onerarias depreſſerant, obiectáque cathenâ ferreâ, craſſitudinis ingentis, tutos ſe ab hoſte putabant. Suſpenderant ad hæc pontes à mœnibus vrbis ad naues, vt commodius in eas irent, redirénque, ſi prælium, vel fuga placeret. Conatus eſt Lauretanus, ſub primum acceſſum, diſcuſſis repagulis portum penetrare, ſed reſiſtentibus Syracuſanis, Genuenſibúſque, poſt longum certamen receptui ſigno dato, ad

artem

artem reſpexit. Onerariam, ſarmentis, & ſulphureo puluere refertam, cum xxx. fortiſſimis viris auris & fluctibus ſecundis in portum mittit. Illa, violento ventorum ſpiritu catheniæ impacta, nihil obſtitit, quò minus hoſtibus nouitate rei defixis ad ſtuporem, quin ad internas naues perueniret. Dum eam Ligures Syracuſaníque circunſiſtunt, qui intus erant, in ſcapham huic hærentem, materiâ incenſâ deſiliunt, alacres, remíſque fortiter innixi, ad ſuos incolumes euadunt. Interim emicans flamma, proximis nauibus vno momento correptis, quidquid nauium in portu erat, eadem pernicie inuoluit. Multi igne deuorati, alij aquis, dum ignem fugiunt, reliqui nando tenuerunt vrbem. Hinc claſſe Venetâ diuisâ, partem Venetias Lauretanus miſit, alteram ad maris præſidium reliquò imperij ſui tempore retinuit. Facta demùm cum Alphonſo pax, quam ille mirum in modum exoptauerat. Triennio inde omnium Chriſtianorum ingenti clade in Turcas pugnatum, parúmque in tam potentem hoſtem Veneta claſſis profecit: pauca oppida ante occupata à Venetis erant, inter quæ, Sparta, Aulis, Larſus, Imbrus, Athenæ (Sethinas hodie vulgus appellat) Noua Folia, aliáque minoris nominis. Paſſagium quoq; Ioniæ vicum, Attaliam Pamphyliæ vrbem, Smyrnam, Sychinum, Corycum, Seleuciam, dum Perſæ cum Turca præliantur, Mocenicus, Venetæ claſſis præfectus, obtinuit, cui, primo omnium Venetorum, Cyprus Inſula hac causâ demandata eſt. Iacobus *Luſinianus, vltimus iſtius Inſulę Rex, Catharinam Cornariam Venetam in vxorem duxerat, Marco Cornario patre nobili ortam. Ea poſt paulò prægnans relicta, ſcriptis à Iacobo tabulis, quibus poſthumus regni hæres nuncupabatur, ſub tutelâ Veneti Senatus. Mortuo intra annum paterni obitus poſthumo, Carlota, Iacobi ſoror, variis motibus Cyprum impleuit, quos Mocenicus Venetæ claſſis præfectus, mox & Reip. Princeps, ſedauit, pulſis ſeditioſis, portubus præſidio nauali & terreſtri munitis, omnibúſque ſuâ præſentiâ in Venetorum fide confirmatis. Hinc traditâ ſucceſſori Iacobo Marcello nouâ Prouinciâ, Scodræ tuendæ contra Turcarum impetum, cum totâ Epiri orâ, à Patribus demandatus, Dyrrachium, Butuantum, Antibarum, & Olchinum milite & triremibus firmauit. Eâ tempeſtate vitâ functus eſt apud Naxios Ioannes Criſpus, qui eam ex Cycladibus Inſulam, & tres alias, Rhenæm, Scyrum, & Melum tenuerat. Tæduit huius dominationis Inſulanos. Erat tum forte in Inſulæ oppidíſque portu Nicolaus Capellus, à Venatis legatus, cum VI. longis nauibus ad piratas inſequendos. Orauêre eum ciues, vt ſe Reip. nomine reciperet, quod ipſe fecit, ciue Veneto, qui ius Inſulanis diceret, attributo. Premebat Venetam Remp. Turca, ob id Scodra illi cum Tænaro Laconiæ promontorio & Lemno Inſulâ relicta, octo

* De Luſignan.

præterea aureorum millia quotannis conceſſa, eâ conditione, vt Pontica nauigatio negociatoribus Venetis tutò pateret. Leuia tamen extitêre inter vtroſque bella, pacis quietem Inſulanis, qui ditionis Venetæ erant, vel piratis, quibus Turca clàn fauebat, interrumpentibus. Sic cum Arige piratâ æquali marte ab Aloiſio Georgio Veneto ad Maleam pugnatum. Sic in Punicis littoribus Peruca pirata, à Bernardo Ciconia, Venetæ claſſis præfecto, expugnatus & captus, miſſis, qui ſtupas & alia carinarum illinimenta inter aquas ferro auellerent, quò nauis aquis acceptis, aut deditionem faceret, aut naufragium. Sic ad Oricellam Crotoniatarum caſtellum, Andreas Lauretanus Petrum Cantabrum piratam interfecit, reliquis eius ſociis cæſis, vel fugatis. In ipſum Baiaſethem Turcarum Imp. claſſis parata, Antonio Grimano præfecto. Is cùm videret ob præcedentia bella, aliáque terreſtria in Gallos & Florentinos, lentè à ciuibus tributa exigi, libras auri octoginta in remigum ſtipendia Reip. mutuo dedit: totidem ſecum ſe laturum pollicitus, quibus Corcyræ, reliquíſque in locis, ad claſſem conſtituendam vteretur. Gripos LX. ſuâ pecunia ornatos, Corcyrenſes Grimano conceſsêre, quibus alios quoque cum triremibus aliquot addidit Andreas Lauretanus. Pugnatum quidem cum Turcis ad Methonem, ſed parum proſperè, Venetâ claſſe ad Prodonum Inſulam recedere coactâ: vbi cùm Grimanus audiuiſſet Gallicam claſſem Zacynthi eſſe, illi ſe coniunxit, leuibúſque præliis tentato hoſte, cùm ſuis conatibus fortunâ deeſſe videret, claſſi Gallicæ valedixit. Perſuaſum militi erat, potuiſſe hoſtes ad internecionem deleri, ſi Grimanus totis copiis in eos inuectus fuiſſet. Eà causâ Patres moti, legem in Decemvirum collegio tulerunt, vt Grimano imperium abrogaretur. Et quoniam Thomas Zenus fiſco pecuniam debebat, fiſci autem debitores veteri lege magiſtratum adipiſci non poterant. Sancitum, vti Thomæ Zeno ea lex fraudi ne eſſet, quo minus nauium ei præfectura tribueretur. Sic demandato illi in claſſem imperio, Grimano verò in exilium miſſo, in Turcas tamen non magis fœlicius præliatum eſt, à quibus Pylon, Methone, Corone, Ægina & Mytilene, captæ. Sed Ægina poſt diſceſſum Turcicarum nauiũ, à Benedicto Piſauro ſtatim recepta eſt, Mitylene & Tenedus direptæ, claſsíſque hoſtilis, Euripi anguſtias iam ingreſſæ, extrema pars pari celeritate oppugnata, captiui totis litteribus in cruces acti: Samothracia deinde ab eodem Piſauro Veneto, claſſis Imperatore, ad deditionem accepta, Caryſtus deprædata, Cæphalene recepta, ínque ſinu Ambracio hoſtium naues XI. armamentis inſtructæ, abductæ à portu Corcyrámque deductæ. Inhiabat iamdudum Turca Cypro, quæ media inter Ciliciam Syriámque illius dominationi obſtabat, nec tutò nauigari poterat interpoſi-

tum

tum pelagus, Venetis nauibus inſidiātibus. Belli prætextus, Ægyptus nuper & Syria domitæ, quorum regnorum Cyprus olim pars fuerat. Vt Salmeſo portui Turcicus exercitus applicuit, omnia cædibus illicò repleta ſunt, Nicoſia capta, Famaguſta obſeſſa, nec inueniebatur, qui ſe furentibus opponeret. Coniuratum tandem in barbaros, ſocietáſque inter S. Pontificem, Philippum II. Hiſpaniarum Regem, & Venetos icta. Ioannes Auſtriacus, Philippi Germanus, totius belli Dux declaratus eſt: conuocata claſſis Meſſanæ, quæ vrbs Siciliæ eſt. Hæc triremium CCIX. galeacearum, VI. onerarium L. quibus XX. M. militum comportabantur. Signum Prætoriæ à Papâ conſecratum, & Ioanni Auſtriaco datum fuerat. Exploratoriæ naues dimiſſæ, retulêre, Ali Baſſam Turcicæ claſſi, quæ CCC. nauigiorum erat, à Selimo II. Imp. præpoſitum, Zacyntho, & Corcyrâ Inſulis deprædatis, Peloponneſi oram lacerare: Famaguſtam præterea à Muſtafâ Baſsâ expugnatam, nullo ſæuitiei genere omiſſo. Placuit Chriſtianæ claſſis ducibus, ſociorum manibus parentare. Vt viſus circa Echinadas hoſtis, quæ hodie Curſolares vocantur, omnes ſe ad prælium accinxerunt. Hoc ordine pugnatum Naupactæo in ſinu reperio. **Ann. 1571. die 8. Octob.** Dextrum cornu Andreas Auria cum triremibus L. galeaceis Venetis II. tutabatur. Siniſtrum cum pari nauigiorum numero Auguſtino Barbarico Prouiſori Veneto commiſſum eſt. Hoc cornu, Parmæ Princeps Prætoriæ Genuenſium triremi inuectus ſequebatur: illud Dux Vrbini in Prætoriâ Sabaudiæ triremi. Medium LXX. triremes cum galeaceis duabus occupabant, huius veluti corporis dextrum latus M. Antonius Columna triremium Pontificalium præfectus, ſiniſtrum Sebaſtianus Venierus Venetorum Amiralius defendebant: in medio verò agmine Ioannes Auſtriacus, penes quem totius claſſis imperium erat, in Regia triremi nauigabat. Hoc agmen expeditis nauigiis VIII. præcedebat Ioannes à Cardonâ, ſequebatur eum XXX. triremibus Marchio S. Crucis, laborantibus auxilium futurus. Par hoſti alacritas, vires æquales, idem ordo fuit. Aluch-Ali cum triremibus, ſiue longis nauibus XC. Auriæ oppoſitus: Mehemet Bei cum LIII. barbarico. In medio ſtabat Ali Baſſa omnis periculi contemptor, hortatórque ſuis, vt ſuum exemplum ſequerentur. Spatia inter ſingula nauigia relicta, per quæ facilè lembi commeantes ceteris ducibus imperantis mandata portarent, poſſéntque triremes expeditius circumagi. Concione habita Ioannes Auſtriacus ſignum pugnæ, vexillum rubrum, de ſuâ puppi expedijt, ad cuius conſpectum primus Ali ænei torméti ferreum globum excuſſit. Tum Auria ne circuiretur ab hoſte, cornu deducto, claſſem laxauit. Barbaricus, vt à fronte tantùm pugnaret, terram legit. Sic dato medio in mari pugnandi ſpatio, Prætoriæ duæ extra ordinem

erumpentes concurrerunt, atrocem pugnam. Ali cædes ſequitur, cuius vt auulſum è cadauere caput ſpiculo infixum apparuit, fuga Turcarum vndique inſequuta eſt; xj vt horis poſtquam pugnari ceptum, xxv. M. hoſtium cæſa, cc. naues cepti, v. M. captiuorum, inter quos filij duo Ali Baſſæ. Deſiderata è victorum parte militum tredecim millia, octo millia vulnerata, naues plurimæ amiſſæ, ex quo apparet quantâ virtute animiſque vtrinque pugnatum ſit. Sed damnum acceptum ignominia hoſtis, victoriæ honor, & prędæ lucrum obdulce reſarciuit. Si in Cyprum [illegible] audacia, aut voluntas victori fuiſſet, nulli dubium erat, Turcam inde pulſum iri. Hoc bonæ Venetorum fortunæ inuiderunt, ſubſtraxerúntque, extranei duces, reuiſendæ patriæ, poſt hanc victoriam, cupidi, excuſantéſque reditum proximitate hiemis. Vſque adeò hæc victoria Venetis conſtitit, vt ab ea die totam Cyprum, ditiſſimam Inſulam amiſerint. Creditum tamen traditúmq; poſteris ingentem plagam Mahometis hoc prælio illatam, erectique * arcus triumphales, ſtatuæque, & trophæa Chriſtianis Ducibus, quorum celebratior titulus hic fuit, Ioanne Sambuco authore.

** Extant delicato ſtilo effigiata, typis Philippi Gallæi Antuerpiæ, cum Poemate hanc victoriam concinēte. Hugonis Fauelij venâ.*

NAVALI TRIVMPHO.

Ex Turcis reportato, extincto pelagi metu, purgatis maleficio, Thraciæ, Peloponneſi, Dalmatiæ, Ionij, Epirique Sinus oris. Rhio, Anti-rhio, Hexamilij impedimento, Africæ littoribus, infero tractu ad Herculis vſque fauces, & Atlanticas Gades ſecuris. Byzantij obicibus infractis, celeritate v. horarum vniuerſa Orientis claſſe, veluti turbine ſublata: interni maris ora perdomita. Ahalio necato, filiis eius cum Ægearum Inſularum Præfectis penè omnibus ſeruituti illigatis, vix nuncio cladis Selimo ſuperſtite. Marti Celeri, memoriæ Non. iix. briſſ. cɪɔɔ. Mancip. liber. ɪɔɔɔ. hoſtib. cæſis & captis. Vulgo noxiis remis tradito. Ann. S. MDLXXI.

VICTORIÆ SACRÆ ET IANO AVSTRIÆ CLASS. ATQVE ORÆ MARITIMÆ PRÆF. III. FOELICI.

** Vſquoque.*

* Vſquoqueſi tunc temporis initia habuêre, gens è variis gentibus collecta, mixta profugis & relegatis, Liburniæ ad Hadriaticum ſinum partem occupauit, ob habitati ſoli ſterilitatem piraticæ dedita, æquè Turcarum Chriſtianorúmque inimica, Archiducibus Auſtriæ ſubdita, ferro domāda, quòd ius omne & ęquum euerteret, præcipuè autem Venetis infeſta, in quem neceſſarium bellum fuit: quo huic genti à pręfecto ſinus Veneti azylum Lu-

rana

rana, ſublatum eſt; à præfecto verò Dalmatiæ, vrbes * Nonia & Segna. Piratæ iniuriam vindicaturi, Inſulas vicinas, Dalmatiam, Iſtriámq; depredati ſunt, quaſcunq; Veneti nominis naues obuias ceperunt, trucidatis, qui in iis erant. Vltimum, quod ſciam, Venetis nauale certamen fuit, cum Tunetorum, Algeriorúmq; triremibus XVI. brigantinis duobus, quibus barbari Neapolitanam Appulámque oras deprædabantur: in eos Capella, Venetarum triremium præfectus, ad cuſtodiam Veneti ſinus armatarum, iuxta Cephaloniam impetum fecit. M.D. hoſtes cæſi, triremes IV. profundo datæ, reliquæ in victoris poteſtatem venerunt. Captiui qui ſub vinculis, aut ad remos conſtituti, detinebantur, omnes ad III. M. DCXXXIV. libertate donati.

* Noni.

ANN. 1638.

CAPVT VIGESIMVMSEPTIMVM.

Venetorum claſſes & magiſtratus claſsici, aliaque ad rem eorum maritimam pertinentia.

DVO maximè imperia conſeruant, atque augent. Si virtuti præmium, improbitati & ignauiæ ſupplicium detur. Iſtis duobus Reſp. Veneta ſemper floruit, & adhuc floret. Vſque adeò in pœnas intenta, vt aliquando etiam Fortuna in culpam vertatur. Hinc fit; vt omnes claſſium præfecti omnia tentent, vt lauros Reip. ſibi gloriam parent, cùm videant apud ſuos, imperij tempore peracto, ſi quid temerè, aut infœliciter peregerint, ſe dedecus æternum, vel mortem cum ignominiâ paſſuros. Cauſa, cur Veneti Duces etiam generoſiſſimi, re malè geſta, vel ſuâ culpâ, vel etiam nullâ, ſed pro bellorum & Fortunæ libidine, inediâ, vel ægritudine perierint, antequam etiam cladis nuncius ad Venetum Senatum perueniret, ſeu timore pœnæ, ſiue quòd ſortis crimen in ſe punirent. Sic Vrſatus Iuſtinianus re malè ad Mitylenæum littus geſtâ: Sic Victor Capellius clade ad Patras acceptâ, celerem & voluntariam mortem, vitæ cum dedecore peragendæ prætulerunt, non virtuti, ſed infœlicitati cedentes. Contra, qui hoſtem quoquomodò ſuperauêre, equeſtribus ſtatuis à Rep. donati, aliquando etiam in Principes electi. Eorum filiæ, qui bello cecidêre, ex ærario publico dotatæ, filij perpetuo ſtipendio donati, magiſtratibus inſigniti, & in maximo honore apud conciues habiti. Cúmque hoc primùm bona & iuſta conſuetudine fieret, Auguſtino Barbadico ciuitatis Principe, conſuetudo in legem verſa eſt, cautúmque vt Gurlini Rauennatis, Antonij Fabri,

Sabellic. rerum Venetarum. Decad. 3. lib. 8.
Contar. Thuanus.

Bembus hiſt. Veneta lib. 5.

Pauli

Pauli Epirotæ, Aloyſij Michalis, Ioannis Maripetri, præfectorum triremium, qui Methone interfecti fuerant, filiis, penſio annua, filiabus dos de publico diceretur. Eorum verò, qui ſine liberis poſteà decederent, ſucceſſoribus penſio lege eadem adiudicata. Superſtitibus, qui in bello ſe ſtrenuè geſſerant, præfecturæ, arces, præſidia, oppida, Inſulæque totæ attributæ, quas nomine Reip. cum annuâ penſione ſeruarent, atque adminiſtrarent. Tributorum immunitas, ius patriciatus, magiſtratus ciuiles aliis conceſſi. Etiam integris Prouinciis ob meritum in Remp. immunitas data. Contra, exilia imbellibus, vel proditoribus, indicta; venenum, laqueus, cruces, equuleus. Quæ etiam in ipſis Reip. Principibus obſeruata, libidinem in leges & virtutem peccandi auferunt, ad generoſitatem verò & contemptum mortis, pro patria ſubeundæ, pręmia incitant. Iis & aliis legibus inſtitutiſque libera Reſp. perdurat, quæ etiam ſi in omnibus vigeant, tum maximè in adminiſtratione rei maritimæ, quâ nihil ad opes & potentiam maius eſt. Quotannis enim è nauali illo vrbis celeberrimo innumeræ penè naues in mare deducuntur, ad bellum, merces, tranſuectiones, præſidia. Ingens ibi omnis artis opificũ turba, diuerſa nauium membra, quæ celeritate mirabili compacta, nauigaturis ſeſe prębent armata, & ornata. Triremium aliæ in anchoris ſtant, aliæ lateribus ad littus inclinatæ expectant mare, imperfectæ plures, circũmque lignea materia fabricandis aliis. Hic ferrum in clauos, anchoras, harpagones, aliáque huiuſmodi fornacibus vel molleſcunt, vel ab incudibus reiecta & formata iacent ad nauticos vſus. In armamentario integris exercitibus ornandis thoracæ, galeæ, clypei, catapultæ, enſes, haſtæ, ceteráque armorum proſtant. Congeries ingens velorum funiúmque. Bombardarum verò numerus vltra duo millia. Ex hoc nauali ſingulis annis certâ die longæ naues more inſtitutóque maiorum proficiſcuntur, ad vecturam eorum hominum dedicatæ, qui aut voto ſuſcepto, aut religione permoti, ad Chriſti ſepulchrum in Syriam nauigant. Inde quoque claſſes plerunque triremium XIV. vel XV. ad negociationem Ponticam Syriacámque quotannis mittuntur. Tres naues Ægyptiaca littora frequentant, totidem Lybica, Gallica duæ. Aliæ per Atlanticum pelagus currunt, emporiáque Afrorum, Hiſpanorum, Batauorum, Germaniæque & Britanniæ exhauriunt mercibus, implent auro, gemmiſq; atque vnionibus. Et iam mercatores circumacto Mundi globo, leue putant Orientis & Occidentis opibus ditare ſuas Venetias. Naualis quoque turmæ genus aliud occurrit, hinc claſſes integræ ad bella contra Barbaros, vel hoſtes: inde aliæ portubus tutandis, piratis exterminandis, Inſulis ab incurſibus hoſtium vindicandis deſtinatæ. Iis præfecti maris annales imperant, finitóque imperio,

Bembus hiſt. Venet. lib. 4.
Blondus de geſtis Venetor.

Sabellicus Venet. Decad. 4. lib. 3.

imperio, illud in ſucceſſorem tranſmittunt. Iſtis verò præfecti alij, qui ſecuritate Inſulis portubúſque factâ, aut fuſis piratis, in vrbem vt redierunt, magiſtratum cum imperio ponunt. Pro libito Patrum iſtis & illis magiſtratus abrogatur, refragãtibus pœna capitis irrogatur. Soli Patricij Veneti in claſſem, aut nauem imperant. Si qui alij hoc beneficium à Rep. accepêre non ciues, ſocij, vel amici fuerunt, extra vrbem nati. Onerarias naues Reſpub. neque habet, nec ædificat: priuatis vtitur pro occaſione, precio ciuibus pro modo vſuræ, vel vſus perſoluto. Eas tantum habet quæ remis aguntur, ſurgúntque in anno nouæ, maris & militis patientes cc. Horrea in annonam naualem publica ſunt. Vnus Pręfectus Sinui ſingulis annis eligitur, cui claſſis xxx. vel xl. triremium mandatur. Sub eo Prouiſor, ne quid in alimenta & ſtipendia militi, ne quid ad robur claſſis, & ſecuritatem eiuſdem deſit, curat. Olim Cyprus aliæque Inſulæ in Ægæo, Ionióque mari Prouinciæ populi Veneti erant, mittebantúrque in eas Legati, qui iura Inſulanis dicerent. Nunc paucæ ſunt, intérque eas Creta, quæ Candia dicitur, nomine Reip. à Patricio Veneto adminiſtratur, cuius imperium triennale eſt. In huius Inſulæ portubus, pręter præſidia ordinaria in caſtellis oppidíſque ęquori incumbentibus, pro ſalute publicâ ſtationariæ naues incubant. Ditionis Venetæ ſunt & aliæ Inſulæ: vt, Corcyra, Cephalene, Zacynthus. Hæ, ſicut & Iſtriæ, Carnorum, Dalmatiæque ora, nauibus aliquot, & præſidiis firmantur. Hęc foris circa rem maritimam: in vrbe verò, Gubernatores redituum publicorum, ſumptus, tum ad alia, tum ad claſſes procurant. Pręfecti annonæ triticeæ, frumentum, hordeum, panem ſecundarium, & farinas in eaſdem. Præſides nauales, omnia ad naualem vſum neceſſaria pręuident, & ſtabiliunt. Purgandorum alueorum, reficiendorúmque pontium, penes Ædiles cura eſt. Eliguntur & in vrbe Triremium Pręſides, qui vnicuique triremi ad bellum inſtructæ imperant: claſſis item legatus, qui imperium habet in vniuerſam claſſem, ac in cunctos triremium Præfectos. Hic, niſi adſit Imperator, qui vniuerſæ claſſi rarò, & niſi neceſſariò pręficitur, in milites, turbámque nauticam ius vitæ & necis habet, próque arbitrio claſſem agit. Claſſis denique Imperator, ingruente magno aliquo bello, extraordinariæ claſſi, decreto Patrum nominatur, eâ poteſtate, quâ olim in Romanâ Rep. Dictator, niſi quòd in omnibus paret authoritati & mandatis Senatus. Nullus apud Venetos maioris dignitatis magiſtratus, in Legatos, pręfectos triremium, totámque claſſem merum imperium exercet. Iam ipſa vrbs in effuſis paludibus collocata, quà ocioſum mare torpenti licentiâ deſtagnat, prouocare videtur naturam, & hominum domicilium intra profundi limites protendere.

Ioan. Boſchaus in Reip. Veneta Epitome.

Sannazarius de Venetiis.

Viderat Adriacis Venetam Neptunus in vndis
Stare vrbem, & toto ponere iura mari.
Nunc mihi Tarpeias quantumuis Iupiter arces
Obiice, & illa tui mœnia Martis, ait!
Sic pelago Tibrim præfers? vrbem aſpice vtramque,
Illam homines dices, hanc poſuiſſe Deos.

Hîc templa, fora, palatia, domus, velut æquoris victrices ligneis fundamentis in tantam audaciam creuêre, vt vndas pedibus premant, capitibus cœlo minitentur. Hîc innumeræ ſcaphæ per aperta maris æſtuaria ludunt, & canalibus intruſæ, dum meant, vagantur, properant, ſpecimen neſcio quod pugnæ naualis exhibent: adeò nunc facili flexu detorquentur, nunc circumeunt, nunc iaculi in modum propelluntur, vitant aliarum impulſus, vel inuitant. At, proh cœlum! quanta Principis Patrúmque maieſtas, dum in Bucentauro naui, purpurà & auro couſtratæ, ſedentes, obuiam alicui Regi ad ſe venienti properant. Circumſonant tubæ,& bellum minantur, dum fœdus, & pacem canunt. Sequuntur nauigia (paraſchermos patrio ſermone vocant) quæ publico ſumptu, aulæis & feſta fronde in topiarij operis modum inflexa, ad tempus inſtruunt: à prorâ & puppi pulpita altiuſculè attolluntur, quorum faſtigiis pueri puellæq; eleganti formâ cultúque exquiſitiſſimo, alij alios mentiti Genios, Deóſque, latente machinâ ſubnixi, puro apertóque librantur aëre: hi aurea ſiſtra, illi thyrſos, aliáque Deorum Dearúmque geſtant inſignia. Infra adoleſcentes in Tritonum & Nympharum ſpeciem figurati, de fluctu ludunt, cymbis, quibus vehuntur, tam altè in profundum depreſſis, vt quod vndis ſuperextat intuentium proſpectus fallat, putatúrque natare, qui nauigat. Aurea ad hæc ſigna, vexilláque omnis generis per tranſtra Bucentauri defixa, ventíſque agitata, claſſis integræ imaginem præbent. Cymbæ, quæ officij gratia, vel ſpectandi ſtudio ſequuntur, vno tabulato mare tegunt, piſcibúſque vagandi, ſecandíque ſummos fluctus auferunt libertatem, cùm tamen liberos eos in elemento ſuo natura iuſſerit. Præcurſoriæ naues vrbium captarum ſimulacra, bella, victoriáſque nauales in lino depictas præferunt. Miſcentur inſtrumentis muſicis voces, póſtque exacta vrbanitatis officia, qui ſuſcipitur, in palatium ornatiſſimum deducitur. Nec minor pompa eſt in deſponſatione maris ex Alexandri III. S. Pontificis inſtituto, poſt Othonem Friderici Imp. filium in Iſtriæ orâ ad Salborium promontorium à Venetis claſſe victum, captúmque: quo prælio S. Pontifex vitam & libertatem recepit, Eccleſia in ſuo capite ſalutem, Veneti gloriam ſempiternam. Hinc feſto Aſcenſionis die, quo Germania penè tota pelago contuſa eſt, in memoriam tantæ victoriæ, totus Venetus Senatus, per aurea ſedilia purpuratus

 ſpectatur

ſpectatur, in altiore ſuggeſtu, qui in puppe eſt, conſedente Duce: vt in lacunas Bucentaurus peruenit, diſcuſſis aliquot cancellis, Dux ſurgens in pedes, anulúmque aureum, præcinentibus tubicinibus, mox tacentibus, in mare mittens, hoc te, inquit, munere, ceu ſuam coniugem, ô Adriatice, Reſp. donat, accipítque, tu illi obſequium, & fidem, vt domino & marito præſtabis. Tum de cymbis ſuis turba nautica deſilit in pelagus, quæſitúmque inter arenas anulum reportat vrinator, vel celerior, vel fœlicior. Taceo externorum concurſum, priuatorum apparatus maritimos, auratas cymbas, picturis & ramis arborum decoratas, & quotannis hilaria verba votáque inter dulce modulantes cytharas tibiáſque renouantia, Fortunæ, ſeu mauis, Dei beneficium, olim acceptum, nunquam oblitum. Ceterum ad propoſitum huiuſce capitis deſcendo, in quo ſpecialia promiſi de magiſtratibus claſſicis vrbis Venetæ. Igitur præter antea numeratos magiſtratus, Noui Auditores ſingulis annis ad Prouinciarum ſtatum cognoſcendum ex vrbe exeunt. Tres ab Abduâ ad Phanaticum ſinum totam oram perluſtrant: duóque extra ordinem in Senatu lecti maritimam oram cum Inſulis inuiſunt, audiúntque & iudicant Prouincialium & Inſulanorum cauſas. Sequuntur III. Viri Frumentarij, ad quos cura eſt, ne ciuitas annonâ prematur. Tum III. Viri Armamentarij, qui nauales ſocios & remiges conſcribunt, nauigiáque armis & commeatu inſtruunt. III. Virorum maritimi vectigalis oculis, quidquid publicis, vel priuatis nauibus aduehitur, cognoſcendum ſubiicitur, nec niſi vectigalibus portoriiſque ſolutis explicari & venundari merces permittunt. IV. Viri Salinarij, non modò vectigal Salis exigunt, & æſtuaria conficiendo ſali locant, ſed etiam matis littora aggeribus muniunt, ad coërcendos fluctuum impetus. Conſules IV. Negociatorij, de rebus ad negociationes pertinentibus iudicant. III. Viri Extraordinarij publicorum nauigiorum, ad mercaturam exeuntium, modum & numerum tenent, inde poſt reditum, ea cum publicis inſtrumentis recognita in publicum redigunt, exigúntque ius vſus, ab iis, qui in nauibus fuerunt: locant ad id triremes, ſeu ad longum iter, ſeu ad expeditiones, tranſuectiones, vel merces. Nulli autem prius ex vrbe ſoluere licet, quàm ex ſingulorum Magiſtratuum, ad quos vectigaliûm & portoriorum exactiones pertinent, chirographo exploratum ſit, an ij qui nauigaturi ſunt, publicè, aut priuatim pecuniam debeant, quod ſi ita eſſe conſtiterit, haud prius illis ſoluere permittitur, quàm creditoribus ita placere cognitum ſit: ac ne poſt reditum quidem, mercibus naues exonerare, niſi & hoc chirographo eorumdem magiſtratuum permiſſum fuerit. III. Viri Prouiſores Vrbani, prouident, ne naues illegitimæ magnitudinis texantur, aut oneren-

Sabellicus, Honorius, & Contaren. de Venet. Magiſtr. & Rep. Venetor.

tur. Aquarum Curatores, fluuiorum curſus auertunt, alueos purgant, ne aſſiduâ exaggeratione & immundiciis vrbs tandem continenti reddatur. II. Viri armorum Prouiſores, arma, aliáque ad bella terreſtria & maritima neceſſaria expediunt. Tres Præfecti publici nauales, nauali fabricæ in Arcenali præſunt per biennium: octauo quoque die opificibus mercedem ſoluunt. III. Viri Cannabarij, loco quidam in Arcenali excubant, in quo immenſum cannabis pondus in nauticos funes ſeruatur, atque abſtrarinis reſtiariis operam emeritam pecuniâ perſoluunt. Nauale Venetum 2000. paſſ. circuitu, mœnibus validis munitum eſt, cum opportunis ad cuſtodiam turribus. Intus operarij CCCC. quorum ſtipendium in ſingulas hebdomadas 1200. aurei. Iuxta, locus alius Tana, funium & rudentum conficiendorum officina. Longarum nauium numerus, quæ ad omnem occaſionem paratæ ſtant in pontibus, CC. Vnaquæque triremis ad bellum inſtructa præfectum habet virum Patricium, qui in omnes animaduertit, ſed vitæ & mortis arbiter non eſt, hoc Imperatori relinquitur, qui in omnem claſſem imperium exercet, æquâ poteſtate, cum Dictatore Romano, niſi quòd Reip. mandatis ſummittitur. Hoc ciuitatem maritimam ingreſſo, Prętorum iura ſilent, prouocatio iudiciorum ad eum venit, qui, ſi libuerit, ſolus de controuerſiis iudicat, pecuniam publicam in quos lubet vſus conuertit; ob hanc cauſam raro claſſi præficitur Imperator, ne omnia ex vnius ciuis arbitrio pendeant. Hic cùm primum Iſtriam attigit, C. M. ab vrbe, ſtipendio, nautis militibúſque, finitâ expeditione, perſoluto, omnes dimittit, priuatúſque & exarmatus vrbem ingreditur. Pauci viri triremes emeritas in nauale reducunt, ſub tecta ad eos vſus ædificata, ne iniuriâ temporum nauigia inhabilia fiant. Qui in eo natiali conſenuerunt, ſtipendia tamen accipiunt, quæ corrogantur è quodam tributo, quod emptores & venditores preciosarum rerum perſoluunt, pro ſummâ mercium. Quod tributum, quia voluntarium eſt, & helemoſinarium, incertum eſt. Naualis, ſiue Arſenalis, Præfecti III. vulgò *Proueditori all' Arſenal*, alij, qui lacunis præſunt, *Signori all' acque*, vocantur. L. triremes à collegiis opificum vrbis inſtruuntur, aliæ, quæ Palatinæ nuncupantur, nauicularum vrbanarum remigibus armantur. XII. triremes, quæ Phaliſeæ appellantur, implentur hominibus, quorum delectus fit ex oppidis, & pagis continentis. Aliæ XII. per Iſtriam, Dalmatiam, & Sclauoniam armantur. II. Iuſtinopolitano in portu vigilant, reliquæ, Veglæ, Spalatro, Tragorio, Curzolæ, & Catharo: quarum præfecti ſunt ciues ipſarum ciuitatum, vrbico concilio electi. Eſt & Prouiſor claſſis, cuius imperium in omnes extenditur, ſecum VI. triremes ducens, reſidénſque perpetuò Corcyræ, vt Orientem cuſtodiat. X. triremes armat Candia, liberóque

Vide Auityeum de Imperiis Orbis, Tomo 3. vbi de Rep. Venetor. agit.

beróque remige eas implet, quibus Candiotæ præficiuntur. Alius Magiſtratus eſt in Adriatico ſinu, Capitanei nomine, cuius ſedes Pharos Inſula: huic IV. triremes ſubſunt, ſub vno Legato. Habent & Veneti Gubernatorem vnum cum triremibus IV. quæ ab inuitis militibus, ad hoc opus damnatis, remigantur: hic apud Corcyram ſtationem habet, ſub vexillo Prouiſoris, & apud Candiam hybernat: vt, ſi verno tempore bellum ingruerit, X. triremes præſto ſint, pacis verò tempore IV. tantùm. Præterea in Adriatico ſinu Capitaneus fuſtarum, hoc eſt, minorum nauigiorum, qui ad reprimendos inſultus Vſuccorum vigilat: hæc gens Signiam incolit, ſub ditione Regis Romanorum, plurimáque damna inferre conſueuit. Præfectis ſingulis triremium in mēſem ſalarium CLX. aurei. Ij, ſicut & Prouiſores & Legati triennio patriâ abſunt, mox magiſtratum depoſituri recurſant in vrbem. Dominium Venetum III. Prouincias integras in Italiâ complectitur, Marchiam Treuiſanam in mediterraneis, Forum Iulium & Iſtriam ad mare. Eorundem Venetorum eſt penè ora tota Dalmatiæ, CORCYRA Inſula, cuius ambitus CXX. M. CEPHALENIA, in circuitu habens CLX. M. ZACYNTHVS, cuius circuitus LX. M. & CANDIA, cuius circuitus DXC. M. Nunc ad alia.

CAPVT VIGESIMVMOCTAVVM.

Melitenſium Equitum res mari geſtæ.

PRIMVM Equitibus hiſce nomen fuit Fratrum Hoſpitalium S. Ioannis Baptiſtæ in vrbe Ieruſalem. Appellationis cauſa, quòd prima eorum cura fuerit, eos, qui vel pietatis, vel militiei occaſione in locis Sanctis degebant, hoſpitio excipere, alimenta egentibus præbere, ægrotis mederi, vulneratos ſanare: & quia propè templum S. Ioannis habitabant Ieroſolimis, hinc reliquum appellationis. A Balduino I. Ieroſolimitano Rege, Equites S. Ioannis, ſiue Ioannitæ nuncupati, paupertatis, obedientiæ & caſtitatis voto ſe aſtrinxerunt. Cùm autem in dies hoc ſodalitium creſceret, prouiſum eſt, ne Sanctæ vrbis Patriarcha toti Ordini deinceps imperaret, electo communibus ſuffragiis in Rectorem Girardo à S. Deſiderio: cui cùm ſucceſſiſſet Raimundus à * Pulignaco, Aruernus, ſpreto Rectoris nomine, Magnus Magiſter Ordinis vocatus, ſuos à ceteris hominibus lege, habitu, & viuendi genere diſtinxit, tradidítque omnibus arma, quibus ipſi vulnera hoſti facerent, qui vulneratis auxiliari conſueue

E Boiſſaco in hiſt. Melitenſi. Fauino in theatro Honoris. Henrico Pantaleone in hiſtor. Ioannitar.

ANN. 1104.

** Du Puy, aliis à Podio.*

ſueuerant. Eorum prima militia in Turcas & Saracenos fuit, circáque obſidiones vrbium, & terreſtres pugnas verſata maximè eſt. Captâ à Saladino Ieroſolymâ, azylum illis Margatum caſtellum, mox Ptolomais fuit, recentiori nomine Acon, ſiue Acra dicta.

ANN. 1291. Eâ quoque per Elpin Sultanum Ægypti expulſi, diu piratarum more nauibus incluſi, Græciæ, Ægyptíque, atque Aſiæ oras populati, tandem Rhodiaco in littore conſtiterunt. Rhodus Inſula cum vrbe à Saracenis tenebatur, & omninò impares Equitibus S. Ioannis vires erant, ſi palàm & aperto marte pugnandum fuiſſet. Ouium itaque gregibus in terram comportatis, pars ruſtico habitu paſtores, pars mercatorio mercatores, pars velleribus incluſa, intérque balantum turmas manibus pedibúſq; gradiendo, oues mentita, armata tamen, vrbis portas, mox ipſam vrbem nudatis gladiis occupauit. Saraceni, qui ad portum fugêre, in

ANN. 1308. Hoſpitalium claſſem incurrerunt. Hoc ſtratagemate, nauibus, quæ in portu erant, vrbe, Inſuláque totâ occupatis, ab Inſulæ nomine poſtea Equites Rhodij nuncupati. Ex eo multa ſequuta ſunt rebus Chriſtianorum proſpera, neque enim iis in oris vlli piratæ poſtea viſi ſunt, patuítque liberum mare in Syriam ex Europâ nauigantibus, præſidiúmque, & quaſi murus in Turcas fuit, ne longius eorum Imperium progrederetur. Nam & ſequente anno cùm Othomanus I. Turcarum Imp. exercitum Inſulæ admouiſſet, ſuo ſuorúmq; damno obſidionem omittere coactus eſt. Nec ita multò poſt Côs, quæ hodie *Lango*, dicitur; Lerus, Claros nunc *Calamo*, Niſſatáque Inſulæ, ab Equitum Rhodiorum claſſe occupatæ ſunt: vltimáque in feudum Ioanni & Bonauitæ Aſſatiis data, eâ lege, vt longam nauem CXX. remium, quam Afernellam vocant, ædificarent, milite & armamentis inſtruerent, ipſique in eâ militarent, iréntque quò iuſſi eſſent. Indignatus Orchanes Equitum audaciam, LXXX. nauium claſſe, ipſe Othomani ſucceſſor, Rhodo imminebat, cùm illi Equites Rhodij obuiam iére, pugnáque factâ, totam Turcarum claſſem aut abduxerunt, aut incenderunt. Chiúmque admoti, in quâ Inſulâ Orchanes fugerat, cæſis X. M. tenuerunt. Smyrne, quæ celebris Ioniæ vrbs eſt, poſtea capta, Imbrúſque Inſula, vulgò *Embry*, Turcicis præſidiis neci datis, captiuis D. M. ad remes colligatis. Petita & bello Alexandria Ægypti, cum auxiliariis Cypri nauibus, expugnata, deprædata, incenſa, & quia ſeruari non poterat, relicta. Eodem impetu Tripolis Syriæ cum ſuis ciuibus exitio data. Poſtpaulò Ludouico à S. Sebaſtiano duce, Mareſcalo Ordinis, claſſis Ægyptiaca ad Carathoan, portum deſertum in Archipelago, ingenti acceptâ clade, ſolo noctis beneficio ad tempus ſeruata eſt; mox victa, triumphatáque; & ipſe exercitus Mahometi Turcarum Imp. ad maximas anguſtias in ipsâ Rhodi Inſulâ adductus, ca-

ſtráque,

ſtráque, quæ ante vrbem locauerat, mouere, & occultò fugam capeſſere coactus. Maior maritimo Sultani Ægypti exercitui circa Cyprum clades, tormentorum æneorum fulmine claſſis hoſtium concuſſa, turbatis ordinibus, non animis, vltra omnium expectationem dubiam victoriam dudùm reddidit, donec infeſto ictu Sultani nepos, dux claſſis, caderet. Tum è triremibus in cymbas deſcenſum, nando alij in littus peruenêre, ij vndis abrepti, gladiis plures, aliquos vicinæ ſyluæ fugientes exceperunt, texerúntque. Omnes naues in ditione victoris fuerunt, tentoria in littore reperta, materia dedolata, cæſáque ad triremes, concremata ſunt. Imperabat Rhodiæ claſſi Philippus * Villierſus Inſulæ Adami, qui breui poſt tempore Magnus Rhodi Magiſter creatus eſt, ſub quo Rhodus concidit, Turcarum CCCC. nauigiorum claſſe petita, & poſt diuturnam obſidionem capta à Solimano Imp. CCXXX. ann. ab eo tempore, à quo ab Equitibus S. Ioannis Ieroſolimitani occupata fuerat. Inde eiectis, momentaneæ & intutæ ſedes in Italiâ, Siciliáque: nec aliæ niſi in piratas pugnæ, claſſe exiguâ & quâ plerunquè Chriſtiani Principes vt ſociâ, & auxiliari vtebantur, donec Melitam, Gozúmque Inſulas, & Tripolim Barbariæ vrbem, ab Imp. Carolo V. acciperent. Ibi habitatio illis tuta, importuoſo littore, præcipuè circa Melitam, de cuius nomine hodie Melitenſes Equites vocantur, qui olim Rhodij vocabantur. Primum nouis Melitæ incolis maritimum certamen cum * Scendero piratâ ante Tripolim fuit, Botigellâ * triremium Melitenſium duce, vbi cùm vtrinque ſumma virtus enituiſſet, Chriſtianis autem maior, tamen æqua penè clades, victoris auaritiâ, ſequuta eſt. Nam cùm in galeotam Melitenſes Equites inſiluiſſent, omniáque inutilia, vel viuentia præcipitaſſent in mare, milite vndique confluente ad prædam, factum eſt, vt nimio concurrentium pondere grauata nauis ſubmergeretur, darétque profundo prædatorem ſimul & prędam, miſerum ſuperſtitibus Chriſtianis ſpectaculum, qui ferociores damno accepto, harpagonibus in alteram galeotam coniectis, obuios quoſq; trucidauerunt, alios ſaltu in vndas deſilire moríque coëgerunt, inter quos & ipſe Scenderus fuit. Eodem ferè tempore Corone, vrbs vltima Peloponneſi, quà in cuſpidis modum terræ in pelagi ſinum altius deſcendunt, ſita, à Turcis poſt longam obſidionem capta eſt, & Melitenſibus erepta, qui eam paucis ante annis occupauerant, obſeſſámque magno robore diu defenderant, iuuante Andreâ Auriâ cum aliquot Genuenſium nauibus. Hîc pugnam æquâ vtrinque clade pugnatam, memoria tamen dignam celebrare ſcriptione lubet. Melitenſium v. triremibus Franciſcus Lotharingus, Magnus Franciæ Prior, imperabat, Turcicis viii. Delius Iaffer, dux claſſis Rhodiæ. Hic, ne Chriſtiani certamen re-

De Villiers l'Iſle Adam.

ANN. 1522.

** Scender Rais.*

** General des Galeres.*

ANN. 1556.

cuſarent,

cuſarent, quatuor triremes dimiſit, reliquas veteri milite & Ianiſſeris impleuit, captiuóque omni remige remoto, remos agendos armatis militibus tradidit, qui ceſſante remigatione & triremibus hoſtium claſſi coniunctis, expeditis armis reſiſtere & prouocare poſſent. Iam Carpathus, quæ hodie Scarpantus Inſula, iam Melitenſium triremes in conſpectu erant, quibus ventus fauebat. Tres in medium pelagus progreſſæ incoauêre prælium, vna relicta, quæ auxilium laborantibus ferret, ſed hanc Iaffar, ſiue Giaffer, ne ceſſaret, inuaſit. Chriſtianos in victoriæ ſpem adduxerat cædes ingens Turcarum explauſu tormentorum facta; ſed cæſis, carinæ occultatus miles robuſtior ſuffectus exitium minabatur. Infixæ proris proræ, pérque remos iter audacibus vndique in hoſtis triremes patebat. Excuſſi in mare multi, alij igne conſumpti, machinis bellicis lacerati, haſtis telíſq; confoſſi, enſibus truncati. Globo fiſtulario terebratus hortator & exemplum ſuis Giaffer concidit: Lotharingus gemino vulnere accepto ęgrè, vt medicamen acciperet, ſubſtractus eſt pugnâ. Nunc hęc, nunc illa triremis hoſtes accipiebat, rurſúmque oppugnantibus trucidatis, alia, & alia occupabatur. Primus Memmius cui in Turcicâ triremi imperium erat, S. Iacobi triremem occupatam Turcicis remigibus ad libertatem vocatis, retinuit. Damnum à Chriſtianis acceptum ſemicombuſta hoſtium nauis compenſauit, & hoc etiam, quòd pugnam primi Turcæ deſeruerint, armis, viribus, & die deficientibus. Hæc grandia licet, ſi ſubſequentibus comparaueris leuia reperies. Hîc honos & præda, cauſæ feraces bellorum: nunc ipſi Lares, ſupremúmque ſocialis militiei domicilium Melita contra Solimani exercitus tutanda erat. Quæ facta, vndique fabulas Heroum ſuperant; meminiſſe animus horret, adeò terreſtri pugnâ ſæuitum eſt. Claſſis aberat, & quidquid auxilij è Siciliâ ſperabatur, vanum & deluſorium; ad artes & enſem conuerſæ ſunt maritimæ vires. Funes ferreis cathenis intorti, anchoris hinc & inde ſuffixi, portum claſſi Turcicæ claudebant. Vacua dolia, trabéſque, & detractæ nauibus carinæ, cathenarum pondus, dum aquas ſupereminent, ſuſtinebant: & magnâ ex parte Melitenſium propugnacula ceciderant, abrepta flammis: cùm Turcæ repagula dimouere, clauſtra frangere tentauerunt, natatoribus cum dolabris ad id ire iuſſis. Contra miſſi & alij, à * Pontano Amiralio, natandi periti ex Inſulâ; galea caput, dextram ferrum, ſiniſtram clypeus tegebant, cetera nudi. Nouum inde certamen ſequutum eſt. Nam vt clauſtra natatores Melitenſes tenuerunt, primò fluitantibus in trabibus certatum eſt, ſi inde mors abfuiſſet, ludus: cùm qui & dabant, & excipiebant ictus, lignum falleret, dimitterétque in mare, in quo ſæuius pugnatum: iis totis humeris ſuprà aquas efferentibus dolabra, illis

* *Du Pont.*

clypeos

clypeos offerentibus, & vibratos inter natatus enſes in Turcarum corpora condentibus. Ceſsêre Turcæ magnanimis, ſeu quia nec dolabra facilè de fluctu eximerent, ſeu quod ad omne vulnus exarmati paterent: vtque acuit ingenia neceſſitas, à Ioanne Othone Boſio pons piceatis doliis ſuperimpoſitus, recedentes à prælio non modò accepit, ſed & oppidum Inſulæ iungens, illud annonâ & milite ſubſidiario, facili tranſmiſſione recreauit. Ita conſeruata cathena, quæ vetabat hoſtem in portum interiorem progredi: Candeliſſa, Algeri Regis legatus, eandem perfringere nauium impetu tentauit, quas, vt tormentorum bellicorum fulmen ſuſtinerent, culcitis tomentóque muniuit, leui materiâ, & quæ remigantes non impediebat. Sequebantur LX. triremes velis, malíſque exarmatæ, quò plures milites ferrẽt, dato eruptionis ſigno explauſu tormenti, gratum erat diuerſos fluitantium ſignorum motus proſpicere, Candeliſſam reliquam claſſem in ſcaphâ pręcedentem vexillum in ripam portantem, ſacerdotes longâ in naui, grandibus pileis viridi è colore penè ſepultos, verſicolori in veſte, libros manibus tenentes, ridiculo cantu Melitenſes morti deuouere, longo ordine milites tabulatis triremium ſtantes inter tubarum & tympanorum clangores, pulſúſque, in cathenam vehi, tum ad manum reſpicere, enſibus agere, aceribus doliíſque ſupernatantibus hærere, ſaltu alios natatúque repagula præterire, quæ ſolido ferro compacta, malíſque nauium & tranſtris hęrentia, frangi non poterant. Coëunt tamen inquirúntque circa littus, quo exitu cathena claudatur, certi, ſi lapidibus, vel ferreis circulis retineretur diſcutere, lapides per tormentorum bellicorum explotionem, dimouere & rumpere circulos. At Guimeranus, cuius vigilantiæ tutela huius partis cathenæ commiſſa erat, appropinquantem hoſtem tam ſpiſsâ plumbi ferríq; grandine vexauit, vt alias naues nautâ militéque nudaret, alias profundo daret. Incuſſus inde ceteræ claſſi metus, & niſi Candeliſſa aptâ oratione virtutem antiquam timentibus obieciſſet, obſidio leuanda erat. Sed ſuo hortatu exercitu erecto, reddidit littori & naues & militem. Tum vndique mors graſſata eſt, parca primo Turcis, qui iam propugnaculum vrbis occupauerant, tandem ſæua & in Dæmonum gratiam vmbris prodiga, quas ignis, mare, enſis faciebant. Maior ſtrages ipſo in littore, cùm qui vltimi naues tranſilibant, inter tumultum & metum priores in aquam præcipitarent, nauéſque plerunque etiam totas pondere opprimerent. Arma, veſtéſque per vndas arenámque ſparſæ, collectæque, victorem contra hoſtis temporúmque iniurias muniuêre. Expectabáuit quotidie Garſias Toletanus, idem Pro-Rex Siciliæ, & Præpoſitus Hiſpanicæ claſſis. Is cùm LX. triremibus Syracuſis ſoluiſſet, quartum, poſt diem terram attigit, in loco, qui Melecca

 dicitur,

licitur, cęteros portus timens, quos teneri ab aduerſariis arbitrabatur; ibíque militibus expoſitis, ad alias legiones è Siciliâ tranſuehendas diſceſſit: ſi prælium nauale auſus fuiſſet, haud dubiè victor, cùm & hoſti miles ad maximam claſſem tuendam non eſſet, aliis cæſis, aliis ſub tentoriis circa vrbem degentibus, neq; ille vllas maritimas vires obſeſſis ſperaret, ob ídque totus in expugnatione terreſtri eſſet. Auxilium tamen grande nouus exercitus Melitenſibus attulit. Exinde enim lentior Turca, & poſtquam ſuas ſpes à Fortuna & Equitum virtute deludi ſenſit, reſpectum ad naues, omiſsáque Inſulæ vrbíſque obſidione, Conſtantinopolis repetita. In memoriam tantæ rei à Magno Magiſtro, vrbis nouæ fundamenta iacta ſunt, déque eius nomine, Valetta appellata eſt. Diu poſtea Melitenſes retenti in Inſulâ pacificè vixerunt, niſi ſi quando in piratas ſæuiebant, Adolpho * Vi-

** Vignacourt.* ** De Viuiers.* gnacurtio Magno Magiſtro triremes v. per* Viuierſium auxiliares

ANV. 1601. Ioanni Andreæ Auriæ miſſæ, arcem Paſſauam, noſtris Caſtellum Nouum, in Peloponneſo expugnauerunt, crematámque reliquerunt, totâ vicinâ regione depopulatâ. Sequenti anno Vignacurtius ipſe expeditionem in eandem Peloponneſum, ſiue Moream, ſuſcepit, III. Gallionibus, II. onerariis, IV. triremibus, phaſelis totidem, tartanâ I. vectus: nec mora, coniecto in terram milite, Naupactum (hodie Lepantus eſt) & Patram tam ſubitâ pernicie inuoluit, vt vrbanis, niſi poſt dirutas vrbes, Turcica ſubſidia non

ANN. 1604. aduenerint, captiuorũ ingens numerus. Tunc temporis in odium Acmeti Turcarum Imp. Sinan Baſſa inciderat, cúmque ſibi timeret, fugerétque Conſtantinopolim, vt erat claſſis barbaræ Amiralius, Melitenſem expeditionem ſimulauit, in Chriſtianorum partes tranſiturus. Soluit itaque ex Archipelago cum triremibus XL. ſtetítque ante Melitam cum Turcicis vexillis, vt ventum ad manus, tentorium ſummiſit, quod deditionis ſignum eſt: pars claſſis, cùm Melitenſium Equitum robur non ferret, retroceſſit, pars vadis obruta, pars capta, receptáque in fidem, ſociatis armis rebel-

ANN. 1620. lionem ſuſtinuerunt. Cephalenia deinde Inſula, & Torneſa arx

ANN. 1623. Arcadiæ à Melitenſibus direptæ. Ottomanus Legatus iuxta Cor-

1625. cyram claſſe victus, Leucas, quam alij Leucadiam vocauêre, nunc S. Maurus, ab iiſdem populationibus incendióque vexata,

** Le Commandeur de Talmey, Baillif de l'Aigle.* Epirique maritimum littus ſtrage & ruinis completum, * Talmeiſio nobili Burgundo duce. Iidem, † Charalsio claſſi præpoſi-

† De Charault. to, Turcicam claſſem, triremium XXX. cum galeáciis VII. in ipſo

ANN. 1638. Archipelago interceptam, quæ munimenta belli Imperatori ſuo, ad bellum Perſicum profecturo, deferebat, ex parte fregit, alteram ante Rupellam Calabriæ vrbem oppugnauit, quam Subpræfectus Baſſæ Tripolitani Bicacius regebat. Fridericus Langrauius, Generalis triremiũ Melitenſium, à Ioanne Paulo Laſcari Magno Ordinis

Ordinis Magiſtro, cum claſſe VI. triremium in piratas miſſus, Caraogeſum famoſiſſimum piratam in ipſo Guletæ portu fregit, eiúſque naues ſex, quæ pugnæ ſuperfuerant, prædâ onuſtas, atque integras Melitam deduxit: & nunc Melitenſis claſſis, claſſi Magni Etruriæ Ducis iuncta, per Archipelagum vagatur, inſidiáſque Barbaris ſtruit, annua tributa Conſtantinopolim deferentibus. ANN. 1640.

CAPVT VIGESIMVMNONVM.

Claſſes Melitenſium, eorum dignitates, leges, & munia claſsica. Quæ ferè omnia ceteris nationibus communia ſunt.

Ex iiſdem authoribus. Item ex Statutis Ordinis S. Ioannis Ieroſolimitana.

PAVCA Equitum Melitenſium maritima prælia recenſui, quòd illi raro iuſtis claſſibus, ſed ad ſummum VII. triremibus pugnant: non in hoſtem claſſe potentem, ſed per excurſiones in Turcas mercatores, aut piratas. E portu Melitenſi quatuor, vel quinq; triremes ad Ordinem Melitenſem pertinentes bis in anno ſoluunt, maria purgaturæ. Eas Magni Magiſtri Melitenſis Militiei aliquando vna aut altera comitatur, vel ſaltem V. Prioribus præcurſoria vna, auxiliaris altera adiungitur. Portum ſeruant, ſi quandò reduces iſtæ, aliquandò etiam mercatorum, piratarum, & Equitum impenſis inſtructæ naues, quibus Ordo tum ad cuſtodiam portus, tum etiam ad prælia, maximè contra graſſatores, vtitur: quod hodie maximè obſeruatur, ſublatâ claſſe, quæ ad Ordinem pertinebat, ob id, quoniam grauioribus conſtaret, ad piratarum perſequutionem inhabilibus, qui celocibus gaudent, ad fugam & ſubitas incurſiones plurimùm valentibus. Rariſſimè Magnus Magiſter Ordinis, vel Mareſcalus in claſſe ſimul ſunt, ſi forſan eorum vnus affuerit, omnis poteſtas & arbitrium in claſſem ad eum deuoluitur; ſin minus, ad Amiralium, aut eius Legatum, vel Præfectum triremium ſumma imperij reſpicit. Mareſcalus vexillum Ordinis Amiralio ad tranſmiſſionem parato, vel alteri etiam in ipſo portu, templo, vel naui concedit. Magnus verò Magiſter Præfectos triremium, Patronóſque in poſſeſſionem triremium, quæ ad ſe, vel ad Ordinem pertinent, mittit. Amiralius cuncta quæ claſſis ſunt imperat & adminiſtrat: militi nautíſque ſtipendia è publico theſauro erupta ſoluit. Iuxta Munichiam, ſiue Arcenale, domum in Inſulâ habet, quam ille habitat, cuius fidei committit, quidquid ad nauiga-

tionem attinet, ſeruatúrq; in Arcenali, iſtum Adiutorem appellare poſſumus, cujus officium eſt, ferrum, ligna, remos, ſtupas, fila, vela, arma, aliáque eiuſmodi in tabulis referre, quid importetur, quid exportetur, quid per ſingulos dies impendatur, deſcribere: operariis & artificibus inuigilare, inuentorium omnium quæ ſunt, quæque ibi ſunt, vnum ſibi, alterum Amiralio, tertium Arcenalis præfecto tradere, clauem ianuarum, per quas in loco munito aditus eſt, ſeruare. Itaque ſub diſpoſitione viri ſpectabilis Amiralij primum ponemus, inter officia & dignitates ei ſubiectas, eum ADIVTOREM: Cui proximus erit ARCENALIS SCRIBA, qui ab ipſo Amiralio eligitur & nominatur, ſicut & Adiutor. Iſtius officium eſt, quidquid ad nauigationem idoneum in eâ arce ſeruatur, certo & recto ordine diſponere, vt inde ſine tumultu & confuſione quoties opus eſt facilè eruatur: idem quoque mittit in tabulas ſingula quæ ad claſſem apta ſunt. Libros expenſarum ſubſignat, tradítque obſerandos [1] Præfecto Arcenalis. Horum omnium adminiſtratio poſt biennium finitur. Sequuntur, quamuis dignitate Priores, [2] PRÆFECTI SINGVLARVM TRIREMIVM, ad quos in ſuâ naui omne imperium pertinet, quem vnum qui vehuntur ſuſpiciunt, cuiúſque mandatis parent, maximè ij, qui aliquâ in dignitate conſtituti ſunt. Eliguntur ex iis Equitibus qui iam per viginti annos in ordine ſunt, quíque quatuor nauigationibus confectis, quas Carauannas vocant, grande ſpecimen generoſitatis & prudentiæ dederunt. Hæ Præfecturæ à Conſilio Ordinis petuntur, durántque ſex menſibus. Ius illis in omnes, qui in triremi ſunt. Ad Præfectum quidem claſſis fratres Ordinis, ſi deliquerint puniendos mittunt, reliquos verò ſeculares ex ſententiâ ſuâ puniunt, eóſque ſæpenumerò, ſi noxam fecerint, ad triremes damnant. Si prælium ingruerit, qui ſecum puppim, qui proram cum Legato ſuo, qui malum, hoc eſt, [3] medium triremis, ſeruare & cuſtodire, qui remiges impedire, ne noceant, qui harpagonas iacere, qui in hoſtium naues deſilire debeant, indicunt: præmiúmq; iis, qui in eas primi deſiluerint. Ordo triremium, dum nauigant qui in claſſe ſunt, ab antiquitate Præfectorum ſumitur: hoc eſt, triremis illa cuius præpoſitus per plures annos in religione eſt, ceteras triremes antecedit: & ſic de ceteris. Vt primùm claſſis portum petitum attigit, binnus Præfecti triremium in eam triremem, quâ Amiralius portatur, cimbis vehuntur, accepturi imperantis iuſſa, quo vetante, excuti tormentum vllum, aquatum progredi, ludúmque ſclopetarium exercere, propoſito præmio illi, qui ſcopum delineatum glandulâ plumbeâ percutierit, aut proximè ad eum acceſſerit, nefas. Si fortè fortunâ Amiralius inter præliandum ceciderit, aut vulnere, vel ægritudine impeditus, imperium exercere nequiuerit, tunc

in

[1] Au Commandeur de l'Arcenal.
[2] Capitaines de Galeres.
[3] La Meſanie.

in eius locum ſubrogatur ille, qui in eius naui poſt eum imperabat, æquâ, quâ Amiralius, authoritate, quandiu in nauigatione fuerit: ſimul enim atque redux claſſis portum Melitenſem intrat, officia omnia claſſica ceſſant, aliique eliguntur, qui proximè progreſſuræ è portu claſſi imperent. Tum quoque ſinguli Præfecti triremium quotidianas expenſi tabulas Procuratori Theſauri ordinis tradunt, triremeſque ſuas ſucceſſoribus reſtituunt, iiſdem armamentis atque armis munitas, quibus armatæ fuerant, cùm primùm nauigationem ipſi auſpicati ſunt. Ceterum ille qui abſente, mortuo, vel ægrotante Amiralio claſſi imperat, RECTOR triremium, ſiue [4] REGENS appellatur. Præfecti, ſi committendum prælium eſt, puppes tutantur, & ſtare ſolent in eo loco, qui Tabernaculum appellatur, vnde quod fieri vult mandat: è prorâ verò eorum [5] LEGATI pugnant, hinc & inde quinque pedum altitudine [6] Cataſtromata duo conſurgunt, in quibus ſingulis parati ad pugnam milites decem, cum ſuo [7] DECVRIONE congreſſum expectant, in hoſtiles naues deſilire ſoliti. Qui præcurſoriam triremim moderatur, [8] PATRONVS, ipſáque triremis ceteras antecedens, Patrona vocatur, è Gallico vocabulo, quo intelligimus eum, qui ceteris exemplum eſt, nam & Patronum in mari cetera claſſis ſequitur, idémque iter tenet. Ceterorum nauclairorum cura eſt, latentes rupes, ſyrteſque & vada vitare, [9] PILOTAS vocamus, à pilâ, hoc eſt, naui: ſic dictâ de generali nomine, quo omne concauum ſignificatur. Iis conſiliarij quatuor è vetuſtioribus nautis ſublecti auxilio ſunt, qui lintres cimbáſque è triremi ſubducunt, vt vada tentent, ſyrteſque dignoſcant, littoráque portuoſa. Poſt hos ſequuntur [10] COMITES, per ironiam vocati, quòd minimè comites, id eſt, manſueti, ſint, à remigantibus, [11] NOSTER HOMO vocatur, quoniam ex eius arbitrio cædantur, nec alium penè agnoſcant, adeò nunc fuſte, nunc neruo, per ſingula penè momenta excipiuntur. Hi vt æquo hinc & hinc pondere ſuffultæ & vibratæ naues facilè ventis remiſque impellantur procurant, hoc æquilibrium maximè nauigationi neceſſarium. [12] DOMINVS nauis dicitur is ad quem illa pertinet. In ea aliqui victum nauigantibus præbent, alij, ne nauis damnum patiatur curant, certo pretio in ea opera conducti. [13] ESTIVAM nautæ vocant, Romanorum antiquo vocabulo, apud quos ſtiuá, regula eſt, quâ æqualitas dignoſcitur, à ſtando dicta, quòd vbi æquo hinc & inde ſuſpenſa pondere ſtat, æqualitatem oſtendit. Quod & ipſi Comites faciunt, deducto per malum fune, cui plumbum dimenſurationi aptum ſuſpenſum eſt, vt æqui-angulum conficiat æquilibrij. Hoc inſtrumentum menſuratorium, aliúdque, quo fundum fune plumbóque tentant, [14] Eſcandailum appellant. Secundum Comitum officium eſt, [15] ſubducere naues è portu, & eaſ-

4 *Regent des Galeres.*
5 *Les Lieutenant.*
6 *Rambades.*
7 *Caporal.*
8 *Le Patron.*
9 *Pilotes.*
10 *Les Comites.*
11 *Noſtre homme.*
12 *Bourgeois du Nauire. Auitailleurs. Equipage, ou les Officiers, matelots, & garçons, auec leur conglage, c'eſt à dire leur loyer.*
13 *Mettre la Galere en eſtiue.*
14 *L'Eſcandail.*
15 *Leuer de poſte, & mettre en poſte la Galere.*

dem deducere in portum, in quo maximè laboratur, cùm ſæpe numerò in ipſo naufragium fiat. Tertium, pro ratione ventorum & curſus [16] vela madefacere. Quartum, [17] remigationem curare, voce, arte, fuſte, neruo. Cúmque iſtà omnia miniſteria ſimul agere nequeant, officij in partem [18] SVBADIVVAS vocant: qui remiges proræ vicinos hortantur, & curant. Remigum autem tria genera ſunt, voluntariorum, qui ſtipendium accipiunt: Captiuorum, & eorum qui indicum ſententiâ ad triremes damnati ſunt. Omnes vno pede compedes retinent, ne damnati & captiui libertati ſe dedant, alij verò cùm prælium fit, prędandi ſtudio in hoſtium naues remis relictis deſiliant. Malos, vela, antennas, aliáque triremium, Comites procurant, ſuo damno damnum reparaturi. Iſti vinum nauigantibus vendunt, indicto à Præfectis nauium pretio. Iis è ſex cubiculis cuiuſque triremis, quintā habitant, [19] Mediam appellatam, in quâ vela reconduntur, ſicuti funes & medicamenta in exiguo receſſu, quem [20] Gauonem appellant, vbi Sub-adiuuæ habitant, iuxta proræ cubiculum, quod in trireme ſexto loco numeratur. Nam primum in puppi Præfectus occupat, ſecundum Arguſinus, tertium Maior domus, quartum ſcriba. In [21] ARGVSINI cubiculo arma occluduntur, illud [22] Eſcandolam vocant: denominationem ab Italis ſumit, qui [23] Alguſilum eum vocant, cui cum ſatellitibus latronum captura mandatur: Arguſini & Arguſili non abſimile officium, nam & iſte compedes tractat, demítque aut iniicit remigibus, ferreas eorum cathenas bis in die, ſæpius de nocte pertractat, annulóſque omnes curioſis oculis ſcrutatur, ſi probè ſerati & connexi ſint; vtitúrque ad id ope Sub-adiuuæ, qui ob id [24] SVBARGVSINVS appellatur. Hic, vel ille, vt compedes duobus aut quatuor remigibus detraxit, iniecítque collo brachiiſque ferreos annulos, de cathenis pendulos, quas [25] Brancas, ſiue Brancadas nominant, eos [26] Satellitum tutelæ committunt, qui eos ſequantur, eorúmque veſtigia obſeruant, dum aquatum exeunt, aut panem, aquā, aliáque triremibus neceſſaria portant. Et ij quoque Satellites, ſiue cuſtodes, XII. aut XIV. numero in vnaquaque triremi per certas ſtationes, [27] ad clepſidræ duos aut tres fluxus, vigilias exercent, ne quis è remigibus euadat, quod ſæpè fit, cum in portu, aut non longè à littore nauigatur, nam ipſi ruptis compedibus deſilientes in mare, Arguſinorum, Satellitúmque vigilantiam fallunt, plures licet faſces & noctem pellant, pérque omnia triremium loca lucem portent: licet etiam profundum ibi ſilentium ſit, & ad minimos ſonitus, motúſque aures oculiq; porrecti, grauiſque pœna deprehenſos caſtiget, tantus libertatis amor eſt, & ars, audaciáque miſeris. Sequitur REMIREX, [28] Remulatum vocant, qui remos curat, vt integri, leues, mouerique & agi faciles,

colligatique

16 *Tremper les voiles.*
17 *Faire voguer la Chiourme, par la parole, par l'art, par le gourdin, ou baſton plat de deux doigts, & par le nerf de beuf.*
18 *Sous-comites.*
19 *L'Arge, ou Mezanin.*
20 *Le Gauon.*
21 *L'argouzin, ou Agozin.*
22 *L'eſcandole.*
23 *Le Preuoſt.*
24 *Sous-argouzin.*
25 *Branches, ou brancades.*
26 *Gardes, ou Compagnons.*
27 *Par compa-lettes.*
28 *Le Remolar.*

colligatíque probè ſint. Poſt hunc, [29] MAGISTER SECVRIS, qui illud, quod triremis corpus vocatur, reparat: Naupegi, qui rimas ſtupis implent, & pice illinunt, [30] CALFATI dicuntur: [31] BARILLARI, qui Latinè Aquilegès dici poſſunt, dolia aquâ & vino plena ad vſus tantùm remigum curioſè conſeruant: [32] ARGVSINI SERVVS, qui Arguſino miniſtrat: Tonſor, [33] BARBEROTA vulgò, qui crines barbámque remigum radit nouaculâ: [34] TVBICINES, qui non modò prælium canunt, ſed & remigũ partem per otium, dum vento nauigatur, animare tubas, tibiáſque docent, ære publico donati: Natatores, ſiue vrinatores, [35] MVRGONES appellati, qui quidquid in profundum de nauibus defluxit, immiſſi pelago quærunt: [36] PHARMACOPOLÆ, & CHIRVRGI, qui ægrotis medētur: [37] ELEEMOSINARIVS qui feriatis diebus ſacrificium miſſæ in littore celebrat, miniſtrátque ſacramenta nauigantibus: [38] MILITES, qui ab hoſte triremes tutantur, aliáſque expugnant: [39] REX TRIREMIS, qui plura ſtipendia miles meruit, vel is, qui in Ordine Melitenſi plures annos numerat: cui proximus eſt [40] CERCAMARVS, hic, neque ille, de prorâ aut puppi pugnat, ſed mediam nauim tutatur: [41] COMMISSARII, ſiue Conſiliarij duo Amiralio, vel triremium Præpoſito, à Conſilio Melitenſi & Magno Magiſtro in VI. menſes dati, quibus inconſultis agere nihil poſſit, qui, ne quid ad nauigationem idoneum deſit, prouident, quæ exuberant, vel ita neceſſaria non ſunt, adimunt: [42] MAGISTER TORMENTORVM BELLICORVM, qui clauem alteram habet cubiculi, in quo plumbum, ferrum, ſulphureúſque puluis reconduntur, alteram Præfecto triremis relinquit: quidquid earum rerum expenſum fuerit, durante nauigatione, ante Magnum Commendatorem & Procuratorem theſauri, reduce claſſe, refert. Quâ horâ redeuntes naues portum ſubeant non ita prouiſum eſt, meridie autem portum relinquunt. E prædà pars militi, pars Equitibus, qui pugnæ interfuerunt, pars Amiralio, pars Magno Magiſtro, pars theſauro cedit. Eſt & in vnaquęque triremi [43] MAIOR-DOMVS, qui tertium cubiculum, in quo cibi recluduntur, habitat, [44] SOCIAM vocant. Reſtant dignitates duæ, [45] VISITATORIS, & SCRIBÆ, quibus honor maximus exhibetur. Scribæ cubiculum quartum in triremi aſſignatur, vulgò *le Paillo*, in quo panis ſeruatur, hic ſub ſuà ditione Sub-adiuuam, & Maiorem domus habet, omnia ad triremes & nauigantes neceſſaria emit, refértque in tabulas quidquid ad vtrumque pertinet, ſingulis hebdomadibus cum Arguſino captiuorum veſtimenta pertractat, ſimul & nautarum, ſi quid deſit, daturus. Præterea quoties triremibus noua laterna eáque cucullata datur, quod ſingulo biennio fit; quoties caligæ, ſaguláque mutantur, quod bis in anno fieri ſolet, ea Scriba diſtribuit, veteráque reſtituit illi, qui non attulit. Libram panis bis

cocti

29 Le Maiſtre d'Hache.
30 Calfats.
31 Barillars, qui ont charge du calfat & des barils. Calfats, compagnõs Charpentiers, Calfatins, apprentis.
32 Le Mouſſe d'Argouzin.
33 Le Barberot.
34 Des Trompettes.
35 Mourgons.
36 Apoticaires, & les Chirurgiens.
37 L'aumoſnier.
38 Les Soldats.
39 Le Roy de la Galere.
40 Le Cercamare.
41 Les Commiſſaires.
42 Le Maiſtre Canonnier.
43 Maior-dome.
44 La Compagne, qui eſt la troiſieſme chambre.
45 Le Viſiteur, & l'Eſcriuain.

cocti idem per ſingulos dies ſingulis largitur, præſente Viſitatore, illúdque rationum libris mandat, finito rationis curſu, theſauro publico quidquid ſupererit redditurus, tum ex eo pane, tum è puluere ſulphureo, velis, funibus, aliíſque armamentis, cautione II. M. numum liberatâ, quibus ſe aſtrinxerat diſcedens, niſi ex æquo & bono cuncta miniſtraret, ſeruarétque. Cum Viſitatore omnia triremium loca inueſtigat, vt probè munita, armata prouiſa claſſis ſiet, curat. Ne remiges malè habeantur Viſitatoris officium eſt, ſicut & iſtud, ſcripto mandare ſingula quæ ad annonam & armamentum reſpiciunt: prædam quoque & hoſtium ſpolia, qui bello in claſſe ceciderint, qui morbo ſoluti, quique claſſem, aut ſigna deſeruerint, qui triremes intrauerint. Hæc in claſſe ſub diſpoſitione Amiralij, vel Præfecti triremium officia ſunt, ſed hodie Amiralij nomen, aut nullum, aut dignitatis tantum eſt, Præfecti verò triremium dignitas cum authoritate perdurat, habétque idem imperium in dictos magiſtratus, & officia, quod Amiralius haberet, ſi in claſſe eſſet. In Inſulâ autem Melitenſi, præter Adiutorem & Scribam Arcenalis, de quorum officiis & poteſtate initio huius Capitis diximus, idem Præfectus triremium habet alium SCRIBAM in vrbe Valetta, quem Magnus Commendator Melitenſis, & Procuratores theſauri publici ad id eligunt, vt à Scribis cuiuſque triremis inuentarium accipiat, antequam ſoluant, in quo ſingula quæ in vnaquaque triremi ſunt, contineantur, ſi redierint, ſecundùm illud, rationem apud Procu-

46 *Turcoplier.* ratores theſauri redditurі, præſente Magno illo Scribâ. [46] TVRCOPLIERI dignitas hodie abolita, hic equis, quos Turcopolas Syri nuncupant, maritima Melitæ & Gozi loca bis in anno luſtrabat, hoc illi ab iis equis nomen: in iſtius locum ſucceſſit Cuſtos oræ maritimæ, qui iam non terrâ, ſed triremi, omnes portus aditúſque Inſulæ perluſtrat. Piratæ quoque conſenſu Magni Magiſtri ſub vexillo Ordinis Melitenſis militantes, Equites & Commendatarij ſuis impenſis conſtructis nauibus nauigantes, ſub diſpoſitione Præfecti triremium cenſentur. Quorum tanta virtus ſemper fuit, vt vnus omninò ſociorum deſertor inueniatur, & ob id, eliſis faucibus, equuleó inſutus proiectus in mare è ſententia iudicum. Illi S. Clementis nomen fuit, cuius Epitaphium vno diſticho impletur.

Mors tua non habuit planctum, non vita fauorem,
Nec facinus veniam, nec cinis exequias.

Sic bonis legibus, & Equitum virtute, Melitæ nomen etiam apud Turcas in honore eſt, putantúrque illi omnium Europæ regnorum præſidium, adeò foris domíque plurimum ad bella valent. Nam præter triremes quæ in expeditionibus maritimis continuo aguntur, ſiue illæ ad Ordinem, ſiue ad Magnum Magiſtrum, aut

ad

Digitized by Google

ad alios pertineant, aliæ tuitioni Inſulæ portúſque vigilant: armata vna ad * Renellam ſemper excubat, in portu altera, cui & alia adiungitur omnibus rebus nauigationi neceſſariis ad nouem menſes munita, vt quoties iuſſum fuerit, ſine mora ſoluat: præterea cathenâ ferreâ portus, pons S. Elmi ſuffixis pâlis in fundum, & militari cuſtodiâ defenditur, littora verò validis propugnaculis, vix vltra vndarum altitudinem creſcentibus, firmantur. Quotannis in ſingulas triremes XXV. M. numûm impenduntur, nec ſumptus is ſufficit, addit ſemper de ſuo præfectus triremium, & pecuniæ & ſanguinis prodigus ad fidei augmentum. Suprema lex pugnantibus, aut vincere, aut mori.

* La Renilla.

CAPVT TRIGESIMVM.

Aliorum Ordinum Equeſtrium qui Turcas, vel Saracenos præſidiis & oppidis littoralibus eiecerunt, aut claſſe vicerunt, Inſtitutio.

DE Pruſſiis & Melitenſibus ſatis, de aliis Equitum geſtis quid dicam, vix ſcio, adeò ſuperiorum ſæculorum incuriâ eorum præclarè facta ſepulta ſunt: tunc enim benè agere, quàm benè ſcribere, aut loqui malebant. Nunc in contrarium res verſa eſt, omnes ſcribunt, pauci intemeratam virtutem ſequuntur, peruenítque ad eum ſcopum ambitio, vt domeſtico cruore etiam gaudeat, nec hoſtes vltra regni cuiuſque terminos enſis quærat. Eodem malo Equitum Ordines benè inſtituti in totum hodie perierunt, aut partis per otium fruuntur, degeneres à maiorum gloriâ. De iis per partes dicturus ſum. Præter Pruſſios, qui & Teutones, & Melitenſes, olim Hoſpitalarij ſancti Ioannis Ieroſolimitani, per Syriam Templarii fuerunt, authores Ordinis habent Hugonem Paganum, & Gotofridum à S. Omero, à Balduino II. huius nominis Ieroſolimitano Rege, in ipſo circuitu Templi Salomonis, poteſtate domus ædificandæ impetratâ, ob id Templarij appellati ſunt, ann. Sal. MCXXVIII. quo anno aucto numero Fratrum, qui Pauperes commilitones Chriſti & Templi Salomonis appellabantur, Hugo Paganus primus huius Ordinis Magiſter renunciatus eſt. Creuit in immenſum Ordo, & à littoribus Syriæ per omnem Europam Coloniis deductis, affluentiâ tandem corruptus, ann. MCCCXI. extinctus eſt. Conſtat Templarios terrâ mariq; ingentes victorias ſibi, vel Chriſtianis Principibus peperiſſe: ſed eas obliuio tegit, & ignis cum præcipuis

E Fauino in theatro Honoris.

huiuſce Ordinis viris abſumpſit, incertum an iuſtè. Ante Templarios, S. LAZARI Equites in Syriâ erant, inſtitutionis tempus incertum, deducti in Gallias à Ludouico Iuniore, ab armis ad Leproſorum curam reſpexerunt circa ann. MCLIV. Horum poſſeſſiones hodie per Gallias, Hiſpaniáſque & Angliam, partim Reges ipſi tenent, partim Melitenſes Equites, & crimen in iis fuiſſe nemo arguit, adeò cuncta finem ſuum tenent, ſeu fato, ſeu ſcelere. In eadem Syriâ conſtat fuiſſe etiam Equites S. CATHARINÆ IN MONTE SINAI, ceterum de eorum inſtitutione & geſtis nihil legitur: ſicuti neq; de Equitibus MONTIS-IOVIS, qui Syriâ pulſi, Caſtellam, ſub nominibus Equitum * Monfraciorum & Trugilli, habitauerunt, hodie Ordinib. Calatrauæ & Alcantaræ immixti. Eiuſdem notæ ſunt Equites S. Ioannis Aconenſis, ſiue Acræ, de quibus nihil certi reperitur. At S. THOMÆ Equitum inſtitutio à Ricardo Anglorum Rege cepit, poſt captam à Saracenis Ptolomaidem, à Thomâ Becqueto, Angliæ quondam Metropolitano & martyre, nomen. Floruerunt & in Armeniâ Equites S. BLASII, cùm Luſignani eius Reges Aconem Syriæ habitarent. A Balduino I. Ieroſolimitano Rege Canonici regulares militari Ordine decorati ſunt, atque Equites S. SEPVLCHRI, ſeruato antiquo nomine, nuncupati, quod iis cuſtodia eius loci, in quo Chriſtus ſepultus, mandata eſſet: Ieroſolimis à Saladino occupatis, Peruſiæ, quæ Italiæ vrbs eſt, domicilium habuerunt, hodie is Ordo illis datur, qui Sepulchrum Chriſti inuiſunt, prouentus apud Equites Melitenſes permansêre. Meminit & Ordinis COCHLEARIS, ſeu potius Conchiliaris, quod marinæ conchæ figura illis pro inſigne Equeſtri eſſet * M. Zuerius, in hæc verba: *Notatum inuenio ſub Theodorico & Roberto Comitibus Flandriæ, anno 1099. ex Hollandicâ nobilitate pleroſque bello, quod auſpiciis Godefredi Bulionei gerebatur, cum gloriâ interfuiſſe. Nata tunc temporis, vetere Gallorum inſtituto, dignitas Equeſtris, quæ Cochlearis dicebatur, & illis tantùm deferebatur, qui nauali bello virtutem ſuam præ ceteris bono publico probaſſent. Hîc Nobilium Hollandorum plurimi in Equeſtrem eum Ordinem leguntur adlecti, certo argumento, bello nauali hanc gentem tunc valuiſſe.* Hactenus de Ordinibus Equeſtribus in Syriâ, per Gallias verò qui ſequuntur fuerunt. Ordo * MVRIS AFRICANÆ, cuius præcipua dos eſt tergoris ad vitandas hyemes, à Carolo Martello inſtitutus, Abdiramo cum Saracenis debellato, an. Sal. DCCXXVI. Taceo à Ludouico IX. * GENISTELLÆ, ſiue Sparti Equites, alióſque * STELLÆ, à Roberto Rege torquibus honoratos, qui Syriacis, Ægyptiquè atque Africæ expeditionibus, ſpecimen maximum virtutis ediderunt, vt ad eos Equites deſcendam, quos torquis cornibus creſcentis Lunæ, & conchiliis inſignitus, cum naue de torque dependente decorabat, ob id

** De Monfrac, & Turgillo.*

** In Apolog. pro nauigat. Holland.*

** De la Genete.*

** De la coſſe de Geneſte.*

** De l'Eſtoille.*

Equites * NAVIS, ſiue VLTRAMARINI, appellati. Horum author idem Ludouicus IX. quo primùm in Africam proficiſcente, nulli portus ſub Regum noſtrorum ditionibus erant: Oceani quippe littora Britannicæ, Normanniæ, & Aquitaniæ Duces occupabant: Mediterranei verò maris aditus Comites Prouinciæ & Tholoſæ. At eo, ſecundam profectionem in Africam paranti, cùm Tholoſæ Comitatus per deceſſum Ioannæ Comitiſſæ ad eum deueniſſet, ne alieno portu vteretur, * Aquas MORTUAS, dirutum vetuſtate oppidum, quod ſub Comitibus Tholoſæ fuerat reſtauratum, mœnibus cinxit, quo vt nauibus iter eſſet, foſſas æſtu pelagi oblimatas, militari opere deterſit, ibíque nauali & claſſe constructis, an. Sal. MCCLXIX. Gallias relinquens, vt Africam peteret, Equites Nauis, ſiue Nauales inſtituit. Sabaudia, quæ & pars ipſa Galliarum eſt, Equites habet Sancti MAVRITII, ab Amedeo Duce, qui poſtea Papa fuit, Felicis V. nomine, ordinatos triremium tutelæ, quæ Niceæ in portu ſtant. Alij per Hiſpanias Equites fuerunt, in Nauarrâ, * LILIGERI, contra Saracenos, à Garciâ huius nominis VI. Nauarræ Rege, creati, ann. Sal. MXLVIII. In Legione, * S. IACOBI DE SPATA, quorum author Ferdinandus Legionis Rex, ann. MCLVIII. Rubrum illi enſem, è ſerico, inſutum togæ, circa ſiniſtrum latus, cum hoc titulo originis indice geſtabant, RVBET ENSIS SANGVINE ARABVM. Alij quoque Equites in eodem Regno multú polluerunt bellis maritimis & terreſtribus in Mauros cogniti, S. IVLIANI à * Pyro, qui originem ſuam ad Ferdinandum II. Legionis & Galiciæ Regem referunt, ann. MCLXXVI. Iſti victis ad Muradalem Mauris, Alcantaráque vrbe maritimâ ad Tagi oſtium illis ereptâ: quia ibi poſtea ſedem fixerunt, ann. Sal. MCCXIIX. Equites ALCANTARÆ vocitari cepti ſunt. Habet & ſuos Ordines Equeſtres Caſtella; apud Oretum Germanorum, quod oppidum hodie Calatraua dicitur, ad Anæ fluenta ſitum, Equites habitant de nomine oppidi CALATRAVENSES appellati, initium ab ann. Sal. MCLVIII. ſumentes, Sancio huius nominis III. Caſtellæ Rege fundatore. * FASCIATORVM Inſtitutor eſt Alphonſus XI. huius nominis, dictæ Caſtellæ & Legionis Rex, anno MCCCXXX. In Aragoniâ, S. SALVATORIS * A MONTEREGALI Equites celebrantur, ex inſtituto Alphonſi Regis ann. Sal. MCXX. Hic fuſis variis certaminibus Mauris, vt reliquos in Valenciæ regno contineret, vrbem in eorum finibus, non longè ab antiquâ Bilbili ædificatam, vocatámque Montemregalem Templariis defendendam tradidit, quibus extinctis, Equitibus aliis vrbs illa conceſſa eſt, de cuius nomine cùm antea S. Saluatoris appellarentur, cognomen Montiſregalis obtinuerunt. Sic in Valenciæ Regno * MONTESÆ Equites inueniuntur, à loco habitationis nuncupati, qui à Iacobo huius nominis II. Aragonum Rege an-

Du Nauire d'outre mer, ou double Croiſſant.

** Aigues-mortes.*

** De l'Ordre de S. Marie du Lys.*

** De S. Iaques de l'Eſpée.*

** Du Poirier.*

** De la Bande rouge.*

** De Mont-real.*

** De Monteſa.*

no MCCCXVII. primùm ordinati ſunt. Nec ita multò poſt, ſcilicet ann. MCCCXX. alius Ordo Equeſter in Portugallià à Dionyſio Rege ann. MCCCXIIX. adinuentus in Mauros ſurrexit, * CHRISTI vocatus, horum virtute Saraceni in Bæticâ profligati & Luſitanicum Imperium per Africam & Orientem propagatum eſt. Anteà in eodem Regno alij Equites ſub Alphonſo I. floruerant, qui Saracenis vrbem ereptam cuſtodiendam quibuſdam Equitibus donauit, quos inde FRATRES S. MARIÆ * EBORACENSIS dixit. Exordium habuêre circa ann. MCXLVII. Iidem ab eodem Rege, Auiſij caſtello accepto, mutato nomine, Equites * AVISII vocati ſunt: nunc autem Calatrauæ Ordini coniuncti nomen amisêre. Eorum armis Mauri Algerbæ Regno, poſt varias maritimas victorias, pulſi inueniuntur. Nullum Regnum, nullum Imperium Equitum Ordinibus vacauit, non precium, aut fauor, ſed virtus homini tunc temporis decus erat. Habuit Germania * S. GEORGII Equites in Turcas à primâ inſtitutione, Friderico III. Occidentis Imperium adminiſtrante, creatos tutores limitis & littoris Germanici ann. MCCCCLXX. aliâ denominatione * AVSTRIACI, & CARINTHII vocati. * ENSIGEROS Fratres ſibi vendicat Liuonia: AQVILIFEROS, Polonia: ELEPHANTIFEROS, Dania: IESVITAS, Suecia: alios, aliæ Prouinciæ: ſed plures Italia, deuotionum ferax. In Saracenos IESV CHRISTI Equites cōſtituit Ioannes XXII. Papa, an. MCCCXX. SANCTI SPIRITVS, Paulus II. an. MCCCCLXVIII. S. GEORGII, Alexander VI. ann. MCCCCLXXXIIX. S. PETRI in Turcas, Leo X. ann. MDXX. S. PAVLI, Paulus III. MDXL. VIRGINIS MARIÆ MATRIS DEI, Paulus V. ann. MDCXIIX. quibus nauale eſt Ciuitas-Vetus, olim Centum-Cellæ: apud eos hodie adminiſtratio eſt, & præfectura Pontificalium triremium. Ipſæ Venetiæ S. MARCI Equites iactant veteris inſtitutionis, recentioris, * GALSÆ, qui ad militiam terreſtrem & naualem creati ſunt ann. MDLXII. Quid Genua? Illi S. GEORGII Equites: Sabaudia, ANNVNCIATIONIS, in memoriam Rhodi liberatæ, MCCCCXXXIV. De Equitibus Sancti Mauritij in eadem Prouinciâ iam diximus. S. STEPHANI Papæ, Equites Florentinis, SANGVINIS CHRISTI, Mantuanis in honore ſunt, aliíque apud alios populos in piratas, aut Turcas, de quibus Capite ſequenti.

Marginal notes: * De Christ. — * D'Euora. — * D'Auis. — * De S.George. — * D'Autriche, ou de Carinthie. * Freres Porte-glaiues. Cheualiers de l'Aigle blanc, de l'Elephant, de Iesus. — * De la galſe.

CAPVT

CAPVT TRIGESIMVMPRIMVM.

Maritimum Turcarum imperium, claſſes, & claſſici magiſtratus.

E Lonicero in Chronico Turcico. Chalcondyla in hiſt, Turcar. Pantaleon. in hiſt. Ioannitarum. Leonard. Chienſi, de capta Conſtantinopoli. Iacobo Fontano, de bello Rhodio. Ioann. Criſpo de Naxo à Turcis occupatâ.

AVTHORES ſuæ gentis è Caſpiis montibus in Perſidem & minorem Aſiam deſcendiſſe Turcæ prædicant. Scytharum more, ſine certo duce, ſine legibus, vagi rapto vixerunt. Sultanorum, qui genti Saracenicæ imperabant, rebus per diſcordias ciuiles labefactatis, Turcæ primò ſibi Zadocum Regem conſtituerunt. Perſis & Saracenis antea pugnauerant: eadem religione imbuti ad Hircanum mare habitauêre. Hinc Zadoco regnante, quidquid inter Taurum montem & Euxinum mare iacet, occupauerunt. Zadoci filius Dogriſſa, expugnatâ Edeſsâ, vniuerſam Meſopotamiam vnà cum Ciliciâ AN. Sal 1051.
Impp. Conſtantinopolitanis ademit. Aſpaſal deinde ſceptris potitus, per Solimanum nepotem Capadociâ ſubactâ, Regnum ibi Turcicum, quod adhuc dûrat, incoauit. Meleclas patri in Regno ſuccedens dicti Solimanni virtute, Antiochiam, maritimáſq; Aſiæ Minoris Regiones, Græcis abſtulit. Poſt hunc Belchiarocus regnauit, quo mortuo, cùm inter ſe primores de eligendo ſucceſſore diſſiderent, Perſide ab Armeniis & Georgianis pulſi, ad Solimannum, in Aſiâ Minore regnantem, fugerunt: quâ etiam poſtea à Tartaris eiecti, diu profugi, Scytharum more errauerunt, ANN. 1240.
Perſarum, Saracenorúmque ſerui: donec eos ad libertatem, & militiam vocaret Abſaga Tartarorum Imp. qui in Anatoliâ ducem conſtituit Ottomanum Turcam, è quo Anatolia Turcia appellata, & à quo Impp. Turcici deſcendunt. Hic magnam By- ANN. 1280.
thyniæ partem ſubegit, Pruſiámque imperij ſui ſedem conſtituit. Multa ad Euxinum oppida vi cepit, vrbes regionéſque Aſiæ clariſſimas edomuit, Natoliam & Ancyram in Phrygiâ: Sinopen in Galatiâ, & Sebaſtam Cappadociæ. Suſcepit imperium patris Orchanes, cui Myſios, Lycaonas, Cares, Phrygas, ceteróſque ad ANN. 1327.
Helleſpontum populos adiecit. Filios duos habuit, Solimannum, qui Græciæ & Thraciæ littoribus populatis, patri diu ſuperſtes non fuit, & Amurathen, qui dum Palæologo Græco Imperatori auxiliaria arma in rebelles proceres Græciæ miniſtrat, Gallipo- ANN. 1363.
lim in Cherſoneſo, & aliquot vicina Helleſponti oppida vi expugnauit, móxque viribus confirmatis, & aditu ad Helleſpontum præmunito, naues, dimiſſis mercenariis nauibus Liguſticis,

quibus in Europam traiecerat, ſibi conſtruxit. Iis ſupplementa exercitui, aliáque neceſſaria ex Aſiâ accepit. Hinc peruagatus Thraciam, Philippolim occupauit, & quæ ſupra Hebrum eſt, Adrianopolim, ex ruinis Oreſtiadis inſtauratam: fruſtra Palæologo initum cum infido hoſte fœdus, & res perditas, deplorante.

ANN. 1372. Sequutus eſt oſtentatum apertúmque à patre iter Baiazethes, qui incredibili celeritate Theſſaliâ, Albaniâ, Boſnáque tranſmiſsâ, Adriaticum pelagus victor ſalutauit, & niſi Tamerlanes victoriarum eius curſum repreſſiſſet, totius Europæ Principum vires fruſtra properanti reſtitiſſent. Fugientes à patris exercitu Turcarum copias Calepinus, Turcicúmque Imperium captiuitate Baiazethis ad ruinam nutans, compoſitum firmatúmque Mahometi filio reliquit, qui è Pruſiâ vrbe Bithyniæ regiam ſedē Adrianopolim Thraciæ tranſtulit, auitóque Imperio, quidquid Tamerlanes abſtulerat, reddidit.

ANN. 1419. Iſtius ſucceſſor Amurathes, Theſſalonicam Græciæ pulcherrimam vrbem terrâ maríque expugnatam diripuit: Phociden cum Atticâ, Bœotiam, Ætoliam, Acarnaniam, & omnem citra Peloponneſum regionem vſque ad ſinum Corinthiacum incredibili celeritate perdomuit. Hinc Illyride, Albaniâ, & Boſnâ peruaſtatis, partim domitis, in Bulgaros mouit. Tādem Ladiſlao Poloniæ Rege Varnenſi pugna cæſo, effracto ad ſinum Corinthiacum Hexamili muro, totam Peloponneſum Inſuláſque Lembum, Leſbum, & Eubœam occupauit. Tum Vallona, inſignis Macedoniæ portus, expugnata: Epiroticum etiam bellum geſſit aduerſus Georgium Caſtriotum Scanderbegium, qui paternum Regnum armis recuperare tentabat. *Vide Marini Barletij Opus de geſtis Scanderbegi.* Nec minor proauis Mahometes alter fuit, Pera capta, capta & Conſtantinopolis,

ANN. 1453. cæſúsq; inter conferta reſiſtentium agmina Conſtantinus Imp. eodem ſcilicet nomine cum eo qui Romanum Imperium in Thraciam tranſtulerat, fato ita volente, vt Regna & incipiant & deſinant in Principibus eiuſdem nominis: nam & antea Imperium Romanum ab Auguſto firmatū ſub Auguſtulo perierat. Reliquæ Thraciæ vrbes, Myſiæ, Ætoliæ, Helladis, & Ambraciæ, Conſtantinopoli terrâ maríque expugnatâ, in Turcarum Imperium vi, vel ſponte tranſierunt. Hæ Prouinciæ hodie Romania, Seruia, Deſpotus, Vallachia, & Larta nouis nominibus appellantur. Profligati exinde Paphlagones, & Trapezuntis Imperium, vrbe eius primariâ, poſt aliquot maritima certamina, expugnatâ, euerſum. Occupata & Mitilene Inſula, captiuíque Conſtantinopolim in coloniam deducti. Expugnatâ demum Chalcide, Carinthiâ, Stiriáque peruagatis, in Italiam vſque Mahometes penetrauit, grauíque clade ad Soncium amnem affectis Venetis, reliquis Italiæ populis ingentem terrorem incuſſit, & niſi repentinâ morte ſublatus fuiſſet, Hydrunto iam capto, exitium ipſi Ro-

mæ

mæ imminebat. Sed melius cum Chriſtianis Deus egit, in cædes mutuas poſt Mahometis necem exardentibus Turcis: donec Imperij orientalis fræna Baiazethes huius nominis II. capeſſeret, qui in Ætolio ſinu, Naupactum, nunc Lepantum, Dyrrachiúmq; in Epiro, Venetis ademit. Eoſdem ante Methonem claſſe victos, captiuis ſupra mille poſt pugnam trucidatis, à Methoneorum & Coroneorum, & Nauarrinorum ſocietate recedere turpiter coegit. Criſſeum, vltra promontorium Acritem, hodie caput Galli appellatum; disiectis muris intrauit. Nondum Syria & Ægyptus Turcicis armis vexatæ fuerant. Selimus, Baiazethis filius, & homicida, & ſucceſſor, profligato Perſarum exercitu, in Campſonem Ægypti Sultanum & Mamalucos mouit, eóque prope Damaſcum prælio cæſo, Tripolim, Berytum, Sydona, Ptolomaida, Hierapolim, ipſamque Damaſcum vrbes in fidem recepit. Mamaluci fugâ Cairum delati, Tomombeium Circaſſum in Campſonis locum delegerunt, quo etiam cum Mamalucorum gente extincto, genus & nomen Sultanorum per Ægyptum ceſſauit, totáque illa Prouincia, cum adiacente Syriâ in poteſtatem Turcarum venit. Solimannus exemplum patris auorúmque ſequutus, vrbe Rhodo & Inſulâ Rhodios equites expulit: Tunete ciuitate Africæ per Barbaroſſam piratam potitus eſt. In Ponto & Propontide, triremibus CL. biremibus LXXX. nauigiis diuerſi generis CCL. collectis, Venetæ ditionis Inſulam Corcyram aggreſſus, deuaſtatis agris, multis Inſulanorum cæſis, aut captis, diſceſſit: Zacynthum & Cytheram populatus, Æginam expugnauit, & complanauit. Parum cepit, Naxum tributariâ fecit. Apuliam, totámq; Tyrrheni maris oram deprædatus eſt. Claſſes S. Pontificis, Imperatoris, & Venetorum ſimul coniunctas, minus ſuâ virtute, quam diſcordiâ & ambitione Chriſtianorum ducũ diſſipauit. Barbaroſſam, Haidinum, Sinam, Iudæum cognominatum, Gallicolam Corſum, Tabacum, Haliertum, & Halicotum piratas in amicitiam receptos, contra Hiſpanos Africæ inhiantes ire iuſſit: iſtis LX. nauium claſſis erat, non Turcæ impenſis, ſed propriis conſtructa & armata, huius mediam partem ad Cercellas inuentam Andreas Auria ſuperauerat, ſed cum prædæ Hiſpani Italíque ſtuderent, irruente hoſte, onerati, & incompoſiti ſubito incurſu cæſi ſunt. Luſitani tunc Arabicum, Perſicúmque, & Indicum mare Nonio Cugneo Pro-Rege infeſtâ claſſe tenebant, ipſámque Diu vrbem, Cambaiæ Regni Metropolim, & emporium totius Orientis celeberrimum: nec Indiæ, Perſiæque Reges victoribus reſiſtendo pares erant, bellicis nauigiis priuati; mouit ea res Solimannum, cuius Arabiæ pars erat, portúſque & vrbes aliquot littorales Ægypti Luſitanicâ claſſe Arabicum ſinum obſidente, ſine annonâ, ſine mercibus erant, nec iam Orientis ſpoliis, aromata, gemmæque

ANN. 1500.

ANN. 1506.

ANN. 1522.

ANN. 1536.

Aribus Thomas in continuatione hiſt. Turcica.

gemmæque in Syriam deportabantur, quæ mediterraneum mare intrarent. Iuſſus eſt Mahometes gubernator, ſiue Beglierbeius Ægypti, nouam inſtruere: tranſuecta eſt è ſinu Satalico, & Caramaniâ Damiettam materia, quæ per fluenta Nili ad Cairam deducta, terreſtri itinere plauſtris Arſinoëm vrbem vſque, quæ hodie Sueſſa, in Arabico ſinu, tranſportata eſt. Ex eâ xx. triremes compactæ, Galeaciæ IV. minoráque nauigia xxx. Genuenſi architecto. Eâ claſſe Arabici Fœlicis littus lectum, prætextúque amicitiæ, totius Arabici ſinus vrbs celeberrima Adenum, per fraudem occupata, eiúſque Rex illiſis faucibus ad mortem actus, præſidióque ibi relicto, & Cambaiæ Rege in ſocietatem accepto, vrbem Inſulámque Diu, propter Indi fluminis oſtia ſitam, Solimannus Baſſa, Turcici exercitus Imp. obſidione cinctam intrauit, eadémque, quâ ante, perfidiâ, Cambaianis eripuit, vaſtauit, incendit. Reſtabant in arce Luſitani, mori certi, aut defendere quidquid ſuæ virtuti ab Indiarum Pro-Rege ſeruandum datum erat: Iámque aditus tormentis factus hoſti in arcem patebat, cum Solimanus Baſſa auxilium è Goâ obſeſſis aduentare intelligens, vel metuens, obſidionem intermiſit: dúmque viam redit, Zibith vrbem paululum ſupra mare Rubrum Orientem versùs poſitam, inuaſit, indéque Adenum reuerſus littoralibus vrbibus oppidíſq; ſub iugum miſſis, Beglierbegatum ibi conſtituit, hoc eſt, præfecturam regni, vel plurium, in Prouinciæ formam, exemplo Romanorum antiquorum, quos maximè Turcæ imitantur, redactorum. Tunc quoque Aphrodiſium, ſiue Africa, Monaſteriúmque, Africæ vrbes, Auguſta Siciliæ, Gerborum & Gauzus Inſulæ, Tripolíſque Barbariæ, deprædatæ, aut receptæ à Turcis, & Guimeranus Sicularum triremium præfectus, à Draguto piratâ prope Lipareas Inſulas cum totâ claſſe captus. Reſtabat Cyprus inter Ciliciam Syriámque poſita, hanc Selimus II. Solimanni ſucceſſor, ceu Ægypti & Ieruſalem Regnorum, quæ tenebat, portionem, armis petiit. Inſula Venetæ ditionis erat, & omnino Cyprij impares erant Selimi claſſi, quam CC. nauigiorum fuiſſe, ſub Amiralio Pialo, hiſtorici prodidêre. Dum auxiliariæ triremes S. Pontificis, atque Hiſpanorum expectantur à Venetis,

ANN. 1570.

Muſtapha Baſſa, relicto ad Archipelagi cuſtodiam Pialo, equitibus peditibúſque in littore expoſitis, Cyprum adoritur, expugnatáq; Inſulæ Metropoli Nicoſiâ, Famaguſtam eadem pernicie inuoluit: quibus actis, nullo negotio reliquis Inſulæ oppidis potitur: & Famaguſtâ quidem reparatâ, militéque præſidiario cum aliquot bellicis nauibus in portu relictis, Conſtantinopolim cum innumeris captiuis Muſtapha victor & triumphator intrauit. Ad hunc tumultum Melitenſes Equites, victo nuper S. Clemente, ſacrarum triremium præfecto, tribúſque, aut quatuor nauibus amiſſis, iux-

ta promontorium S. Demetrij, in Inſulâ Gauzo, vix aliquid poterant, cùm & ipſi ab Ochialo piratâ, ne portu exirent, prohiberentur, cui x. triremes velociſſimæ, probè omnibus rebus ad bellum nauale neceſſariis inſtructæ aderant. Nec Veneti vires ſuas exercitúſque ſine euidenti exitio diuidere poterant, cùm integræ ad Cypri tutelam ſatis non eſſent, bellúmque atrocius putaretur, quod proximum vrbi gerebatur. Quippe quòd eo ipſo Cyprij belli tempore, Achomatus Baſſa terreſtrî itinere ad extrema Dalmatiæ, quà Prouincia illa Adriatico mari alluitur, cum exercitu peruenerat, oppugnatáque * Dulcineâ vrbe, ſolitâ perfidiâ captiuos omnes trucidari iuſſerat: quo facto perterriti * Antiuarini, vltrò ſe tyranno permiſerunt. Interim * Pertauus Baſſa validâ claſſe Rizonici ſinus littoribus imminebat, expectabátque in dies Ochiali claſſem, vt ſimul iuncti ipſas Venetias adorirentur. Sed Ochialus Liſenâ & Curſolâ Inſulis deprædatis, & quidquid littori Dalmatico oppidorum vel inerat, vel adiacebat, reuocatus à Muſtaphâ, cum captiuis Veneti nominis MDC. in Cyprum rediit. Ingens luctus Venetâ in vrbe tot cladibus acceptis erat, placebátque aut in bello mori, aut vlciſci dedecus. Vnde cum Summi Pontificis, & Regis Hiſpaniæ claſſibus iuncti, celeberrimam omnium maritimarum victoriam ante Naupactum, ſiue Lepanthum reportauerunt, de quâ ſatis ſit ſuo loco dixiſſe. Nec ob id tamen amiſêre Turcæ maris Imperium, qui Ochialo duce reparatâ claſſe ante Cretam, Siciliámque victoribus occurrerunt, vinci faciles, ſi fœderatis Chriſtianorum ducibus concordia fuiſſet. Sic variâ claſſe pelago luſtrato, Ochialus victori ſimilis apud Bizantium à ſuo Imp. ingenti cum laude gratanter exceptus eſt, illíque Amiralij nomine adminiſtratio rei naualis, imperiúmque in mare à Selimo traditum. Exinde tuta Turcis mediterranei pelagi nauigatio, niſi quòd ſubindè nunc eos Melitenſes Equites infeſtant, rurſúmq; à Mahometanis piratis Melitanſes infeſtantur, luſu Fortunæ mirabili, capti, mox capientes. Poſtquam autem Turcis pax cum Venetis fuit, prælia omnia à mari in ſolum tranſlata, petitique bello vel Hungari, vel Poloni, Moſchouitæ, Tartari, aut Perſæ. Parco poſt hunc Selimum ad hanc vſque diem ſanguine tincta maria: vtinam & excurſiones ceſſarent, ceſſaſſéntque hactenus: non enim domeſtico luctu ſaucius adhuc plangerem minimum natu fratrem Ioannem, qui cum aliis Equitibus Melitenſis Ordinis, dum in Maſſilienſi naue, cui nomẽ Magdalena, è Melita Genuam nauigaret, Deſdiguiero Comeſtabuli militaturus, in ipſo Oſtiæ portus conſpectu, poſt longam & dubiam pugnam, multis vulneribus illatis acceptíſque à Gaſcone piratâ captus, innumeris cruciatibus pro fide conſtantiſſimè toleratis, in vrbe Algeri, medio in carcere, vincula inter & cru-

* Dulcigne.
* Ceux d'Antiuari.
* Pertau.

Cccc ces

ces mortuus eſt, ann.Sal.MCDXXV.ætat.XIIX. Sic Turcæ quietè à Mœotide palude ad ſinum Herculeum regnant: ſed quia longè mari geniti ſerò ad mediterraneum mare deſcenderunt, euerſo Conſtantinopolitano & Trapezuntis Imperiis, primùm propriâ claſſem habuerunt. Poſtea totâ Græciâ, Peloponneſo, Ciliciâ, Syriâ & Ægypto occupatis, cùm maiore quàm ante nauium numero opus eſſet, CCC.nauigiorum claſſem armatam, vel in certis portubus ſtantem, vel vela facientem Impp.habuerunt: ſi quod periculum immineret, diſperſis per Inſulas, portúſque continentis claſſibus, præſens ſemper auxilium. Omitto Africæ portus, quos ſuis impenſis, & nauibus piratæ Barbariæ tutantur, ſecuráque præbent nauigantibus Turcis maria. Si bellum inexpectatum incubuerit, mercatorum, piratarúmque, & priuatorum naues conducuntur, habétque Arcenale Pera, à Selimo primo conſtructum, è quo in mare innumerabilis nauigiorum numerus deduci poteſt. In ſpatioſiſſimi porticus ſpeciem hoc opus deductum altis mœnibus cingitur: LXXXVII. arcuati fornices, tribus recipiendis nauigiis ſinguli ſufficiunt. Ibi III.M.opificum, ſub ſcribâ, Checayam vocant, funes, vela, bellica tormenta, & quidquid ad nauale bellum idoneum eſt, præparant. Hoc arcenale ne igne, aut fortuito aliquo caſu lædatur, vel pereat, pedites D. quos Aſapos vocant, ſeruant, ſub diſpoſitione Baſſæ Degnis, ſiue maris, ad quem imperium in claſſes, portus, naualia, per omne mare pertinet, Amiralium dicimus. Gallipolim iſte habitat: vbi bella maritima ceſſant, rarò Conſtantinopolim venit, ſedétque ibi quintus in Imperatoris Conſilio, quod *Diuan* Turcæ nuncupant, in quo de rebus ad Imperium pertinentibus, ſiue pacis, ſiue belli tractatur. Aliquandò etiam Peræ moratur, in quo oppido ſubdelegatum habet, qui de controuerſiis inter nautas, mercatores, opifices, militéſque maritimos iudicat, vocabulo gentis, *Sabuſſi*, vel *Caddi* appellatur. Annuum *Degnis* ſtipendium XXX.M. aureorum, è portoriis, & traiectionibus. Partem quoque è prædâ maritimâ capit, exigítque etiam à piratis decimam. Primus eâ dignitate decoratus eſt à Solimanno Cairadinus Barbaroſſa: poſt, Ochiali, à Selimo II.antea piratis, vel aliis ducibus ad certum tépus claſſis committebatur, & ij ſimul atque milites in terram expoſiti fuerant, nullum ius in eos habebant, nec vltra claſſem & mare extendebatur eorum imperium. Nunc Amiraliorum perpetuus eſt magiſtratus, ſub quo quæcunque maris ſunt, cenſentur. Præcipua autem eius cura circa dictum arcenale verſatur, quod vocabulum eſſe Turcicum Vigenario placet, (quamuis ipſi naualia *Terſani* vocent) quo arx, ſiue armamentarium ſignificatur, in quo tormenta belli, arma militum, impedimenta caſtrorum, annona, naues quoque & quidquid ad earum fabricam, munimenta,

Chriſtophor. Richerius de rebus geſtis Turcarum. Vigenarius ad Chalcondylam. Henricus Muller. de milita. copiis Turcarum. Lazarus Soranz. de militarib. copiis Turcicis.

CCCC. Lonicerus tantùm nominat, quos Azappiler *ait vocari. Turcica hiſt, lib.2 part.4.*

munimenta, & conſeruationem pertinet, reconduntur. Ego arcenale ob id, quaſi arx, ſeu nauale, dici autumo. Vel ſic, arcenalis, arx naualis. In eo ſub *Degni* vnius Scriba, decem Sub-adiuuæ ſunt, qui quidquid in illud importatur, vel ex eo deportatur, in diaria referunt. Si naues, quæ ibi aſſeruantur, numerare volueris, pluſquam CCCC. inuenies. Vltra quas aliæ ſunt longæ per varia littora portúſque ad tutelam Imperij diſperſæ: onerarias verò, ſi Imperatori placuerit, Amiralius innumeras educet; nam illi, ſoluto mercatoribus nautico, quotquot in anchoris ſtant, ad bella ingruentia conducere, atq; iis pro lubito vti permiſſum eſt. Triremium ſingularum duces, *Raiz* vocant, ordinarij, ſub eiuſdem diſpoſitione sũt CCC. quibus ſingulis plerunq; mille numûm annuum ſtipendium eſt. Remiges Turcas, vel Iudæos habere lege vetantur. Chriſtiani captiui, vel miſeri Græciæ, Natoliæque incolæ, ad remos ſedent, in vnaquaque triremi CL. Seruant triremẽ inter remigum ordines poſiti milites *Azapi* XL. quibus aliquot emeriti Ianitzeri, ſiue Ianitzarij adduntur, aliqui itẽ milites, *Giergi, Scapoli*, & *olofri* appellati, quaſi diceres homines ſecum omnia ſua bona portantes. Iſti AZAPIS & Ianitzeris mixti, CXX. numerum in ſingulis triremibus explent, catapultis, arcubus, longíſq; haſtis armati. Neque è theſauro publico, vel priuato Imperatoris, pecunia in claſſes eruitur, ſed quidquid vectigaliorum & tributorum à Chriſtianis & Iudęis, Turcico Imperio ſubiectis, eraditur, & extorquetur, illud omne ad cõſtructionem nauium, & ſtipendia militaris nauticæque turbæ impenditur. Vbi è Conſtantinopolitano, vel Peræ portu claſſis ad bellum vela explicat, litteræ Amiralio, vel Baſſæ, ſi quis imperet, ſignatæ & obſeratæ ab Imperatore traduntur, in quibus quod iter claſſis tenere debet, quas Inſulas terráſque petere, quibus cum hoſtibus congredi, demandatur. Neque eas vlli reſerare licet, niſi tranſmiſſo Gallipolis freto (in quo Nauale cum fornicibus XIX. triremibus ſubducendis) aut alio loco, cuius nomen ſuper literas ſcriptum eſt. Si quis imperata non fecerit, mors illi pœna eſt. Materiam ligneam ad claſſes, Natolia, Nicomedia, Caramania, Euxini littora, Staganda, Cordouiſſus, Proropata, Cachillus, & Verra miniſtrant: maior copiâ è Midiâ & Anchiali, Thraciæ vrbe ad Euxinum: item è ſinu Nicomediæ. Spartum, Trapezunthus: Vela, Thracia, quæ hodie Romania, iacénſq; ſupra Thraciam ad Pontum, ſiue Maius Mare, Bulgaria, Eubœáque Inſula, cum vrbe Gallipoli. Ferrum Salonica, & Samocus: Picem & alia nauium illinimenta, Syria, & Phœnicia. Sunt & aliæ ſingulis Beglerbegis, vel Beglerbeis, hoc eſt, prouinciarum, vel regnorum ſub Imp. Turcico rectoribus, claſſes, è maiori partim ſubſtractæ, partim propriæ & ſeparatæ. Dicta claſſis Perenſis, ſiue Conſtantinopolitana, Beglierbegis

Europæ, Natoliæ, Caramaniæ, Amaſiæque ſeruit. Propriam habent Beglierbegi Syriæ, qui Damaſcum, vel Halepam habitant: Cairæ, ſiue Cairi, qui Alexandriam: Adeni, qui Adenum, in ſinu Arabico oppidum. Barbatiæ totius littora piratæ ſtipendiariis ſuis claſſibus defendunt. Inſulæ verò priuatis publicíſque Inſulanorum nauibus ſeruantur. Ceterum inter Turcarum magiſtratus, Capondani, ſiue Amiralij dignitas honoratiſſima poſt *Vezirum eſt. In eâ ſub Mahomete III. Sinan Baſſa fuit: ſub Achmete Cigala, * Dernierus, Kalilus, & Regellus. Ignobilia penè, & relatu indigna facta eorum exiſtimo, niſi quòd in Adriatico ſinu Manfredonia, vrbs Apuliæ maritima, direpta. Plures mutationes Imperatorum, tumultúſque, & mutuæ cædes quotidie Turcicam dominationem imminuunt ſi ceſſarent inter Chriſtianos odia, ruituram. Oſmano, Muſtapha: Muſtaphæ, Amurathes ſucceſſit, quinque Sultanos quatuor Olympiades tulerunt. Quid ſi inde Perſâ vrgente, hinc Tartaris, Poloníſque bellum inferretur barbaris? Haud dubiè tandiu victor populus, tandem vinceretur, qui, ne * Coſacæ, populato mari Euxino, ipſam vrbem Conſtantinopolim diripiant, arcem nuper ad oſtia Boſpori ſub Regello Amiralio, ſiue Baſsâ maris, conſtruxit, vbi ſtationariam LVI. triremium ad ſubitos Tartarorum & Coſacorum tumultus incurſionéſque coërcendas paratam ſemper habet. Aliarum quoque arcium ob eandem cauſam circa Boriſthenis fretum à Capondano Baſsâ fundamenta iacta: alterius item ad Danubij oſtium Euxino in Ponto. Nec minor Turcis difficultas tranſuehendo ex Ægypto tributo, Melitenſibus & Etruſcis inſidiantibus: claſſem ob id ſtationariam habent in freto Gallipolitano, quoties tempus tributi deducendi aduenit, tutamen. Huic claſſi Amiralius præeſt, quem Capondanum appellant, ſicut Raiſum, eum qui triremibus aliiſq; nauigiis fabricandis præeſt, ad quam conſtructionem ingẽs ligni copia ab Euxino venit, ſed multo maior è monte *Ducagini*, per Drinum fluuium tranſportatur in vrbem Albaniæ Liſſum, quæ hodie, *Aleſſio*. Eadem materia ſeruatur Velonæ & Polonæ, oppidis Dalmatiæ. In Arabico ſinu Nauale eſt Poſidium, vbi ſtant in anchoris triremes, occupandæ Luſitanicæ claſſi, dum in Perſiam & Indiam properat. Huic claſſi reparandæ, quia nullæ in Africâ ſyluæ, è Bithyniâ & Caramaniâ in Ægyptum vehuntur aliis triremibus triremes nondum fabricatæ, ſed omnibus earum partibus ita dedolatis, vt ſeparatæ inde tergis camelorum ferantur Poſidium, nunc *Suez*, vbi breui tempore compinguntur coniunctæ. Turcæ picẽ habent è Velonâ & Rhicinio, vltimum ad ſinum Rhizonicum collocatum eſt, qui nunc *Golfo di Cantaro*. Pix durior è terrâ effoditur, mollior è corticibus arborum manat. Seuo abundant ob boum & veruecum copiam. Ex Aſphaltite lacu bitumen

* *Vezir.*

* *Dernier, & Kalil.*

* *Coſaques.*

ANN. 1626.

ANN. 1627. *Baudier. in hiſt. Turcicâ.*

men venit. Canabi quod ſatis eſt non habent, eum defectum augent Sultanarum myoparones xxx. & aliæ xiix. naues, quas *Maone* vocant. Solent eas Alexandriam variis mercibus onuſtas mittere, quibus inſtruendis, permiſſu Imperatoris, quantumlibet velorum, funium, & aliarum rerum neceſſariarum ex naualibus depromunt. Clauos ferreos rarò habent, ligneis plerunq; vtuntur. Remigio, vt dixi, aſſuefaciunt Aſopos: ad tributum, nauali turbæ comparandæ, Chriſtianos Europæos damnant, quod annale eſt 300000. aureorum. Si neceſſitas exigat, Armenios, & Iudæos vi remis affigunt. Ad Inſularum quæ Africæ incumbut tutelam cum triremibus inuigilant Spahi, qui quia ſine ſtipendio ſunt, piraticam faciunt. Ibi præter ordinarias claſſes xxx. vel xl. aliæ triremes Ianitzariis ad præſidium armatæ conſpiciuntur. Panem bis coctum, maximâ abundantiâ conficiunt Epidamni & ad ſinum Theſſalonicenſem, per Axium fluuium, qui nunc *Vardaxo*, eum ratibus deferunt, factum è frumento, quod abundè in Seruiâ & Macedoniâ creſcit. Quoties magnâ claſſe opus eſt, Imperator Turcarum ſingulis Rayſis triremem probè inſtructam concedit, nouáſque xxx. quotannis addit veteribus nauigiis, in quibus remiges voluntarij aliquot, alij è captiuis, alij è vicis villiſque, quæ pro tributo certum numerum hominum ad remos pendunt, in menſes octo: per hiemen non nauigant. Qui maritimas plagas Inſulaſque colunt, illiſque imperant ſub diſpoſitione Generalis maris, proprias triremes habent tutandis littoribus Inſuliſque, quas ab Imperatore Turcico ſuſceptas, è reditu Prouinciarum ſibi commiſſarum, milite, nauta, & remige ſtipendiariis complent. *Bey* Rhodi, hoc eſt Gubernatori Inſulæ Rhodi vii. triremes ſunt: totidem Chij: ſex, Cypri: xi. Peloponneſi: viii. Ægypti: totidem Mytilenes gubernatoribus: quibus omnibus, per abſentiam Generalis maris, Rhodi præfectus imperat. Omnes ille triremes certâ die menſis Iunij quotannis conueniunt ad Inſulam Chium, Generalis mandata accepturæ, ſiue illi placeat bellum in hoſtem, ſeu littorum Inſularúmque luſtratio, vnde illi ſuíſque maximum emolumentum, prouincialibus, Inſulaníſque occurrentibus, muneráque grandia offerentibus.

CAPVT TRIGESIMVMSECVNDVM.

Pauca ad rem maritimam pertinentia Tartarorum, Sinenſium, Indorum, Perſarum, & Æthiopum.

Haithonus de Tartarit. Paulus Venetus de regionib. Orientalib. Maginus in ſua Geographia.

HOSTES victoréſque Turcarum aliquando Tartari fuêre, gens inter Scythas obſcuti dudum nominis, ideóque ceteris vectigalis. Hæc vt in immenſum creuit, in diuerſas partes ſub variis ducibus diſtributa eſt, puro ne famę periret. Iis ducibus aſſentientibus, primus Changius Tartarorum Can, hoc eſt, Imperator, creatus eſt. Septémque nationes, partes, ſiue hordas, ſub ſuo ſceptro coactas, itarexit, vt cùm antea Tartari Scythis tributum darent, illud à Scythis, prælio victis, vltrò acciperent. Hoc accidit circa ann. Sal. MCLXXXVII. Hoccota patri ſucceſſit. Hic per Baidonem Turcas Goniatámque Turcarum Regem debellauit, tum Aſiæ penè totius Principem, eiecítque totâ ferè Perſide. Domuit & gentes quæ Mœotidis paludis ripas incolebant, per Battum ducem. Succeſsêre deinde in Imperio Tartariæ Gino, poſt Mangius, dein Cobila, mox Cublai, qui ſextus Can fuit. Sub Mangio Haolonus Aſſyriam ſubegit, captúmque bello Calipham Mahometanum, ciuitatis Baldach, inediâ perire voluit: maritimas vrbes Halepam & Damaſcum cęſis Saracenis vſq, ad Ægypti deſerta occupauit. At Cublai ſub quo omnis Tartaria, Perſis, Syria, Aſſyria, Armenia vtraque fuerunt, etiam in Indiam & Sinas prorogauit Imperium. Duo illi ſtudia erant, armorum ſcilicet, & negociationis. Hac Oceanum Scythicum Indico coniunxit, innumeræ illi per fluenta naues tranſportandis mercibus. Iſtis à freto Anian ad ſinum Gangeticum littorales regiones terruit, ſubegítque: inter quas celeberrimæ, Quinci, Xanton, Nanqui, Chequan, China, Cachucina, Camboia, Sian, Malaca, Pegu, & Verma, quæ in ſinu Gangetico, hodie Bengalæ, ſita eſt. Inter Chequan & Chinam Caromotan nauale conſtituit. Ibi xv. M. nauium, vt ſi ingruente neceſſitate in Inſulas nauigandũ eſſet, exercitus illis in eas vehi poſſet, nam pulſi continenti Reges, aut latebant in Inſulis, aut bella renouabant. Habuit & alterum nauale Cublai, in oſtio fluminis Quiam, inter Chinam, & Cachuchinam, primo non inferior. Ceterùm Tartaris naues, cimbis quàm triremibus, aut onerariis ſimiliores ſunt; quindecim, aut viginti militum cum totidem equis vehendorum capaces: vnum malum, vnum velum, vnum tabulatum habent, funéſque ex arundinibus

ANN. 1268.

nibus. Iis claſſibus Can Cublai Zipangrim, oppoſitáſque Mangitano regno minores Inſulas, vtramque Iauam, Boëach, Petan, Seilámque occupauit. Poſt hunc Sinam, totámque Indiam per annos XCIII. eius ſucceſſores tenuerunt, quo tempore rebellantibus Indiæ populis Tzintzoon Can, ſiue Chamus, vltra muros, montéſque, qui Tartariam à Sinâ diuidunt, ab Hombu duce, qui poſtea Rex Sinarum, ſiue Sinenſium creatus, pulſus eſt, intráque Tartariæ antiquæ limites coactus. Paucis deinde poſt annis Temirlang, vel Temir Cudu, quem Tamburlanum, & Tamerlanem vocamus, incertum an è Regum proſapiâ, an Scythicâ paſtorali familiâ ortus, diſſentiunt quippe inter ſe authores, auitum, vel extraneum Tartarorum Imperium tenuit. Hic bello Sinenſi omiſſo, Syriam occupauit, Damaſcum maritimam vrbem euertit, Halepam, ſiue Alepum, expugnauit, Baiazethem Turcarum Imp. cum exercitu fudit, habuítque captiuum in caueâ ferreâ, Smirnam cepit, Europámque atque Africam animo deuorabat, niſi incurſionibus Indorum reprimendis in patriam fuiſſet reuocatus. Temir Tartaris, fœlix, Cutlu verò, ferrum ſignificat, quaſi diceres huic Imperatori ex eo nomen factum, quod in armis fœlix fuerit, ditionem enim Tartarorum ferro ad Perſicum Arabicúmq; mare extendit. Eius nepotes hodie etiam in Tartariâ regnant, nec illis vlla maritima bella, aut claſſes. Hinc Lithuanos, Moſcos, Polonos, aut Turcas petunt: inde Perſas, aut Sinas, quibus etiam gentibus mare niſi ad negociationes & commercia non placet. Hodie tamen neceſſitate ab Hiſpanis & piratis compulſi ſunt, ad bellicarum nauium constructionem. Nauigia Sinenſium ad tranſfretationes & mercaturam, quam ſtudioſiſſimè, bellis omiſſis, excolunt, nunquam numeraueris: Perſarum verò, qui bellis terreſtribus maximè equitatu delectantur, facilè. Tribus tantùm ab hinc annis claſſium vſum ad bella maritima à Batauis edocti tenent. Qui Molucas Inſulas, Gangeticúmq; ſinum prætervecti, Perſarúmque auxiliares, aduerſus Hiſpanos communes hoſtes, facti, Ormus Inſulam, vrbémque Diu, ſiue Dium, Hiſpanis eripuerunt. Illa in ſinu Perſico iacet, hęc extra eundem ſinum. His tutandis Perſæ claſſem habent, quæ & arceat littoribus ſuis hoſtem, & onerarias mercatorum naues tutò ire, & redire iubeat. Perſæ hoc primum naualiorum rudimentum Batauis debent. At Sinenſes qui ceteras quoque artes antiquiores quàm Europæi noſtri poſſident, artem etiam nauigandi nullo tempore determinatam apud ſe eſſe iactitant. Pars maxima populi ne terram quidem ipſam pede tetigit. Viuunt in ipſis nauigiis, quæ hinc & inde in portubus, aut alueis fluminum, ęquis ſpaciis diſtantia, ſpeciem vicorum, vrbíſque præbent, anchoris affixa, itérque per latos ordines nauigantibus præbentia. Maiora

ANN. 1402.

Maffeius hiſtor. Indica.
Petrus Bizar. in hiſt. Perſar.

ra


ra ad remotas excurſiones, iuncos vocant, ad bella ſi fabricata fuerint, altiorem puppim prorámque habent, illis ſine remis vela ſunt. Intra quadriduum quiſquis apud Sinas imperium ſub Rege in mari obtinet, horum bellicorum nauigiorum DC. cogere poteſt. Minora nauigia, quæ quatuor remis aguntur, Bancoas nominant: mediocria quæ octo remis, Lanteas. Lanteis & Bancois præcipuè ob agilitatem vtuntur piratæ. Habent & alias multas naues latas & longas ſine roſtris, ad tranfretationes. Apud eos quoq; luxuria tranſiit. Inſtar palatiorum nauigia conſtruunt, vbi feneſtratæ porticus, picturæ, viridaria, cauponæ, piſcinæ. Naues bitumine illinunt, è chalce viuâ, adipe piſcium & fermento, quod *Viname* appellant, totum verò bitumen *lapes*, vel *Lapes*. Tenaciſſimum eſt, & noſtro bitumine longè duratius, prohibéntque naues humorem accipere, vnde & illæ noſtris multò diuturniores ſunt. Arcenalia ferè Sinenſibus totidem, quot portus. Fabricæ canabeæ, & ferrariæ innumeræ. Pro antiquo Neptuno, Deum maris colunt, illíque vela facturi ſacrificant, eum Tzuiquam appellant. Seruant portus ſub magno Amiralio: totidem cum claſſibus Amiralij minores,* quot maritimæ prouinciæ ſunt, patent enim Hiſpanorum, piratarum, Tartarorum incurſionibus. Maior ex Inſulis metus, nam & Iaponiæ Rex, aliíque Principes qui in proximis Inſulis imperãt, II. M. nauium bellum minitantur. Sunt & Reges in Indiâ qui vrbes maritimas cum portubus & claſſibus habent, intérq; eos Rex Carangoræ, cuius regio ſita eſt inter tropicum æſtiuum & Æquatorem. Proximum mare tempeſtatibus ventíſq; agitatur à XV. die Maij, ad XV. Augusti, per quod tempus ibi nautæ pelago temperant, reliquo anni tempore varia nauigia commercij causâ è littoribus in varias orbis partes ſoluunt. Sunt autem incolarum naues prægrandes, vt puta quæ ſingulæ velis duodecim ventos excipiant, ordines remigum L. habeant, aliquando etiam pro velis tegetes. Sequitur Calecutij regnum cum portu celeberrimo & paratâ ſemper ad bellum CC. nauium claſſe, quâ laceſſantes Hiſpanos Calecutij propellunt: tum Cambaiæ, & Guzerat Regna, à præcipuis vrbibus denominata. Olim Guzerat, Betroſia appellabatur, facítque de recenti nomine proximo ſinui nomen, in quo & ipſa vrbs Cambaia collocata eſt, à celebritate emporij, Cayrum Indiæ vocata. Supra in Gangetico ſinu Sinenſibus vicinius Narſingæ, ſiue Natſindi, Regnum. Bintani, ſiue Bintami, cuius Principes hodie Hiſpaniarum Regi tributarij ſunt. Melibaris, in quo, qui piraticam exercent, C. nauibus maria populantur, in quibus per æſtatem eorum vxores liberíq; degunt. Infra ad Perſicum ſinum Onor, cuius Rex Narſingæ Regi ſubditus, claſſem VIII. nauigiorum ad piraticam ſemper paratã habet, ad bellum multò maiorem. Chuercha

** Sunt autem quinque, Canton, Chincheo, Liampoo, Nanquin, & Peguian. Tributaria ſunt Sinarum Regi Cochinchina Regna tria. Joſephi Indi nauigatio. Oſorius, Lopeſius, ſiue Louanius Caſtanedus in hiſtor. Portugallia. Barthemij nauigat. Ludouici Romani Patricij nauigat. Franciſci Aluareſij in deſcript. Æthiopia.*

cha verò vrbs, & emporium Perſidis nobile, magnum emolumentum ciuibus adfert, claſſes enim accipit ex Oriente, & Arabiâ. Sunt & alij portus Perſidis celebres: Portus Turcarum, incolis *Diuoban de Rumi*, Guilphar, & Meſchet. Ab Occidentali verò parte ſinus Perſici, & in littore Erythreo claſſes habet variis in portubus, Sultanus Arabiæ, Sechamir ab incolis appellatus. Proximum huic tenet Imperium Preſbiter Ioannes, ſiue Æthiopum Rex, à ſinu Arabico ad Æthiopicum Oceanum magnis littorum tractibus protenſum. Obiectus Adeno ad Arabicum ſinum portus Zeilæ, commerciis famigerabilis: ibi claſſis expedita ingreſſus egreſsúſque in Ægyptum & Arabiam properantium nauium, vel ab Ægypto & Arabiâ exeuntium obſeruat. Habet & Magadaxus naues quæ ſufficiant ad tutelam vrbis, ſimiliter & Eroca, & Macaua, vrbes Turcicis excurſionibus infeſtæ. Regio illis, terræque Abiſſinorum vicinæ, è quibus Preſbyter Ioannes vocatur etiam Imp. Abiſſinorum; quamuis & ab aliis Acegua, à multis Magnus Negus nuncupetur. Inſulas Abiſſinis, vel oppoſitas, vel adiacentes Luſitani primò, nunc mixtìm iidem cum Hiſpanis tenent; continentiſque circa mare Reges, vel amicos, vel vectigales habent. Ceterum Æthiopicum Imperium proximis iiſce annis plurimum creuit vſque ad promontorium Bonæ Spei, Quiloæ, Mozambicæ, Berſagæ, Nigritarúmque Regibus bello fractis. Manicongi præterea Regno occupato, térque mari Erythræo victo Azamure Imperatoris Turcici apud Suaquenum Baſsâ. Hinc Agiſimbæ Regi metus, cuius terræ ipſum mare Septentrionale reſpiciunt: nec aliud Imperium Æthiopico hodie maius eſt, cùm à tropico Cancri, vltra tropicum Capricorni porrigatur. Mediæ inter Africam & Americam Inſulæ, vel ab Hiſpanis, vel à Batauis poſſidentur. In continenti Americæ etiam noſtræ genti & Britannis imperium eſt. Ditiora Iberus, reliqua ad Septentrionem & Auſtrum maximè antiqui incolæ retinent, tuti paupertate, & ſuis terris, quæ neque aurum, nec gemmas, nec aromata producunt: habent tamen & ſuos Reges: adeò cunctis hominibus gratum eſt ab vno gubernari, illius tutelæ acquieſcere, conſeruari. Et hæc de Imperio maritimo ſingularum nationum à Conſtantino Magno ad hanc vſque diem, rebúſq; earum maritimis: nunc ad deſcriptionem eorum littorum Inſularúmque quæ tempore Conſtantini illius incognitæ fuerunt, fœliciter, quod Deus faxit, deſcendo.

CAPVT TRIGESIMVMTERTIVM.

Orbis Nouus, ſiue deſcriptio eorum littorum, quæ ante Conſtantinum Magnum incognita, aut ſine nomine fuerunt, in Africâ, Aſiâ, India Orientali, & Europâ.



E Mercatore, Hondio, Ortelio, & Larrico, qui memorabilia & ſpecialia memorat ad hoc Caput pertinentia, in hiſt. Indica. Sicut & Antonius ab Errera in deſcriptione Indiarum. Hieronym. Bezonus. Gaſpar Balby, & M. Gotthardus Arthus.

QVAMVIS Capite XXXI. Libri pręcedentis oſtenderim, quidquid Africæ eſt, ab Herculeo ſinu ad Sinum Arabicum antiquis notum fuiſſe, & prænauigatum, quia tamen nullius loci ſpecialem mentionem priſci authores faciunt, qui locus vltra Æquinoctialem Circulum ſit: has terras, vt malè cognitas, quod penè idem eſt, quod incognitas, in hoc Caput contuli, quæ poſt Conſtantinum, primùm nobis innoteſcere ceperunt Ann. Sal. MCCCCCICIX. quo Vaſqueſius à Gama, à promontorio, ſiue Capite Bonæ Spei (recens nomen) ad Regnum Calicut, Indiámque Orientalem penetrauit. Sed neque antiquos omne hoc iter maritimum latuit, ſolúmq; illud, non ita vt nunc eſt, vulgatum

tum fuit, quod à * ſinu Heſperico ad Barbaricum, ſiue Aſperum mare prætenditur: cuius littoris hodie deſcriprio iſta dicitur: in quâ quidem, nec nomina ipſa populorum antiquis per litteras prodita omittuntur: fama enim, & prætemauigatio etiam incurioſa, generalia quædam prodidit, quæ ſpecialiter ſic habent. Ichthiophagi, vbi hodie Regnum eſt *Benin*, poſt Guineam, ſiue Ganginem, littus habitant. Hic Æthiopiæ Hippodromus, promontorium eſt, quod hodie aliqui [1] S.Benedicti, alij [2] Formoſum nuncupant: ſupra quod aliud promonrorium [3] Mons Leæ, ob id, quòd curruum prætereuntium raucum murmur repercuſſæ aquæ reddant, Currus Deorum Ptolomæo dictum. Infra, [4] Portus Capitis, [5] promontorium Inſulæ, [6] Riuus Campi, *Pauoaſan* portus, vrbs *Coricho*, vel *Coriſco*. Ibi Oceano ſpecialis motus, ad littus ſemper rendens, ſi non vitaueris certus imminet interitus, ob ſcopulos. Sub Æquinoctiali Circulo tranquillum eſt pelagus, vbi fulgura, tonitrua, pluuiæ, venti, turbinéſque, quos ob volubilitatem & ſibilla, Dracones nautæ vocant. Qui nauigant ſtringere enſes conſueuerunt, eóſq; in prorâ ſub imagine pugnæ concutere: hoc impendentem perniciem, auerti, & à naui turbines propelli credunt. Poſt Æquinoctialem Circulum in Africæ littore *Gaban* fluuius, [7] promontorium Louanij Gonzalueſi, Maceria oppidum, promonrorium S.Catharinæ, Monres S. Spiritus, & [8] promontorium Primum, à quo Manicongi Regnum incipit, vbi Heſperias Æthiopas Ptolomæus collocat. Vltra ſinum Aluareſij Gonzaluæ, oſtium amnis [9] Rubræ Arenæ, tum [10] Longus mons, ſiue Complidæ, ſinus Cymbarum, ſiue Almadiarum, Zaira fluuius, ab eodem lacu fluens, quo & Nilus, qui Ægyptum contrario curſu irrigat, vtroque ſeſe fugiente. Non longè à mari Loanda Inſula cum portu eiuſdem nominis, latitudine IV. leucarum. Inſulani vtuntur nauigiis è palmâ arbore contextis. Præcipua Regno Magnicongi ciuitas, in quâ Regum ſedes olim Banza, nunc S. Saluator dicitur. In eodem littore promonrorium *Almada*, Angolia oppidum, Monda amnis, qui ab antiquis cognitus Ortelio putatur, nunc Mondegus, aliúſque amnis S.Ioannis: exinde [11] promontorium Luporum, Mons Niger, extrema [12] Arcarum, promontorium Nigrum, aliúdque [13] Foſſarum, tertiúmque [14] Concritanum. Illis emenſis, Bonæ Spei Caput non longè hinc abeſſe coniecturæ ſunt, trunci & radices innatantium iuncorum, *trumbas* vocant, volantiúmque auium, crebri per aërem meatus, quæ albis nigríſque maculis pennas tinctæ, & quòd molli plumâ ſerici panni minus conſciſſi leuitudinem habent, Luſitanis * manicæ è ſerico panno vocantur. Ceterum antequam promontorium Bonæ Spei cernas, incincti aquis montes, ex illiſione murmurantes, [15] Bramidi vocantur, ſicut alij ſudantium nautarum la-

* *Ibi hodie*, Porto del Gabo, *& Inſula* De Fernando Polo.

Pyrard. in nauigat part. 1.

* *Gallis*, Manches de velout.

borem exprimentes [16] *Penedalis.* Sequuntur, Cayneca, Angrá, quæ Latinis Statio, & [17] Pici Martis. Vbi Caput Bonæ Spei olim Ægeſimba, ſiue Ageſimba Regnum, nomine tenus cognitum Ptolomæo, Straboni, & Arriano. Proximum huic, ſed minus celebre Vaccarum, aliúdque Acuum, quod circa hoc, acus marina ſine animâ & motu ſit, vno vocabulo *Nort-eſter* dicimus, cum videlicet tacet illa miratrix & indicatrix poli, elata in pixide, veluti in feretro, ſeu mortuum cadauer, ſopita. Infra arrosâ tellure tuti [18] Sinus, Formoſus videlicet & [19] Lacuum, in placido mari exiguas Inſulas fouentes: ab amœnitate loci, & piſcium capturâ, totus is tractus [20] Formoſus & Piſcoſus appellatur. Tum die Natiuitatis Chriſti terra à Luſitanis reperta, & ob id [21] Natiuitatis dicta: vbi portus S. Luciæ, [22] *Medaui*, promontorium S. Mariæ, fluuius [23] Lacus, aliúſque, ſupra oppidum Alagoam, S. Spiritus. Non longè ab eo Manica mons, vrbs Doſa, [24] Promontorium Concurrentium fluctuum, ſiue Torrentium, intérque S. Laurentij & Æthiopiæ continentem [25] Syrtes Iudæ, quaſi proditrices dictæ, feruente ibi æquore, & ob arenas & vada naufrago. Ante Inſulam Magadaſcaris, ſiue S. Laurentij, in littore Cephala ciuitas, è quâ nomen vniuerſæ Prouinciæ Auriferæ, aliis Zephala, nonnullis Sophala, Hebræorum Ophir putata. In oſtio Zuamæ, ſeu Cuamæ, Luſitani arcem munitam obtinent. Amnis Monomotapæ Regni terminus, in quo Amazones, longè à veteribus diuerſæ, quæ Tanaim Phaſímque ferum incoluêre. Poſt Zuamam, vrbs Mongalo, Marzuzus, Baſſus, & Viadus fluuij. Tum in Inſulâ poſita Moſambica ciuitas, in quâ arx Luſitanorum, aliáq; eorundem Cephalene, haud longè à primâ, quam aliqui cum Cephalâ confundunt. Hinc [26] Pracelanæ Syrtes, oppidum Vellonum, Drittus amnis, Praſſum promontorium Ptolomæo cognitum, ſicut & reliqua ora ad Arabicum Perſicúmque ſinus, de quâ præcedente Libro tractauimus, Capitibus XLIV. & XLV. In Æthiopico Oceano, ante Cayneçe promontorium, Inſula Triſtani Acunnæ iacet. Ante *Medanos*, Inſulæ Romerorum, Latinè efferri poſſunt, [27] Peregrinorum. Inter promontorium primum Natiuitatis & Moſambicam, ceu monſtrum maris vaſtum, ſpinam extendit Inſula MAGADASCAR, hoc eſt, Inſula Lunæ, noſtris ſancti Laurentij. Ab aliquibus forſan benè creditur Menuthias Ptolomæi: quamuis, ſi demus antiquis notam, concedere quoque æquum eſt, & promontorium Bonæ Spei cognitum, Inſulâ illâ ſeſe inter illud & Praſſum æquis penè diſtantiis porrigente. In eâ celebriores vrbes, Antaboſta, Inambole, Antipara, & Bugi. Ab alterâ parte Meridiem & Occidentem verſus, in Atlantico mari, Inſulæ ASORES, ab accipitribus ibi nidificantibus dictæ, has enim aues Luſitani hoc vocabulo efferunt, nos quoque Galli in aucu-

Ludouicus Triſtra.

piis

piis *Eſſorer* dicimus. A Flandris occupatæ, Flandricæ etiam nuncupatæ ſunt. Olim Cattiterides, & Caſſiterides. Nouem ſunt numero, Sancti Michaëlis, S.Georgij, horum Sanctorum feſtâ illis diê cognitæ: Tercera, quòd tertia ordine ab Hiſpaniâ in Americam nauigantibus occurrat. Acuta, Luſitanis *Pico*, de nomine montis in eâ, dicta, cuius faſtigium in acum deſinit, " Fagutalis, à fago arbore, quam iidem *Faya* vocant: ibi Colonia Flandrorum, " torrénſque Flandricus. Haud procul ab eâ recedit Gratioſa, tum Florea, à florum copiâ, " Coracina, quæ à coruis, & vltima tandem Aſorum Inſularum S.Mariæ, quòd diê xv. Auguſti, qui dies Aſſumptioni Dei Matris dicatus eſt, in eam Luſitani delati ſint, vbi arces habent. Proxima huic Inſula PRINCIPIS, ſic dicta, quòd eius prouentus olim ad Principem Luſitaniæ ſolerent deferri. Sparſæ quoque in eodem æquore & aliæ, vt CAPITIS VIRIDIS, SANCTÆ HELENÆ, S.THOMÆ, MADERA, & ignobiliores aliquot. Vltra Praſſum ad Indum flumen quidquid maritimæ oræ Inſularúmque eſt Libro ſuperiore deſcriptum.



Mirum Taprobane Inſulâ priſcis cognitâ, ignotas vt plurimum MALDIVAS fuiſſe, quæ ſupra Taprobanem, ſiue Sumatram extenſæ Æquinoctiali Circulo ſecantur, & XL. tantùm ab hinc annis à Franciſco Pyrardo Gallo, naufragio tactas, pluriúmque an- *Pyrardi nauigat.*

norum habitatione luſtratas. Inter Indicum mare & Gangeticum ſinum poſitæ, Gammariam promontorium continentis, reſpiciunt, indéque paulatim refugæ, Æquinoctialem prętereunt, extremitate ad Iauam Maiorem procurrente. Numerus earum XII. M. Nomen iis à præcipuâ Inſulâ *Malo*, ſi *Diuas* addideris, quâ voce Inſulani multitudinem Inſularum deſignant, circumiacentes Malo Inſulas intelliges. Hæc exiguo freto à " Poliſbuâ, & ipſa vna Maldiuarum, ſeparata eſt. Vnda pelagi coloris atri, quaſi igni impoſita, attollitur in fluctus, vitro retenta ſine colore, & motu cernitur. Inquietum mare fluctus non pellit, ſed in altum, ceu è caldario, alleuatos, mox cadentes, recipit, iterúmque ſursùm euomit, cum horrore ſpectantium. Perpetuæ rupes ripas fundúmque pelagi occupant, vndè penetrare in has Inſulas difficile etiam lembis, quos continui, ſed tortuoſi canales excipiunt. Saxa, quæ fluctu teguntur, ad ædificia, ferro vt lubet circunſciſa, alligata ligno etiam ſubere leuiore (*Candou* vocant) alleuantur paulatim, mox & exiguo labore eruuntur natantia. Eâdem ratione extrahitur quidquid ponderoſum profundo immerſum eſt. In Inſulâ *Malo*, die quodam feriato, *Tdu* nuncupant, inuſitatas veſtes (ſimiles iis quibus laruati homines Bacchanaliorum diebus apud nos vtuntur) induti, triremes nauéſque conſcendunt, quas occulto agitatu ſubiectæ rotæ in ipſo continenti, veluti in pelago ad omnem deflexionem contorquent, quocunque ſimulatus hoſtis ingruerit, obiectâ prorâ, vel in tranſtris milite ad defenſionem producto, ſimulachrum in terrâ naualis pugnæ. Maldiuenſes Amiralios ſuos *Vellanas* vocant. Simul atque in has Inſulas nauis applicuit, Vicarius Amiralij, ſiue Centurio ab Amiralio miſſus, gubernaculum appulſæ, vel in anchoris ſtantis, in palatium Regis portari iubet, ne qua nauis Amiralij iniuſſu de portu exeat. Has Inſulas Ali Rhadia Rex Cananoris, claſſe armatâ tremendus, * nuper occupauit, Regémque conſtituit ſibi tributarium, extinctâ antiquorum Regum ſtirpe. Illas tenuêre Cingalæ Ceylanæ Inſulæ cultores CCCCL. retrò ab hinc annis. Antea deſertæ creduntur. Iam ad continentis littus redeo, minus ab antiquis claſſe tentatum. Poſt Cananoris Regnum ad mare Malabares habitant, hoc vſque ad Maldiuas grandibus orcis inquietatur, tympanorum pulſu fugiunt à nauigiis, ſin minus iis ſummiſſæ ſuo tergo diſcutiunt prætereuntia, mergúntque pelago. Partem Sinarum antiqui nouerunt ab Alio fonte ad Cutiaris fluminis oſtia, & Sinarum ſtationem, de his Lib. I. Cap. XLVI. Reliqua huius gentis littora, ſicut & Tartariæ, quæ illis Scythia fuit, hoc noſtro primùm ſæculo vſque ad Sarmaticum Oceanum, & regna penè ſub Polo iacentia, detecta fuerunt. Et licet Stukius, in ſuis Commentariis ad Periplum maris Erythræi, ab Arriano, vt volunt,

*Ann. 1609.

ſunt, cōpoſiti, Auream Cherſoneſum, cum Mercatore, Iaponiam, vel Iapam Inſulam putet, eum tamen erroris conuincit, quòd Aurea Cherſoneſus, Inſula neque ſit hodie, neque olim fuerit: ſicuti neque Iaponia Cherſoneſus, ſed Inſula vltra limitem Orbis Ptolomaici poſita, & ob id priſcis ignota. Præterea, ſi aurea Cherſoneſus Iaponia hodierna eſſet, credibile non eſt, antiquos rerum nouarum, præcipuè nauigationis, & cognoſcendi Orbis termini, cupidos, in Americæ penè conſpectu, inertes & incurioſos hæſiſſe, neque in vicinum continentem inquiſiuiſſe ab Americanis illis, qui in Iaponiam Inſulam negociationis causâ vltrò citróque commeabant, & nunc etiam commeant, commercio iungente remotas, quid non & vicinas? Hîc itaque veluti ab Orbe antiquo diuiſam Inſulam contuli, cuius Occidens Coream Inſulam habet, Sinarúmque littus, à Meridie & Oriente Sinenſis Oceanus inuoluit pelago immiſſam, à Septentrione *Anian* fretum reſpicit. IAPONIÆ Latus Occidentale vrbes ſuſtinet, Tagunam, " Hiuamin, " Nagatum. Meridionale, " Aquin, Farimam, " Clamatum portum, ſupra " promontorium Fiſcellarum, " Ioromum, " Segemyam, & Auam. Orientale, Naſuuam, & " Villoxuam. Septentrionale, Deuam, " Ximocenam, " Hiecigenam, & " Foquiam, hoc eſt, focorum. Et hæc eſt deſcriptio littoralium Iaponiæ, in qua LIII. Regna, longitudo eius CC. leucarum. Incipit ſub XXX. gradu, deſinit ſub XXXVIII. Celeberrimus Inſulæ totius portus *Nangache*. Inter hanc & Sinarum continentem extenditur Inſula COREA, à primate " vrbe appellatione deductâ, cuius & alia, " Toxema. Iam in Sinenſi littore vetus Cattigara, nunc forſan, *Quinſay*, amplitudine ſuper omnes totius orbis ciuitates celebrata, magis tamen crediderim hodiernam *Canton* nomine nouo antiquo concordante. Infra, incognita priſcis Coſmographis appellatio, *Chinanfu* ciuitas, ante quam *Chinzan* Inſula. In extremo continentis ſinu *Xuntien*, alias *Quinſay* Noua, in quâ Rex Sinarum ſedem habet. Hinc affunditur mare flexuoſo meatu, vexatáſque terras mox deſerit, vbi murus, montiúmque crepidines, Sinas à Tartaris, ſiue Scythis, diuidentes, procumbunt in pelagus, quod Pacificum appellatur. Ora maritima Tartariæ accedentis ad Sinas, ſic hodie deſcribitur. Mons primò occurrit educator abeſti lapidis, texendis telis apti, quæ igne non comburuntur; proximè vrbs *Iangio*: Brema inde & *Tenduc*, Regni nomen, ad fretum *Anian*, quod Americam à Tartariâ leui tractu ſeiungit. Ad hoc fretum, in eadem Tartariâ Regnum *Ung*, ſiue *Gog*, poſt *Tenduc*, barbaræ appellationes. Vlterius *Bargu*, campeſtria, montéſque in littore ſtantes, quorum altius mare penetrat ille qui *Tabin* promontorium dicitur, initium maris Congelati, Scythici, ſiue Tartarici, adeò tot nomina habet: vaſtis fluctibus

bus occupans terras, immenſum Sinum facit, in cuius receſſu TAZATA Inſula Plinio nota; in terrâ autem pelago adlatratâ ad Arcticum Regna, *Carli, Arzareth, Barzol, Belgian, Chiorza, Cauona, Tabor, Colmack, Baida, Samogeda, & Bargu:* tum *Molgomzaia* ad Sinum, qui à Ruſſis *Niaren More*, id eſt, Tranquillum mare, appellatur, Congelatúmque mare ſuſcipit, vbi *Caſsim*, & *Oby* flumina, Tartariæ pariter atque Aſiæ antiquus limes. Vbi Cyngola, & Coſſimum vrbes, promontorium Scythicum, Regióque Lucomoria. Inſula Falconum in mari Tartarico, famâ, quam ſitu, aut amplitudine maior. In Oceano verò Sinenſi, & Indico, præter Iaponiam ſupra memoratam, MOLVCÆ V. quarum nomina ſunt, Ternate, ſiue Taranta, in quâ Bouardetus conciuis meus, VII. annis vixit, totius Orbis circumnauigator: qui ſi publico daret celeberrimam vndecim annorum nauigationem, poſteros, quos neſcit, maximo obligaret beneficio, viuerétque etiam ſine liberis, inuidiæ ſæculorum ſuperſtes. Sed eum parta quies à ſcribendo terret, pluſquàm ipſa maria, Torrentíſque Zonæ, ſub quâ ſepties tranſiit, æſtus, perpeſſáſque tempeſtates. Sequitur Tidor, quæ & Theodora: Mothir, vel Muthil: Machian, ſeu Marcus, & Bachian, ſiue Bachianum, omnes penè ſub Æquatore poſitæ. Ternates circuitus leucæ IX. portus Talammagamme. Theodoræ X. Mutilis IX. Machiani VII. Batani, ſiue Bachiani XX. Gilolí CC. Nec longè ab iis CEYRAN. CELEBES, de nomine magni in eâ promontorij vocata: BORNEO cum ciuitate, multíſque Luſitanorum Coloniis: MARTYRVM, GILOLO cum vrbe, Cyndas antiquorum Ortelius putat, vix huic in hac opinione credam. Primus eas Ferdinandus Magellanus, cum ſociis, auſpiciis Caroli V. Imp. ann. Sal. M.DXIX. detexit. Sunt & aliæ Inſulæ *Bandan*, *Mira, Roſolargium, Ay, Rom, Neyra*, & *Gunuape*, quæ cõtinuis flammis laceſſit cœlum, & ob id inhabitata. PHILIPPINÆ à Philippo Hiſpaniarum Rege dictæ, Baruſſarum nomine ab antiquis celebratæ putantur. Nobiliores Philippinarum ſunt Lutzonia, ſiue Luconia, cuius longitudo CC. leucæ, in ea nobilis vrbs Manila, cum portu à Luſitanis condita. Sequitur Tandair, ſiue Tandaia, quæ & Philippina, circuitu leucarum CLX. Proxima iis *Mindanao*, cuius oppida *Cailon, Pauaodos, Subut, Dabito, Suriaco*, Nouæ Hiſpanorum, incolis cæſis, Coloniæ. Hæc Inſula cæteris maior CCC. leucas in circuitu habet, portuoſa, melle, gingibere, cinnamomo, & aurifodinis celebratur. *Behol* in longitudine XIX. leucas habet. Bugla, ſiue Nigrorum, XL. in latitudine verò XIV. piſcatione vnionum nobilitatur. *Zubu* in medio Philippinarum collocata, quà Orientem proſpicit portum atq; vrbem oſtentat, ab Hiſpanis Colonis, vrbem Ieſus dictam: eius longitudo XXX. leucarum putatur. In hanc Inſulam claſſis Hiſpanicæ præfectus Ferdinandus

De Inſulis Orientalis Indiæ, & littoralibus proximi continentis: Vide Nauigationes Iac. Cornelij Neckij. Oliuarij du Nort. Gaſparis Balby. Ioan. Hermanni de Bree. Cornelij Nicolai. Cornelij de Vena. Stephani Hagenij. Francisci Dracki, & Ioan. Hugonis Linſcotani. Authoribus Gothardo Arthuro. Anneo Lonicero, Bilibaldo Strobæo, & aliis.

Ferdinandus Magellanes venit, Ann. Sal. 1520. Eiuſdem longitudinis traditur *Abuyo*, ſiue *Babay*, cuius latitudo leucæ x. auro & vnionibus commendatur. *Panay* in longitudine leucas XL. in latitudine XV. *Mindoro* XX. in longitudine, in latitudine X. poſſidet, pipere fertilis. Aliæ quoq; Inſulæ inter Baruſſas, ſiue Philippinas numerantur, poſitæ omnes inter VI. & XVI. gradū verſus Arcton. Non longè ab iſtis pelago ſuperiacent. IAVA Maior, & Minor, ad Auſtrum poſt Æquatorem collocatæ. Maior, octo Regibus paret, in circuitu habens, III. M. Milliarium quamplurimis vrbibus celebratur, & acceſſu in eam Franciſci Dracæi. Eſt & in eodem mari ZEILAN Inſula, incolis *Ternaſſeri*, aliquibus Nanigeris, ſiue Panigeris Ptolomæi credita, circuitu DCC. M. paſſ. ſub Æquatore poſita eſt, placido cœlo & ſolo. Fluuij in eâ Conſtantinus, Candeanus, Patecalon cum portu, Semapane, Palmares, & Chilao. Arcem ibi habent Luſitani negociationis causà. Quotidie innumeræ in hoc mari Inſulæ deteguntur, ſi recenſere velim, faſtidium: quales, *Chinaliaco*, *Burra*, *Daru*, *Calamianes Balbena*, *Latronum*, *Candelarum*, *Maliobriga*, *Tonſa*, *Bungo*, aliæque innumeræ.





Petrus Bertius, Maginus. Hondius, Ioan. Aubanus, Alex. Guagninus, in Sarmatia, & Moſcouia. Sigiſmundus Liberus, Rer. Moſcouitar.

Et iſta dixiſſe ſufficiat de Indiâ Orientali antiquis ignotâ; iam ad partem Europæ deſcendo, quæ ad Septentrionem pronior, aut nomine tenus cognita, aut prorſus incognita fuit. Quod enim Cap. XXXVII. Libri præcedentis diximus, ab Albi flumine ad Cherſinum amnem, totum hunc tractum maris à Ptolomæo deſcriptum, ob id tamen nulli vnquam Romanorum, ne rum Græcorum, prætercurſus fuit. Audita quidem fuêre populorum hîc incolentium, amniúmque fluentium nomina Germanico Cæſari apud Friſios diuerſanti, vnde ei in illas terras expeditionis meditatio, quâ Cimbrorum Teutonúmque antiquas in Romanum ſolum excurſiones vindicaret, ſed propoſitum tanti Principis Tiberius Imp. diuertit, æmulus gloriæ eius & famæ. Ob ea Plinius, Regiones illas Septentrionales, Alterum Orbem vocat: nulláſque appellationes illius plagæ, ſeu promontoriorum, ſiue fluminum, vrbiúmq; & Gentium in ſuâ Geographiâ Ptolomæus recenſet, vltra 63. gradum longitudinis, cùm hodie vltra 84. grad. nauigatio noſtra peruenerit. Hic autem Orbis Alter Plinij, quà Europa eſt, à Septentrione, ipſum Septentrionem habet, Pygmæorúmque terras, ſi fabulis credimus, & pelagus Glaciale, veteribus Cronium appellatum. Ab Ortu poſt Nouam Zemlam, fretúmque Naſſouij, Obi promontorium, & flumen, terminus Aſiæ,

Aſiæ, atque Europæ. Ab Occaſu, Oceano Hyperboreo, Deucalidonióque & Germanico inquietatur. Inferior verò Germania Meridionale eiuſdem orbis latus claudit. Quà Sol occidit, DANIÆ, ſiue Danemarchiæ Regnum eſt, in quo quondam Saxones, Sigulones, Cobandi, Chali, Phunduſij, & Cimbri, mediáque inter eos populos, Cimbrica Cherſoneſus, nunc Iutia, cuius vrbes inſigniores ſunt, " Ripa, Arhuſa, ſiue Arhuſiana, Aalburga, & Sleſuicum, ad Balticum mare. DITMARSIA inter Albim & Eideram amnes, ſolis vicis & pagis frequens eſt. HALLANDIA, à præcipuo eius oppido *Halaneſot*, appellationem ſumpſit. SCANIA, ſiue Sconia metropolim habet " Lundam, emporium verò Nelbogam. BLESCIDA, ſiue BLEKINGIA, vrbem præcipuam ad mare oſtendit, Calmariam. Inſulæ præſtantiores in ſinu Codano, SELANDIA, ſeu Sialandia, caput Danici Regni, cuius longitudo milliarium Germanicorum XVI. latitudo XIII. In eâ multæ vrbes; Haſnia metropolitana eſt, & habitatio Regum, quæ Germanis *Koppenhaghen* dicitur, hoc eſt, mercatorum portus: " Roeſchiltia, diruta nunc, ſolis antiquorum Regum ducúmque ſepulchris nôdum tumulata. " Helſinura, Nilſimburgo Scaniæ oppido oppoſita, à quo milliare Germanicum tantum diſtat. Hic naues omnes, quæ à Baltico mari in Oceanum vela faciunt, figere anchoras coguntur, donec mercium vecturæque vectigal vectores mercatoréſque ſoluant. Hæ maris anguſtiæ, *De Sund*, hodie vocantur. " FIONIA Inſula altera, Daniæ Regi ſubdita, vrbes continet " Ottonium Epiſcopalem ſedem in centro ſui, quam Otto I. Imp. condidit, in Chriſtianam fidem Heraldo Daniæ Rege aſſerto. Circa littus verò ſequentes ſunt, " Neoburgum, Siemburgum, Faburgum, Aſſena, Bagena, Middeluartum, & Cartemində. " LANGELANDIÆ oppidum eſt Ruthcopinga: " LALANDIÆ, Niſtadium, Naſco, Rothus: " FALSTERIÆ, Stubecopena, & Nicopena, quæ Daniæ Neapolis dicitur, ob eius amœnitatem: " MOENÆ, Elmenunda, habitatio Regia. HVENA, Arce Vraneburgi ad nos peruenit, arcis authore Tychobrahe, doctiſſimo Mathematico, prouecta ad famam, vbi inſtrumenta ille ſua ad cœleſtes motus atque apparentias obſeruandas reliquit. Ex iis Inſulis, & terris, quæ Baltico ſunt in æquore, quod nunc Sueuicum dicitur, conſtitutis, in Europam venerunt, Gothi, Oſtrogothi, Viſigothi, Vandali, Franci, Cimbri, Gepidæ, Dani, Hunni, Sueci, Heruli, Rugi, Alani, Longobardi, & Alemanni. Poſt Daniam, initium alterius orbis Pliniani, vltra Sarmaticum mare Venedicúmque, ſinum Aorſóſque populos, nihil nouit Ptolomæus. NORVEGIA dicta, quaſi Nortungia, hoc eſt, Septentrionalis tractus, hanc à Meridie Dania, ab Occidente Oceanus Septentrionalis, ab Ortu Suecia, à Septentrione Lappia, ſiue Lapponia terminat,

De Dania, Suecia, Noruegia, iam dixi, Cap. 15. ſtiuſ Libri.

È Magini Scandia.

minat, ante Conſtantinum vocabula prorſus ignota. Huius vrbes memorabiliores ſunt, Bahuſia, Anſloia, ſedes Epiſcopalis: Nidroſia, quæ olim metropolis Noruegiæ fuit, nunc caſtellum, à fluuio præterlabente Nidro; & Roſa, nomen veteris & vicini templi, dicta: Coningſberga æreis fodinis nobilis, Hammaria, prope fretum Moſcianum, Berga, commodiſſimum emporium Societatis Teutonicæ. Noruegiæ Prouincia eſt, Finmarchia, quæ magna ex parte à Septentrione SVECIAM tangit. Habet Suecia plures Prouincias, Gothiam, Finlandiam, vtramque Bothnicam, Lapponiam, Scricfiniam, Finlappiam, & Coreliam. Regia ſedes & emporium celeberrimum Stocholmia eſt, Ruthenis Stecolna, Venetiarum inſtar inter paludes ædificata, Archiepiſcopalis verò Vpſalia, ad Salæ fluminis ripam, vbi Regum Sueciæ ſepulchra viſuntur. GOTHIA, Bona terra interpretatur, præcipuis portubus & emporiis inſignitur, Lödoſiæ & Calmariæ vrbium. Addunt Mercator & Hondius, Lincolpem, Scaram, & Vexionem. FINLANDIA, Id eſt, pulchra terra, ob id, quòd frumenti & frugum ferax ſit: huius vrbes, Abo & Vviburgum. BODDIA, ſiue Bothnica duplex, à Sinu eiuſdem appellationis diſcriminata. LAPPIA & SCRICFINNIA caſas habent è ceſpitibus & corticibus arborum compactas, feros incolas, ferinum in morem viuentes, breui ſtatura, ſed ad ſaltum & curſum agili. Similes iis ſunt CORELII, ſiue Carelij, paulùlum tamen manſuetiores, iſtorum Hexholmia ciuitas eſt. Eſt & alia GOTHIA à ſuperiore, illa quippe quam memoraui in continenti poſita eſt infra Sueciam, & nunc Gotlandia dicitur, iſta verò Inſula eſt ad illius ortum, quæ hodie Gotlandia nuncupatur, putatúrque Eningia Plinij, cuius latitudo eſt milliar. v. longitudo XVIII. Emporium in eâ celeberrimum, Viſubi, ſeu Vviſby. Ad occaſum Noruegiæ Inſulæ ſunt, SCETLANDIA, quæ & Hetlandia, cuius incolæ ſolis piſcibus veſcuntur, ſiccatiſque illis ad frigus, deinde contuſis, vtuntur pro pane, ſicut & FRISLANDI, quorum Inſula ipſa Hibernia maior eſt, metropolim habet in Sinu ſui nominis. Huic vicina eſt ISLANDIA, C. mill. Germanicis in longitudinem protenſa, perpetua hieme damnata, vnde illi nomen, quod glacialem terram ſignificare volunt: illi Epiſcopales ſedes duæ, Hola, & Schalhota: hanc antiquorum Thulem multi putant, ſed falsò, cum antiquorum Coſmographorum tabulæ vltra 60. gradum latitudinis non procedant, & Inſula iſta contineatur inter 65. & 69. grad. dictæ latitudinis, cuius medium, inquit Maginus, propemodum eſt ſub circulo Arctico, vndè, qui medietatem eius inhabitant, ſemel in die eclipticam horiſonti coniunctam habent, túncque Zodiaci polus in vertice capitis incidit: Ceterum hoc intra momentum fit, nam repentè vna Zodiaci pars exoritur, & repentè alia occidit. Sole primum Cancri

gradum

gradum intrante, dies eſt præciſè xxiv. horarum; inſtans pro nocte habetur, tunc enim Sol perfectè non occidit, ſed horiſontem radit. Contrarium euenit Sole Capricornum ſubeunte, tunc enim nox eſt Inſulanis xxiv. horarum; ſine die, niſi quòd illis ſpecies aliqua diliculi fit. Ibi Hekelfortum Promontorium flammas eructat, vrbes in ea [17] Holena, & Skalhotena, ſiue Skalholdina. Vicinior ad Arcton eſt [18] Groenlandia inter circulum Arcticum & polum ipſum, Auſtraliſſimus eius parallelus gr. 66. Borealiſſimus paulò minus grad. 77. Vnde hîc ſemper vna pars Zodiaci ſupra horiſontem extat, & altera infra: ex quo, poſt introitum in Arietem vſque ab ingreſſum eiuſdem in Cancrum, hoc eſt, duorum menſium cum dimidio diem habent illi, qui medium Inſulæ tenent, trium verò menſium diem, qui Borealem eiuſdem partem incolunt, reliquum anni hyemat. Reliquarum Inſularum, quarum ingens numerus, nominibus abſtineo, quòd dictis minores ſint, útque illæ, ſteriles ob frigus: eſt tamen & alia in eodem mari Inſula, Spitbergia dicta, ceteris Septentrionalior, neque tota adhuc, ſed ex parte tantùm Occidentali cognita, in quam anno 1596. appulerunt Guillelmus Bernardus, & Ioannes Cornelius, Batavi, noménque illi dederunt ob ſummitates apparentium vndique rupium, *Spits* enim Hollandis acutum ſignificat, *Berch* verò montem. Sunt qui eam Inſulam à Vvilloubeo Anglo detectam volunt, ann. 1553. *dum in Indiam Orientalem aditum per mare Glaciale peteret, Eduardi VI. Anglorum Regis iuſſu. Ceterum ſicut Groenlandia Americam verſùs ad fretum Dauiſium Europam terminat, ſic & eandem Noua Zemla Inſula fretúmque Naſſouicum ab Aſiâ ſeparat. Omitto veterum fabulas de Hyperboreis, quos ſub Arctico polo multi collocant, & Cnoxi commenta, de Euripis ſub eodem polo iacentibus. Bertius Novam Zemlam, Nouam Zemiam appellat, dicitque eo nomine nouum iter ſignificari. Hanc ex parte Occidentali & Meridionali nauigatam, ſeiunctámque ab Obdora Prouincia freto volunt, quod alij Naſſouicum vocant, à Principe Mauricio Naſſouio, Illuſtriſſimorum Inferioris Germaniæ Ordinum rectore, cùm primùm in has terras applicitum fuit, ann. 1594. Alij fretum *Vvaigatz* nominant, à quo ad Obium flumen, oppidum promontoriumque ad Samoras, ſiue Samogethas itur, vndè in Sinas nauigari poſſe Ruſſiæ ſcriptores prodiderunt. Obi autem fluuius è lacu Kitiiſko emergit, ſex oſtiis in Oceanum Septentrionalem ſeſe exonerans prope ciuitatem Obiam: cuius ripas, teſte Gagnino, Yogulici, & Hugritzchi accolunt. Vectigalis eſt Obdora Moſcouiæ Duci, nihil ibi celebratur idolo Slatæ Babæ, hoc eſt, Aureæ Anus. Oppida habet Medinskeii, Kolvvayam, Slohodam, Ovvnam, & Sloſtimum, cum Onega

** Tentauit idem iter Girardus de Veer, cuius nauigationis hiſtoria extat.*

Huius freti & proximi continentis delineationem habet P. Bertius in deſcriptione Septentrional. terrar.

fluuio Petzoræ. Regioni appellationem indidit fluuius, cum Soſsâ & Bereſuâ deſcendens in pelagus Glaciale, oppidum eius Pulteozierum, ante oſtium Petzoræ. Oritur è Sibiriâ lacu. Permia vrbis nomen eſt, & Regionis, quæ Ruſſiæ pars, ſicut & Condora. Hîc Tolſtika, Apnua, & Sanctus Michael oppida: flumina, Meſena, Difna, & Piſla, ſinque receſſu Granuici ſinus, hoc eſt, Albi maris, *Cargapol*, Sanctus Nicolaus, " Solofkium, & Nicoueſkum vrbes. Amnes, *Varziga*, *Pelitza*, *Vaga*, *Danadin*, *Arſena*, & *Kola*. Promontoria *Race*, & *Soberbere*. Sequitur Biarmia; cuius vrbes maritimæ *Kegore*, *Vvarduys*, Litarnis, ſiue Litarmis, cum promontorio à Plinio memorato, & fluuio Carãbuco; vbi laſſata deficiunt iuga Riphæorum, perpetuis niuibus obſita. Inter Album mare & lacũ album Iſthmus eſt, in extremo lacus, Lagoda vrbs tum, in ora Finnici ſinus Piſba, Coporga, Lama, & Caſtrio, oppida, vel arces.

Hinc LIVONIA Regio, cuius pars ad Balticum mare, pars ad Finnicum ſinũ extenditur. Vvinda in Balticum exoneratur, ſicut Beca, & Duina: in Finnicum verò ſinum, Rubo & Nerua. Hîc Ritalia, ſeu Reuela cum portu, à Valdemiro, huius nominis. II. ædificata, Velinum, Pernouia, Volmaria, Vveſemburgum, Viteſtenum, & Narua, ad lacum *Peibas*. Illic Riga, Bremenſium Germanorum colonia, ad Duinæ oſtium, nobiliſſimum emporium, Liuoniæ Metropolis: Prouincia iſta Poloniæ Regi ſubdita eſt, in quâ Sinus, qui Magnus dicitur, vbi Virlandia. Iuxta Rigam arx ad mare Dunamuntum. Polonico præſidio munita, vbi telonium ſoluitur. Nouogardia oppidum, intérque Rigam & Dunamuntur, arx altera Blokaus. Ante iſtas OESILIA Inſula, longa MILL. XIV. lata VII. In continenti ad Balticum pelagus, quod antiquis, Venedicus ſinus appellatur, SAMOGITIÆ Ducatus eſt, caſis tantum & dumis obſeſſus. Mox PRVSSIA, quam Vlmigauiam Æneas Syluius vocat, vbi Ioan. Boëmus Amaxobios, Alanos, Venedóſque, ſine Vandalos collocat. * Matthias Miecouienſis refert, Regem Bithiniæ Pruſſam, quo tempore bellum Annibali cum Romanis erat, ab iſtis fugatum in Vlmigauiam, eam Pruſſiam vocaſſe. Ab Æquinoctio Saxoniam attingit, ab Occidente Pomeraniam, & mare Balticum, ab Ortu Lituaniam, à Meridie Poloniam. Hæc à Friderico Imp. ann. 1216. Teutonici Ordinis Crucigeris data eſt, qui Mariani & Pauperiani dicti fuerunt. Flumina Pruſſiæ ſunt, Viſtula, Nemeni, Cronon, Elbinga, Lica, & Lauia. In littoribus Baltici maris, ſiue Venedici ſinus, ſuccinum, quod ambram vocamus, colligitur. Vrbs præcipua ad mare, Regius Mons, ab Alberto 34. Teutonicorum magiſtro, qui & Bardeburgenſis Marchio, primúſque Pruſſiæ Dux, ampliata, ſedéſq; Pruſſiæ Ducum facta, relicto Mariemburgo. In hoc littore, Meluingum, Brunſberga, Memelium, & Dantiſcum ad exonerationem Viſtulæ, emporia

* *Chronologia lib. 2. cap. 8.*

emporia ad triticum,tigna,picem,linum, canabim, & ceruiſiam. Hinc Axternis oppidum. Aſſa fluuius,Stetinum,Oderæ fluuio impoſitum,qui priſcis Viadrus. Griſvvalda, quondam Vandalorum caput. Vkermunda,& Stralzunda,à Clodomiri Francorum Regis filio conſtructa,à Vvaldemaro Daniæ Rege reſtaurata , ann.Sal. 1209. Vrbes POMERANIÆ, commerciis nobiles: Iulina ciuitas, nunc diruta,Voltinum dicitur. Videntur & Vinetæ ruinæ, vrbis quondam opulentæ, inter Sueui oſtium & Inſulam RUGIAM, quam Conradus Danorum Rex, ann.Sal.1030. funditus euertit, Inde Mekelburgenſis Ducatus, & Balticum mare finiens Lubica, Holſatiæ initium, à quâ [62] Chilonium. Iſtud mirandum, quod Gregorius Iſthoma, Moſcouiæ Ducis legatus ad Daniæ Regem, in relatione legationis ſuæ,ann.1496.memoriæ prodidit, in Baltico,mari,à Duinç oſtio in Lappiam nauigantibus, occurrere promontorium Sanctum Naſum appellatum, ob id, quòd ſcopulus formam naſi referat. Sub eo antrum vorticoſum eſſe, quod ſingulis ſex horis mare abſorbet, & alternatim magno cum ſonitu reddit abſorptum, voragine illa, quæ vix vitetur, attrahente naues. Alterúmque item promontorium,Semes dictum, quod,qui prætereundo munere non placant, haud dubiè tempeſtatem pati: illud autem,melle,butyro, & farinâ in molam redactis, oblátíſque placari. Hinc MOKAM tertium promontorium circuiri octo tantùm dierum nauigatione,ínq; eius extremitate caſtrum eſſe Barthum, cum præſidio Noruagico. Et hæc ſunt, quæ de terris iuxta mare in Africâ, Aſiâ,atque Europâ nondum cognitis ante Conſtantinum dicere habui: nunc ad Americam venio.

Nomina propria in hoc Capite contenta,quæ minus ſignificanter Latina facta ſunt,vſitatis hodie vocabulis reddita.


[1] *Cabo de San Bonito.* [2] *Cabo Hermoſo.* [3] *Sierra Liona.* [4] *Porto del Cabo.* [5] *Cabo de Iſleos.* [6] *Rio del campo.* [7] *Cabo de Lopez Gonſaluez.* [8] *Cabo Primero.* [9] *De las Borreras Roſſas.* [10] *Sierra complida.* [11] *Cabo de Lobos.* [12] *De Arcas.* [13] *De las balſas.* [14] *De Concritan.* [15] *De Bramidos.* [16] *De Penedal.* [17] *Los Picos.* [18] *Seño Hermoſo.* [19] *Seño del lago.* [20] *Baya Hermoſa, y Peſqueria.* [21] *De Nauidad.* [22] *Los Medauos.* [23] *Rio de lago.* [24] *Cabo de Corrientes.* [25] *Baixos de Judia.* [26] *Baixos de Pracel.* [27] *Los Romeros.* [28] *Fayal.* [29] *Ribera dos Flamingos.* [30] *Del Cueruo.* [31] *Paliſbou.* [32] *Hiuami.* [33] *Nagato.* [34] *Aqui.* [35] *Hiamato.* [36] *Cabo dos Ceſtos:* Gallis noſtris, *Cap des paniers.* [37] *Ioromi.* [38] *Segemy.* [39] *Villoxu.* [40] *Ximocen.* [41] *Hiecigen.* [42] *Foqui.* [43] *Corij.* [44] *Tauxen.* [45] *Rip Arhus,* & *Sleſvvick.* [46] *Lunden.* [47] *Roeſchilt.* [48] *Elſenor.* [49] *Fuinen.* [50] *Odenzee.* [51] *Niburg,*

Siemburg,

Siemburg, Faborg, Aſſins, Boghens, Middelfart, Keteminda, vel, *kortemund.* [52] *Laglant.* [53] *Loilant.* [54] *Falſter.* [55] *Muen.* [56] *Suede.* [57] *Holen*, &, *Skalholten*, vel, *ſcalholdin.* [58] *Groenlandt.* [59] *Kolvvay.* [60] *Soloſki.* [61] *Oeſel.* [62] *kiel.*

CAPVT TRIGESIMVMQVARTVM.

Americæ Septentrionalis antiquis ignota ora maritima, & in iis vrbes & Coloniæ.



Vide Cap. 20. iſtius Libri, reliqua è Mercat. Hondio, Corn. de Iudais, Ortelio, Munſtero, Cadamuſto, Aëlzo, Colombo, Pinzon. Veſpucio, Alvaro, Ioſepho Indo, Paulo Veneto, Armeno, P. Mart. Antonio Magino, Corn. Vvitfliето, Hiſtor. Indica, omnes por-

MVNDI terminum Thulen Inſulam antiqui Coſmographi conſtituerunt, additæ huic à poſterioribus GROENLANDIA, & FRISLANDIA, nota nomina Gothicis temporibus: ætas poſterior quartam Orbis partem ante iſtas Inſulas reperit, Americámque vocauit, ab Americo Veſpucio, qui tamen non primus, ſed poſt Colombum eò nauigauit, quà Paria, & Braſilia Æoum ſpectant. Earum terrarum latè ſurgentium Regna varia, populi

populi innumeri, portuoſi Sinus, ingentia flumina.[1] Ante Thulen,[2] Terra Laboratoris; Circulo Arctico in partes duas æquales, fluuio verò Niuoſo ab *Estotilant* diuiſa. In hanc Friſlandiæ piſcatores primùm deuenêre, ante annos CCC. Poſt, Antonius, & Nicolaus Zeneſi fratres Veneti circa ann. Sal. MCCCLXXXI. auſpiciis Zichimi Friſlandiæ Regis idem littus tenuêre. Hos ſequutus eſt Ioannes Scolua Polonus, ann. MCDLXXVIII. Tandem cum iter compendioſum ad Molucas quæreret Gaſparus Cortereális, anni MDI. naufragij ſui monumentum reliquit, nomen littori factum. Hæc Americæ portio minus fœlix, quà Floridam versùs Meridiem tangit, Sinum adinittit[3] Merofroum,[4] Stationem Ioannis Maij: flumina, Tormentoſum, & Narroſum. Quà Septentrioni incumbit, nomina penè ipſo ſono occidentia, ſi delicatis auribus fueris, *A Furious, Ouerfal*, ad Dauiſij fretum, *Lomleys Inlet, Evvarvvikes, Forland*, promontorium *Vvalſigim*; Fretum *Camberlants*, montes deſcendentes in pelagus, *Dijerſi*, Raleghis, & Bedfordi. Hinc quia ad Arctum porrectæ, niuibus perpetuis ſolum tectum; & poſt Oceani fluctus lancinantis terras, incognitum littus continentis, & ſine nomine, forſan & ſine habitatore Inſulæ, donec in latitudinem effuſum mare *Cogib* flumen accipiat, quod è [a] lacu Conibarum erumpens; *Combas* vrbem mediis in vndis poſitam, ambit, proceditque ad oram Virginiæ, aquatum receſſibus & ambage multiplici ſinuatam, vbi Regio *Zubgara*. Ab oſtio *Cogib*, tellus ſub Septentrionibus iacet anonyma, quam vrbs *Chiegigua*, & *obilo* fluuius terminant. Vltra, vſque ad *Anian* fretum, quod Americam à Tartariæ finibus diuidit, terminatúrque iuxtà Iaponiam Inſulam; nondùm claſſe vel rate vllâ nauigatum eſt: nox & glacies impediuêre.[b] Conſtat tamen habitabiles terras, & ex aliquâ anni parte nauigabile pelagus eſſe, pérque Septentrionem in Molucas, Sináſque, & Orientem breuiſſimum iter. Ad *Anian* itaque fretum, *Anian* Regnum Septentrionalis Americæ, quod montibus à Quiuiræ Regno ſeparatur, nihilque eius memoratur præter promontoria, Album, Medocinum, &[5] Torrentium. Flumen[6] Fretorum, & oppidum Formoſum. Tum Quiuira ciuitas, appellatio etiam Regni, Formoſus & Sardinarum portus,[7] Mons Nouus, oppidum Inſularum, promontorium S. Franciſci,[8] Ora Tuchaiorum; flumen Grande, promontorium[9] Brauium, Latinis Furioſum, cum amne eiuſdem nominis,[10] Ancones, *Cicuit* & *Tignex* vrbes, Mendocina extrema, Terra Montium; Ninguidum promontorium; oppidáque, S. Michaël, & S. Petrus. Adhęret huic Albion Noua, appellationem fecêre Angli, de vetere nomine Albionis Inſulæ, quæ nunc Anglia, fixis ibi primùm anchoris, miſsíſque, qui incolerent. Locorum nomina immutauêre, vt ſolent, Hiſpani, ibidem poſt Anglos appulſi, ne vltimi Europæ populorum

tus litteráque, ſitus, & diſtantias habet multò quàm hîc ſpecialiores, lib. 1. c. 13. Sicut & Antonius de Errera in deſcriptione Indiarum Occidentalium.

Vide nauigationes Thomæ Candiſch, & Galteri Ralegh;

pulorum videantur renuiſſe, quod nunc occupant. In eo tractu, Rupes Noua, " Omnium Sanctorum, & Sardinienſis portus: Ora Triſtis, ideò quòd deſerta, promontorium, *La Guia*, hoc eſt, iter oſtendens: oppidum Ignium, Terra Piſcatorum, amnes Ignium & Montium, promontorium Humile, oppidum S. Annæ, Extrema Rupis Nouæ, vicus S. Matthæi, Lacuna apoſtolorum, Ora cum promontorio Calinarum, Terra *Preta*, promontorium Profundum, Ancon Grande, Terra Ignium, Extrema Deceptionis, ſiue Fraudis. Cui proxima eſt California, nomen Prouinciæ; quæ in mare præceps prorumpens, extremis laciniis Cancri Tropicum ſub ſe habet. Huius littus inter Occidentem & Meridiem pelago vexatur, quod *de sud*, & *Zud* hodie nautæ vocant. Ad Æquatorem nauigantibus primùm occurrit Terra Fraudulenta: oppida Formoſum, & D. Laurentij. Amnis Piſcatorum ſubſequitur, promontoriúmque Inſularum Cedrinarum, ſic dictum, quòd vicinas Inſulas habeat abundantes cedro; aliáſque 111. Adamantas appellatas. Hinc gemini portus, abſconditus ſcilicet & Iudæorum: totidémque promontoria, Balenarum, & Californiæ, vnde Regioni nomen. Subit indè longo ſinu pelagus terras, " Rubrum ab vndarum colore appellatum, vbi *Totonteac* Regnum inter duos fluuios, Axam, & Caramaram. In iſtius ripis ad dictum Sinum Regio Noua Granada, vnà fronte in æquor conuerſa, vbi progreditur in altum poſt Garamanæ oſtium, exiguo Sinu lætatur, quem ob florum è terrâ pullulantium copiâ " Multorum florum brachium appellat. Ibi ſeſe exonerat " Aguadæ, hoc eſt, aquationis, ſiue multæ aquæ fluuius, ſupra Arenarum promontorium, portúſque Bonæ Spei, S. Mariæ, & S. Claræ. Succedunt Ancones, Quinquama ciuitas, & " penè in ipſa arenâ ſepultum promontorium, Caſtrum oppidum, Poſitionis, S. Iacobi, & S. Petri portus, vrbs Perlatana, lacus Inſularum, amnes, " Noſtræ Dominæ, & Papagæ. A noſtræ Dominæ oſtio ad exonerationem fluminis Paſcuæ protenditur Inſula *Guiajaual*. Ab extremo Maris Rubri ſinu incipit Hiſpania Noua, Americæ Septentrionalis terra vltima, exiguo Iſthmo Meridionale mare, ſiue *de Sud*, ne Septentrionali miſceatur, cohibens. Ferdinandus " Cortezius ann. MDXIIX. id ſoli primus attigit. Quo latere Meridionali pelago adiacet, in ipſis Rubri maris anguſtiis, vbi Galicia Noua Pacificum mare reſpiciens, à Tropico Cancri in Auſtrum porrecta, oppida oſtendit S. Sebaſtiani cum fluuio, in Prouinciâ Chiametlâ: S. Michaëlis, in Culiacanâ Prouinciâ, quam Nuuno Guſmanus colonis Hiſpanis tradidit, ann. 1531. Infra à littore ſemotior Purificatio, non longè à portu Nauigationis eodem anno ab eodem Guſmano condita, ſicut & Compoſtela mari Auſtrali imminens, quà maximum Sinum efficit, ad Chapalam la-

A regione Tecoantepec nominata, promontorium Fraudis, totum id littus habet Mill. 3620. A promontorio Fraudis ad promontorium Ninguidum, poſt quod, cetera ad Septentrionem incognita ſunt, Milliaria putantur 1300. Ora iſta vltima per Duces Antonij Mendoza detecta eſt, ann. 1542. Authore Acoſta in hiſtor. Indica.

cum

cum exerentem cornua duo. In iuga tum exurgit promontorium S. Mariæ, ſupra portum S. Iacobi, [18] Villam Altam, Naniaſim, Bonum Viſum, Cacalaum, Cigatancium, Paſacum, & Guatulcum vrbes. Quas aliæ ſubſequuntur, Nicaragua, Carairbera, Caxulca, iuxta [19] ſinum Pſittacorum, ripáſque fluminis Lempæ; [20] Velotum portum, promontorium Album, ſupráque Poſitionis riuum, Segouiam, Chiram, Granatam, à Franciſco Ferdinando conditam, Farillonis extrema, portum Lazari, Beticam promontorium, Nicoyam, [21] Ximquim, Parim, Sebacónque oppida. Tegitur promontorio S. Mariæ vrbs *Natan*, opus Franciſci Compagnonij, hinc [22] portus Guerræ, tum & Nicaraguæ Prouinciæ armentis fœcundæ, finis, in extremo Meridionalis pelagi receſſu poſita, ſitáque in Iſthmo Panama, opus Pedrariæ ab Auilâ, anno 1509. oppoſita ciuitati, cuius appellatio, [23] Nomen Dei, quæ incumbentem Oceanum Septentrionalem paruo tractu terrarum ſuſtinet, vetátque miſceri Meridionali. Primum conditorem habuit Diogenem à Nicuesâ, poſt Diegonem ab Albitez, nunc colonis vidua eſt, iis ad Portumbelum tranſlatis, tutius refugium claſſibus & hominibus, profundo & tuto portu, ſalubri aëre, & S. Philippi arce, nauigiis & ciuibus defenſis. Iſthmi Spacium XIIX. leucæ, ſi miſcueris maria, facilis & breuiſſima nauigatio, iúſque commercij per vtramque Indiam; ſed opinio ſuperundationis, ſi Iſthmum ſcindas, beneficium abſtulit hominibus, breue iter ad diuitias, per pelagi Regna, quærentibus. Panicum & inanem terrorem puto, metuentium iras & tumultus intromiſſi maris, quod tantum, támque immenſum, & ſemper furens, adeo exiguo obice refunditur exæſtuans. Præterea cur factâ viâ imminenti, naufragium terrarum metuas, cum liberum & totum terris parcat, quas pulſat. Humilioſa aliis æquora fingere ſtultum eſt, ſi quidquid videmus in globum coëat, quis dicere poſſit, vel audeat, Oceanum alio Oceano impoſitum, vel ſuperiorem. In vnum orbem aquæ miſcentur, vnde veniant, vnde recedant non reperies, tot ſapientibus olim & nunc dubitantibus, an à Mæotide palude Euxinum, Mediterraneúmque maria veniant, an ab Oceano, per Herculeum fretum exundante. Hæc Philoſophorum quæſtio eſt, inquirentium in Naturæ ſecreta. Sequamur propoſitum: Ab eo Iſthmo versùs Septentrionale pelagus, poſt vrbem Nominis Dei, Hiſpania Noua verſus Tropicum Cancri iterum conſurgit, ipſa bimaris, tres magnos Sinus efficiens, totidémque frontibus in altum ſeſe euehens, relicto, veluti poſt tergum, Iſthmo, exit in latitudinem. In eo latere alia poſt Nomen Dei, Hiſpanorum colonia Niqueſa, ad Chagrem fluuium, initium Veraguæ Regionis. Inde vrbes Cerebarum, *Cariai*, & *Nicojas*; quam medio in lacu ſequitur [24] Legio, Franciſci Ferdinandi opus. Oſtium lacus in

mare fluentis *Aguadero* Hiſpani dixerunt, quod ibi appulſi aquationis ſtudio, omnia quæ in naui erant dolia aquâ dulci repleuerint. Haud procul vrbes *Quicurì, Carthago, Trugillúmque*, ſiue *Truxillum*, ſub [25] promontorio nomen ſeruante ab eo, quòd Hiſpani longâ nauigatione defeſſi, tactâ ibi tellure, gratias Deo Opt. Max. reddiderint, voti rei: cui oppoſitum eſt aliud Cameronis, aquas maris læto ſinu ſuſcipiens, cuius littori impoſitæ vrbes ſunt, S. Petrus, Maniagua, Chetemal, Caſia, Merida, & Seuilla. Succedit promontorium *Cotache*, mediáſque ſecans Ataliam & Xaqueſam flumen [26] Lacertarum, vel Lacertæ. Hinc velut vlnis ſuſtentat intromiſſum pelagus * Mexicanus ſinus, in orâ, oppida, *Campeche, Marangua, Champaton, Pontonchan, Guaiacalco, Tabaſco*, ſiue Victoria ad Xicalangum lacum poſita, *Toclepec*, & S. Ioannes à Lisâ. Inter quas exiguus Sinus in Mexicano ſinu, Triſtis nomine. Ab vrbe *Quicuri* ad Caſiam, Prouincia eſt Fonduræ: à Caſià ad Xicalancam vrbem, ſinúmque Triſtem, Prouincia altera Iucatana, in qua præter dictam *Campechem, Valladolid*, & *Salamanca* à Franciſco Montejo conditæ. Ante, *Cozumel* Inſula, templo Idoli famoſiſſimi celebris. Hinc Hiſpaniæ Nouæ latus, quod præter oppida iam memorata, iſta ad Mexicanum ſinum habet. Veram Crucem, Hiſpalim, Zempoallam, Villam Riccam, Aluaredum, Almeriam, & poſt Palmarum flumen, S. Ioannem ab Vlua, ſiue Vlloâ, cum vrbe, è cuius portu in Europam importantur, cochenilla, aromata, balſama, & argenti laminæ. Nomen à Ioanne à Grijalua cepit, cùm in eum primus intraret, ann. 1518. Iuxta, ad ripas Almeriæo, ppidum Metelin, conditum ann. 1552. ab Andreâ Tapiâ. Vltra ſunt oſtia fluuiorum, Abſconditi, Piſcatorum, Gigantum & Auriferi: ab iſto, Coſſa Regio, incipit penè recto limite in pelagus extenta: huius promontoria duo, Deſertum, & S. Crucis. Fluuij, [27] Furioſus, S. Spiritus, [28] Cannarum, Flotum, [29] Iuuentutis. In eo tractu vrbs *Panuco*, ſiue S. Stephani à portu, per Gonſaluum Sandoualium fundata ann. 1520. ad oſtium Panuci fluminis. Supra quod oppidum eſt S. Ludouici à Tampico. Tum portus Profundus & Natiuitatis S. Ioannis. Vnus Sinus, nempe Ioannis Poncij. Vrbes, *Oſtias*, & Domina Saluatoris. Amnis porrò Angelorum Coſſam à Floridâ diſterminat. Iſta ann. MDLXI. ſub Carolo IX. Rege Galliæ Gallos colonos habuit, ductore Ioanne Ribaldo. Regio appellationem ſumpſit ab eo, quòd die Dominicâ morientis Quadrageſimæ, Floridum Paſcha vocatur, primum à noſtris viſa ſit. Iaquaſa incolis dicitur. Tribus promontoriis diſtinguitur, Crucis, S. Romani, & Arenarum. Hinc Ora Ignita. Amnes, Siccus, Solæ, Helenæ, Iordanis, & Ipedræ. Vrbes haud ita diſtantes à Portu Regali, S. Petrus, & S. Auguſtinus. Nomina fluuiorum per noſtras Gallias celebratorum,

** De Mexicano Sinu, & Mexicana vrbe, vnde Sinui nomen dixi ſupra. Sita eſt in lacu ſalſo, qui æſtuans, aquas ſuas in alium lacum effundit, qui dulcis eſt. Ambitus vtriuſque lacus L. leuca. Totidem oppida circa horum ripas iacent: inter quæ Teſcuro, & Angelorum ciuitas, quæ prius Vacilapam dicebatur, hoc eſt terra ſerpentum.*

Mexicanam nauigationem fecit edidítque Oliuerius à Nort.

Nauigationes noſtrorum in Floridam, ſcripſit Iacobus le Muine.

eò

cò tranſlata: ibi enim oſtia Ligeris, Garumnæ, Sequanæ, Araris, ſiue Saonæ, & Maij, in cuius oſtio arx Carolina, de Caroli IX. nomine, Delphinorum & S. Crucis: è cuius ripâ initium habet Virginia, variis Anglorum coloniis habitata, ducibus * Vvaltero *Ralegh*, Ricardo Grainuillæo, & Rodulpho Lanio. Virginia Regio illa dicta, quòd auſpiciis Eliſabethæ Anglorum Reginæ, quæ intemeratâ virginitate ad extremam ſenectutem peruenit, occupata ſit. Vrbes eius maritimæ, Paquipa, Secota, Cotana, Maratuca, Mecopena, Tandacus, Metocuuemum, Vvaratanum, Maſco, Paſquenoke, Ramushovvoge, Apaſus, Catotinge, Pyshoxonnocka, hoc eſt, fœminarum ciuitas, & Ooanoke, id eſt, Cęca. Inter promontoria vnum præter ceteros memoratur, Tremendum appellant. Virginiæ finem facit Cheſipooci ſinus, à quo initium Norumbegæ circuli imagine, vel potius creſcentis Lunæ à Coſmographis figuratur. In hoc hemicyclo repente fluuius Bonæ Matris, infráque, vrbes, S. Ioannis Baptiſtæ, & Orſinora, Inſularum promontorium, paruis, ſed copioſis Inſulis circumiacentibus. Deinde in ripis fluuij Grandis, Norumbega ciuitas, caput Regni. Trans amnem alij amnes, maioris æſtimationis, S. Petri, ſupra Britonum promontorium mari illapſus, à quo Noua Francia, ſiue Canada à noſtris poſſeſſa ab an. Sal. MDXXIV. Ioanne Verazzanno Florentino, in eam Franciſci I. Gallorum Regis iuſſu miſſo. Ibi, Terram Nouam ſub Amiralio Philippo Chabotio, colonis impleuit Iacobus Quartierus, ann. MDXXXIII. Cuius deſcriptio ſic habet Promontorium Boni Viſus, portus S. Catharinæ, Inſula Auium, ſinus Caſtellorum, Portus Carpuntius, promontorium Razeum, Portus Degradęus, Inſula S. Catharinæ, Portus Guttarum, Libræ, Albæ Arenæ, Breſta Inſula, Portus Sanctorum Antonij & Seruanij, flumen S. Iacobi, Portus Iacobi Quartieri, & S. Nicolai: Promontoria, Thiennotum, & Rabaſtum: Ora S. Laurentij: S. Guilielmi, S. Marthæ, S. Germani Inſulæ, aliæque de nomine Septem Inſularum: Chiſchedec, flumen hippopotamis abundans: Inſula Aſſumptionis, aliàs Anticoſti, Fretum ſancti Petri, Promontoria ſanctæ Mariæ, ſancti Pauli, Lotharingiæ, Raiæ, Duplex, Portus ſancti Spiritus, Montéſque Cabanarum. Proprior continenti Baccaleos Inſula, piſcatura eius nominis piſcium, quos *Moruës* Gallico idiomate dicimus, nobilis, in eâ Promontoria ſancti Laurentij, ſancti Petri, ſancti Ioannis, Delphini, Regale, ſinus ſancti Iuliani, Fretúmque *de Campſean* dictum, quod eam Inſulam à continenti diuidit. Circa, Inſulæ, Columbariæ, *des Margaux*, *de Brion*, *d'Alezay*. In continenti verò Promontoria, Aurelianum, noſtris *d'orleans*, Barbarorum, *des Sauuages*, Spei: flumen Barcarum, Incolis *Meſamichis*, ſinus Tregate, & Caloris, *Cap de Pré*, villa ſancti Martini, *Baie des Moruës*, Promontorium S. Ludouici, & aliud

* *Has nauigationes edidit Thomas Hariotus.*

Mominorancium appellatum, *Gachepé* villa, Inſula Bonaûenturæ. Tum Flumen Canada, quod nomen vaſtiſſimis regionibus fecit, ab Auſtro poſt Gachepem in ripis habet, Promontorium Epiſcopi, flumen *Mantanne*, in cuius oſtio Inſululæ S. Ioannis, flumen aliud * Iroquoiſiorum. Ab alterâ verò ripâ, Septentrionem verſùs, occurrunt: fluuius ſanctæ Margaritæ, portus Leſqueminus, Orcarum captura famoſus, Portus *Tadouſſac*, ad oſtium fluminis *de Saquenay*, centum leucis ſupra mare Canadæ ſe miſcens, ibi Leporum, Coriletorum & Bacchi Inſulæ: In continenti arx *Kebec*, à * Montio conſtructa, hodie Gallis colonis influentibus lætior, Portus ſanctæ Crucis, Batiſcanus fluuius, Hochelaga Barbarorum vrbs, Saltus Canadæ fluminis, cuius origo ignoratur, influens Oceano, 30. leucas in latitudine habet. In iiſdem Regionibus Cantabrorum noſtrorum, Normannorum, & Armoricorum Coloniæ ſunt *Roquelay, Hochelay, Engouleſme, Chambriant*. Vltra Gaſparis Cortercalis terra eſt, propè Septentrionem, qui anno 1507. ibi peruenit, ſub gradu *66*. Mox vltima cogniti ſoli, *Eſtotilant*, Icariáque Inſ. Longitudo Americæ Septentrionalis à Freto Anian ad Iſthmum, quo Meridionali annectitur, milliaria MD. æquâ latitudine.

* *Des Iroquois.*

* *De Mons.*

Nomina Latina facta natiuis appellationibus recenſentur.

[1] *Tierra de Laborador.* [2] *Meroſro.* [3] *Angra de Iuan Maio.* [4] *Lago de Conibas.* [5] *De corientes.* [6] *De los Eſtrechos.* [7] *Sierra Nouada.* [8] *Coſta de los Tuchajos.* [9] *Braua.* [10] *Alcoanes.* [11] *Porto de todos los Santos, Porto de Sardinia, Coſta Triſta, Burgo de Fuegos, Tierra de piſcadores. Rio de Fuegos, Rio de Montanas, Cabo Baxo, Burgo de S. Anna, Fin de Sierra Nouada, Burgo de S. Mattheo, Laguna de los Apoſtolos, Cabo de Calinas, Coſta de Calinas, Tierra Preta, Cabo Hondo, Ancon grande, Tierra de Fuegos, Cabo del Enganno.* [12] *Vermeio.* [13] *Braço de mucho flores.* [14] *Rio del Aguiada.* [15] *Cabo Baxo.* [16] *Rio de noſtra Seignora, & Rio de Papaga*, Forſan *Papagajos*, hoc eſt, Pſittacorum. [17] *Cortez.* [18] *Vilaltan, Naniaſi, de Bona Viſta, Cacalao, Cigatancio, Paſcao, Guatulco.* [19] *Golfo di Papagalli.* [20] *De Velas.* [21] *Ximqui, Pari, Sebacos.* [22] *Porto de guerra.* [23] *Nombre de Dios.* [24] *Leon.* [25] *Gratias à Dios.* [26] *De Lagarto.* [27] *Brauo.* [28] *Cannaueral.* [29] *Ninnez.* [30] *Cof faire.* [31] *De buena Madre.*

CAPVT

CAPVT TRIGESIMVMQVINTVM.

Inſularum quæ Americæ Septentrionali circumfuſæ ſunt, nomina, vrbeſque in iis & Coloniæ.

Ex iiſdem authoribus, tum e nauigatione Auſtrali Iacobi Mary, Ioan. Mauri, Ferdinandi Magellani, & Petri Creualli.

AD Arcton ſalubres Inſulas eſſe, ſed ſine nomine memorantur. Ab Arcto ad Æquinoctialem Circulum, quà Septentrionalis America Occidenti obtenditur, Inſulæ iſtæ ſunt: [1] PASSERVM [2] GERMANÆ duæ, ſuper quas Tropicus Cancri currit, ſicut & ſuper BOLCANAS, hoc eſt, Giruoſas, ſiue Sinuoſas. Medium inter Cancri Tropicum & Æquinoctialem Circulum tenent, FARFANA, TRES MARIÆ, S. THOMAS, [3] REFVGIVM LATRONVM, [4] NVBILOSA, [5] RVPES PARTITA, ZAMAL, [6] HORTORVM, [7] CORALII, [8] & REGVM. Sunt & aliæ circum circa diſpoſitæ, iunctæ, diſſitæ, æquales; inæquales, à multitudine, facientes mari nomen, Archipelagi S. Lazari. Quà verò reliqua Septentrionalis Americæ pars ad Orientem porrigitur, ad mare Septentrionale atque Atlanticum ab Æquinoctiali circulo ad Tropicum Cancri ſparſas per æquor Inſulas inuenies: S. PAVLVM, SOLIS, S. IACOBI, [9] IGNIS, MAII, [10] BONI VISVS, S. NICOLAI, S. LVCIÆ, S. ANTONII, SALVTIS, S. VINCENTIS, & GORGADAS IV. inhabitatas, quas qui cum Gorgonibus confundunt, falluntur, decepti vicinitate nominum. Iſtis in eodem mari Septentrionali oppoſitæ ſunt ANTILLÆ, ſiue CAMERCANÆ, harum prima occurrit CVBACVM, tum GRANADA, SANCTA LVCIA, MATININVM, DOMINICA, ANTIQVA, S. CRVX, CVBAGVA, & dicta à piſcatione margaritarum MARGARITA, in quâ vrbes Mantapar, & *Mackanau*, in hanc Chriſtophorus Colombus appulit ann. Sal. MCCCCXCVIII. Inter maiores Inſulas paululum diuulſas à continenti, HISPANIOLA ſaccaro & gingibere diues, præcipuum honorem obtinet, Incolis *Haiti*, & *Quiſqueia* nuncupata: habet in circuitu leucas CD. Dicitur & Inſula S. Dominici, à primâ in eâ vrbe, in quâ Audientia, ſiue Parlamentum, Archiepiſcopatus, & in oſtio Ozamæ fluuij plurimarum nauium capax portus. *Hanc Bartholomæus Colombus an. 1494. ædificauit, poſtea terræ motu concuſſam in alteram Ozamæ ripam tranſtulit Nicolaus ab Ouando, Inſulæ Præſes, ann. 1502. Reliquæ vrbes, nunc ſuſpenſis montibus, nunc receſſibus littorum impoſitæ: *Quiſes*, *Camana*, Amnana, [11] Portus Platæ, ſiue Argenti, Iſabella, de nomine Iſabellæ Ferdinandi Hiſpaniarum Regis vxoris, Portus Regalis, & Natiuitatis, omnes Ibericæ coloniæ, ductore Chriſto-

** Hieronymus Bezonus de nauigat. Colombi.*

phoro

phoro Colombo, qui eam intrauit ann. MCCCCXCII. vel Nicolao ab Ouando. Fluuiis irrigatur, Ozamâ, & Iuuâ. Promontoriis diſtenditur, S. Raphaëlis, Ciguei, Fallacis, Caprarum, Tuberum, Franci, & Luporum. Arcibus defenditur Spei, D. Catharinæ, D. Iacobi, Conceptionis, & Boni Anni. Ab eâ non ita recedit & alia Inſula S. IOANNIS, Inſulani *Borriquen* vocât, In quâ promontoria duo, Rutilum, & Zecheum. Ciuitas S. Ioannis Inſulæ appellationem recenter dedit. Vnus portus, quòd tutam ſtationem habeat, Bonus appellatus. Amnes duo, Dulcis, & Canareius. Longitudo Inſulæ XXX. leucæ: latitudo XX. IAMAICA, nunc S. Iacobi Inſula, deuictis incolis tributaria Hiſpanorum facta, à Didaco Colombo Chriſtophori filio, ann. MDIX. Tribus vrbibus celebratur, Oriſtanâ, Melilla & Seuilla, à Ioanne Eſquiuello fundata: duæ reliquæ à Franciſco Garayo. In Mexicano ſinu CVBA eſt,
Ann. 1509.
Hiſpanis Ferdinanda, & Ioanna. Hæc in promontoria exurgit S. Crucis, & *Meicy*. Oppidis ferax eſt: Torquino, Motâ, Mantacâ, Camareâ, & Trinitatis, Hiſpanorum opus. Vrbs prima Sancti Iacobi à Iacobo Velaſco condita, cum ſtatione nauali commodiſſimâ. Ibi triremes ad tutelam proximiorum littorum excubant ibi armamentarium nauticum. Faciles adiri portus, Abſconditus, Gallinarum, S. Andreæ, Sancti Iacobi, Manatis, Principis, Sancti Antonij, Sancti Iuliani, Saluatoris, & Regius. Magnis ſpatiis laxantur in pelagus promontoria, Sancti Antonij, Vadoſum, & Lagroſum. Ibidem & Hauana vrbs cum portu totius Occidentis celeberrimo, non longè à Sinu Sancti Blaſij. Longitudo Inſulæ CCXXX. leucæ: latitudo XL. vbi anguſtior. Reſtat, ignobilioribus omiſſis, in eodem mari IVCATANA, quam primus addiit Franciſcus Ferdinandus Cordubenſis, ann. MDXVII. Qui bullas Oceani Inſulas dixerit, non ineptè loquutus mihi videbitur, ſicut enim in placido ſtagno pluuiæ caſus bullas excitat, ſic & in magno æquore terra ſupereminens Inſulas facit, quaſi bullas, magni elementi. Multæ per Septentrionale pelagu exuberant, plures per Atlanticum: inter has, LIMANANA, ARVCIVM, quæ & CVRATEVM, GVANAHANI, quam omnium primam Chriſtophorus Colombus detexit, eámque ob id vocauit, ſancti Saluatoris. YVMA, quam idem Iſabellam dixit: SAMANA, ABACOA, LVCAIORVM, IMPERATRIX, RVBRA, S. ANNA, & GARCA: cui proximæ ſunt ASORES, de quibus ſupra. Altius VIRIDIS Inſula, SANCTI IOANNIS, quæ & *Eſteuenx*, SANCTI BRANDAINI, DE AREA, AVIVM, SANCTI IVLIANI, DVORVM DÆMONIORVM. In ſinu Pariano Inſula eſt TRINITATIS, in quam dictus Colombus penetrauit, ann. Sal. 1498. ſicut in MARGARITAM, quæ medium ſinus Cariaci occupat, adeò ſicco ſolo, vt à Cumanâ, quæ ab eâ ſeptem leucis diſtat aqua petatur. Ab iis ſemotior Inſula eſt, FORTVNÆ,

ante

ante ſinum Meroſroum, Bonæ ventæ, id eſt, Cauponæ, & Drogeo. Sub Arcto multæ Inſulæ ſine nomine; excepta vna; quæ Icaria dicitur.

Nomina propria quæ minus explicatè Latina facta ſunt, natiuis vocabulis redduntur.

[1] *De Paxaros.* [2] *Las dos Hermanas.* [3] *Reſtinga de Ladrones.* [4] *Anublada.* [5] *Rocca partida.* [6] *Los Iardines.* [7] *De los Corales.* [8] *De los Reyes.* [9] *Del Fuego.* [10] *Bona Viſta.* [11] *De Plata.* [12] *De Lobos.* [13] *Cabo Roxo* & *Zecheo.* [14] *De los Corientes*, & *Lagroſo.* [15] *Arucio*, vel, *Curateo*, *De Lucajos*, *La Imperadada*, *La Bermuda*, *Santana*, & *de Garça*, noſtris, auis aquaticæ genus, *Le Heron.*

CAPVT TRIGESIMVMSEXTVM.

Meridionalis Americæ vrbes & Coloniæ littorales, cum fluuiis, portubus, & promontoriis.



America Meridionalis, quæ & Peruana, à nobiliſſimâ & ditiſſimâ eius regione appellata, in trianguli formam figuratur

Ex ſupra citatis authoribus: quibus addendus, Boterus.

Marinæus, Nonius, Clenerius, Nicolaus de Oliuera, Leuinus Apollonius, de Peruuia, & Linſcotus. Vide Cap. 20 iſtius Libri.

guratur: cuius baſis à freto Magellanico ad extremum Braſiliæ promontorium continuata protenditur, vnde ſtrictior, & caſtigatior pergens ad Septentrionem, faſtigiat ſe molliter, vltráque Æquatorem caput condit, exiguo Iſthmo à gemino mari compreſſum, coactúmque ire in acumen. Tum latiore fundamento ſuſtentata terra, obuerſa Pacifico pelago, in conum & ipſa finit, ad freta Magellanicum, & Marij. Ab Iſthmo ad ea freta, poſt Panamam vrbem, Aurea, ſiue Aurifera Caſtilia exordium ſumit, multis fluminibus irrigua, quæ ſequenti ordine in pelagus properant, paucas vrbes, multa oppida terentia. Infra Panamam, vrbs S. Michaëlis cum portu, *Carachine* promontorium, fluuius Palmarum, Bonauentura oppidum portuoſum, 'Vſtum promontorium, ſupra oſtia fluuij S. Ioannis. Hæc Regio ab aurifodinis denominationem accepit, à Valdoâ quodam Luſitano, qui prior de ſummitate montis Æſquaragæ mare Meridionale detexit, anno MDXIII. Terminatur portu & flumine Peruâ. Hinc incurua pergit ad Æquatorem Popalana, à Popâ vrbe dicta, aliis Popaiana, vaſta magis tellus, quàm frequens, montibúſque obducta. In eius orâ, amnes, S. Ioannis, Piſardi, & Cedrorum, portus, Bonauentura: Inter promontoria S. Franciſci, & *de Paſſao*, vel potius *Paſſeo*, à commodis ambulationibus, ſic ab Iberis nominato, S. Matthæi oppidum, ſupra vrbes Caxumen, & Magdalini, ſiue Magdalenam, ab Hiſpanis cõſtructam, paulò infra oſtium amnis D. Franciſci. Haud mora Paſum promontoriũ apparet, Regionis Guancæ Bambæ, Peruæ adiacenti; in eius littore poſt Paſum, * Portus Vicius, * *Lima*, quæ & vrbs Regum, quod Epiphaniæ die condita ſit, ann. MDXXXIX. Subeſt huic portus *Calao*, vrbéſque ad promontorium S. Laurentij collocatæ, *Oden*, S. Iacobi, & *Tombes*: proptérque promontorium Album, S. Michaëlis, prima Hiſpanorum Colonia, in Peruana regione, quæ in longitudinem patet ab Auſtro ad Arcton, DC. leucis, in latitudinem, à mari ad iuga Andium, L. Vni Pro-Regi paret, ſub quo tres Præfecturæ, ſiue conuentus Iuridici, quas Audiencias vocant. Sequitur fabricis nauium commendata *Paita*, cùm portu, ſub v. grad. ab Æquatore versùs Auſtrum, à Franciſco Piſaro ann. 1531. fundata. Hinc Parian, ' *Cilba Patta*, Paſcha Maius, Malaobrigum, hoc eſt, malum hoſpitium, ſiue diuerſorium, & *Trugillo*, quo nomine Hiſpani genus frumenti ſignificant. Hæc oppida findit in partes duas promontorium 'Acus. Progredientes pars & ipſa Peruæ ſuſcipit, à Franciſco Piſaro detecta, ann. MDXXV. Flumen quod eam interſecat nomenclationem Peruæ indidit. Vrbes propiores mari, *Guanape*, *Chuſta*, *Malucha*, portus Arenarum, *Madabiri*, *Pachana*, vel, *Pacama*, *Coſma*, *Formeja*, id eſt, Formoſa, *Guaricum*, *Lima*, *Chilca*, *Chinca*, *Palma*, & *Naſca*, aliis *Lanaſca*, penè impoſita fluuio* Montium.

Acoſta lib. 5. Indica hiſtoria. Ora Peruana 1560. M. attribuit. A fluuio ſcilicet Perua ad promontorium Album.

* Limac *Incolis*.

tium. Succedit Peruæ,ſiue Peruanæ, Regio, à vehementiâ frigoris,incolentibus *Chile* nuncupata, vrbis quoque metropoleos nomen. Didacus Almagrus in eam Europæorum primus deſcēdit: poſt hunc Petrus Baldiuia, aliis Valdiuia, Baldiuiam coloniam ibi firmauit. Quâ littus ad Patagonas deflectitur,ſalutantur ab alto, in orâ Quinatræ,ſiue Charcarum;ſuſpenſâ oppida, *Ancona, Mochata, Arequipa, Cumana,* aliàs *Camana, Vlli,* ſiue *Vlo* ripis impoſita; *Axapas, Tambopalla* nomen fluuij, Hiſpanis *Nombre de Dios*, vt Erreræ placet, aliis oppidum, non longè à Rupe Dæmonum, Caſtellanis, *el Morro de los Diablos*,conſtitutum: inde Arica & Tacama portus, promontorium Taracapa,ſupra fluuium Picam, portúmque Mexillonum,& alium *Morro Moreno* appellatum, propè oppidum S.Helenæ,ſub Tropico Capricorni poſitum, promontoriis geminis, ceu forcipe incluſum, *Talbado*, & Bonæ Fortunæ. Tum oppida ſequentia, *Bona Viſta, Conamuco,* & *Mipirao*. Hîc rectis marginibus incluſi amnes, S.Claræ, & Chitiguanæ. Exteriori iſtius ripæ incumbit vrbs [7] Copaiapum, cui penè conglutinata eſt [8] Elhtorola, Guaſco irrigata, qui in oſtio habet, *Araiam*, Vomerem Latini dicerent, [9] Heradutam inde, Coquimbum, Saligona, Genabaris portum, [10] Quinterum, Chilim, Cordoniam, Andulecam, Canetem, Bonifacium, Baldiuiam, Vincentem, Cōceptionem, Craduram portum, Araucum, Gapim, Acoleiacam: infráq; exonerationem Sancti, [11] Imperatricem, ſic dictam, quòd in eam vrbem intrantibus Hiſpanis repertæ ſint ligneæ Aquilæ, duplici capite, Romani Imperij antiqua ſtemmata. Ceteris iſtius tractus vrbibus præſtat Ciuitas S.Iacobi, olim Parlamenti ſedes, nunc caput Chilenſis Prouinciæ, vetuſtior Hiſpanorum in hac regione Colonia, Petro Valdiuia ductore, ad oſtium Topocalmæ fluuij, ſupra portum Vallis Paradiſi conſtituta, infra Serenam vrbem, eiuſdem Valdiuij Coloniam, ann. 1544. fundatam, poſt tres annos à deductione antiquioris illius Coloniæ S.Iacobi, ad vallem & portum Coquimbum. Recentiores Coloniæ ab eodem collocatæ creduntur, Imperialis, Conceptio, Villarica, ſicut Garciæ à Mendoſa, *Oſorno*, & Canete, quam Villegranus Tucapellam poſtea vocauit. Vltima demum in Chilenſi Prouinciâ, ad littus, Colonia dicitur Caſtrum, de nomine Garciæ à Caſtro, tum Peruuiæ Pro-regis, cùm antea incolis Chiluæ vocaretur, appellatio vetus: ſita eſt, ad lacum *Ancud*. Hîc etiam eſt *Anilendos* amnis, & vrbs *Chilire*, inſtaurata ab Hiſpanis, ann. MDLXXXI. paululum ſupra oppidum [12] Coronatorum. Hîc quoque Itatæ, Bombij, Salinarum, & Palamini oſtia: vnde incipiunt Patagones, homines prorſus inhumani, giganteà proceritate. Ibi ora Noſtræ Dominæ à Boalla iuxta ſinum Alcarchofadam, vbi Sanctæ Catharinæ & ſanctæ Barbaræ Inſulæ, Hernangallegi ora, ſinus Regum

Nauigationem in Moluca per fretum Magellanicum ſcripſit Bernardus Ianſz. *Eam maximè quam fecit* Sebalt de Vveert.

& ſancti Ioannis, poſitáque iuxta S. Franciſci promontorium vrbs, Campana. Tum Gigantum Montes, Promontorium Primum, S. Andreæ, S. Romani. Montes Coronatorum, Promontorium Trium Montium, atque vtique, vbi in finem ſuum continens peruenit, Magellanici freti fluctibus extremis vexata promontoria, S. Iacobi, & Victoriæ: poſtremo nomen fecit Freto ſuo explicitus, per violentos vndarum errores, rupes vtrinque, velut in naui cadentes, hyemémque pertinacem, Magellanus, victor ſui, & pelagi. Vnde etiam Freti iſtius appellatio eſt, Victoria, ab habitatoribus Fretum, Patagonicum vocatur. In hunc cadunt amnes, Profundus, & D. Hieronymi. Naues primùm ſenſit, anno MDXX. His faucibus Atlanticum pelagus in Pacificum mare turbulentum penetrans, arcem Philippopolim, ann. MDLXXXII. ab Hiſpanis conſtitutàm, allnit, promontoriúmque " Forvvardum, & portum " Faminum. Hinc Primæ & Secundæ fauces, incumbénſque pelago promontorium XI. M. Virginum, vnde deuolutus " Callaicorum torrens, ſaxa cum vndis rotat, nomen à Galiciæ Hiſpanicæ populis, qui olim Callaici, hîc tempeſtate, vel ex propoſito appulſis. Finit fretum Magellanicum verſus Orientem & Atlanticum mare promontorium Virginis Mariæ. Sinus, quà ſtrictior eſt, in latitudine ſtrictiori, milliaria III. habet: quâ latior, XV. longitudo eius milliaria CCCXV. Sic itaque promontorium Virginis Mariæ finis eſt freti Magellanici, caput, atque exordium Meridionalis Americæ, quæ, quâ parte, in Atlánticum Æthiopicúmque mare porrecta eſt ab Auſtro ad Tropicum Capricorni tendit, vexatúmque terris paulatim pelagus obruit, quocunque progreditur latior, donec ad Æquinoctialem Circulum perueniat. Propius Auſtralem terram promontorium Terræ, quod cauo littore naues in portu & amne modico recipit, idem vtriſque nomen, ſanctæ Crucis. Ab eo amne ora Inſularum, & ſtatio Exoptata, ſupra, Chicæ Extrema, & Cameronis fluenta. Iis contigua ſunt, Albus Mons, interiectus Arenarum oræ, Ancones variis acuminibus lancinentes fluctus, vicus S. Mariæ, " Syrtium promontorium, Farillones, Aneglæ Anegadæ, Promontoria, Arenoſum, & Candidum, S. Apolloniæ, aliàs S. Apollinaris rinus, vrbem eiuſdem appellationis interſecans, celebrémque S. Antonij portum, promontoriúmque S. Andreæ relinquens, vnde latè funditur Platæ flumen, Latinis Argenteus, ab argenti granis, quæ in eo inueniuntur, vel à colore albo. Hic multis amnibus adauctus, & ſpeciem maritimi præbens Freti, ab Hypanæ lacu fluit, nobili & imméſo curſu inuolutus Oceano. Hunc intrauit primus Americus Veſpucius ann. MDI. Inuenítque in eo Inſulas gemmiferas, & innumerabiles argenti fodinas. In aduerſâ eius ripâ promontorium S. Mariæ, & in " Orâ Vndoſâ, immiſſum curuaturis mon-

tium

tium oppidum S.Petri, & poſt Tibiquiri oſtia, promontorium Arcæ. Piget memorare ignobiles fluuios, portúmque Roderici, oppida S.Annæ, S.Franciſci cum fluuio, S.Vincentis, Tupinambutiorúmque littora, anguſtis promontoriis, Dariæ, Regum, Frionis, & S.Thomæ, in vndas procurrentia. Nihil hîc memoriâ, vel famâ dignius, quàm quòd noſtro Imperio parent, quicunq; Reges & populi terras occupant, quæ inter Argentei oſtium & Braſiliam iacent.

Tupinambutiorum litteralia videbis in nauigationibus Ioan. Leriani Burgundi.

Ibi Noua Francia, & voluntario Regum noſtrorum iugo ſummiſſi Tupinambutij, per tot æquora à Galliæ Regibus auxilia aduerſus hoſtes implorantes, iurantéſque ſeruitium & fidem. Lenes ibi fluuij, tacito curſu in mare meant, Cuparis, [18] Iuniperi, & Magorum. Celebriores vrbes Paraiba, & Guarateate; vltra Circulum Capricorni poſitæ. Deinde Margajates habitant: in orâ, Riacoa vrbs, amnes, Dulcis, & Carambaba. Ad os Iuniperi, incolis Ganabara, vicus primo Gallis poſſeſſus, mox iſtis expulſis, Hiſpano incultus, Mano de Sâ ductore, totiúſq; huius tractus maritimi gubernatore, qui Coloniam recentem S.Sebaſtiani appellauit: diſtat ab oppido S.Spiritus leucis VI. in quod Colonia tranſmiſſa eſt per Fernandum [19] Curinhum. Separatur à Porto Securo LX. leucis, III. autem à Duabus Inſulis.

Popelinierus in Amiralio.

Hîc quoq; Luſitani habitant, ductâ Coloniâ per [20] Turinhum. Occupato oppido, S.Vincentis appellatione, Martinus Alphonſus à [21] Suſa ſuos milites in Colonias IV. diuiſit, duáſque continentis eſſe iuſſit, totidem per Inſulas vicinas diſtributis. Antiquior omnium Coloniarum in Americâ Tamaraca, de nomine Inſulæ vbi primum collocata fuit. Noſtri antea tenuerant, ſed Luſitanorum fraude exciſi, Colonia in continentis littus tranſportata eſt per [22] Iopeſum à Suſâ, commodiſſimis portubus duobus inſignitur. Ab Inſulâ Tamaracâ, vix V. leucis ſepoſita eſt, & ipſa in continenti Colonia Fernambucum, deduxit eam, victis, qui incolebant, Duartes Coelho. Oram Omnium Sanctorum ſaccaro diuitem, Luſitanis ſubditam, Franciſcus Pereira Cotinhus Colonis impleuit, Terrámque Regis appellauit.

Littoralia, inſuláſque Braſiliæ vicinas deſcripſit Ioannes Stadius.

Ibi Epiſcopi, Gubernatores, & Præfecti huius tractus maritimi ſedem habent. Barbari fugato Cotinho recuperauerant, ſed eos ad internecionem occidit, vindex victorum Thomas à Suſâ, qui Coloniam antiquam Veterem Vrbem appellauit, nouámq; per ſe conſtitutam, S.Saluatorem. Miſſa & alia per Georgium Tigueiram à Correâ, in locum, cui nomen, Duæ Inſulæ. Huic tractum findunt amnes [23] Praiæ, [24] Cantarum, Camamum, & Braſilij, vnde Regioni vicinæ nomen à multitudine arborum, tincturis rubricatis aptarum, denominatam aliqui volunt. S.Crucis Terram, Capralus inuentor antea nominauerat. Hîc præter dictas Colonias, Taparica, ſiue Agaripe, cum portu, Tinhare, Tatuapara, ripis Regij

Gggg 3 fluminis

ſluminis incumbens, Bazahari, Origripe, amni S. Franciſci vicina, S. Michaël, S. Maria, Titiamnis, S. Alexius dorſo promontorij ſancti Auguſtini vrbs erecta, Olinda, Marinum, Garaſua, Garaiba, S. Dominici fluuio irrigata, Traleana, Pracalada, impoſita promontorio Rupis, póſtque plures lateris huiuſce curuaturas, accepto amne S. Crucis, excitatum ſupra fluctus promontorium Candidum. Cui iuncta eſt Terra S. Eutropij, riuóque dulce mananti relicto, vrbes Corroa, Pinare, Marhana, Nazare, cum arce & fluuio Ioannis Vlyſſiponenſis. Exinde vſque ad fluuium Maragnonem alias inuenies, Aceneam, S. Barbaram, Omiranham, & Nazam. Ferúntque ad mare, quà Regio Terræ Fumoſæ incuruatur, Procelloſum, Omnium Sanctorum, & Album, promontoria: amnes, Senoſum, & S. Pauli. Ceterum iis maior ſub Æquatore tranſit, Maragnon, ſiue Oregliana, terminus Braſiliæ, & Canibalorum, qui & Anthropophagi. Ann. MDI. primùm noſtris hominibus Braſilia cognita, nauarchâ Petro Aluareſio Cabralo. Supra Anthropophagos & Æquatoris Circulum, vaſta Regio Caribana, cuius eſt promontorium [25] Septentrionale dictum, Vrbes, Atalaia, *Arionary, Aunaribago, Comauuiny, Caypararoune*, intráq; [26] promontorium Comitiſſæ & [27] Vvaiabegum amnem, incluſum oppidum [28] Canoarum, à nauigiis, quæ *Canoas Indi* vocant, nuncupatum. Flumina, alueis relictis inſeruntur amaris fluctibus, Mariſcotus, Macoreus, *Manageen*, Vnicus, *Amanoi, Cimaraunin, Vveoana, Compioyni, Soramo,* [29] *Vviecberius, Conetenyus, Bobarius, Canabetus, Demoraryus, Ouarum, Cobius, Vvicienyus, Cabos, Pamanum, Paramum, Coyanyum,* &, *Marijoa*. Inter hos flexus capita extollunt promontoria, *Canymana*, [30] Præcipuum, & [31] Skuueum. Vrbes *Carauuater, Maconony, Rucabouuini,* &, *Macouuiny*. Pariani vltra ſedent, adoptante eos in nomen ſuum Pariâ amne. Regio tribus Sinubus totidémque promontoriis, aut fugit mare, aut tenet, Promontorium maximum, Trium Acuminum, reliqua, Acripanæ & Salinarum, quibus innixæ vrbes Aldea, & Camari. Quod ſequitur littoris, oppida ſuſcipit, Cariacum, Cumanam, S. Fidem, Cordubam Nouam, Gonſaluo ab Ocampo fundatore, Chcherebicem, Maracapanam, Taſten, Curianam, Higuerotum, Barbaruatámq; ſupra promontorium Collare; & ſinum Cariacum. Cetera ad Iſthmum Caſtiliæ Aureæ in Regione Veneſuelâ obtinent maritimæ vrbes, iuxta deſcriptionem hanc: Tarare, Core, erecta in ripis Maracaibi lacus, qui ab Hiſpanis, Noſtræ Dominæ nuncupatur: Sepoſita eſt à littore Venecuela, ſiue Veneſuela, de quâ nomen Regioni, in quam primus appulit Vallejus, ann. 1549. In extremo Maraibi, ſiue Maracaiui lacus, quà terras interior ſubit, Truxillum eſt, opus Garciæ à Paredes. Oras iſtas ante Hiſpanos Germani intrauerant, incoláſque inde abduxerant,

antiquis ædificiis concrematis. Hinc Merida in extremitate Sinus, inter æſtuaria ſepulta, Portete, vel Prorete, in decliui, "promontorij Velorum ſita, infeſta nauigantibus ſimul & incolis, ob breuia, & ſyrtes, quibus vndique obſidetur. Super hanc ſpacioſa palus, maris ſeneſcentis limoſo excremento graue olens, duobus aucta fluminibus, " Saxorum & " Securis. Paludem hanc Hiſpani Lacunam S. Ioannis appellant. Iuxta, ad promontorium "Arenarum, *Conchas* oppidum, cum S. Martha, in quam colonos deduxit primus omnium Baſtidas, ann. 1525. Epiſcopi ſedes, inter flumen grande, ſiue Magdalenæ & amnem Acham: hîc multi fluuij voluuntur in Septentrionale pelagus, Buiæ, Piræ, Palaminorum, Guiæ, Gayræ, pérq; vicinos agros ingenti volumine & ſtrepitu decurrens dictum flumē Grande, à cuius oſtio ad caput amnis, profunditas maximis nauibus ſuſtinendis, nauigantibus ſufficit, nomen huic Magdalenæ fecit Garcias à Lerma, quòd in eum penetrauerit die S. Magdalenæ, ann. 1531. Inde Cartagena per triginta annos ab Hiſpanis variis obſidionibus tentata, tandem ann. 1532. à Petro ab Heredia capta, & præſidio munita: ante vrbem, Carex Inſula, iuxta, lacus Canapote. Remotior à littore oppidum S. Iacobi Tolutenſis, paſcuis diues ab eodem Herediâ incultum, ſicut & oppidum Mariæ, ann. 1534. Sequitur S. Crux à Mopox, & Sanctæ Mariæ Darienæ Veteris, ab Enciſo habitatum ann. 1509. in ſinu Vrabæ. Ibi Inſulæ *Baru*, Sancti Bernardi, Fortis & Tortuoſa, ante portum *Zenu*: poſt quem Tella, Miſas, & Catinum, penè vrbi Nominis Dei iunctum, ad ſinum S. Blaſij. Scio ab omnibus, qui terras cœlo dimetiuntur, Nomen Dei, Panamámq; vrbes, in Septentrionali Americâ numerari: ſed ego malui exiguo Iſthmo diuiſas Americæ partes diſtinguere, vt Meridionalis Americæ initium ſit, inter Tropicum Cancri & Æquatorem, ab vrbe Nominis Dei in Septentrionali Oceano, & vrbe Panamâ, quæ ad Meridionalem Oceanum ſita eſt, in intimo receſſu ſinus Arenoſi. Hic naues è Peruuia applicant. Inde merces partim terreſtri itinere, partim cymbis per fluuium Chiarem ad portus nominis Dei & Veli, Hiſpanis *Portobelo*, deuehuntur. Spatium Iſthmi Mill. LX. Nobilior portus vltimus, in quo duæ arces, S. Philippi, & S. Iacobi. Ibi, ſub ſuo Præfecto, Cartagena Prouincia, auri argentíque fodinis, balſamo & liquoribus aromaticis diues. Circuitus vtriuſque Americæ ſic ſe habet. Quà Iſlandiam reſpicit vſque ad fl. Niuoſum 800. Mill. numerantur. Inde ad promontorium Baccaleos 2840. Mill. Ab eo ad Floridam 3440. Mil. A Floridâ ad Iucatanam 3600. A Iucatanâ ad vrbem Nominis Dei 1960. Hinc ad fl. Oreglianum, ſiue Amazonum 3200. Mill. Ab eo ad prom. S. Auguſtini 2100. Mill. Vnde ad fluuium Argenteum 2640. Mill. A quo ad fretum Magellanicum, 4800. Mil.

Cuius

Cuius longitudo à Venezuela ad prom. Deſideratum 280. Ibi mare Auſtrinum. Inter hoc Prom. & alterum S. Auguſtini, ſiue Quigemidis, quod ſub Æquatore eſt, 4000. mill. à Quigemide ad fl. Peruam 400. M. Inde ad vrbem Panamam 480. A Panamâ ad Tecoantepecum 2600. mill. Hinc ad prom. Ciametlan, per quod excurrit Tropicus Cancri, 1000. mox ab eo Prom. par interſtitiũ ad fl. Miraflorum. Inde ad Californiam 880. M. Poſtremò à Californiâ ad Ninguidum, ſiue Niuium montem, 2040. mill. Reliqua littoris nomen non habent, extenſio tamen eius à dicto monte putatur 2040. mill. Omnis circuitus Americæ cognitæ 37200. mill. Illud memorabile, Arctoum mare æſtum vbiq; non habere; contra, Auſtrinum pelagus, vbicunque incumbit, æſtuat. Cauſam peritiores viderint. Habet vniuerſa America ab ortu Solis mare Atlanticum, *Mar del Nort*, vulgò: à Meridie terram Auſtralem, ſeu Magellanicam: ab Occaſu mare Pacificum, *Mar del Zur*: à Septentrione terram incognitam. Circuitus eius putatur XXXII. millium milliarium.

Propria vocabula vſitatis, & natiuis vocabulis tranſcripta.

[1] *Quemado.* [2] *Porto Vicio.* [3] *La Cilha da patta.* [4] *Paſcamajo.* [5] *Del aguia.* [6] *De Montanas.* [7] *Copaiapo.* [8] *Eſtitorol.* [9] Gallicè, *La Seruure.* [10] *Quintero.* [11] *La Emperial.* [12] *De los coronados.* [13] *Forvvard.* [14] *Famin.* [15] *De Galegos.* [16] *Cabo de las Baixas, las Farillones, las Aneglas Anegadas.* [17] *Coſta Hondable.* [18] Nobis, *Geneure*; Hiſpanis, *Janeiro.* [19] *Courinho.* [20] *Pero de Campo Tourinho.* [21] *Souſa.* [22] *Iopez à Souſa.* [23] *Rio Grande de Praia.* [24] *Rio des Cantas.* [25] *Cabo de Nord.* [26] *Cabo de la Conde.* [27] *Rio Vvaiabego.* [28] *De Canoas.* [29] *Vvieckerij, De la Coneteny, Bobari, Canabet, Demorary, Ovvaro, Cobi, Cabos, Pamano, Paramo, Cayoni.* [30] *Primero.* [31] *De la Skovve.* [32] *De tres puntas.* [33] *Cabo de las Velas.* [34] *De piedras.* [35] *De la Hacha.* [36] *De la Guia.*

CAPVT

CAPVT TRIGESIMVMSEPTIMVM.

Inſulæ circa Americam Meridionalem, cum Guinea & Terra Auſtralis littorali deſcriptione.

INTER Æquatorem & Antarcticum Circulum Meridiano & Pacifico in mari, ad ſequentes Inſulas ægrè curioſa mortalitas noſtro ſæculo peruenit, quæ vix nauigiis tactæ, modicis vmbilicis de mari ſurgunt. Quales ſunt non longè ab Æquatore poſitæ TYBERONES, quas Infortunatas ob id dixit Magellanus, quòd ſteriles ſint. GRANDES, Dites auro à Peruuiano littore interiectum pelagus diuidit. Terris remotior eſt, & quaſi media inter Americam & Guineam Inſula S. PETRI. Infra, VISÆ A LONGE, FORMICARVM, SS. FELICIS, & NABORIS, & in ipſo Archipelago, ad fretum Magellanicum, CALIS. Inter Antarcticum & Æquatorem Orientem verſùs, in mari Æthiopico, & Atlantico, ſupra Argenteum fluuium, qui incolis Plata dicitur, VRNÆ, Hiſpanis orcæ, S. CATHARINA, SEX INSVLÆ, CANANEA, GVARIBA, S. IACOBI, & S. THOMÆ ſub Tropico Capricorni. Altius, Inſulæ ASCENSIONIS, S. TRINITATIS, S. MARIÆ, FERNANDI A LORONNO, TAMBALA, & PAYRA: quas duas vltimas primus occupauit Franciſcus Pinſonus, circa ann. MDVI. Sic igitur ſe habet America cum ſuis Inſulis, Mundus alter Aſiâ, Africâ, & Europâ ſimul iunctis vix minor. Sed & tertius Mundus, imò pars Orbis reliquis longè amplior, Auſtralis eſt Terra, quam vndique pelagus premit, & circunfluit, Inſula enim haud dubie, non ſecus atque Orbis noſter, & Nouus, qui America dicitur: quippe quòd neceſſe eſt tantum terrarum à tergo, hoc eſt, ab Antarctico ſuſtineri, fido elemento & ſociali, quod ne tellus labat, vndiq; coërcet. Præterea haud dubiè ſub frigido cœlo aquarum ingens copia, Sole nihil exhauriente è locis ſemotioribus. Per vaſtum ſpatium læto impetu vadit Oceanus, frangítque quidquid obſtat ne circumeat terras. Elementorum certa & ſtabilia auxilia ſunt, & Natura partes ſuas, velut in ponderibus conſtitutas, examinat, ne portionum æquitate turbatus Orbis pereat. Sunt enim alia elementa aliis ampliori donata imperio. Vbicunque magnum terrarum continentem videbis, maius eo putes pelagus, quo fulcitur. Sic Aër diffuſior Terrâ & Aquis, quas cingit. Sic Ignis Terrâ, Aquâ, & Aëre. Itaque, ante, poſt, hinc & inde immenſa pelagi laxitas circuit Auſtralem Terram, ita appellatam, quòd totum

Auſtrum occupet. Dicitur & Ignium Terra, quòd nauigantibus ab Europâ, vel Africâ, in Americam Meridionalem, circa fretum Magellanicum, in eo terrarum tractu, vel veri ignes, vel ſpecies ignium appareant. Incognitam eandem etiam aliqui nuncupāt, quòd in eam nondum penetratum ſit, tantúmque oræ decurſæ, & nunquam habitatæ: quamuis mirè fertilis, & animantium ſeruientium hominibus profœcunda generatrix exiſtimetur. Inde maximi amnes nauium patientes ſoluuntur in mare. Ibi altiſſimæ arbores, & prata luxuriantia. Ab Oriente ad Occidentem tertius is Mundus extenditur, párſq; eius Occidentalis ſub Æquatore poſita vbi Guinea eſt, paulatim ad Meridiem refugit, atque Antarcticum Circulum. Inde pluribus promontoriis in mare deſcendens, tandem ad Orientem recurrit, vltra Tropicum Capricorni, altéque vtramque Indiam, earúmque Inſulas prætergrediens, vnde inceperat, redit, longitudinē totius Orbis occupans. Incipere à Nouâ Guineâ aliqui putant: alij à Guineâ ſeparari freto. Deteget ſequens ætas, quod huc vſque oculis hominum ſurripuit prouidentia. Per Guineam repunt amnes S. Auguſtini, Giroſus, & S. Petri. In eâ portus Primus, promontoriúmq; Boni Deſiderij. Guinea ab Andrea Corſalo Florentino videtur dici, Piccinacolis Terra, Labadij Inſulam appellari à Ptolomæo nonnulli crediderunt. Occidenti pronior Regio Magellanica, vicina freto, quæ ſeſe ad Antarcticum euoluens, promontoriis defenditur, Magiſtro, Boni Ominis, Malè cognito, & *Deſcado*; vbi arctatus inter fauces Magellanici freti Neptunus, Pacificum mare Æthiopico miſcet. Sequitur, Grandis Portus, promontoriúmque Minimarum Inſularum. Iámque extra Fretum infida nautis ſtatio, Portus Malè Securus, Patagonum Regioni, quę in Americâ eſt, oppoſitus. Inde pulſata tellus Dulciſſimum fluuium in mare ſuâ ſponte iam properantē, præcipitat, ſinum efficiens D. Sebaſtiani. Cùm ſubinde in vndas redeunte longiſſimo flexu, è fluctu, veluti è machinâ, excuſſum tollit promontorium, Terræ Auſtralis appellatum. Ibi Fretum Marij, Guillelmo Scuteno primò nauigatum, ann. MDCXVI. A dextris intrantium, Terra Mauricij Naſſauij, à ſiniſtris verſùs Auſtrum, Fœderatarū Prouinciarum, Hollandis ſic eas nominari placuit, in memoriam patriæ, & Principis. Terrâ Fœderatarum Prouinciarum, quâ freto incumbit, x. leucarum latitudinem obtinet, incerta longitudine, nondum nauigatis littoribus: A dextris verò, infra terram Mauricij Naſſauij, Hornum promontorium, de nomine Hornæ vrbis, Scurani patriæ, vel de nomine nauis, duabus enim nauibus Marius Auſtralem nauigationem ſuſcepit, quarum appellatio Concordia & Horna. Ante promontorium, Inſulæ de nomine Ioan. Bernaueldi Hollandiæ aduocati dictæ, 57. gradu ad Auſtrum conſtitutæ.

Inter



Inter has & terram Fœderatarum nulla tellus, ſed vaſtiſſimum æquor, quod Marius cum ſociis ob id Nouum mare Auſtrale appellauit. Vnde veriſſimum probatur, quod hoc iſto Capite dixi, neceſſe eſſe maximis terris ſuſtinendis maximo mari, & quod ante Marium nemo nouerat, Auſtralem terram vnum continentem non eſſe, ſed terram vaſto pelago diuiſam & circumſeptam, quod poſtera ætas, ſi rigor Auſtralis Poli permiſerit, iudicabit. Succedit Pſittacorum Regio, huius generis auium turba, appellationis cauſa fuit. Longo deinde amfractu, dubiis portubus mare rodit, penetrátque littus, hinc ad [8] Lucachum, [9] Beachum, & *Maletur*, Regna ſub Capricorni circulo poſita, ditia auro atque aromatis curſus eſt. Qui habitant, incogniti. Rurſum [10] Sinus ingens, Inſulis occupatus, PATANA ſcilicet, & IAVA Minore. Hinc Auſtralis Terra ad Orientem in ſe recurrens, vnde inceperat tedit. A latere Occidentali Guineæ, in pelago Meridionali, penè ſub Æquatore, Inſulæ ſupereminent vndas, MARTYRVM, [11] MALÆ GENTIS, BARBYDA, MATER DEI, S.MARCVS, S.NICOLAVS, & BOLCANES. Vlterius, ISABELLA, & SALOMONIS, nomen inditum, quòd pares ibi diuitiæ eſſe credetentur, quæ in Ophir Inſulà, Salomonis tempore auri fodinis celebri. Dictæ & ab aliis Occidentis Inſulæ, quia àd Occidentem Peruuiæ poſitæ ſint, pri-

Hhhh 2 múmq;

múmque deteɛtæ ann. 1567. Garcia à Caſtro Hiſpano Peruuiam gubernante per Aluareſum Mendoſam Garciæ iuſſu. Extra fretum Magellanicum Auſtrali terræ proxima CRESSALINA. Sunt & aliæ hinc & inde per æquor ſparſæ. PROFVNDÆ, CANVM, MVSCARVM, AQVÆÆ, PRODITORVM, COCOS, BONÆ FIDEI, HORNENSIS, VIRIDIS, S. IOANNIS, & SCVTANA. Nomina ab Hollandis, Batauíſque prætemauigantibus impoſita. In eo latere Auſtralis terræ, promontoria ſunt, Ignis, Roldani, Septentrionis, & Inſularum. Portus, Miſericordiæ, & Malè Securus. Fluuij, Ignis, Grandis, & Piſcatorius. Inter quos oppidum, Gentis Grandæ.

Vera nomina vt hodie efferuntur.

[1] Viſtas de Lexo. [2] De Bolcades. [3] De Maeſtro. [4] Cabo di bon ſignale. [5] Male cognoſciuto. [6] Le Maire. [7] Scouten. [8] Lucach. [9] Beach. [10] Mare Lanchidol. [11] De mala gente.

CAPVT XXXVIII.

Nouæ vrbes & Coloniæ maritimæ poſt deceſſum Conſtantini Magni factæ, in iis Regionibus; quæ antiquioribus Coſmographis cognitæ fuerunt.

Ex iiſdem authoribus, è quibus & præcedentia Capita deſumpta ſunt, ſi addideris Ortelium in Theſauro Geographico.

IN fine ſuperioris Libri totius Orbis ab antiquis cogniti littoralem deſcriptionem egimus, Coloniáſq; & vrbes vetuſtiores recenſuimus: nunc ad alias ventum, quæ poſt Conſtantinum fundatæ, vel creduntur, vel fuerunt. Difficile quippe eſt, tot vrbibus, incertis, aut ignotis conditoribus conſtitutis, aut Coloniis tranſmiſſis, certa fundamentis, certa tranſmigrationibus tempota dare, quæ nemo authorum retulit. Nam quæ lectione comperiuntur, vt vt ſunt tradidi, ſub ſigillo authorum. Si quæ minus vera reperientur, vitium meum non erit, ſed infidelis narrationis, aut traditionis. Nec iam longo dîrectóque ordine vt ante littora ſequar, ſed ſubſultìm maria priſcis nauigata percurram: ita tamen vt terræ ſemper adremigem, ne ſi cuncta vno impetu tranſnare cogitarem, ipſis rerum fluctibus obruerer. Igitur amnibus promontoriíſque inſultantibus æquori, ſine mentione relictis, Colonias, vrbéſque ſolas memorabo, quas exiſtimaui, aut credidi, poſt Conſtantini tempora natas, vel firmatas. Exordium ſumam à SINV ARABICO, in cuius littote Colonias vrbéſque recentiores inuenio: Pozim, Zuem emporium, è ruinis antiqui Poſidij excitatum

excitatum, Faram, & Zidem; in incerto eſt Ocelis dirutæ reparatio, ſicut & Arabiæ vetuſſimi oppidi Aden. In Inſula eſt Curia Muria, ſicut & in Sarapidibus Materqua, Cueua, ſiue Coue, Mazira, & Alcozan: in Socoterâ, Dioſcoridu antiquis, arx eiuſdem nominis à Luſitanis ſæculo præcedente conſtructa. In SINV PERSICO Minus vetuſtæ vrbes & Coloniæ ſunt: Curiate, Quiximi, iuxta antiquam Capſinam poſita, Lima, Cuez, occurrens Euphrati Bagadet, Cuſa, poſt excidium Teredonis collocata Balſara, aliis Geru, & Balara. Hinc Batan, poſitáque in Inſulâ Ormus, quæ ſucceſſit antiquæ Apphanæ, Luſitanis diu tributaria, erectâ ibi arce munitiſſimâ, nunc iiſdem erepta victoribus Batauis poſſidentibus, quod illi bello quæſiuerunt. Stat in littore Gues, in Inſulâ verò Diu, quæ & Diul, eodem fato, quo & Ormus propugnaculis, muris, & arce à Luſitanis ornata, & munita, mox perdita. Multi euerſâ Patalâ ſurrexiſſe putant. IN INDICO MARI: *Iaqueti, Coriuar*, 'Dei Mater, Cambaia, Regni & vrbis nomen, Curate, Banda, Goa, ſedes Indiarum Pro-Regis, Luſitanorum per Indiam Orientalem vetuſtior Colonia. Nec minoris commendationis Onor, præſidio Luſitanico tuta, alióque eiuſdem gentis, cui nomen *Barſelor*. Sequitur *Decan*, & *Calecut* appellationes Regnorum. IN ARGARICO SINV, ſiue GANGETICO: *Cael, Maliapor*, vbi D. Thomas Apoſtolus ſepultus ſcribitur, iſtius ſepulchro atque arce Luſitanicâ vrbs nobilis: *Nagapata, Caletura, Bingira, Petepoli, Penacote, Cumura, Callecota, Bengala*, noua nomenclatio ſinui Gangetico, *Catiga, Sedoa, Pegu* ciuitas, quæ iuxta antiquum Triglyptona collocata eſt, *Tanazarim, Queroa, Quedaa*, vrbs Regum, Luſitanorum Colonia, *Pulopinao, Salangor*, & obliqua in pelagus Malaca, Argarici Sinus finis. Hanc Gaza fluuius interfluit, piſcatores primò ædificauerunt, auxerunt Luſitani, arce etiam adiunctâ. Inde vbi tellus, incuruatione littoris alium Sinum facit, '*Patane, Cui*, de nomine Regis Cataiæ, à quo conſtructam ferunt, *Siqn*, & inter confragoſa promontorij præcipitia pendens Camboia, diuerſas opes maris atque terrarum facili commercio permutans. Reflexior ad Tropicum Cancri *Campaa*, & in æquore inæquali poſitæ *Sarchi, Bicipuri, Cacuchina, Chianfu*, mox *Cantan*, quæ Gangi impoſita, vetus nomen in ſuum adoptauit, fluuiúmque celebrem Cantanum dixit. Hinc *Chincheo*, à Cincheo Cataiæ Imperatore ciuitas ſtabilita, ante ann. ccc. Sequitur, *Zaiton, Scabana*, & * *Liompo*, incolis *Niompo*, appellatio oppidi ſimul & promontorij. IN MARI SINARVM, ſiue CHINENSI, *Tagraſa*, vrbs Cœlorum, incolis *Quinſay*, Regio magis, quàm ciuitas, & poſt hanc prima *Nanquin*, aliis, *Nanqui*. Hinc *Guenganfu*, & *Chianca*. Tum in Cattigaræ veteris Sinarum ſtationis locum ſubſtituta *Canton*. Raras habet vrbes maritimas Tartaria, eas ſupra memoraui

*Fortaſsè Liampoo.

moratimus, Cap. XXXII. huius Libri; neque enim modò poſt Conſtantinum conditæ ſunt, ſed neque is tractus vllâ ratione antiquis cognitus,quà fretum *Anian*,& Oceanus Tartaricus protenditur. Cùm itaque de iis tantùm vrbibus & Coloniis littoralibus aliquid profari promiſerim, quæ in regionibus ab antiquis cognitis collocatæ ſunt, poſt Conſtantini Magni tempora, nihil hîc de Tartariâ inuenies, de quâ hactenus ſatis. Iſtæ autem vrbes & Coloniæ circa CASPIVM, ſiue HIRCANVM Mare, poſt dicti Imperatoris obitum conſtitutæ creduntur: *chinis*, *Sala*, *coſmai*, *Cauabuſi*, *Canabi*, *Melmeſuach*, *Cochinaco*, *Pangaſa*, *Montaglan*, *Mora*, *Zabaſpa*, *Numerdon*, *Bilan*, *chepcen*, *Maſandaran*, *chilan*, *kimarech*, *Meren*, *Raſt*, *Bachu*, quæ mare Hircanum in ſuum nomen tranſire coëgit: veterem Gangaram ſepeliuerunt, noua ædificia, murique extra eius rudeta extructi. Hîc quoque & aliæ vrbes, *Sirach*, *caraol*, *Stranu*, *Sarachi*, *Scamachi*, *Baccanthin*, & *Aſtracan*, appellationes,magicis vocibus ſimiles. Vltimam vrbem,ſedem Regum Tartariæ, emporium celeberrimum, ad oſtium Volgæ conſtitutum obſedit Selimus Turcarum Imp.ann.MDLXIX. Sed eius claſſe à Moſcouitis incensâ, coactus eſt,maximo cum damno obſidionem relinquere. In Tauricâ Cherſoneſo,*Precop* emporium, Slauonicâ linguâ, Foſſæ, quoniam ibi penè in totum Iſthmus perfoſſus ſit, vnde Præcopenſes Tartari. *Azoph*, & *Achaſſ* ciuitates ad exonerationem Tanais. Ibi & *capha* olim Theodoſia, Genuenſibus per Mahometem Turcarum Imp. poſt longam obſidionem erepta. *Oczakovv* ad Boriſtenis oſtium in Ponto Euxino, quam vrbem Tauricæ Rex ademptam Lituaniæ Duci,tenet, Tartarique Præcopenſes incolunt. In Mari SEPTENTRIONALI, & HYPERBOREO ad Lapiæ,ſiue Lappiæ littus, Nordemburchum, *Vvarſigd*, *Candelox*, *Orlogenos*, *Vvarongia*, *Olema*, *Archegohe*, *Podon*, *Oſterhaue*, *Moſka*, & *Omega*. In Fimmarchianâ orâ, *Haſſenagh*, *Tuſvvones*, *Skartvvagh*, *Vvandvvagh*, *Rohel*, *Lockel*, *Vogelo*, *Oſtrafoort*, *Kativvick*, *Saſſen*, & *Dronten*. In Noruagiâ,*Anvvick*, *Trovvick*, *Leroal*, *Bodvvick*, *Kyn*, *Forda*, *Vvtueer*, *Berge*, *Rotholm*, *Hitter*, *Liſta*, *Skide*, *Anſlou*, *Laholm*, *Vſtad*, & *Calmar*. Vernaculo, & gentis ſermone has vrbes enumeraui, quò facilius intelligeretur, quod ſcribo. Sunt & aliæ vetuſtiores,quas recenſui hoc Lib.Cap.XXXIII. In Noruagiâ, & Scandiâ, ſiue Scandinauiâ, quæ inter Scythicas Regiones numerantur, ſicut & Suecia, quæ circa Finnicum & Boddicum ſinus has vrbes recentiores admittit: Troſam, Vſdaliam,Heſenem,Valbonem, Rogſtadam, Vinam, ſiue Vmam, Viburgum, Sichem, Lantorum, Chim, Torniam emporium, Salam,Verum,Perſoram,Moſteſarã,Kyrum,Corsholmiam, Laiam, & Veſixilam. Finlandia ſequentes habet, Nerpim,Chronaburgum, Raugalmam, Abonem, Mitam, Olſbym, Raſſeburgum, Verulaxum,

Verulaxum, Helſingiam, Kyntim, & Viburgum, extremam Finnici ſinus vrbem; à qua Moſcouiæ littus incipit, cum *Lapaueſi*, & *Nikirki* vrbibus. Mox & Ruſſiæ Sarmatiæ priſcæ partis ora cum iſtis, Iamâ, & Naruâ. Hinc Liuonia, quæ ab aliis Lieflandia ad mare oſtendit: [2] Borkolmiam, Reuelem, Voldemari opus, Parnuthium, Sorchlomiam, Hamſalem, ſiue Hapſelem, Bremenſium Coloniam: Rigam, ad oſtium Duinæ, quà Venedico ſinui infertur: Pernauuium, Tockenem, Dadenem, Libamum, Memmeta, Vintburgum, Ruſnam, Conimbergam. Pruſſiæ oram ſequentes vrbes commendant: Kunigſberga, Mons Regius, opus Regis Bohemiæ, ann. Sal. MCCXVI. perfectum: Elbinge, Brandeburgum, Putzka, Hel, arx Turunia, ann. MCCXXXV. erecta: [3] Dantiſcum, ſiue Dantziga, in ipsâ macerie antiqui Gedani extructa: Lebenichta, ann. Sal. MCCLVI. conſtituta, Balga, & Fravvenburgum. In Pomeraniâ, [4] Rugnvvolda, Vkermunda, Vvolgaſtum, & Sunda. Proximæ iis Vandalicæ vrbes maritimæ, Roſtochium, malè aliqui Laciburgium vetus autumant: Vviſmaria, quam Guncelinus Zvverinenſis Comes in infimâ Saxoniâ ad æquor Balticum conſtruxit, ann. Sal. MCCXXXVII. Coſvvitzium, & Lubica, à Canuto V. Daniæ Rege condita an. Sal. MCC. Has vrbes aliqui in Meckelburgenſi Ducatu, vbi olim populi Pharodeni, locant. Iam vrbes Daniæ littorales non ita vetuſtæ: Kiel, Haffnia cum portu, ann. MCLXV. per Abſalonem Huidam Lundunenſem Archiepiſcopum fundata: Alborcha, Halſa, Vveela, Auergata, Seebya, Arhuſe, Malmogia, Elleboghe, & Schagena, Sueciæ oppoſitæ. Inter Hyperboreum Oceanũ, & Deucaledonium Inſulę iacent, GROENLANDIA, FRISLANDIA, & inter vtramque, ſub Arctico Circulo, ISLANDIA. Groenlandiæ littora vno oppido celebrantur, Albâ, cui vicinum cenobium S. Thomæ. Circa Friſlandiæ oram effuſæ coloniæ *Rane*, & *Barane*, quas promontorium *Spagia* Groenlandiam reſpiciens æquis ſpatiis ſeparat. Vbi deſiit, ſuccedunt aliæ, *Ceneſtole, Ocibare*, & *Soranda*. Dicitur Friſlandia, à primate vrbe Inſulæ. Paret Noruagiæ Regi. Iſlandia ſequentibus vrbibus, velut coronâ lapidibus pretioſis, decoratur, ad mare Deucaledonium, [5] *Skalhotâ, Breidâ, Stapsâ, Keplavvicko, Seluogâ*, & *Haske*. Ad Hyperboreum, Holâ, Hoſâ, atque Halari, Epiſcopi ſede. Si ab Inſulis ad continentem recurras in Danico littore, quod Germanico Oceano pulſatur, oppida reperies; [6] Emdemum, Orum; [7] Holmum, Ripen ad fluenta Nipſæ, [8] Bouembergam, Karegardam, Lutkedonderem, Tonnegem, & Meldoram. Tum ad Albis oſtia, [9] Hamborgum, oppidum â Carolo Magno Imperatore reparatũ, & mœnibus cinctum ab Henrico IV. Occidentis etiam Imperatore. Iam Holſatiæ, & Slevviciæ, ſiue Nordalbingiæ pelago, ad Germanicum, ſinúmque Balticum, [10] Sleſvvicum vrbs occurrit,

Aliquarum vrbium hic nominatarum, iam meminimus, Cap. 33. iſtius Libri, ſed earum authores tacuerimus.

E Belgio Ioan. de Laet. Item è Belgio Cluuerij, & Batauiâ Iunij.

vnde nomen Ducatui, ab aliis Heideba, ab Hethâ Reginâ Daniæ ſurgere iuſſa, & ad claritudinem peruenire, commercio. Inde arx Gotorpia, portu & exactionibus nauticis cognita, Flenſburgum vrbs, quæ Flenonem neſcio quem authorem habet, Huſſenum, Haderſlebia, Itzohoa, & Chilonium. In eiuſdem litoris ſupercilio pronæ ad OCEANVM GERMANICVM vrbes " Friſiorum Orientalium, vbi hodie Embdenſis, & Oldenburgenſis Comitatus, intricata exeuntium in æquor Viſurgis fluctuum occurſu " Blexema, cui vicinę, Groena, Viſchuſe, Tarnegeshuſſa, Flockerſhuſa, Hôſdica, Vverda, Vveſterbeus, Dickum, Vveſtmarſle, Grieta, Havvinge, Pilſum, Manſlachtum, Hanſvverum, Campe, Ryſum, Knockum, Emda, vbi Amaſius fluuius, penè æqualis freto, lōgo circuitu inflectitur. Tum Borſum, Pavvinga, Baë, Vvinſtervvoldia, Midvvode, Vvoldendorpia, Reyde, Oeterdum, Delfzila, Damum, extremúmq; oppidum Orientalis Friſiæ, Vvitmum. Adhæret huic Occidentalis & ipſa Friſia, cuius maritimæ vrbes, Vſguartum, Hoërhuiſa, Nortſatſburgum, Collum, Enguerum, Dockum, Paeſſe, Vverum, S. Iacobus, Lidlum, Midlum, Harlinge, Surich, Mackum, Vvorckum, Hindeloope, Stanete, quæ & Stauria, condita ann. Sal. XXI. caſtello iuxta portum ædificato tuta, quod, iuſſu Caroli V. Imp. Georgius Sckenkius fundauit, ann. MDXXII. In eius viciniâ, " Mirlſium, Franichera, oppidum à Francis ædificatum, vnde nomen; Slota, Lemmera, Venuiſa; Kuynderum. Leouardia ciuitatis formam accepit ann. 1190. Super Friſiam Geldria, ſiue Gelria littorales vrbes comprehendit Sliickemburgum, Blanckeham, Baerlem, Vollenhouem, Goëmuidam, Campam, Elburgum, & Hardervviickum, iſta perfugium piſcatorum ſonat, illa in littoris crepidine ſedet. Ardenburgum nunc municipium, olim vrbs, antequam Brugæ eſſent. Hinc Hollandia quæ variis in receſſibus & vorticibus neſcio abſcondat melius vrbes, quàm ſeruet, Vahalis & Rhenus, diuerſa nomina, flumen vnum, eunt circùm, Batauia veteribus dicitur. Eleuantur vrbes ſupra reciprocationem pelagi Naerda, Muida, " Amſtelodamum, ſiue Amſterodamum, nomen à proximo fluuio ſumens, qui *Amſtel* incolis dicitur: ſunt qui à Giſelberto, neſcio quà causâ, eam vrbem *Amſtel* vocatam tradant, cùm dirutam reſtauraret, circa ann. Sal. MCD. Sine muro diu fuit, additus eſt ei poſt multos annos. Hodie emporium eſt totius Europæ celeberrimum. Sequitur vrbs alia, quæ quondam à Legione Romanâ illic hibernante, nomen habuit, incolis, poſtquam ampliata fuit, *Leyden* dicta; ad imitationem Gallici Lugduni extructa, Lugdunum etiam Batauorum appellata, ibi olim Caſtra Legionum Germaniæ fuiſſe ex Plinio coniicitur: Leidam Ptolomæus vocat. Eius arcem condidit Engiſtus Britannus. Arnhemium, Tacito, Arenacium, dextræ

Rheni

Rheni ripæ appoſitum, quaſi Imperialis Aquilæ domicilium; *Arent* Belgis, hoc eſt, Aquila; Geldriæ Præfectorum ſedes. Schoonhouia, ad dextram Leccæ ripam, portu nota, cui à læuâ oppoſita eſt Viana. Dauentria, ad dextram Iſalæ, ſiue Nabaliæ, à populis Anſuariis, qui olim Dauenturij, gens Gallica: diſtat à Zutphaniâ, 11. leucis. Huclonium, Reginoni Hercules, vulgo *Huculim*, ad Lingam fluuium conditum ante ann. 790. Cui proximum Gorocomium, ſub Florentio IV. Hollandiæ Comite ædificatum, à Ioan. Dynaſtâ Arkelio, qui incolas pagi Vvolfortij huc migrare compulit. Roterodamum Eraſmi parens, propinquum Moſæ & Roteræ faucibus, vnde nomen, vel à Roterio conditore, XIII. Rege Francorum, vt aſſerunt Robertus Cœnalis, & Abbas Frithemius, ann. Sal. 809. De hoc Rege nihil alibi legi. Gorechemum, à Ioanne vno ex Herculanis Regulis, eius nominis VII. muro circundatum, cui arx adiecta ann. 1230. ad Lingæ oſtium ad dexteram Vahalis ripam. Vvorcomium vltra Hollandiæ fines, iuris tamen Hollandici. Monachodamum obiectum Marcæ Inſulæ, ante ann. 1287. excitatum. Delphos condidit Gotofredus Gibboſus, Dux Lotharingiæ, qui victus nauali prælio, Hollandiâ pulſus eſt, à Diderico II. Comite. " Harlemum Lemus conſtruxit, eo loco, quà maximè Oceanus caſtigat terras. Apparent & aliæ ibi vrbes, Beeruvvicum; Minnekenda, Edamum, Purmerendum, Guda ad Iſalam condita ann. 1262. " Alcmaria, Ruſtemburgum, " Horna, ædificata ann. 1300. Encluſa nauali fabricâ celebris, Ancheuſanum Ortelio, Medemblichum, Nouus portus, Vlardinghe, Graueſande, Vveſpa, Vvoërda, Schonhouium, hoc eſt, vrbs Pulchrorum hortorum. At in ripis Moſæ, Vahaliſque, inter exundationes pelagi & æſtuaria pluribus alueis incurſantia, ſuper vndas emicant, " Gerulieta, Vlaërdinga, Schiadamum, Dordracum, vrbs in exiguâ Inſulâ poſitâ, quaſi Forum Dureti, *Drecht* enim Latinis Forum, vrbem Duretus, neſcio quis inſtituit. In Ordinum concilio prima ſuffragatur. Sunt & in Sanctæ Gertrudis colle vrbes duæ, adoptatæ in nomen montis, inter Moſam & Scaldim, caput inferêtis cœlo. Habet & Hollandia Inſulas ſub dominio ſuo, VORNAM, cum Gerulietâ, & Brielâ oppidis. GOEREDAM, cum Somerſdycko. Hollandico littori obuerſatur ZELANDIA, Arborichæ populi quondam incoluêre. Vrbes eius Inſulæ illuſtriores putantur, " Stemberga, Ambiuaritorum Colonia, S. Annenlandtius, Martendickum ciuitas, ad ripam Scaldis; cui ab alterâ ripâ opponitur Reimerſvvala. Hinc Oſſeneſſa, Axele, Aſſeneda, Vvatervlieta, S. Catharina: tū Biervlita, Beuelandia, Goëſſa, Vvalchera, & SOVVA Inſulę. Vltimæ maior fama eſt, vrbes de littore, quaſi de limbo, pendent, Ziriczea, à Siringo quodam condita, ann. Sal. MCCCLXIX. & Brovvershaua. Proxima SUVVÆ

VOORNA Inſula, cum oppidis Oelkenſo, Platâ, Stadtio, Roëxniſ-
sâ, & Herkingâ. Trans eas Inſulas, in continenti Flandria eſt,
Monapij, & Rhuteni olim habitauêre. Cingitur circa mare iis
vrbibus, Oſtendâ, Neoportu, Dunkercâ, Slusâ, Greuelingâ. Inſu-
læ littori applicitæ, DVACVM, ORCHIANVM, ALOSTVM, TENERA-
MVNDA, GERARDIMONTIVM, & NINIVA. VVIERINGIA inter Enc-
kuſam & Theſſaliam conſtituta eſt, etymon habet ab algæ ma-
rinæ prouentu, quod coagulum optimum eſt firmandis aggeri-
bus, aduerſus inſultus maris, algam autem *vieram* vernaculà lin-
guà nuncupant Batauì. In Inſulæ, quæ *Roggenil* dicitur, promon-
torio, Vvilelmi oppidum, à Principe Vvilelmo Auraico inſtaura-
tum ann. Sal. 1583. Hæc Inſula de profundo primùm exerta, in
ſolo Brabantico, ann. 1564. Hollandia autem alia Auſtralis, alia
Borealis, vtraque olim Batauia dicta, à Batone filio Regis Cat-
torum, qui è Germaniâ in has ſedes migrarunt, à ſyluis Hol-
landia, ſiue Houtlandia, id eſt, lignea: vel ab *Hol*, hoc eſt, cauum,
& *land*, hoc eſt, terra, quaſi concaua terra. Hollandiæ Inſulæ
TEXELA, FLIELANDIA, olim Fleui nomine notata, & SCHEL-
LINGA, quæ tres, duos nobiliſſimos portus aperiunt, Texelenſem,
& Flielandicum. Aliquot in iis oppida: iſtæ patenti in Oceano
locatæ, Septentrionem reſpiciunt: in interiore verò ſinu iacent.
Vrck, & *Ens*, exiguæ Inſulæ. Birfletum oppidum, vulgò *Bieruliet*,
in Inſulâ eiuſdem nominis. BRIELA, Voorna aliquibus putatur,
olim maritimo prælio ęquo marte dimicantes vidit Ciuilem Ba-
tauum & Romanos. Primus Comes Hollandiæ fuit Diederieus
circa ann. Sal. 863. Comitatus iſte, ann. 1300. peruenit ad Han-
noniæ Comites. Mox ad Bauariæ Duces, ann. 1351. Tum ad
Burgundos, ann. 1436. & tandem ad Auſtriacos, ann. 1482. libe-
ra facta eſt Hollandia, violatis legibus per Philippum II. Hiſpaniæ
Regem, ann. 1572. Guillelmo Auraico in Ducem electo, ſub no-
mine Præfecti Prouinciarum Fœderatarum: in cuius diſpoſitio-
ne Zelandia cum ſuis Inſulis, quarum præcipua VVALACHRIA, ab
Ortu, Brabantiæ obuerſa, ambitu M. VIII. In ea vrbes, Middel-
burgum, hoc eſt, Burgus in medio Inſulæ poſitus: qui duplici
portu & alueo inſignitur, è pago vrbs, circa 1121. ſurrexit. Ibi
collegium Senatorum, ad res maris. In eâ Fliſſinga cum portu,
opus Illuſtriſſimi Herois Adolphi Burgundi, ann. 1400. antea ca-
ſæ erant. Vlyſſingam qui vocant, originem eius ad Vlyſſem re-
ferunt. Veria, ſiue Campoueria, verſus ortum Æquinoctialem
Scaldiæ oppoſita eſt, muris ornata à Borſalo ann. 1358. ſtatione
nauali cōmendatur. Sedes olim Architalaſſorum, ſiue Conſilia-
riorum Amiralatus totius Belgij. Ibi etiam armamentarium nau-
ticum à Philippo II. Hiſpaniæ Rege extructum, ann. 1564. Arcem
Zeburgum excitauit inter Arnemudam oppidum & Fliſſingam
in

Tacit. lib. 4. de morib. Germanor. Hiſtorici Flandr. ſcribunt arcem Schenck, *in Inſula* Betau, *ab Hiſpanis ædificatam, ann. 1631. è qua Inſulâ, Hollandia Batauia nomen habuerit.*

in promontorio, Carolus V. Imp. ZVYDBELANDIÆ circuitus XX. M. tres habuit, Berſalam, quæ maris inundatione periit, ann. 1532. Romerſvvalam, quæ etiam hodie æſtu abſtracta, cum humido elemento militat. In hac vrbe Philippus II. Hiſpan. Rex, Comitatum ex conſuetudine antiquâ auſpicatus eſt, ann. 1549. Sola Goëſa permanet in Inſula, ad oſtium Scaldis, quod *Schenge* vocatur: mœnia accepit, ann. 1350. NORDBEVELANDIAM ornauit ann. 1413. Philippus Borſalus vrbe *Cortgheene*, duo M. iugerum vix continet. Vltima Inſularum Zelandicarum cis Scaldim VVOLFERDYCK, III. M. ambitu. Vltra Scaldim verò SCALDIA, à prœterlabente fluuio, vulgò *Schovven*. Ambitus eius VIII. M. In eâ Ziriczeâ ciuitas, ann. 844. extructa, nomen authoris ſeruat. Duuelandia, à columbarum frequentiâ dicitur, ann. 1530. fluctibus obruta, nunc operâ & induſtriâ Adolphi Burgundi, confirmatis aggeribus, eludit Oceani furores. TOLA, vulgo *Tolen*, Brabantiæ contermina, cum oppido eiuſdem appellationis in patrimonio Auraicorum Principum numeratur. ORESANDIA à Ziriczeæ ciuibus munimentum aduerſus æſtum, & aggeres accipit. Quà ſe ad Ortum æſtiuum porrigit Friſia, exigua Inſula occurrit BANCA: in æſtuario verò Lauicæ, quod Sculbalgum vocant, AMELANDIA, & SCIORMONACHVM, ante Doccumum oppidum in quo collegium maritimum Tranſlauinicanis, & Ciſlauicanis commune. Iam ante Flandriam & Armoricam ANGLIA, ſiue BRITANNIA, quà freto à noſtris Galliis, veluti flumine, abſcinditur, minus antiquis vrbibus operitur, " Plymmuthio, Birrhonâ, Datmuthio, Arrundelo, Ryâ, Vvalderſvvicko, Varmutio, & Cromerâ. Inde, quà ſtriatis, ſaxoſiſque littotibus applicatur Oceano Germanico, per interualla exeſæ aut pendentis telluris vrbes accipit ante Conſtantini Magni Imperium nondum editas: Burnhamum, Vvainfletam, Bartonum, Hullum, Scarbrughium, Vvithbyam, Kiltona, & Nevvcaſtlam, ſiue Nouum Caſtellum, quod ad Tinæ oſtia Robertus Normanniæ Dux, Guillelmi filius, excitauit. In proximo Tinmuthium, Vvereringthon, Vvarkeuortium, Dunſtabruga, Barvvycum, quo nomine ſignificatur vrbs inſidens oſtio fluminis, S. Andreas, Baruy, Abredonia famosâ ſalmonum piſcatione, Aberdota, Tarbartum, Dornus, Clyna, Bariſdaila, Carneſa, & Freſykum. Quà Anglia longum cornu in Oceanum Deucalidonium educit, Strabubaſtera, Skyr-Aſſynum, Stroma, Kyntaila, Dunſtafagum, Svvinum, Sandlia, Kylmon, Glaſco, Androſſa, Gudza, Mabanum, Lonetum, Haltvveſela, Keſvvikum, Millunca, & Vluertonum. Sequuntur ad Hybernicum, ſiue Iuuernium mare, Longouicum, à Lono fluuio appellatione deſumptâ, vnde ab aliquibus Lonicaſtrum vocatur, Preſton, Blakbotnia, Bangor, inter cineres veteris Bonij; Harleghia, Fiſcardus, Me-

Buchananus, & Guillelmus Camdenus.

neuia,ſiue S.Dauidis,Nithia,à Nithâ præterlabente fluuio, Gallouidia vetus Gallorum Colonia, iuxta deſolationem Nouanti excitata,[33] Neoporrus,Pembrockium,Pennarrum,Landafus,Cubribga, Bomium * Antonino,Huntſpila,Combemartonũ, Stratton,Conouius,& Salopia. Circa Scotiam ACMODAS, ſiue ÆBVDAS xxx.antiqui numerãr,nunc in ipſo mati Deucaledonio 340. inueniuntur. Inter Iberniam & Scotiam MANA, olim Eubonia, non autem Mona, vt male aliqui putant. ALISA in æſtuario Glottæ, rupium perpetuâ crepidine cincta. Ab hac ad Septentrionem Arania, longa xxiv.M.lata xvi. BOTA, VIII.M. longa, lata IV. in dicto æſtuario, in quâ arces duæ, Roſaja, & Cames, olim Campſos. Ibi & CIMBRIÆ duæ, MERNOCA, & AVONA, hoc eſt,portuoſa, M.paſſus à promontorio Canterâ diuiſa. Inde CARAIA, GIGAIA, ceruorum gregibus abundans, Deram antiquam multi credunt,quod nomen Gothico ſermone ceruum ſignificat. Maxima poſt IVRAM ad Occidentem eſt ILA, XXIV.M. longa, lata XVI. Paulò vaſtior MVLA, ſtrictior COLVMBARIA, alia à COLVMBI Inſulâ,cum cœnobio eiuſdem nominis, in quo iacent corpora XLVIII.Regum Scotiæ, Iberniæ Regum IV. Noruagiæ VIII. cum innumerâ multitudine nobilium, qui Occidentales Inſulas incoluerunt. VLVA, V.M.longa, SKIA, XLII. M. nomen alam ſignificat, quòd eius promontoria in alarum ſimilitudinem exurgant,Scotis veteribus ob id Skianacha dicta,quaſi alata. BARRA in extenſione habet VII. Mill. VISTVS XVIII. Tum minores Inſulæ, poſt quas, versùs ſinum Brienum HARAIA, & LEOGVS, vnam Inſulam componentes, cuius longitudo L.M. latitudo XVI. Inter POMONAM & RANALSAM,BVRRA,GRAVISA, ZEAL, & VVSTA. Omnium maior IRLANDIA, olim Ibernia,nouis coloniis maritimis illuſtrata, Roſsâ,[33] Strongboâ, ab Iſabellâ filiâ Comitis Ricardi muris circumſeptâ,Arctloniâ,Aloniâ,Caſſiliâ,Kilmalochiâ,Clommellâ, Clone,[34] Iugogalli, quæ Gallorum colonia creditur, Cariko, multi Clarum, aliqui Clariam putant, à Thomâ Claro, Gilberti Cloceſtræ Comiris filio, ædificatam. Hinc Glaſkarykum,Ruderca,Dublynia,vel Dublynum, quam antiquam Eblanam multi exiſtimauerunt, Irlandis *Balacleigh*, quaſi dicas columnis fundatam, & ſuperſtabilitam. Semidirutam reſtaurauit Haraldus Noruagius: nunc Anglis colonis habitatur. Sequitur Dondroma,inclinánſque ad Oceanum Occidentalem Dungala,Slegus,Maya, Boraca, Anneria, Galueia, Gattorum colonia, Kaërilona, Glanynoge, Toamum, Dingla, Lolterca, Donkyreina, Ardheya, Doumboya Anglis ſacra, per quos condita eſt,& Clancauras. Vvaterfordiam iam olim piratæ Noruagi extruxerunt. Limiricæ arcis, quæ eſt ad Sannonium fluuium,author eſt Ioannes Anglorum Rex. Ab Amelao, Sytaraco

*Ix Itinerario.

raco, & Yuoro fratribus Oſtmanis, ſiue Eſtrelingis, qui Germaniæ populi ſunt; ædificatæ in Irlandiâ vrbes creduntur, Diuelinum, & Limerica. Et hęc ſatis de iis Inſulis: nunc ad continenté recurro illi oppoſitum, vbi Gallia mea incipit, protenſáq; in pelagus, ab vnâ parte Flandriæ connectitur, ab alterâ Hiſpaniam tangit. In hoc tractu, quà Picardia eſt, non ita antiqui nominis vrbes diſpoſitæ ſunt: "Monaſteriolum, Brica, Paſſus, Pons Aſſelanus, Ponticum forſan in Notitiâ Imperij, Triportus, Crotoya, Creſſiacum in extremo ſinu oppidum ſuſpenſum, Cariſiacum Antonini in Itinerario multi autumant, Cayenum, S. Valerius, Anſcyum, Criela, Berneualis, Poletum, & Dieppa, magnæ victoriæ ab Henrico noſtro Magno ante annos XLVI. reportatæ famâ, vltra antiquitatis laudem memorata. Exinde vaſtis & exeſis littoribus exurgit Normannia, ſiue Normandia, ferax nouis vrbibus, quæ in extremis terræ laciniis extant. Nomina ſunt, S. Valerius, "Pons Aquæ Marinæ, ad Sequanæ exonerationem vrbs ſita, Creuecoria, fluenti Diuę impoſita, Quarentamum, Cherburguin; Conſtantia, & Abrincata, ſiue Abrincatinum. In eadem orâ, alterius iam Regionis cenſetur, Fanum Briocenſe, hodie *Sainct Brieu*, Armoricæ, inter Titium & Argennem fluuios: vbi arx & ſtatio tuta Lexobium, à Neomene Britanniæ Rege reſtauratum ann. Sal. DCCCX. Aſtruuntur huic, Aula Quiriaca, Morlaxium, Fanum S. Machlouij, oppidum cum arce & portu, ab Annâ Duciſsâ Britanniæ extructum, de nomine Sancti quondam viri Machlouij Epiſcopi Alethenſis. Succedunt, S. Paulus Legionis, Troſicum portus, quem Briuatem olim dictum è Ptolomæo conijcitur, Caſtellodranum, ab Odrano, ſiue Aldrano Armoricæ Rege conditum, anti. Sal. CCCCXXXIIX. "Breſtus, extinctæ Vindanæ, ſucceſſit, post promontoriũ, quod "Os capræ nuncupatur, "Poldauia, Odierna, "Neodunum Aulercorum Diabolitanum, & Cancalle latitant. Similiter & poſt Pemmarchum promontorium, aliud, Kemper-Corentinum, de conditoris Corentini, primi in eâ Epiſcopi, nomine: "Concarneſium, poſitúmq; ante Inſulas ARIETVM, & GLEÑANIAM, Poſcortium. Hinc Hennebunda, "Kemperleum, Landerneſium, & Blabia. E regione vrbis Venetiæ, CALONESVS, *Belle-Iſle*: VII. leucar. circuitu. Ante Gabæum promontorium nunc *S. Mathé* Inſulæ Oeſſanti, & Sena; vulgo *Sayn*. Ad OCEANVM AQVITANICVM Pictauia eſt, Pictones incoluerunt, quorum vrbs primaria Auguſtoritum. Hęc Regio fronte diuersâ maris confinio adnexa eſt, oppida Coloniáſq; complectens, "Gauacham, Bellumviſum, & S. Michaëlem. Inde caput exerit "Santonica cum iſtis vrbibus ad mare, Marantio, Rupellâ, nunc clade ſuâ nobiliore, quàm cùm pelagi Imperium integra teneret, Subiſio, Iacopoli, Royanno, Sulaco, Caſtillioni,

Ex Argentræo libro 1. hiſtor. Britannica, ſiue Armorica. Item è Galliâ Ioan. de Laet.

Eſpará faucibus Garumnæ immiſsâ, & Anchisâ. Ibi Broagium, in ſolo paludoſo, ſale factitio nobile, cui adiacet Vliaris Inſula, *Oleron*. In Marenuis, *Marens*, campanile altiſſimum, in quo pharum ad ſubſidium nauigantium collocant. Prope Marennas peninſula Auertum. Rheta, ſiue Rea Inſula, *Iſle de Ré*, clade Britannicâ & victoriâ noſtrâ memorabilis, à Rupella 11 leuc. ſepoſita, in quâ arces duæ, vna S. Martini, altera Pratenſis, *le Fort de la Prée*. Sequitur Medullorum littus, *Pais de Medoc*. Ad Garumnæ oſtium Turris Cordoana cum pharo. Contigui Medullis Boij, à pinetis ſyluis, Picei denominati, *Pais de Bouch*, cuius dominus, *Capital de Bouch*. Burgum Pontij, *Bourg ſur mer*, ad confluentem Ellæ in Garumnam. Supra Liburnum eſt, *Libourne*, ad Dordanam amnem, qui aliquibus Duranius. Maritimæ vrbes Aquitaniæ cenſentur Arcaxon, Cubertonum, & Fauea, ſiue Faba. Vaſconum, Baiona, prope Aquas Auguſtas veterũ excitata, & S. Ioannes à luce. Tum Hiſpanicæ ditionis Fons Arabum, inter ruinas antiquæ Flauiobrigæ, ſiue Phlaſiobrigæ vrbs erecta, olim noſtro Imperio ſubdita, incolis *Fuenterabia* dicitur, hoc eſt, Fons rabidus, quod amnis vrbem interſecans, è vicinis montibus in ſubiectam planiciem delapſus, furenti & rabido ſimilis, ſpumoſúſque & murmurans intrat Oceanum. Ab eo Biſtulia, nunc Biſcaia eſt, incipit, Cantabriæ pars, quæ vicino pelago Cantabrici nomen facit. Hîc vrbes Orium, ſeu Orio, S. Sebaſtianus, ad Gurumææ oſtium, Gaturia, Berineum, ſiue Barinca, Motricum, Valencia, Muſiſcaca, Galletus cúm portu, *Bilbao* caſtrum, Latinis Bellum Vadum, conditum ann. Sal. MCCC. à Didaco Lopeſo de Hazo, Cantabrorum Principe. Infra, Santilana, oppidúmque S. Vincentis. Vltra in trianguli formam deductum Galliciæ Regnum, Gallicanarum coloniarum, ibi quondam examinibus ductis, continuo latere in idem mare immiſſum, donec in ea littora, quæ ad Occidentem iacent, perueniat, ſeruans ſequẽntes vrbes, non ita pridem extructas: Villam Vitioſam, Giona, Artedona, Luaream, Ribadeum, Cyprianum, Ortegallum, Gallorum coloniam, Ferolum, Corunnam, & Malpicam: vbi ſe paulatim extendit, abitque Gallicia latior in Oceanvm Occidentalem, diffuſo tractu in arenis promontoriiſque vrbes ſitas obiiciens fluctibus: " Betamum, Cloten, Corbiam, " Morum, Villam Nouam, " Combadum, Pontem Vedram, Aldanam, & Çannas. Diſtinguitur Gallicia à Portugalliâ, ſiue Luſitaniâ, fluuio Minio: dicto Oceano latus recuruum, vrbéſque inſidentes marginibus oſtentat, præter veteris conditionis, iſtas: Caminam, Viannam, " Eſpaſendum, Villam Condæam, cum portu ad os Durij, Lucaſam, Auérum, Miram, " Tentugalliam, Gallicum opus, ad ripas Modæ, Coimbram, Colubriam Gregorius in Decretalibus vocat, Æminium Ptolomæus,

Leiriam,

Leiriam paululum à pelago ſemotam, Liſbonam Nouam, Rocam à Siurâ, Caſkaim, Catelinam, Almadam poſt Tagum, Setubalem, Troiam, Melidam, Caona, Villam Nouam Infantis, Villam Formoſam, Aliamurum, & impoſitam promontorio vrbem S. Vincentis. A quâ poſt vrbes Ferragudum, Peram, Tauilam & Caſtrum Nouum, ſinuata in arcum Andaluſiæ Regio initium ſumit, à freto Herculeo media diſcedens, mox ad idem accedēs, coniunctáque, quà propior pelago. Si eius littora legas, licebit percenſere vrbes non ſatis antiquæ originis: Ayamontem,[40] Salteſium, Xauegam,[41] Lucem Dubiam[42] Bœtis ôſtio illatam, Rotam, Portum Regalem, S. Petrum, Barbatem, & iam[43] freto Gaditano imminentem[44] Algearem, Gadibus oppoſitam. Deniam ad rem maritimam opportuniſſimam vrbem, cum arce & duobus portubus, circa Valentiæ oram, ædificauit Carolus V. Imp. Ibi turres XXVIII. In ſingulis pedites duo, eques vnus iugiter excubant, vt piratarum, vel hoſtium aduentum ſpeculentur, & eundem incolis denuncient.

Propria nomina voce qua hodie efferuntur explicata.

[1] *Dio Madre.* [2] *Borcholm, Reuel, Parnouth, Sorcholm, Hamſal, Pernau, Tocken, Daden, Libam, Memmet, Memel* Ortelio, *Vintburg, Ruſna, Coninberg.* [3] *Dantzig.* [4] *Rugnvvold, Vkermond, Vvolgaſt, Sund,* Roſtock, *Vvyſmar,* Colvvitz, *Lubek, Alborch, Hals, Vveel, Auergart, Seeby, Arhuſen.* [5] *Skalholt, Breid, Staps, Keplavvick, Seluoge, Haſke, Hol,* Hof, Halar. [6] *Embden.* [7] Holm. [8] *Bovvenberghen, Karegard, Lutketonder, Tonneghen.* [9] *Hamborg.* [10] *Seleſvvic.* [11] *Ooſtfriſen.* [12] *Blexem, Groen, Viſchuſen, Tarnegeshuſſ, Flockershuſen, Honſdie, Vverden, Dickum, Vveſtmarſſen,* Griet, *Havvinge, Pilſum, Manſlacht,* Hanſvver, Campen, *Ryſum, Knock, Emden, Borſum, Pavving, Baen, Vvynſtervvolde, Midvvode, Vvoldendorp,* Reyde, *Octerdum, Delfryl, Dam, Vvatum, Vveſtfriſen, Vſguart, Hoërhuiſen, Vverhuiſen,* Nortſaltsburg. [13] *Mirts, Franicker, Sloten, Lemmer, Venhuiſen, Kuynder.* [14] *Amſterdam.* [15] *Haerlem, Beuervvijck.* [16] *Alcmaer.* [17] *Hoorn, Enchuyſen. Medembliec, Neoport.* [18] *Geervliet, Vlaerdingen, Schied,* Roterdam, *Dordrecht,* S. Geetrudenberghe, *Seuenberghen, Voorn, Geervliet, Briel.* [19] *Steenberghen,* S. *Annenlandt, Martenſdijck,* Reijmerſvvale, *Oſſeneſſe, Axele, Aſſenede, Vvatervliet, Biervliet, Beuelandt, Goes, Vvalchren, Sovven, Ziriczee, Brovvershauen, Voorn, Oelkens, Plate, Stadt,* Roexniſſ, Herkinge. [20] *Ecluſe.* [21] *Plymouth, Darmouth, Birthon, Arrondel, Rye, Vvalderſvvic, Varmouth, Cromere, Burnham, Vvainſlete, Barton, Hull, Scarbrough, Vvitbbye, Kilton, Nevvcaſtle, Tynmouth, Vveterington, Vvarkenorth, Dunſtabrug, Barvvick, Barny, Aberdone,*

ne, Aberdora, Tarbart, Dorno, Clyne, Bariſdail, Carnez, Freſyk, Strabubaſter, Skyr-Aſſyn, Strom, Kyntail, Dunſtefag, Svvin, Sandl, Kylmon, Glaſco, Androſſen, Gudzen, Maban, Lonet, Halsvveſel, Keſvvik, Millunca, Vlverton, Lancaſter, Preſton, Blackborn, Bangor, Harlegh, Fiſcard.[22] *Nevvport, Penbrock, Pennart, Landaf, Covvbrige, Huntſpil, Cōbemarton, Straton, Convvey, Shervvsbury.*[23] *Strongbovv.*[24] *Iougall, Carik, Glaskaryk, Ruderk, Dublyn, Dondrome, Duugal, Slego, Maye, Borace, Anneria, Galvvay, Kaerilon, Glanymogi, Toam, Dinghe, Lolterca, Donkyrein, Ardhey, Doumboy.*[25] *Monſtreul, Bricque, Pas, Pont-Aſſelane, Treport, Crotoy, Creſſy, Cayen, S. Valeri, Auſcy, Cryel, Bernenal, Polet.*[26] *Ponteau de Mer, Creuecœur, Quarentam, Cherbourg, Conſtance, Auranches, S. Brieu, Le Trieu, Arguenon, Lantreguer, Guerrande, Morlaix, S. Malo, S. Paul de Leon, Troſic.*[27] *Breſt.*[28] *Bec de cheure.*[29] *Pouldany.*[30] *Chaſteau neuf.*[31] *Concarneau.*[32] *Kemperlé, Landerneau, Blauet.*[33] *Gauache, & Beauuoir.*[34] *Xainthonges, Marans, La Rochelle, Soubyſe, Royan, Soulac, Chatillon, Leſpare, Anchiſe, Arcaxon, Cuberton, La Faue, Bayone, S. Iean de Luz.*[35] *Beſamos.*[36] *Moros.*[37] *Combado.*[38] *Eſpâſendo, & de Conde.*[39] *Tentugal.*[40] *Saltes.*[41] *S. Lucar de Barameda.*[42] *Guadalquiuir.*[43] *Eſtrecho de Gilbraltar.*[44] *Algear.*

CAPVT XXXIX.

Reliqua vrbium, & Coloniarum maritimarum, poſt tempora Conſtantini Magni conditarum, in iis locis, & Regionibus quæ antiquis cognitæ fuerunt. Scilicet à freto Herculeo ad Euxinum Pontum, & Mæotim, inde recurrente per Africæ littora naui ad Atlanticum mare.

FRETO inſident Tariffa, & Gibraltar, de quo oppido illi nomen, antiquæ, ſed renouatæ Coloniæ. AD IBERICVM MARE Eſtepona, Marbella, Fuengerolla, Beſmeliana, Buno, Beria, Rognete, Almeria, Aladra, Alui, Muxaëra, Vera, GRANATÆ, vulgo Granadæ, vrbes. MVRCIÆ verò iſtæ: Almacarron, & Pouedra. VALENCIÆ, Alicante, inter maceriem veteris Illices ſita, Benidormum, Beniſſa, Xabea, Oliua, Gandia, Valencia antiquiſſima ciuitas, vnde denominatio Regno, Grao, Cannete, Chinches, Peniſcola, Benicarlon, Rapita, Alfaques, circumfluente Ibero flumine fertilis, & Empulla. CATALONIÆ, Balaquer, Aragona, Conſtantia, Sirguer, Matara proxima Barcinoni, Palmos, ſiue Palamos, Palafigel, Girona, Gerunda, Colibre, è cineribus Illiberis ſuſcitata, Elna Helenes, & Salſas Salſulæ hæredes,

des. AD GALLICVM MARE, Nizenzia, Villa Noua, Frontignanum, Maguelona caſtellum, & quòd eo locorum tres Mariæ poſt reſurrectionem Chriſti applicuiſſe dicantur; oppidum dictum Tres Mariæ. Ante Stœchades, *Iſles d'Teres*, in quibus oppidũ Olbia, Martigia, *Martigues*, Camarga, *Cai-Maray*, Salinæ Pequenſes, *Iſles de Pequais*: in quibus ſal conficitur. Sequitur in eiuſdem Gallici littoris tractu, Odor, Buchu, Berre, Marignanum, Chiric, S.Victor, Pomegeſa, Aquila, Bendormia, Sanſigum, Caraboſarum, Briganſonum, Larda, Fracenetum, S.Raphael, Ragni, & Vignonetum. AD LIGVSTICVM MARE, Portus Mauricius, quem Moriſoti dicunt, cum oppido, quid mihi, & gentis meæ nomini, cum eo commune ſit, ſi illi atauí mei appellationem dederint, an ab eo acceperint, nondum comperi. Clauerium Genuenſes condiderunt, ann. Sal. MCLXVII. Villa Franca, Vintimilia, Taggia, Arbenga, Finale, Noli, Vai, Sauona, vtráque Genuam Sereſana, Seſtri, & Liburnum. IN SARDINIA Inſulâ nouæ vrbes, Alger, Taraconenſi colono læta, ad ſinum portúmq; Caracodem, & Chia, fundata vbi olim Portus Herculis. TVSCIÆ vrbes ſunt ad mare, S.Vincentis, Campilia, Alma, Caſtillio, Orbetellum, iuxta Coſſam antiquam, Aſidonia, opus Deſiderij Longobardorum Regis vltimi. Inde poſt montem Argentatum, oppidum S.Mariæ, Cornetum, S.Marinelli, Oſtia à Saracenis diruta, à Leone IV. Pont. Max. colonis è Corſicâ aduocatis, reſtituta: arce donata, à Martino V. & ipſo Rom. Pont. A Iulio IV. ad tutelam vrbis Romæ propugnaculis munita. Sequitur in ruderibus Antij, Neptunia, tum Aſtura, & S.Fœlicitas caſtellum. Neapolitani Regni non ita antiquæ vrbes ad mare viſuntur, Vicus, Maſſa, Melphis, ſiue Amalfi, Piſciota, Vlaſtra, Scalea, Policaſtrum euerſâ Petiliâ ædificatum, & S.Euphemia, oppoſitum oppidum oppido Siciliæ, quod *Siglio* dicitur. Tum ab alterâ freti Siculi parte, obuerſæ IN IONIVM Pelagus vrbes, Rheſus, Palaris, Gierazzus, Stillum, Roſanum, Motola, Nardo in eo loco, quo & Neritus antiqua, Alezanus, Caſtrum, & Minoruinum. Obliqua hinc Regio ad ADRIATICVM SINVM excurrens, nouis vrbibus clara, Acurgo, S.Cataldo, Monopoli, Polignano, Conuerſano, Iuuenatio, vulgo Iuuenazzo, Viſelio, Trano, Barulo caſtello, Barletâ, Leſinâ, quam piſcatores è Leſinâ Illyrici Inſulâ profecti, in locum priſci Hyrij condiderunt, Guaſto de Amone, Manfredoniâ, quam excitauit Rex Manfredus, filius Friderici II. Imp. ann. Sal MCC. cum ſtatione nauali. In eius viciniâ ſtant, Sara, Peſcara, S.Angelus, Aquila, Longobardis fundata, à dicto Friderico Imp. propugnaculis decorata, & roborata: Lazannum, Teatea, quæ poſtea Chieta dicta eſt, à Pipino Caroli Magni Imp. patre vaſtata, à Normannis reparata. Iungitur huic Iulia Noua, antiquiore nomine vrbs S.Iulia-

Leander Albertus in Liguriâ, & Apuliâ Dauniâ.

ni nuncupata, à Iulio Teranio ad oſtium Truenti fluuij ædificata. Tum vndis Comachi lacus circumfuſum Ricinetum, Italis *Ricanati*. Succedit Volana, & in lacunâ defeſſi & languentis pelagi prominens *Chioza*, Venetiæque celebres, ab Iſtris, Carníſque & Venetis populis conditæ, ann Sal. CDXXI. Hinc Piramum, Tiſana, & Maranutum, oppida poſt Attilæ exitum condita. At Gradus in Inſulâ eiuſdem nominis ſurrexit, Aquileienſibus, Attilam fugientibus, colonis, qui Caſtelletum in æſtuariis ſinus Adriatici ædificauerunt, circa ann. Sal. DCX. Ann. verò MDLXXII. in oſtio Sontij, Gradiſcam, & Folianam. Sunt qui Gradum Gallorum coloniam ſcripſerint, Carolo Magno imperante. Inde numerabis Muciatlam, ſiue Mugellum, Iſolam, Piram, Humagum, S. Peregrinum, Ciuitatem Nouam, Vertenegiam, Medoliu, & Iuſtinopolim, de nomine Iuſtini Imp. tuuc regnantis, ab Iſtris, in Inſulâ Caprariâ conditam: proximíſque in Inſulis, Oſeronem, Cherſonem, Vegiam, Arben, & Pagonem. Tum Zenga in ſolidâ tellure legitur, Raguſiúmque, Epidauro à Gothis euerſo, conditum, ann. Sal. CDII. Inde Almiſa, Antiuari, olim Dioclea, quòd Diocletiani Imperatoris patria fuerit, Calamota, Lodrinum, & Valona. MARI MEDITERRANEO Epiri vrbes clauduntur, Chimera, Gomeniſa, Perga. Subit inde tellus maria, nunc variis diſtincta Inſulis, nunc ſinibus interſecata. Ibi Alcipo, Peſchera, Natohca, Galata, Salona, Melioria, Roſſa, Sicyon, Voſtica, Arcadia, Gurgulia, Meſſena, Canepolis, Vtilo, Colochina, Acria, Cypariſſia, Boca, Martan, Maluaſia, in ipſis Minoæ ruinis ſurgens: Falera ARCHIPELAGO Imminens, in quo Nicea, Ciparia, Caſtrum de Ratomâ, Lapricium, Toaſtrum, Ceres, Cyphanta, Bote, Maria, Halice, Hermione, Celenderis, Methana, Mala, Cleona, Nicia, Fuor, S. Nicolaus, Salinæ, Macina, quæ Munichiæ ſucceſſit, Alope, Capſo, Furenos, Probanlitum, Labeda, Euripus, Cartiſon, Driope, Atalanta, nunc Talandi, Longiton, Cluta, Scarphia, Egilia, Daphne, Salganea, Cardica, Arnia, Lariſſa, Armirum, vel Armira, quam ſinus eiuſdem nominis ſtringit, à quo, Caſtanea, Sepais, Orminium, Iaco, Magneſia: vnde ſe in terras immittit mare, ſinúmque agit Theſſalonicum, de nomine vetuſtiſſimæ vrbis. Hunc contingunt minus antiqua oppida, Mœlibea, Sagra, Licoſtomum, Pidanomum, Sidrus, Campſa, Platamon, Volanda, Granea, Bardar. Vltra ſinus in læuam abit, relictâque Theſſalonicâ, celebrantur Medinia, Lembalum, Moncaſmum, Siderum, Sermila, S. Georgius, Mendina, & oppidum Caniſtrum: quod ſinus minor excipit, in cuius margine Caſſandra, Aiomama, Polirum, & Palene. Altero item in ſinu mediocris circuitus, cui appellatio eſt, à Monte Sancto, includuntur, Cernirus, Doatia, Biſalta, Sana, Oliforium, & Cleon. Tum patenti in flexu ad ſinum Comitiſſæ,

poſt

poſt Acroton, Straton, Caliſpo, Rutaris, Sandinum, media in ipſo ſinu Comitiſſa, curuúmq; & ſeſe mari obtendens Languſtrum. Proximè eſt pręter Neapolim Giſopolis, hinc Sauaſtopolis, Chriſtopolis, & Caſtropolis, vicina Abderæ. Deinde Aſperoſa, Maronia, Macra, Ligia, Mecha Noua, Caridia, & ipſa in ſinu celebris. Elconis, Ladeua, Dardanella, Melitus, Poliſtrum, Bizantia Minor, Pandia, Rudiſcus, Selimbria, Lemocopia arx ad Propontidem, à Mahumete Turcico Imp. ſtructa: Conſtantinopolis, olim Biſantium, ampliata, & reſtaurata à Conſtantino Magno, ſita in faucibus Thracij Boſpori, qui Europam ab Aſiâ ſtadiis v. diſterminat. Iſtius veluti ſuburbium eſt Pera, colonia Genuenſium, quam ſubſequitur Filea. Hic ſubiungere licet totius Maris Euxini, & Męotidis paludis circumductionem, Capite XXXVIII. præcedentis Libri, per errorem, omiſſam, ad quam, velut ad ſpeculum, antiquæ illius deſcriptionis imaginem figurans Lector recurrat, & nouæ, cuius iſto Capite vrbes, fluminàque, & promontoria nonnulla recenſentur, ſpecimen aliquod videat.



Statim à Perâ & Conſtantinopoli, Maivs Mare, olim Euxinus, vaſtè longum littus impellit, ſummotáſque terras vrgens, molli in circuitu admittit, Malathiam, Stagnaram, Salmida, Gatopolim, Aſinem, Siſopolim, Strauicum, Galarum, Varnam, Carbonam,

Arauranam, Caliacam, Bangalam, Zanauardam, Kiliam, Licoſtenon, Kiliam Nouam, Bialigordam, Salinas, Falconaram, Moncaſtrum, Oſicam, Hermonactim, Gineſtrum, Crocidam, Calamidam, vel Calamitam, Zebim, Ponticum, Cacagianum, Megropolim. Quà verò mare vltimum ſui flexum MÆOTIDE finit, vrbes alluit, Comaniam, Palaſtram, Pizam, Bacruchim, Lopezum, & Copam. Tum recurſus eſt ad MAIVS MARE, cuius læuum latus, Conſtantinopolim repetentibus, oppidis cingitur Suſaco, Cacari, Pezondâ, Goto, Tamasâ, Sauaroli, Trebizundâ, Ceraſo, Limoniâ, Simiſo, Colipo, Sinopi, Carambi, & Limo. Ruſúmque ad MARE DE MARMORA, olim Propontis, ſequentes vrbes littus onerant, Comerchum, S. Angelus, Scutaris, Quiuiza, Olbia, Chriſtoos, Neangoma, Tritamum, Pruſias, Schios, Diaſchillus, Palormos, Lartachi, Rhodia, Andanum, Marmora, de quâ nuncupatur pelagus, Cabri, Spiga, Arco, & Paris. Sequens tractus HELLESPONTVM tangit, faciénſque arctius mare, quod Brachium S. Georgij nunc appellatur, vrbibus minus vetuſtis tegitur, Anico, Aueo, Paradiſo, Paſeguiâ, Mercatori Paſeguia. Inde recedentes terræ cedunt, ARCHIPELAGO ab Oriente littus tundente, in quo Ianizar, Scorpiata, Sancti XL. S. Maria, S. Andania, Stinga, Lalea, Gircona, Caſtrum, Troia Noua, Laurus, Stelar, Paſſagium, Lacerea, Calita, Altus Locus, Figena, Demonare, Anuia, Caſſima cum portu, Palatium, Gippus, Meleſſa, Petrania, Agnelli, S. Petrus, Volpe, Barbanicola, Stadia, Statea, Anconita, Fiſchius, Roſſa, Macre, & Leuiſſi. Ad MEDITERRANEVM verò mare circa Cyprum, Patera, Gironda, Satalia, Caramaniæ, quæ Cilicia olim, Prouinciæ exordium, Forte, Anthiocheta, Scalemura, Dragata, Spuria, Selechia, Polopolis, Grigos, & Miſis. In Inſulâ autem CYPRO, Famaguſta, ſtatim ab excidio Ptolomaidis Syriæ vrbis condita, ab Henrico Cypri Rege ann. Sal. MCCXC. Miſim ſequitur Laiazzus, Candelona, Soldinum, Peſſera, Talicum, Morgatum, Tortoſa, Tripolis Syriæ, Cana Maior, Neſſis à Conſtantio Conſtantini Magni filio, ann. eius Imperij IX. reparata, excauato ibi portu. In proximo eſt Gibelletum, mox caſtrum Sandalidum, à Balduino Ieroſolymitano Rege reſuſcitatum: hinc Sait, Suro, Sicaminúmque Galileæ. Has vrbes Iudeæ recentiores excipiunt, versùs Ægyptum ſeſe oſtendentes, ad Mediterraneum mare, Canme, Saffo, Rama, Cazza, Faramis, & Tenexe. Vltra, vrbs Ægypti Damietta, Peluſij in locum erecta, proxima Elmali. Hinc Tanis, Andrus, Taffa, Mendetis, Batin, Bichiera, Roſetum, ſiue Roſſeta, emporium nobile, Biemoris, Turris Arabum poſt Alexandriam, Caroberium, Zazale, Panormus, Cherſis, Phicus, Banaudrea, Bernicum, Zanara, Licudia, Auzica, Meſurata, Magra, ſiue Macres cum portu, nuper excitata in ſinu Cabeſo. Succurrit Megdil, Tripolis Barbariæ,

Multa eorum quæ ſequuntur à Leone Africano deſumpta ſunt, in deſcript. Africæ.

Zoara,

Zoara, Portota, Caladeris, Capes, Caſaltromol, Aſacus, vel Asfacus ciuitas ab Afris ædificata, Scarlata, Marſa, hoc eſt, portus, in portu antiquæ Carthaginis condita, Suſa cum portu, Heraclia, Hammanet, Mahometanorum opus; ſicut & Mahometa, in memoriam falſi Prophetæ. Ibi & aliæ vrbes, inter quas, Monaſterium, Tohulba, Mahdia, à Mahdio ſucceſſore primi Pontificis Cairæ conſtructa: poſt Arriana eſt, & Zafaramum, & Nubia, & Neapolis, & Raba, & Cairaona, ab Hucbâ Hibnu Naſich condita, Hagiræ (Mahometica computatio eſt) ann. CCC. Hic Arabici exercitus Dux erat ſub Otmano III. Califâ. Numerantur poſtea Guletta ad ſtagnum X. M. longitudinis, quem in nomen ſuum adoptat, arce munitiſſimâ commendata, & Tunetum non ita antiquum nomen, Caroli V. Imperatoris labores duo, circa vtriuſque oppugnationem. Infra, Farina, Garel, Biſerta, vbi quondam Vtica, incolis *Benſart*, Afrorum colonia, Motocaris, Mabra, Petra, Stora, Collo, Gibetamel, Balaffia, Manſinum, Gegel, caſtellum ab Afris ædificatum, Carbon, Merola, Metifus, Temendfuſtum, Teddeleſa, & Algera caput Regni, noſtris *Alger*, incolis *Gezeir*, hoc eſt, vrbs Inſularum, à vicinitate Maioricæ, Minoricæ, & Ieuiſæ. Arx, ſiue propugnaculum Galliæ, leucis centum à Tuneto ſemotum eſt, in ea ora, in quâ piſcatores cymbis inuecti, onerata plumbo retia pelago dimittunt, hærentémque ſcopulis corallium, ramulis ſuſpenſum, eximunt. Arcem ſeruat Gallicum præſidium, militum plerunque ℈C. Authores habet originis ſuæ Thomam Linchenum, & Carlinum Deſiderium, Maſſilienſes mercatores, qui eam cōdiderunt, ann. MDLXI. Reparata fuit, ann. MDCXXVIII. & ampliata per Sanſonem Nappolonum. Media eſt inter Tuneti & Algeri Regna, totidémque promontoria, Nigrum ſcilicet, & Roſæ; ibi portus cum propugnaculo Callæo, vbi olim fuiſſe Vticam nonnulli putant. In eodem tractu, Biſiner, Serſelli, Aochor, Tenes Germanis cōditoribus, Muſtaganin Afri vocant: qui proximam illi Maſſagram coloniam conſtituerunt. Inde leges Arzerum, Oranium emporium, Oran alij nuncupant, & ipſa colonia ab Afris deducta, ab Hiſpanis occupata, Hegiræ anno DCCCC. In dictarum vrbium vicinia eſt Mazaquibir, aliàs Merſalcabir, quod indicat magnum portum, condidêre nuper Reges Telenſini. Hinc videbis Fabilam, Onem, Guardam, Iaffarin, Melitam, aliquibus Melela, Chaſanam, Tezzotam, quæ authores habet Beni Marini ſucceſſores, Arajam, Meggeum, Afrorum coloniam, ſicut & Tebecrit, Hunamum, & Hareſgol. Subit inde Tagaſſa, Sareſſa, Ielle cum portu, Tegaſſa, Gebba Afris ędificatoribus, Mezemme, & Gothorum fundatio, Targa. Bedis ſequitur, à Luſitanis, Velles de Gumera, Gothorum an Afrorum opus, incertum. In eodem latere, Manſora, à Manſore Califâ conſtituta,

Amlina, & Alcacer. A Meridie fretum Herculeum includunt Feſſæ maritimæ vrbes, cuius Regni cenſentur & iſtæ ad ATLANTICVM PELAGVS, Rache, Mahmora, ad Subonis oſtium per *Muachidin*, Regem neſcio cuius Regni, conſtructa. Iungitur huic Maxinara, Mannoca, Sala, Romanorum primò, mox Gothorum, deinde Matoccianorum colonia, nuper per noſtros occupata, nunc etiam poſſeſſa: Prope eſt Cale, Almançor, & à Manſore ſuſcitata *Caſar Ezzaghir*, hoc eſt, Palatium minus. Poſteà ſuccurrunt, *Haino Chalu*, Anafe, Beniz, Ebnedina, Mazagana, Tite, Lharais ad oſtiũ Lucci fluminis, ante Geſiram Inſulam. Dein Emendera, Anamor, Azamur, quà ſeſe exonerat *Ommirabih*, vbi & Aſaphi, vrbes Afris fundatæ. Infra, Goza, Aman, Tenſit, Teſethne cum portu Luſitanis noto, coloniam ibi miſerunt Afri, ad tuitionem Heæ Regionis. Quà ſe Sala, hodie *Suz*, ad extremum Atlantis montis procurſum exonerat, Guarguesſema imminet, arx à Luſitanis nuper occupata. Stant poſt has, vrbes in littore aliæ, Tedneſte, Mõtana, Magador, Zaffatana, Adechis, *Zebedic*, S. Crux, Suana, & Buleza ſita ad promontorium, quod vulgo dicitur *Cabò de Non*, quòd diu creditum ſit antiquorum nauigationes non vltra proceſſiſſe, illis Gammaria extrema tum fuit. Fama tamen reliquum huius tractus cum ſuis vrbibus, fluminibus & promontoriis Straboni, & Ptolomæo cognitum, vſq; ad Oceanum Æthiopicum & Circulum Æquinoctialem. Ibi incognitæ priſcis Coſmographis vrbes iacent, Offin, Amſoleza, aliàs Anſuler, Angila, Alberne, aliquibus Albene, Bartholomæum, Boiador cum promontorio, quod olim Aſinarium dicebatur: Alagueda, Arguin, Toſiam, Meda, Galla, Tatem, Senega, quæ nomen Regno indidit, Gambra, Stacara, Cazamanca, Pagian, Conceleda, Cama, Alpuſera, & Villa Longa. Poſt quam nulla oppida ad mare, vſq; ad promontorium Formoſum, quod Æthiopiæ Hippodromum exiſtimo: vltra quod vſque ad Praſſum promontoriũ nihil apud antiquos inuenies. Ego noua nomina littoris illius antea memoraui, Cap. XXXIII. iſtius Libri: ideóque huiuſce lateris vrbes reticeo, donec ad Moſambicam Inſulam peruenias, quã ante Praſſum promontorium noſtri ſæculi Coſmographi collocant. Reſtat vt vrbes poſt Conſtantinum in littore Æthiopico ædificatas, à Praſſo promontorio ad mare Rubrum, à quo pręcedens Caput incepit, recenſeam, penetraturus ad intima ſinus Arabici. Igitur poſt Moſambicam in continenti ad Barbaricum ſinum imminent, Finda, Quiramba, Axanga, Quixungo, Quiloa, Matangutta, Mõmbaza, cognita Orbi noſtro ann. Sal. MCCCCIIXC. per Cadamuſtum, Melinda, Iacacoya, Tanca, Pate, Ampaza, Iungaia, Lamon, Braua, Macaia, Marica, Opin, Cumare, Zarzela, Baduis: In latere porro Occidentali Arabici ſinus, Darduri, Micho, Barbara,

ra, Zeila, Zanagoui, S. Lazarus, Suaquem, Buge, Zibit, San, Coſſir, Ficte, Dacan, & Aſirul: vbi mare extremas abluit terras, verſúſque Orientem reflexum vrbibus adlatrat, quas hactenus memoraui, & nunc circumactionem totius Orbis finio. In cuius deſcriptione ſterilitatem coloniarum, hiſtoricorum culpæ benignus lector aſcribet, excuſabitque vocabula tum externa, tum Barbara, quæ Latino ſermone ſatis expreſsè reddi non poſſunt. Aliqua luxuriante ſtilo pro arbitrio accedente ad veram appellationem nunc tradidi; nunc authoritate illorum, qui ante me ſcripſerunt ſuffultus, longè ab hodiernis appellationibus ſepoſitas voces dedi; nunc etiam & barbaras paſſim reliqui, ideò quòd minus ſignificanter Latinas feciſſem, ſi animus fuiſſet aliquid in iis immutare. Præterea iter eſt tritum nuſquam, aut rarò, tum Græcis, tum Romanis. Indidêre nomina, aut audita reliquêre, Luſitani Hiſpani, Afri, Turcæ, Angli, Batatui, & Veneti, cuius plerunq; ſignificationes me fugiunt, Gallicis, Romanis, & Græcis vocibus, tantùm innutritum, nec ſatis etiam ſcienter. Quis enim etiam quæ à matre didicit, quæ à præceptoribus, quæ legendo, vel audiendo, in ſeros annos conſeruat incorrupta? dum addit ætas, & lectio & colloquium, demit & illud quod pueri, quod adoleſcentes didicimus; clauus clauum pellit. Hactenus autem iam ſatis peregrinatum eſt, arduíſque in rebus ſatis animus cum calamo exæſtuauit, tot erroribus in multiplici pelago penè demerſus, amœniora quæ ſequuntur exiſtimo, vt pote quæ ad inquiſitionē Naturæ, artiúmque pertinent, ita declarata, vt ſi in totum docere nequeant, placere tamen diuersâ iucunditate poſſint. Sed ante corollarium huic Capiti addendum, ne quid intactum in Orbis totius maritimi luſtratione relinquam: ac primò de quantitate terræ variæ opiniones fuerunt, quarum probabiliores Strabonis & Hipparchi, qui ſtadiorum 252000. ambitum eius faciunt: Eratoſthenis, qui 250000. Poſidonij & antiquiorum Arabum, qui 240000. Ptolomæi & noſtratium, qui 18000. Arabum recentiorum, qui 204000., Italorum & Germanorum, qui 172800. ſtadiorum faciunt. Diuerſitatem harum opinionum menſura graduum & ſtadiorum cauſauit. Gradus menſura Straboni & Hipparcho ſtadiorum 200. Eratoſtheni 694. Poſidonio & Arabibus antiquioribus 666. Ptolomæo & noſtratibus 500. Recentioribus Arabibus 566. Italis & Germanis 480. Stadia verò diuerſis milliaribus cōſtant, Italicum MILL. 8. Anglicum paulo plus, Arabicum 10. Germanicum 22. Nunc ad ſingularum Mundi partium dimentiones recurrendum. Longitudo Europæ ſumma eſt inter Hiſpaniæ promontorium Sacrum, vulgo *Cabo de Vincente*, ad Obij fluminis oſtium, milliarium Germanicorum circiter DCCCC. Latitudo maxima à Tænaro Peloponneſi promontorio

Robertus Hues, de Globo cæleſti. Part. 3. Cap. 2. Cluuerij introductio Geograph.

ad

ad Rutubas promontorium Scritofinniæ, quod nunc *Noortkyn* MILL. DL. Hiſpaniæ longitudo à Sacro promontorio ad Salſulæ fontem MILL. Germanicorum circiter CXC. latitudo à Celtico promontorio vſque ad promontorium Saturni, incolis *Cabo de Palos* M.CL. longitudo Galliæ à Pyrenæis ad Rheni Vahaliſque diuortia, latitudo à Gobæo promontorio, nunc *Le Four*, ad Varum vſq; flumen olim porrigebatur: contractior hodie, ab extimâ Britanniâ ad Varum, Italiæ terminum, cenſetur M.CLXXX. latitudo à Pyrenæis iugis in Bearniâ ad extremam vſque Picardiam M. CLX. Britannia Inſula in longum habet à Taruidio, ſeu Orcade promontorio, Anglis *Dunsbyheat*, ad Dubrim portum, noſtris *Douure*, M.CL. In latum à Bolerio promontorio *The Lands End*, M.LXX. Iberniæ latitudo M.XXX. longitudo LX. Germania porrecta à Scritofinniæ promontorio Rutubâ ad Danubium continet M. CD. A Rheno iuxta Baſileam ad Amadocam paludem, quæ in confiniis eſt Podoliæ, M.CC. Longitudo Italiæ, ab Alpibus ad Leucopetram promontorium *Capo del armé*, M. CCXXV. latitudo inter Anconam & oſtia Tiberina XXXIV. Dominia in eâ XV. I. Hiſpaniæ ſub quâ Regnum Neapolitanum, Ducatus Mediolanenſis, quædam oppida in Thuſciæ littore: Inſulæ, Sicilia, & Sardinia. II. Dominium eſt Pont. Maximi, in quo, Ager Romanus, Patrimonium D. Petri, Ducatus Spoletanus, Marchia Anconitana, Romaniola, & vrbs agri Neapolitani Beneuentum. III. Venetæ Reip. ſub quâ Hiſtria, Forum Iulij, Marchia Taruiſiana, & inde Longobardiæ pars, vſque ad Bergomum. IV. Magni Ducis Thuſciæ in Thuſciâ. V. Genuenſis Reip. ſub quâ Liguria, cum Inſulâ Corſica. VI. Ducis Parmenſis, in Longobardiâ Tranſpadanâ. VII. Ducis Sabaudiæ, in quo Pedemontium. VIII. Heluetiorum, ſupra lacus Verbanum & Larium. IX. Rhætorum, ſiue Griſonum, in Alpibus. X. Archiducum Auſtriæ, in Comitatu Tirolenſi, & in partibus Alpinis Fori Iulij, & Hiſtriæ. XI. Ducis Mantuani, in Ducatu Mantuæ & Montis-Ferrati. XII. Ducis Mutinenſis. XIII. Ducis Vrbinatis. XIV. Ciuitatis Lucenſis, in vrbe Lucâ. & tandem XV. & vltimum dominium Italiæ, Comitis ſcilicet Mirandulani. Hodie Italiæ duo tantum Regna, Neapolitanum, & Siculum. Primi longitudo à Truenti amnis oſtio ad promontorium Brutium, vulgo *Capo Spartiuento*, Milliariorum Germanicorum, iis enim dimentiones noſtras facimus, XC. latitudo, ab Athenæo promontorio, Italis *Maſſa*, ad promontorium Gargani, nunc *Monte di S. Angelo*, M.XXX. Sicilia in longum habet, inter Pelorum & Lilybæum promontoria, M.L. in latum à Pachyno promontorio ad oppidum Cephalædim, XXXV. Longitudo Sardiniæ à Calari ad fretum, quod inter Sardiniam & Corſicam occurrit, M.XLV. Latitudo à Gorditano promontorio *Capo di monte Falcone*,

Falcone,ad promontoriũ Columbarium *Capo di Argentera*, M.XVI. Corſica à Sacro promontorio, *Puntà di Marono*, ad Graniacum, *Capo di Manza*, M.XXX. A promontorio,quod hodie *Capo di Fero* ad Aleriam, M.X. Longitudo Græciæ à Tænario promontorio Peloponneſi,ad Strymonis Fontes,M.C. latitudo LXXX. inter Sunium & Acroceraunium promontoriã. Longitudo Cretæ Inſulæ, ſiue Candiæ à Samonio ad Corycum promontorium, *Capo Salomoni,Capo Gornico*, M.LXX. latitudo XV. Thraciã à Strymonis Fontibus,ad Meſembriam oppidum,occupat M.LXXX. Ab Æmo monte ad Maſtuſiam Cherſoneſi promontorium LX. Scytharum gens ex Mœſiâ inferiore in Aſiam ad *Tabin* vſq; promontorium, & fretum *Anian*, M. complectitur in longitudine mille & amplius, in latitudine ab Oceano Septentrionali,ad Caucaſum mõtem fontéſque Indi, M.LX. Pars Scytharum in Europâ, Tartari minores,ſiue Præconenſes,quà olim Taurica Cherſoneſus. Vltimi Europæorum Sarmatæ, ab Iſtri & Patiſſi confluentibus ad Obij oſtium,per M.DXI.ſparſi tenent in latum à Rhâ fluuio, ad Granuicum ſinum, MCCCLX. Inter alias Sarmatarum gentes Polonica,cuius ditionis longitudo inter Ortum & Occaſum à Sileſiâ ad Ruſſiam M.LXXX. à Viſtulæ fonte,ad oppidum Moſcouiæ *Vvongrovv*,M.LX. Neque Moſcouia minor eſt Poloniâ,eſt quippe longa inter Litamin promontorium, *Capo Cbi*, ad opp. *Czerkaſſy*, M.CCCLXXX. lata inter Corelemburgum opp. in confinio Finlandiæ, & Obium flumen, iuxta oppidum *Lopin*, M.CCC. Hæ Europæ partium dimentiones ſunt, Aſiæ verò iſtæ. Longitudo eius inter Helleſpontum & Malacam, extremum Indiæ promontorium Germanicorum milliariorum MCCC. latitudo inter fauces Arabici ſinus & Tabin promontorium, mill.MCCXX. Tartaria, alias Tattaria,nomen à fl.Tattar in Aſiatico agro longa eſt à Boryſthenis oſtio,ad Tabin, mill.M.lata ab Obio, ad finem Bramas Regni, DC. A Tattaris, quà mare Eoum tangunt, ad Regnum Sian, Sinenſe dominium extenditur per mill. DC. latitudo inter Damaſia iuga & Oceanum, CCC. Iaponiæ Inſulæ latitudo LXX. longitudo CL. Indiæ veteris longitudo ab Indi fontibus ad extremum Aureæ Cherſoneſi promontorium, mill. DC. latitudo à Damaſis iugis ad Simillam prom. nunc *Comori*, CCCCL. India noua Regna continet, XLVII. Cambaiæ longitudo mill.CLX. latitudo ferè æqualis. Narſingæ longitudo mill.CL. latitudo,XC. Malabaris Regnum in longum extenditur, millia LXXX. in latum,XLV. Bengalæ longitudo, mill.CL. latitudo CLXXX. Sian in longitudine habet,mill.CCC.in latitudine, CLX. Longitudo Regni Perſarum ab Helleſponto vltra Indi oſtia, mill.DCCC. latitudo à Ponto, ad Arabici ſinus fauces, D. antiquâ dimentione, nunc ab Araxis oſtio ad Indi oſtia, mill.habet CCCLX. ab Oxo ad ma-

re Perſicum, CCLXX. Longitudo Arabiæ à mari Ægyptio ad Corodamum promontorium, mill. CCCL. Inter duos Sinus, CCCXL. Cypri latitudo, XV. longitudo, mill. XL. Rhodi circuitus mill. XXX. Africa in ambitu continet III. M. & XXX. milliaria. Regnorum præcipuum Æthiopia, ab Ægypto ad Monotapæ regnum patens, mill. DLXXX. à faucibus Arabici ſinus ad Nigrum fl. mill. CCCCL. Longitudo Americæ inter duo freta Anian & Magellanicum mill. MMCCCC. latitudo maxima, intra promontoria Fortunæ & Britonum MCCC.

CAPVT QVADRAGESIMVM.

Multos ad Nauticam, naualéſque victorias, per ſydera vocari. Aliqua de Vrinatoribus. Tempeſtatum præſagia. Ventorum cauſa, nomina, genera, obſeruationes. Notæ, ſiue caracteres, quibus Romani olim Ventos, aliáque ad rem nauticam pertinentia, ſignificabant.

NAVIGATIS totius orbis littoribus, neceſſarium viſum eſt nautam facere, qui cognita maria ſulcet, noua generoſus inquirat. Hoc ars, hoc experientia ſolæ non faciunt, naſcimur potius quàm fimus nautæ. Apud Chaldæos Beroſus, apud Græcos Eudoxus Gnidius, Aratus, Ariſtoteles & Empedocles: apud Ægyptios Ptolomæus: apud Latinos Iulius Firmicus, & M. Manilius tradunt, eos qui ſub Piſcibus, aut Delphino naſcuntur, nautas, vrinatoréſque excellentiſſimos eſſe. In iis quoque lienis defectus multùm prodeſſe ſe creditur. Nam quibus deeſt lien, natatu plurimum valere prohibentur. Horum præcipui ſunt Ichthyophagi, Troglodytis proximi, ceu maris belluæ, immenſos tractus natatu peragrantes. Inter vrinatores celebrantur Scyllis Sicyonius, Cola Catanæus, Andreas Mergus Ligur. At cui horoſcopus fuerit Piſtris, is nauta eximius. Sub Ariete quoque nautas gigni, & helcyarios, nauiúmque fabricatores aſtronomi volunt. Mirandum iſtud, quod in ſculpturis Salomonis videtur, lapidem in quo nauis imago ſit, retortâ prorâ, velis patentibus, ſcalptum, Sole in Leone exiſtente, Saturno & Marte à Meridionali parte conſtitutis, geſtantem, bonum nautam & in nauigationibus fœlicem reddere. Quod & Aſtronomi euenire illi putãt, qui Nauim in horoſcopo habuerit:

Pontan. Vran. l. 3.

Ergo cui primo Nauis ſeſe obtulit ortu
In lucem venienti, hunc æquora ſalſa magiſtrum
Agnoſcent, reget ipſe manu, clauúmque tenebit,

Typhin

Typhin & inſanâ referet ſpeculator in vndâ,
Ipſe gubernator ſic ſe Palinurus agebat
Explorans ventos, atque auribus aëra captans,
Talis & à Capreis villoſo tectus amictu
Vela dat, obliquâtque ſinus, & colligit Euros.

De eodem Signo, * Manilius: * *Aſtronomic. l. 5.*

Illo quiſquis erit terris oriente creatus,
Rector erit puppis, clauóque immobilis hærens
Mutabit pelago terras, ventiſque ſequetur
Fortunam, totúmque volet tranare profundum
Claſſibus, atque alios menſes, aliúmque videre
Phaſin, & in cautes Tiphyn ſuperare trementem.

Idem de iis * dicit, qui ſub Ariete naſcuntur, niſi quod, ad Helles exemplū, ſępenumerò pelago pereunt, vel ſaltem bonorum naufragium patiuntur. Contra ſub Cancro in lucem emiſſi, maritimis quęſtubus ſemper maiores addunt, nihil non audentes ſpe lucri: * *Lib. 4. Cap. 1. & 2.*

Vltima quos Gemini producunt ſydera Piſces,
His erit in pontum ſtudium, vitámque profundo
Credent, & proris aut puppibus arma parabunt;
Quidquid & in proprios pelagus deſiderat vſus.
Innumeræ veniunt artes: vix nomina rebus
Sufficiunt, tot ſunt paruæ quoque membra carinæ.
Adde gubernandi ſtudium, peruenit in aſtra,
Et pontum cœlo coniunxit. Nouerit Orbem
Fluminàque, & portus Mundi, Ventóſque neceſſe eſt:
Iámque huc atque illuc caligine vertere clauum,
Et frænare ratem, fluctúſque effindere rectos:
Aut remis agere, & lentas inflectere tonſas:
Et placidum ductis euertere retibus æquor,
Littoribúſque ſuis populos exponere captos.
Aut vncos celare cibis, aut carcere fraudem,
Nauales etiam pugnas, pendentia bella,
Attribuunt, pelagíque infectos ſanguine fluctus.

Igitur bello nauali vincet, qui Piſces in horoſcopo habebit, nouóſque orbes quæret, mirus artifex nauium, mirus gubernator, ventorúmque & tempeſtatum pręſagus, ne non modò in culpâ ſit apud negotiatores, ſed & ſe, ſimul & nauigantes naufragio eripiat. Sunt autem iſta ingruentis tempeſtatis pronoſtica.

Iam ſibi tum curuis malè temperat vnda carinis *Virgil. Georgic. 1.*
Cùm medio celeres reuolant ex æquore mergi,
Clamorémque ferunt ad littora: cúmque marinæ
In ſicco ludunt fulicæ: notáſque paludes
Deſerit, atque altam ſupra volat ardea nubem.
Sæpè etiam ſtellas, vento impendente, videbis

Præcipites cœlo labi, noctiſque per vmbram
Flammarum longos à tergo albeſcere tractus.
Sæpè leuem paleam, & frondes volitare caducas,
Aut ſummâ nantes in aquâ colludere plumas.
At Boreæ de parte trucis cùm fulminat, & cùm
Eurique Zephyrique tonat domus, omnia plenis
Rura natant foſsis, atque omnis nauita ponto
Humida vela legit. Nunquam imprudentibus imber
Obfuit: aut illum ſurgentem vallibus imis
Aëriæ fugêre grues: aut bucula cœlum
Suſpiciens, patulis captauit naribus auras:
Aut arguta lacus circumuolitauit hirundo:
Et veterem in limo ranæ cecinêre querelam.
Sæpius & tectis penetralibus extulit oua
Anguſtum formica terens iter, & bibit ingens
Arcus, & è paſtu decedens agmine magno
Coruorum increpuit denſis exercitus alis.
Iam varias pelagi volucres, & quæ Aſia circùm
Dulcibus in ſtagnis rimantur prata Cayſtri,
Certatìm largos humeris infundere rores:
Nunc caput obiectare fretis, nunc currere in vndas,
Et ſtudio incaſſum videas geſtire lauandi.
Tum cornix plenâ pluuiam vocat improba voce,
Et ſola in ſiccâ ſecum ſpatiatur arenâ.
Nec minus ex imbri Soles, & aperta ſerena
Proſpicere, & certis poteris cognoſcere ſignis.
Nam neque tum ſtellis acies obtuſa videtur,
Nec fratris radiis obnoxia ſurgere Luna,
Tenuia nec lanæ per cœlum vellera ferri.
Non tepidum ad ſolem pennas in littore pandunt
Dilectæ Thetidi alcyones: non ore ſolutos
Immundi meminêre ſues iactare maniplos.
At nebulæ magis ima petunt, campóque recumbunt:
Solis & occaſum ſeruans de culmine ſummo
Nequicquam ſeros exercet noctua queſtus.
Apparet liquido ſublimis in aëre Niſus,
Et pro purpureo pœnas dat Scylla capillo,
Tum liquidas corui preſſo ter gutture voces,
Aut quater ingeminant, & ſæpè cubilibus altis
Neſcio quâ præter ſolitum dulcedine læti
Inter ſe foliis ſtrepitant. Iuuat imbribus actis
Progeniem paruam, dulceſque reuiſere nidos.
Luna reuertentes cùm primùm colligit ignes,
Si nigrum obſcuro comprenderit aëra cornu,

Maximus

Maximus agricolis pelagóque parabitur imber.
At ſi virgineum ſuffuderit ore ruborem,
Ventus erit: vento ſemper rubet aurea Phœbe.
Sin ortu quarto, námque eſt certiſſimus author,
Pura, nec obtuſis per cœlum cornibus ibit,
Totus & ille dies, & qui naſcentur ab illo,
Exactum ad menſem, pluniâ ventiſque carebunt:
Votáque ſeruati ſoluent in littore nautæ
Glauco, & Panopeæ, & Inoo Melicertæ.
Sol quoque & exoriens, & cùm ſe condet in vndas,
Signa dabit: Solem certiſſima ſigna ſequentur,
Et quæ mane refert, & quæ ſurgentibus aſtris,
Ille vbi naſcentem maculis variauerit ortum
Conditus in nubem, medióque refugerit orbe:
Suſpecti tibi ſint imbres: námque vrget ab alto
Arboribus, ſatiſque Notus, pecorique ſiniſter.
Aut vbi ſub lucem denſâ inter nubila ſeſe
Diuerſi rumpent radij, aut vbi pallida ſurget
Tithoni croceum linquens Aurora cubile:
Tum multa in tectis crepitans, ſalit horrida grando.
Hoc etiam emenſo cùm iam deſcendet Olympo,
Profuerit meminiſſe magis. Nam ſæpè videmus
Ipſius in vultu varios errare colores.
Cæruleus pluuiam denuntiat: igneus Euros:
Sin maculæ incipient rutilo immiſcerier igni:
Omnia tunc pariter vento, nimbiſque videbis.
Feruere. Non illâ quiſquam me nocte per altum
Ire, neque à terrâ moneat conuellere funem.
At ſi cùm referétque diem, condétque relatum,
Lucidus orbis erit, fruſtra terrebere nimbis,
Et claro ſyluas cernes Aquilone moueri.

Apud Varronem ita eſt. Si quarto die Luna erit directa, magnam tempeſtatem in mari præſagiet: niſi ſi coronam circa ſe habebit; & eam ſinceram. Si in ortu cornua craſſiora fuerint, naufragium. Cùm repentè ſtellarum fulgor obumbratur, vti neque nubilo, neque caligine fluitans, graues denunciantur tempeſtates. Si volitare plures ſtellæ videbuntur, quò feruntur albeſcentes, ventos ex iis partibus nunciant. At ſi circâ purè ſtabunt, certos. Fulgurum effigies, ceu vocali quodam ſono, inſiſtunt aliquando antennis & aliis nauium partibus, & vt volucres ſedem ex ſede mutant. Geminæ ſalutares, & proſperi curſus prænunciæ. Caſtori & Polluci Numinibus ea lumina olim aſſignata. Si flamma vnica apparuerit, Helenæ, tempeſtatis & naufragij præſagæ, causâ, vt Plinius ſcribit, in Naturæ maieſtate abdita. Ea au- *Plin. lib. 18. c. 35.* *Lib. 2. Cap. 37.*

 tem

tem lumina exhalationes ſunt, vel impreſſiones aëris præcedentes è ſpiſſitate vaporis, è nauigio, & hominibus qui in eo ſunt, naſcentis, pugnantis cum frigore nocturno, eleuantiſq; ſe & colligentis in primâ regione aëris. Quæ exhalatio ſi corpori aliquo coniungatur, incenditur, ſuſpenſaque in alto micat, donec in totum conſumatur. Si plures ignes fuerint citius conſumunt tempeſtatis materiam, ſi vnus, tardius. Sunt in ſigno Cancri, duæ ſtellæ paruæ, Aſelli appellantur, exiguum inter illas ſpatium obtinente nubeculâ, quam Præſepia vocant. Hæc cùm cælo ſereno apparere deſierint, atrox hyems ſequetur. Si alteram earum Aquiloniam, caligo abſtulerit, Auſter ſæuit. Si Auſtrinam, Aquilo. Cùm ſereno cœlo fulget, pluuiæ erunt, & tonitrua, & hyemabit: atrociſſimè autem, cùm ex omnibus quatuor cœli partibus fulgurabit. Nube grauidâ candicante, quam vocant tempeſtatem albam, grando imminebit. Mare, ſi in tranquillo portu à curſu ſtabit, & murmurauerit intra ſe, ventum prædicit: littora ripæque ſi in tranquillo quoque reſonauerint, aſperam tempeſtatem. Pulmones marini in pelago, plurium dierum hyemen portendunt. Præſagiunt & tempeſtatem animalia: Delphini in ſerenitate laſciuientes, flatum, ex quâ veniunt parte. Item ſpargentes aquam. Loligo volitans, conchæ adhæreſcentes, echini affligentes ſeſe, aut arenâ ſaburrantes, tempeſtatis ſigna ſunt. Albæ quoque aues vbi congregantur. Trifolium inhorteſcere, & folia contra tempeſtatem ſubrigere certum eſt. Nec non & in conuiuiis menſiſque noſtris, vaſa quibus eſculentum additur, ſudorem repoſitoriis linquentia, diras tempeſtas denunciant. Horum præſagiorum certus nauta ſibi conſulet, maximè ſi ventorum flatus & effectus nouerit, quâ parte naſcantur & ſpirent, quod ipſa nomina, tum antiqua, tum recentia oſtendunt.

De præſagiis tempeſtatum God. Stevvechius comment. ad Cap. 2. lib. 5. Vegetij. Cluuerius lib. 1. Introduct. in vniuerſ. Geographiam, cap. 8.

Nomina antiqua Ventorum.	Nomina recentia in Germanico Mari.
1. Subſolanus.	1. *Eſt.*
2. Hypeurus.	2. *Eſt quart au Zud.*
3. Eurus.	3. *Eſt Zud Eſt.*
4. Meſeurus.	4. *Zud Eſt quart à l'Eſt.*
5. Vulturnus, vel Notapeliotis.	5. *Zud Eſt.*
6. Hypophœnix.	6. *Zud Eſt quart au Zud.*
7. Leuconotus, ſiue Phœnix.	7. *Zud Zud Eſt.*
8. Meſophœnix.	8. *Zud quart à l'Eſt.*
9. Auſter.	9. *Zud du pole Meridien.*
10. Notus, forſan Libonotus.	10. *Zud, Zud-Oueſt.*

11. Meſoli

11. Meſolibonotus.	11. *Zud quart à l'Oueſt.*
12. Hypolibonotus.	12. *Zud-Oueſt, quart au Zud.*
13. Notalibycus.	13. *Zud-Oueſt.*
14. Meſafricus.	14. *Zud-Oueſt quart à l'Oueſt.*
15. Africus.	15. *Oueſt Zud-Oueſt.*
16. Hypafricus.	16. *Oueſt quart au Zud.*
17. Fauonius.	17. *Oueſt.*
18. Meſocorus.	18. *Oueſt quart au Nord.*
19. Corus,ſiue Caurus,&Iapyx.	19. *Oueſt Nord-Oueſt.*
20. Hypocorus.	20. *Nord-Oueſt quart à l'Oueſt.*
21. Borealibycus.	21. *Nord-oueſt.*
22. Hypocircius.	22. *Nord-Oueſt quart au Nord.*
23. Circius.	23. *Nord Nord-Oueſt.*
24. Meſocircius.	24. *Nord quart à l'Oueſt.*
25. Septentrio.	25. *Nord.*
26. Hypaquilo.	26. *Nord quart à l'Eſt.*
27. Aquilo.	27. *Nord Nord-Eſt.*
28. Meſaquilo.	28. *Nord quart au Nord.*
29. Boreapeliotes.	29. *Nord-Eſt.*
30. Hypocæcias.	30. *Nord-Eſt quart à l'Eſt.*
31. Cæcias.	31. *Eſt Nord-Eſt.*
32. Meſocæcias.	32. *Eſt quart au Nord.*

In Mediterraneo mari XVI. præcipui venti agnoſcuntur, quorum vocabula ſunt: *Leuente, Sirocco Leuente, Sirocco, Oſtro Sirocco, Oſtro, Oſtro Garbino, Garbino, Ponente Garbino, Ponente, Ponente Maeſtro, Maeſtro, Maeſtro Tramontana, Tramontana, Græco Tramontana, Græco, Græco Leuente.* Hodie in Atlantico mari & Pacifico, aliiſq; æquoribus, creuit in immenſum Ventorum ſoboles, creſcitque quotidie, aut quia non ante benè cogniti fuerunt, aut quia naſcantur in dies, ſeu motu terrarum & hiatibus expreſſi, ſeu pelago in ſinus nouos telluris erumpente, & ventos clauſos expellente, iámque duplicauêre, exemplo antiquorum, qui præter cardinales ſpiritus, alios quoque particulares habuêre, nõ vltra certum prócedẽtes tractum, aliquando etiam eò loci expirantes, quo ortum habent. Sic olim apud Athenienſes Scyron, paululum ab Argeſte deflexus notiſſimus fuit, reliquæ tamen Græciæ ignotus. Aliubi elatior, etiam idem Olympias vocatur. Ventorum materia eſt, non tantum terra, ſed & fluuij, niues, mare, nam in iis plurimum ſpiritus ineſt, qui ob inſitam leuitatem, & materiæ tenuitatem, cùm in nebulam aut niuem tranſire non poſſit, in ventum abit. Sicci porro halitus & calidi, vi Solis & Aſtrorum perlati, à frigore, ſuperiora per antiperiſtaſim denſante, repulſi, & exhalationibus aliis occurſantes, ventos faciunt, hac illac vagari

Merlin. Coccaius Macaron. lib. 2.

Plin. lib. 2. c. 47. Seneca Natural. quæſtion. lib. 5.

Vide Mizaldi Meteorol. Henrionis Coſmograph. lib 1. c. 15.

gari coactos, in ſuo primo exortu circa horizontem remiſſiores, & debilius ſpirantes, ab illo verò remoti, ceu flumina à ſuo fonte, accedente ſubinde à terrâ per aërem, noua exhalationum catervâ, fortius graſſantur, & collectis à multitudine viribus, quà datâ portâ ruunt. Nam ex ſucciſiuâ per horizontem exhalationum impulſione fiunt, & ab iiſdem impelluntur, perinde atque in aqua ex proiecto lapide circulus à circulo, donec ad eum, qui omnium eſt maximus, ventum ſit, in quo impetus omnis exhauſtis viribus paulatim remittitur, atque langueſcit. Et quoniam Ventorum locus eſt infima aëris regio, ideò à montibus & eminentibus locis facilè abſcinduntur; & ne deorſum ſæuiant, refringuntur: qui ſupra terræ, maris, & fluuiorum planiciem liberius vagantur. In magno æſtu, vel frigore, pauci ſpirant, quia in illo, exhalatio, quæ Ventorum pabulum eſt, à Sole depaſcitur: in hoc verò, terra gelu conſtricta, fumos exhalare non poteſt. Ventos dedit Deus ad aëris terrarúmque temperiem: præterea ad euocandas ſupprimendáſque pluuias, & alendos ſatorum arborúmque fructus: necnon ad difflationem, quæ putredinis eſt vindex. Sunt Venti Anniuerſarij ſtato Anni tempore recurrentes, vt Eteſiæ, qui poſt æſtiuales verſiones, Sole Cancrum, Leonémque peragrante, ſpirant: quibus Ornithiæ ſunt oppoſiti, poſt Solis hiemales verſiones, hoc eſt, poſt brumale Solſtitium, ſpirantes: Chelidonij dicti, ab aduentu hirundinum. Sunt & Venti repentini, dicti, quod magno fragore ſubitò oriantur, ſubitò occidant: quales, Preſter, Ecnephias, Typhon, & Turbo. Quid differant inter ſe poſt Plinium, & Apuleium lib. de Mundo, exponit Mizaldus in Aphoriſmis Ventorum. In Narbonenſi Galliâ regnat Circius, nulli violentiâ inferior: Oſtiam plerunque rectè per Liguſticum, Tyrrhenúmque maria delatus, Italiæ oram conturbat. Idem non modò reliquis partibus cœli ignotus eſt, iugi modici occurſu, tantus ille Ventorum eſt coërcitus.

Pontan. Meteor. lib.

Omnis in aduerſos ventus non peruenit axes,
Et quidam certo ſedem poſuêre receſſu,
Circion Hiſpanas fama eſt regnare per vrbes,
Et pecori ſtrages meditantem & prœlia nautis.
Non Alpes hunc Aëriæ, non frigida norunt
Pangæa, aut nimbis nunquam non turbidus Hæmus,
Vix feſſum Entellæ excipiunt, cauáque oſtia Macræ.
Sentit vicinum Solem Nabatheius Eurus,
Arentéſque impellit equos comitante calore.
Diuerſum Zephyri ſpirant Aquilone propinquo,
Et Solem feſſum excipiunt, altóque cadentem:
Frigidus hinc pluuiúſque vigor. Sed turbidus Auſter
Ipſe agit vndantes nimborum in prœlia turmas,

Dux

Dux ipſe pluuiarum, & longè maximus author
Educto namque immenſum regione peruſtâ,
Denſorum fluctus longinquâ ab ſede vaporum
Inuoluit, raptáque agitans, qui deinde ſoluti
Fundunt præcipites abruptis nubibus imbres,
Diluuióque vnà abſorbent puppéſque viróſque
Tantùm Auſter diſcuſſa furens per nubila ſæuit.
Flat ſaltus poſt Pelignos, quà voluitur ingens
Aternus de valle cauâ, atque humentibus antris.
Ipſa quidem poſt mane nouum cita Solis ab Ortu
Aura recens, quâ culta nitent, quâ poma fouentur
Ramis læta ſuis, largo & ſata ſemine turgent,
Hæc eadem rapidum ad Solem, medióſque per æſtus
Non longo ſpatio prouecta, aut viribus auctis
Vaneſcit primo moriens, & ſoluitur æuo.
Vſque adeo variant venti, víſque inſita ventis.
Illyricus ſpecus eſt ingens in finibus, antrum
Ventorum immane, vnde iræ imminitéſque procellæ
Erumpunt, quoties terris fera ſæuit Erinnys,
Immittitque hyemes pelago, & ſe proripit vmbris:
Non tutæ ſtabulis pecudes, non oppida muris,
Non ipſo in portu claſſes. Fremit Adria, & atros
Horreſcit trepidâ Garganus ab arce tumultus:
Non illo quidquam vento crudelius, vt ſe
Excuſſitque antro, & portis ruit acer apertis.

In Ægypto regnare Auſtrum authores negant. Hinc ibi nunquã pluit. Quò fit manifeſta lex Naturæ, Ventis etiam & tempore & fine dicto. Sidera quoq; Ventos faciunt. Sole Aquarij xxv. partem obtinente, Fauonij hybernum molliunt cœlum, aperiúntq; nauigantibus maria. Subſolanus regnat in exortu Vergiliarum. Leonis exortum Aquilones antecedunt. Poſt biduum autem exortus, iidem Aquilones conſtantius perflant, diebus quadraginta, quos Eteſias vocant. Molliri iis creditur Solis vapor geminatus ardore ſyderis: nec vlli ventorum magis ſtati ſunt. Poſt eos rurſus Auſtri frequentes vſque ad ſidus Arcturi, quod exoritur xi. diebus ante Æquinoctium Autumni. Cum hoc Corus incipit. Ante Brumam ſeptem diebus, totidémque poſtea, ſternitur mare Alcyonum fœturæ, & inde nomen ij dies traxêre, Alcioneíque appellantur.

Pérque dies placidos hyberno tempore ſeptem
Incubat Alcyone pendentibus æquore nidis, Ouid. Metamorpho. lib. 11.
Tum via tuta maris, ventos cuſtodit & arcet
Æolis egreſſu, preſtátque triremibus æquor.

Reliquum tempus hyemat. In mari Indico, quà Calecutum verſùs

ſùs nauigatur, & Inſulas Moluccas, à Iunio menſe vſq; ad Octobrem ſpirat ventus Orientalis: ſex autem ſequentibus menſibus Occidentalis. Qui ex Europâ in Inſulam Hiſpaniolam nauigant, Aprili ſoluunt, in eámque perueniunt Septembris initio, cum Orientales ſurgunt venti, excitantúrque vracanæ, ſic tempeſtates nautæ vocant diuerſis ventorum flatibus excitæ. Contra, qui in Portum Belum vela faciunt, Auguſto menſe ſoluunt, vt ſub finem Nouembris eò perueniant, Orientalibus ventis ſpirantibus. Contra ex Americâ in Europam tendentes è portu Auenæ ſoluunt menſe Iunio, vt ante hyemem perueniant in locum deſtinatum, Aquilonaribus ventis flantibus. Ceterum ventorum frigidiſſimi in hemiſpherio noſtro ſunt Septentrionales, Auſtrales humidi. Sicci Corus & Vulturnus: Niuales Aquilo & Septentrio. Grandines Septentrio importat & Corus. Æſtuoſus Auſter. Tepidi Vulturnus & Fauonius. Iidem Subſolano ſicciores. Saluberrimus omnium Aquilo, quia ſiccus & frigidior. Noxius Auſter, fortaſſis quia magis humidus. Eteſiæ noctu deſinunt flare, & à tertiâ diei horâ oriuntur. In Hiſpaniâ & Aſiâ ab Oriente flatus eſt eorum, in Ponto ab Aquilone, reliquis in partibus à Meridie. Permutant & venti naturam cum ſitu. Auſter Africæ ſerenus, Aquilo nubilus. Sunt & repentini flatus, exhalante terrâ coorti, rurſúſque deiecti in terram, obductâ nubium mole multiformes. Procelloſi à Græcis Ecnephiæ vocantur. Verticoſi, Tiphones, quibus aſperſio aceti remedio eſt. Turbinoſi, Preſteri. Qui ex humectâ perflant terrâ, Apogæi: quos matutino in primis ſpirare Theophraſtus tradit, vapore refrigerato. Qui ex ſinu particulari euaporant, Encolpiæ. Qui ex mari ipſo, Altani. Flatus qui cum aquâ tumultuosè profusâ inhorrentes, & fragoſi feruntur, Exhydriæ ab Ariſtotele vocantur. Quicunque verò in rectum proflant, Euthypnoi nuncupantur. Ex violentis flatibus Cætegis eſt, deſuper pulſans cum fragore. Stridens inter flandum, Thyella. Lælaps autem, ſicut & Strobilus, flatus eſt reuolutus ex inferno loco ſurſum verſus, Anaphyſemata Græci vocant. In hac porro ventorum diſſeptatione illud haudquaquam omittendum, ventos quandoque ſibi ipſis aduerſos ſpirare motu quodam reciproco, ſicut ij qui inde appellantur Palimboreæ, ac ſi retrogrados Boreas diceres. Putat Theophraſtus iſta prouenire locorum, montiúmque prominentiâ, quibus occurſantes flatus, cùm nequeant tranſilire, neceſſariò repercuſſi reſiliunt. Sicuti in Macedoniâ vſu venire obſeruatum eſt, vbi Boreas Boreæ aduerſus diflare animaduertitur, montium ſuperciliis, & Olympi in primis atque oſſæ reiectus. Ventum proſperius flantem Homericè dicas πλησίστιον, id eſt, vela implentem. Ornithiæ venti appellantur, Aquilonum genus ex aëre ſati, minori niſu, nec ingi perſeueran-

Rhodigin. lib. 20. lection. antiq. c. 29.

Apuleius de Mundo.

tiâ

tiâ ſpiritus perferentes. Dicitur Pinea, ſiue Vertex, cùm torquetur humus arida, & ab infimis erigitur ad ſummum. Igitur ſicut venti varij, eorum quoque cauſæ & poteſtates variæ.

Aridus hos vapor atque imâ tellure remiſſus
Progenerat, viréſque animis, robúrque miniſtrat; *Pontan. Meteor. lib.*
Sol pater educit, mater dedit vbera Tellus.
A ſummo Boreas, Notus imo ſpirat olympo.
Occaſum obſedit Zephyrus, venit Eurus ab ortu.
Hos circùm varij dextrâ læuâque feruntur,
Atque agitant tenues diuerſis flatibus auras.
Et quoniam medium luſtrans Sol circuit orbem,
Per duodena vago digreſſus Signa meatu,
Idcircò quidquid gremio Telluris in altum,
Eduxit partim algentem feſtinat in Arcton,
Partim ad decliuem Libyæ diuertitur oram,
Dum radios ac ſæua timens incendia vitat.
An dextrâ læuâque ferens ſe, impunè vagatur
Fumida vis, quandò hinc Libycos, aſt inde receſſus
Arctoos, ſemel in toto Sol ambiat anno?
Vnde ſibi vis ipſa & opes, & robora firmet?
Cùm tamen aſſiduus mediâ regione recurſet
Eoum, Heſperiúmque petens Sol annuus orbem,
Vrat, & accenſos quos ipſe per aëra fumos
Traxerat? inde frequens nunc hinc, nunc effurit illinc
Frigidus aut Aquilo, aut nimbis violentior Auſter,
Auſter Solſtitio veniens, regníſque peruſtis?
Vnde calet magis, & pennis madidantibus vſus
Inuergit largos agris ſitientibus imbres,
Quin imo quoque degrediens, & feſſus, & in ſe
Sæpè repercuſſus, grauiores concipit æſtus.
At Boreæ patriam horrentem, frigíſque, rigórque,
Inſedêre, hinc terra gelu concreta vaporat
Tenuius, horreſcitque aër, volat inde ferenus
Spiritus, & ſiccis veſtigia promouet alis,
An quia ſumma tenens cæli loca, multus & ingens
Inde ruit, pellitque auras, & nubila differt,
Nulla vt Hyperboreo maneant veſtigia tractu?
Sed tamen & longo: vectus trans æquora curſu
Irrorat caput, & madidus ceruice fluenti
Fundit aquas, ſeruátque etiam quæ fœdera ſanxit.
Nanque olim prouectum Auſtrum trans littora Rheni
Oceano fama, & toties refluentibus vndis,
Excipit incautum Boreas, & vincula nectit,
Ille vt ſe captum agnouit, ſenſitque cathenas,

 Non

Non ego te Siculóve mari, nec finibus Afri
Littoris arcuerim. Liceat nam te quoque noſtram
Viſere Cyrenen, Lybicóſque intrare receſſus,
Ac noſtro terram arentem ſatiare liquore.
Inde hic ſecurus per regna aliena recurſat,
Et madidus pennis ſitientes irrigat Afros.
Hòc quoque frigidior, quòd per decliuia labens
Obiicibus nullis curſus agis ille fecundos.
Vere etiam regnare volunt, quo tempore primùm
Optatæ creſcunt luces, & lubricus annus
Conuertit terga, atque hyemem poſt egit iniquam.
Tum liquefacta mouens terrarum clauſtra, caminos
Sol aperit laxos, voluitque per aëra fumum.
Hic ſomno excitus, commotiſque impiger alis,
Linquit Hyperboreos decliui tramite montes.
Quin vbi Sol propior maiora incendia mouit,
Flagrantéſque impegit equos per viſcera Cancri,
Cùm nebuloſa cauis fumat Germania campis,
Ac multus vapor ad ſuperas ſeſe extulit auras,
Quemque frigida vis Boreæ comes addita cogit,
Illâ etiam de parte graues incumbere nimbos
Cernere erit, fuſiſque augeſcere nubibus amnes,
In mediiſque natare truces feruoribus agros.
Hoc etiam è cœlo, ac ſemper radiantibus Arctis,
Et gelidæ incumbunt auræ, & vehementior vrget
Ventorum vis finitimis regionibus acta.

Vegetius de re militari, lib. 3. c. 38. De ſignis tempeſtatum & ſerenitatum vide God. Stevvechium comment. ad cap. 11. lib. 5. dicti Vegetij.

Hi ſæpe ſinguli, interdum duo, magnis autem tempeſtatibus etiam tres pariter flare cònſueuerunt. Horum impetu maria, quæ ſuâ ſponte tranquilla ſunt & quieta, vndis æſtuantibus ſæuiunt. Horum flatu pro naturâ temporum, vel locorum ex procellis ſerenitas redditur, & rurſus in procellas ſerena mutantur. Nam ſecundo ſpiramine optatos claſſis inuenit portus: aduerſo ſtare, vel regredi, aut diſcrimen ſuſtinere, compellitur. Et ideò difficile naufragium pertulit, qui ventorum rationē diligenter inſpexit. Iſtud inter cætera notandum in obſeruatione ventorum, eos qui in hemiſphærio noſtro frigidi, ſicci, calidi vel humidi ſunt, in altero naturam mutare, quòd enim nobis Auſtrales venti calidi ſunt, efficit zonæ torridæ calor, per quam tranſeunt, ad nos acceſſuri: ſunt enim Auſtrali in hemiſphærio conſtitutis frigidiſſimi Auſtrales venti, quippe quod ſub polo frigidiſſimo naſcantur. Similiter Aquilones nobis niuales, & gelidi, calidi & humidi ſunt populis in altero hemiſphærio collocatis, rigore, dum ſub tropicis feruentibus permeant, non exuto modò, ſed & in calorem mutato: cúmque nobis Aquilones ſaluberrimi ſint, Auſtralibus gentibus

peſtilentes

peſtilentes illâ tranſitione fiunt. Alia ratio eſt, cur ab Auſtro nunquam in Ægypto pluat, nempe ibi Auſtrales venti ſicci ſunt, quòd è terris ſterilibus & ſiccis naſcantur, obſitâ arenis Africâ, & ambuſto Solis proximitate ſolo. Ceterum ſemper vehementiores ab Ortu ad Occaſum, quàm ab Occaſu ad Ortum venti ſpirant, quòd ab Ortu ad Occaſum primum mobile verſetur, cogátque ſummiſſa quælibet ad ſuum motum. Vndè breuior nauigatio ab Oriente ad Occidentem properantibus, vaporibus, è quibus fiunt venti, coactis ſequi primi Mobilis & Elementorum naturalem curſum. Iſtud quoque annotandum, aërem curſus fluminum ſequi, quod in tranquillo maximè ſentitur. Præterea, ſpiſſiores eſſe vapores & humidiores ex aquâ venientes, quàm quæ è terrâ naſcuntur, è quâ plus aëris & exhalationis procedit. Spiſſitudo autem & humiditas vaporum commotorum, maiores tempeſtates ob id cient in aquâ, quàm in terrâ, ob pondus, quo nubes ſubditum aërem premens, horribiles ventos excitat, maximè in Oceano Atlantico, Æthiopico, atque Orientali, in quibus nebula exigua, in alto viſa, quam Bataui oculum bouis vocant, ingentis tempeſtatis & repentinæ præſagium eſt. Quò enim ſublimior nubes eſt, eò impetuoſius cadit, ſubitóq; vaporibus circumiacentibus accumulatis, maxima & ponderoſiſſima effecta, vi magnâ aërem propellit, ventúmque, concitat: quâ agitatione vapores aëri permixti dilatantur, mixtíque aliis quos fluctuum motus exprimit, multùm addit violentiæ venti, qui ex imo in altum ſublimatus, deſcenſum nubis retardat, tempeſtatémq; producit. Quæ vbi in ima deſcendit, protrudit ante ſe exhalationes, indiſcretè, vt vaporibus leuiores, agitatas ab aëre, quâ violenti commotione incenduntur, hærêntque rudentibus, malis, vel antennis nauium, ſub nomine Caſtorum, fauſtum nautis ſidus, ob id, quòd nunquam niſi ruptâ nube, atq; eâ dilapsâ appareant, qui finis eſſe ſolet tempeſtatibus. Iſtud corollarij loco addendum exiſtimaui, nempe ſpeciales caracteres Romanis olim fuiſſe, quibus ventorum vocabula, aliáque verba ad nauticam pertinentia ſignificabant, notariorum & ſcribarum commentum, quo velocius dictata redigerent in tabulas. Pauca ad rem præſentem facientia, è Iano Grutero hîc tranſcripſi, è multis notis quas ipſe è Tirone Ciceronis liberto, Perſannio, Philargiro, Aquilâ, Senecâ, & S. Cypriano deſumpſit. Sunt autem eiuſmodi:

Carteſius in Tractatu de Meteor. cap. de Ventis.

 Ventus.  Boreas.


 Ventilat.  Zephyrus.

 Africus.  Fauonius.


Notus.
Septentrio.
Septentrionalis.
Auſter.
Auſtralis.
Aquilo.
Aquilones.
Subſolanus.
Vulturnus.
Eurus.
Circius.
Æolus.
Pelagus.
Oceanus.
Idem.
Æquoreum.
Helleſpontus.
Adriaticum mare.
Mare Tyrrhenum.
Maritimus.
Trans mare.
Flectit.
Gubernat,
Gubernator.
Claſſes.

Nauis,
Nauigium.
Exeris.
Biremis.
Triremis.
Quadriremis.
Quinqueremis.
Penteris.
Triarcgus.
Nauta.
Nauticus.
Naumachus.
Naumachia.
Claſſicum.
Naualis.
Nauale bellum.
Buccina.
Canorum.
Celeuma.
Præcinit.
Nauigat.
Naufragus.
Naufragium.
Naufragatur.
Demerſit.

Pugna



- Pugna naualis.
- Idem.
- Idem.
- Trophæum.
- Triumphus.
- Litus.
- Litoralis.
- Oneraria.
- Onerat.
- Sarcina.
- Carina.
- Puppis.
- Prora.
- Antenna.
- Ergata.
- Velum.
- Velificat.
- Supparum.
- Scalmus.
- Remus.
- Remex.



- Remigat.
- Remigium.
- Cataſcopum.
- Anchora.
- Anchoralis.
- Scapha.
- Barca.
- Gubernaculum.
- Trochlea.
- Rudens.
- Funis.
- Funiculus.
- Rete.
- Linum.
- Cannabis.
- Ratis.
- Liburnica.
- Phazelus.
- Mioparon.
- Lembus.
- Linttis.

CAPVT

CAPVT XLI.

Alia ad artem nauticam pertinentia. Inuentio & vſus pixidis nautica. Nonnulla de Magnete: Cauſa Ventorum obliquitatis.

Vide Snellium, in Tiphy Batauo.

CONSTAT illos, qui primi maria tentare auſi ſunt, timidè ei ſe commiſiſſe, legiſſe littora, ſeſéque ingruente nocte in portum recepiſſe: quod hodie plerunque faciunt ij, qui Mediterraneum nauigant. Poſtquam verò animis ad omne periculum obfirmatis, in alto mari pernoctari cœptum eſt: tunc etiam notata tempora quæ nauigationi oportuna videbantur, & legibus definita, quâ anni tempeſtate naues ſubduci, quâ in mare deduci expediat, nauigaturi ſcirent. Nam ex die tertio Iduum Nouembris, vſque ad diem ſextum Iduum Martiarum olim claudebatur mare. Verſa deinde oculorum acies ad ſydera ſignáque quæſita, quorum obſeruatione hiſtiodromica, hoc eſt, nauigationis curſus dignoſcebatur:

---Fœlix ſtellis qui ſegnibus vſum
Et dedit æquoreos cœlo duce tendere curſus.

Interdiu illi à Sole, noctu à Cynoſurâ pendebant. At piratæ primùm coëgere mortis periculo in mortem ruere, & hiberna experiri maria: etiam in ipſo vaſtiſſimo Oceano, vbi

-----nuſquam
Apparent terræ: cœlum vndique, & vndique pontus.

Hic igitur non cœli, non ſyderum conſpectus miſeros iuuat, alio magiſtro opus eſt, qui ſemper in oculis verſetur, veniátq; ad manus: à quo ſaltem nauigantes intelligant, quam in plagam deuenerint. Haud multa ſæcula fluxerunt, ab eo tempore, cùm in Campaniæ vrbe Melphi, vel caſu, vel ſtudio notatum eſt, Magnetem lapidem ſuos habere polos, quos in Mundi polos conuertat: vt & axem ſuum contra Mundi axem parallelo ſitu dirigat. Neque ita tantùm ferrum ſuâ contagione inficere, ſed in illud quoque ſuos affectus diffundere: ita vt vel leui magnetis oſculo tactum, in polos etiam tangentis imitatione conſurgat, hos ſuſpiciat, amet, ſequatur. Sagaciſſimum naturæ myſtem eum fuiſſe oportet, cuius operâ & induſtriâ, illud primùm è ſecretioribus Naturæ adytis erutum & inueſtigatum ſit. Aliqui eum Flauium vocant, alij Ioannem Gojam, Melphitanum, qui ann. Sal. MCCC. adeò memorabile & maritimis itineribus opportunum inuentum

Pancirolls Noua reperta, cap. 11. Alſtedius, Encyclopedia lib 30. ſect. 7. l. 35. ſect. 6. Merula diſſertat. de Maribus, acus marina inuentorem nominat Flauium Melfium Neapolitanum.

poſteris tradidit. Goropius authores eius facit Cimbros, ſiuè Teutones, quia nempe XXXII. nomina ventorum pixidi inſcripta, ab omnibus nationibus Oceanum incolentibus, pronunciantur linguâ Teutonicâ. Sunt qui Paulum Venetum à Sinenſi nauigatione reducem, circa ann. MCCLX. ſecretum illud Italis cõmunicaſſe ſcribant. Nam quod è Plauto, in Mercatore, contendunt aliqui ſub Verſoriæ nomine, acum maritimam intelligi, docti iam viri refutauerunt, qui nihil aliud per verſoriam Plautum intellexiſſe concluſerunt, quàm funem, quo velum vertitur. Acus illa lapidis magnetici Septentrionali parte tacta, pixidulà coërcita, ſeſe ſuo imperio & ductu in eandem plagam conſtanter vertit: vt vix vllis aut Solis, aut ſiderum obſeruationibus opus ſiet. Quin adeò ita Mundi plagæ multò accuratius inueſtigãtur, dum ſolam pixidulam, quæ ante pedes eſt, identidem nauigantes inſpectant, eiúſque ductum diligenter obſeruant. Mirum tam leui compendio, breuiſſimo & obſcuriſſimo nauis in receſſu, ad exiguæ lucernæ lumen, plerunque à puero, tempeſtates præuideri, ventorúmque flatus agnoſci, quos ipſe non ſentit, nec audit: certò dici, quam plagam teneant, quod nauigent mare, quibus aſtris ſubiaceant, quæ ipſe non videt. Miranda prorſus Philoſophia, cuius cauſæ hominibus ignotæ, per maximos, & multiiuges effectus cognoſcuntur. Huius fiduciâ Italis primùm, tum Gallis, Angliſq; & Hiſpanis circumnauigata Africa, India luſtrata, America occupata. Iſtud quidem memoriæ proditum eſt, Nauarchum illum, cuius nomen neſcitur, qui primus mortalium ſuperioris ſæculi vltra Maderam, in oppoſitum Americæ littus, fatis ducentibus, penetrauit, huiuſce rei adumbratam quandam cognitionem habuiſſe. Hic enim à primâ adoleſcentiâ diuerſis, & prout tunc tempora ferebant, longinquis nauigationibus exercitus, in Americam ſecundo vento delatus: inde conuerſo curſu, in Maderam naui appulsâ, pluſculis è ſuorum numero deſideratis: ipſe quidem redux, ſed labore fractus, apud Chriſtophorum Columbum natione Ligurem, qui tum illic chartis hydrographicis delineandis vitam tollerabat, expirauit: lineamentis itineris ex pyxide, & parallelo loci illi indicato. Hic natione Andaluſius erat, qui magneticæ acus directionem primus adhibuit: itineris autem confecti quantitatem, ex curſus velocitate, aut tarditate, iam olim quoque in mari æſtimari ſolitâ, cognouit. Conſtat enim maris motum primum mobile ſequi, & ideo fieri ad Oriente ad Occidentem, ſed hic motus coactus eſt: motus enim naturalis Oceani fit à Septentrione in Meridiem. Si tu igitur ſub eodem Meridiano verſus Boream contendas, ſequitur te minus itineris confeciſſe, quam ex acu, & coniecturâ, æſtimare poteris: ſi verò à Boreâ ad Auſtrum properaueris, proprio æquoris mo-

tu impulſus, plus itineris conficies, quàm ipſe iudicaueris. Atque adeò illic obſeruatam latitudinem minorem æſtimari, hic contra maiorem eſſe, mirari deſines, cùm cauſam pernoueris. Moras quoque innectunt nauigationi crebri ſcopuli, intercurſantia promontoria, latentia ſaxa, vada, crebra maris monſtra, procellæ. Augent ingruentes à puppi venti. Hinc palam fit, quanti etiam illud ſit in diariis nauticis id quoque accuratè deſignari, qui venti anniuerſariâ periodo in his aut illis oris excurrant, qualis maris & vndarum agitatio, qui motus interni, quantóque illic tempore perdurent: vt ex anni tempeſtate & ab experientiâ edocti, cognoſcant in quam plagam maris vnda abripiatur, in ortum-ne, an verò in occaſum. Sæpè enim mare ipſum per dilucida interualla ſuam etiam habet quietem nonnullis in locis, vt oſtendemus ſequenti Capite. Atque hæc momenta à nauium magiſtris ſedulò & diligenter ſunt obſeruanda, cùm itineri compendium quærunt. Huiuſmodi maris agitationes & motus in variis locis admodum varij ſunt, & inter ſe diſſidentes. Motus eius ab Inſulâ *Bella*, & ſupra à freto *Dauis*, in Orientem & Meridiem ferè fertur, aliíque, aliter. Itaque niſi proſperi venti, qui nec languidiores ſint, nec vehementiores, & hoc etiam, abſque particulari motu Oceani, aut in eum abeuntium fluminum rapacitate, perflauerint, variatio magna eſt vnius diei noctíſque itineris. Mediocri flatu agitata nauis longioribus diebus ad ſummum conficit ſeptuaginta millia orgyarum, noctu verò ſexaginta millia; orgya autem ſex pedibus definitur. Sic inter 24. horas, fauente vento, maritima milliaria 20. perficiuntur. Vrgente eodem, XXXVIII. vel XXIX. languente 8.7. aliquando etiam vnum. Ceterum cùm ex acus Magneticæ ſitu curſus menſura plerunque inueniri non poſſit, hoc ita nautæ reparant. Funem decem aut viginti decempedarum, cuius in extremitate lignum, cimbulámve alligant: cúmque bacculo de puppi tranſuerſim pendente agglomerant: tum conuerſâ pulvereâ clepſidrâ, concitatâ naui extremum funis præcipitant in mare. Enatat ille, deglomeratúrque, dum clepſidra fluit. Quæ ſimul vt defluxit, horario, vt ſolet, ſpatio: accepto demenſóque fune, quantùm viæ nautæ confecerint, menſurant. Quod ipſum accuratiores nautium magiſtri ſæpius iterant, pro ventorum vario impetu: vt eiuſmodi obſeruationibus, quàm proximè diuinando, ad verum accedant. Atque ita ex angulo cōfectæ * Loxodromiæ, & eiuſdem quantitate, poſtea latitudinis & longitudinis euariatæ rationem ineunt. Cùm enim parallelorum tum latitudo tum longitudo æqualis non ſit, laborandum maximè eſt, vt eorum defectus & redundationes reſarciantur. Initio certè minus commodè hoc antiqui aſſequi poterant, quandiu tabulas hydrographicas ita in plano deſignauerunt, vt omnes parallelos

** Loxodromiæ lineæ ſunt, quas nauis magnetem ſequuta ſui itineris ducem, in ſuperficie maris deſcribit, quarum ſingulæ interſecant omnes Meridianos ad angulos æquales. Omnes autem loxodromiæ ſunt rhombi, ſed non omnes rhombi ſunt loxodromiæ, nam linea Meridiana, & quæ illam bifariàm & in angulos rectos ſecat, ſunt rhombi, ſed non loxodromiæ. Roſa verò pixidis ſiue compaſſi, eſt planum rotundum, cuius circumferentia in 32. partes æquales ſecatur, rectis lineis per centrum tranſeuntibus, quæ rhombi vocantur. Curſus maritimus ſimplex eſt, qui eundem & vnicum ſui ductūs curſum, hoc eſt, vnum & eundem rhombum ſequitur. Vide Petrum Herigonium 4. Volum. curſus mathematici, vbi agit de Hiſtiodromia.*

parallelos æquales inter ſe conſtituerent. Tunc enim minorum parallelorum partes ſimilibus maiorum partibus pariare erat neceſſe. Inde cùm ſub aliquo parallelo decurrerent, ſingulis gradibus tantùm tribuebant, quantùm vni gradui in maximo circulo cedit. Atque illis quidem nauarchæ quandiu intra ſextum & triceſimum ſubſiſtebant, vix quintâ gradus parte à verâ menſurâ abiuerunt diuerſi: & quantò propius ad Æquinoctialem accedebant, tantò minus erroris illorum coniecturis obiiciebatur. Quantò autem longius ab Æquatore nauigabant, tantò magis errabant. Cùm enim Æquatoris parallelus, quia mediam ſphæram interſecat, maior reliquis parallelis ſit, & ſubſequentes minores, quia à medio ſpheræ ad polos deſcendant, ideò minor error circa Æquatorem. Vltimi autem paralleli, vt axibus propiores, & ab Æquatore remotiores, minimum circunferentiæ, ſeu mauis longitudinis habent, quia poſiti in extremo ſpheræ, ideóque maioribus parallelis, niſi cum maximo errore, æquari non poſſunt. Conſtat enim Loxodromiæ cuiuſcunque ſegmenta intra parallelos ab Æquatore æquidiſtantes eſſe æqualia: inter inæquales verò inæqualia. Primus Petrus Nonius à pſeudographiâ, hoc eſt, planis tabulis, ad globum prouocauit. Nec eum piguit earum linearum affectiones, quas nauium curſus ad ξυναγωγίαν magneticæ acus deſcribit, libro ſingulari explicare. Poſt, idem elapſis aliquot annis, libro ſecundo de regulis & inſtrumentis, eadem multo fuſius deſcripſit, & harum linearum proprietates accuratius eſt perſecutus. Ceterum acum chalybeam ſupra axiculo cui incumbit mobilem, magnetis lapidis polo Notio eâ parte tâgi, & tingi, quâ Boream ſit deſignatura: & contra eiuſdem lapidis polo Boreo fricari, quâ parte acus illa in Notum inclinatura ſit, iam notum eſt: atque ita eam ſemper Boream inter & Notum exporrigi. Vnde conuincitur eorum error, qui acum eam poſt Æquatorem in altero hemiſphærio inutilem nauigantibus crediderunt. Verùm non ſecundùm vulgi opinionem, qui exiſtimat, tranſacto Æquatore, partem acus Auſtralem ad Auſtrum ita tendere, vt iam directio nauigantium ad Auſtrum ſit, non autem ad Septentrionem. Certè etiam tranſmiſſo Æquatore, vergit mouetúrque in Septentrionem acus, etiamſi nõ videatur Septentrio, inclinátque etiam in amatum abſentem, cui vigilat. Sed tamen hunc acus maritimæ ſitum aliquando à naturæ legibus deſciſſere, idque occultâ, & latente aliquâ de causâ, iamdiu experientiâ comprobauit. Quantuis enim magnes vbi liberè mouetur, inſitâ ſibi vi & facultate, ſuis polis Mundi polos affectet, & parallelo ad Mundi axem ſito, ſuo axe exporrigatur: nihilominus ab hac cuiuſque loci meridianâ lineâ, modò à Septentrione in Ortum, aliquandò in Occaſum aliquot gradibus declinare deprehenſum

De variatione acus magnetice, & quibus in locis variet. Robertus Hues tractatu de globis, cœlesti & terreſtri. Vbi & de Rhombogia, hoc eſt, de rhombis, part. 5. & vltimâ. Alſtedius Encyclopædia, l. 30. ſect. 7. & l. 33 ſect. 6.

prehéſum eſt. Et cùm rectà Septentrioné ſpectat, eam χαλυβόβλεψιν, tanquam ſitum acus legitimum & proprium vocant: cùm autem euariat, χαλυβόκλισιν eius, ad meridionalem lineam inclinationem vocant. Sed & acum maritimam confici poſſe abſque magnete, quæ nunquam variet, eſt qui doceat. In incude, nota Septentrionem, ſupráque rectam lineam acum chalybeam finge, facie ad meridiem conuerſâ, vt cùm ducitur ſub malleo chalybs ad faciendam acum, eam verſus re & Boream trahas. In hunc modum acus formata, ſuo genio polum notabit, & quidem ſine vllà variatione, quod ingens eſt myſterium, imprimente cœlo facultatem magneticam ſubiecto appropriato, ſecúdùm imaginationem fabricantis, nam caſualiter, & inſcio fabro hoc fieri, multi negant, interiori entitati & phantaſiæ obſequium aſtris præbentibus. Alioquin vbique magnes deprehenditur, quamuis nomé ſpeciale habeat à Magneſiâ Macedoniæ regione, magnetum feraci. Sicut & Heraclius dicitur ab vrbe Heracliâ. Sideritim alij, quaſi ferreum, appellant, quòd cum ferro in eadem matrice & fodina, naſcatur. Vnde ferrum excoctum etiam ſine intentione artificis habet in ſe partes Boreales & Auſtrales certas, vigorem magneticum, verticitàtem, & vertices, ſeu Polos deſtinatos: & fili etiam ferrei, ſiue in aëre pendeant, ſiue aquis innatent, certò & cōſtanter pars vna deſtinatur in Boream, altera in Auſtrum. Sic acus ordinaria, inſitâ proprietate, in vaſculo ſupra aquam poſita, perinde atq; magnes, dirigit ſe in Septentriones & Auſtrum, in quibus punctis acquieſcit, & à quibus diſtracta, ad eos naturali vigore recurrit. Iſtud contra vulgi opinionem notandum. Magnetis polum Auſtralem, non Borealem, in cymbâ ſuâ ſuper aquā poſiti, aut in aëre ſuſpenſi, verti in Boream: contra, ferrum magnete tactum, acquirere contrariam verticitatem, hac ratione. Si à Septentrionali lapidis latere tangatur ferrum, mouetur in telluris Septentriones: ſi verò à Meridionali latere, in Meridiem. Præterea quæ ſuperius dixi, euariatio ex aſtrorum ſitu, ortúque & occaſu Solis dignoſcitur. Item & è Loxodromiæ inflexione: nam ſicuti venti obliquè ſemper ſpirant, ſic & nauis curſus ſemper obliquus eſt, coactis nautis tempeſtates ſequi. Itaq; velificationis curſus circularis efficitur, etiam cùm rectà in Septentrionem & Meridiem, aut Ortum & Occaſum dirigitur. Et curſus quidē in Septentrionem aut Meridiem maximi circuli peripheriam deſcribit. Ratio eſt, quia in eodem Meridiano ſemper verſatur, ſub quo inde ab initio conſtiterat, atqui Meridianos maximos eſſe circulos nemini ignotum eſt. Sub Æquinoctiali quindecim milliaria maritima vnum gradum in longitudine euariant: in parallelis autem amplius. Porro XIX. milliaria horaria vno gradu continentur. Cùm autem euariationes plerunq; ventorum impetu fiant, qui

Ioan Baptiſta Egmontius de magnetica vulnerum curatione.

Alſtedius Cyclopædia l. 35. ſect. 6.

quina ues obliquè agunt, intráque vnum meridianum, qui radius eſt à Polo ad Polum deductus: & parallelum, quæ linea eſt ab Ortu ad Occaſum producta: diutinè aliquandò retinent, magno nauigantium diſpendio, cauſas ventorum obliquitatis hîc ingerere operæ precium duxi.

Cur autem quandò huc toties diſcurſet & illuc
Spiritus hic, varios agitans ſine lege tumultus,
Cur non & ſuperas pennis petit improbus arces?
Omnis in aërias quicunque elabitur auras
Halitus, immiſto paulatim educitur igni:
Qui poſtquam gelidam ſummo capite attigit arcem,
Senſit & aduerſi contraria frigoris arma,
Illicet ipſe pedem retrò fert pondere, & ipſo
Quod multum traxit grauida de matre volutus
Ad matrem trahitur. Ecce hîc nouus aduenit ignis
Auxilio, retinet labentem: ille arma reſumit
Fortior ad pugnam ſimul huc perlatus, & illuc,
Dúmque cadit, reſilítque, leuis tum pellitur aër,
Et quò maiores à frigore pertulit ictus,
Maiorémque trahit fæcundâ è matre vigorem
Halitus, hòc maiore ruens ferit aëra pulſu.
Vt cùm Mæonia in campis, vada ad alta Meandri
Paſtor agens, baculo ſtagnantem percutit vndam,
Illa fugit circùm, & grauidum dat pulſa ſonorem,
Impellítque vndam illabens noua protinus vnda.
Ergo paulatim augeſcens fit maior eundo
Impetus, & vires grauioráque robora ſumit.
Vt cùm de tenui primùm fonte effluit humor,
Et riuus: poſt collectis procul imbribus amnem
Ingentem raptat ripis, longúmque profectus,
Tum plenus rapidis in pontum immittitur vndis,
Autumno ſed enim vento vis plurima, largùm
Cùm ſpirant terræ, cùm plenior halitus exit,
Terrenique magis ſuffundunt aëra fumi.
Hoc iterúmque, iterúmque etiam, multûmque monebo:
Incendunt nimij leuiter fumantia ſoles,
Incenſa exurunt latè, præſertim vbi altos
Phœbus agit currus, fuluóque è ſydere luſtrat
Exiguis habitata locis Maſſilia regna.
Idcircò latera ad Mundi, atque extrema viarum,
Terreſtris caligo habitat, quò languida Solis
Vix penetrat vis, & radiis minus vrit acutis.
Ipſa etiam partim leuis aſpiratio, vt altè
Fumida, partim etiam grauis tellure remiſsá:

Pontan. Meteor. lib.

Atque illinc facilè admittit reſoluta calorem;
Hinc percuſſa gelu riget, & denſata graueſcit.
Inde etiam tranſuerſa ruit, nam frigore abacta
Ne ſurſum penetret, miſtóque calore retenta
Ne cadat in præceps, tranſuerſum impellat oportet
Aëra, ſiue quòd extremis in finibus Orbis
Regna tenens, caſtris illinc ſe fundit apertis
Viſura & medias Mundi penetrabilis oras.
Nam neque puluercam in pluuiam deſcendere par eſt.
Nec tamen abnuerim, Lunámque, errantiáque aſtra,
Quæ medium aſsiduis peragrant diſcurſibus Orbem;
In medium quoque ab extremis caliginis auras
Attrahere, in variáſque Orbis depellere partes.
Ergo & cùm arentes rapidus Sol vſſerit agros,
Et cùm victa gelu queritur mala frigora tellus,
Tum tibi tranquillæ permittant otia luces,
Gratáque ſedatæ præſtabunt ſomnia noctes,
Paccatiſque ingens requieſcet flatibus aër.
Nec non poſt largos imbres pluuiámque madentem
Compoſitæ ceſſant auræ, tacitúſque quieſcit
Spiritus, & nulli veniunt in prœlia venti.
Hoc quoque poſt Boream algentem, atque rigentia flabra
Cernere erit, quoties crudo ſub frigore tellus
Concreuit ſimul, & durato tergore ſæuit.
Spiramenta ſoli claudit rigor, obſtruit omnem
Vis aditum: nullus ſpirat vapor, aut fluit extra
Halitus, vnde nouis veniant alimenta procellis.
Si tamen expectes nouus vt calor, & noua flamma
Torreat humentes latices, & fortè per altum
Ire paras, videas turbantibus aëra ventis
Magnâ mole graues vrgeri ad littora fluctus.
Alternis dat enim tellus, adimítque alimenta.

Petrus à Medina artis Nautica, l. 3. cap. 2.

Aſtronomi putant à Planetis ventos moueri: Iouem Septentrionales excitare, Solem Orientales; Martem Meridionales; Lunam Occidentales, & quia Planetæ circulariter aguntur, ideò ventos circa Orizontem in arcus figuram ferri, non ex infimo in altum, aut ex alto in infimum, ſed circa terram atque aquam, circulariter. Signa quoque cœleſtia idem efficere: Arietem, Leonem, & Sagitarium, calidæ & ſiccæ qualitatis, vnde Triplicitas ignis vocantur, ciere atque agere Orientales; quæ ratio eſt, cur & illa Signa Orientalia nuncupantur. Taurum verò Virginem & Capricornum, frigidæ & ſiccæ qualitatis, terræ triplicitas appellati, excitare Meridionales. Triplicitatem aëris, hoc eſt, Geminos, Libram, & Aquarium, calidæ & humidæ qualitatis, Occidentales.

Triplici

Triplicitatem denique aquæ, Cancrum, Scorpium & Piſces, ob proprietatem eorum frigidam atque humidam, Septentrionales. Cùm autem terræ vapor cauſa ſit ventorum, lentóque & exiguo motu aſſurgat, donec creſcat & cumuletur, tum magno impetu deſcendat, inde fit, vt inæqualitas materiæ inæquales ventos gignat, debiles, mediocres, fortes, ſecundum vaporis tenuitatem, aut denſitatem, & frigoris vim, vaporem calidum expellentis, qui cùm continuò aſcendat, & ob id in ſe directè redire nequit, ideo mouetur circulariter versùs oppoſitum ſibi frigus. Illud quoque moneo, à peritis & diligentibus nauium magiſtris, ſedulò & accuratè quotidie conſcribenda, & per ſuas ſelides, & laterculos, diaria nautica diſpungenda: vt inde curſus confecti longitudinem, varietatem, inclinationem, obſeruatam de cœlo latitudinē, ventorum flatus, impetúmque ceteri legendo noſcant: aëris quoque temperiem, & ſi quæ alia ſint, quæ diligentiùs notari expediat, vt conſpectus promontoriorum, inſularúmque. Ita enim ſemper itineris confecti ſpatia, ſi forſan vſpiam titubatū ſit, relegere, & in tabulis ſuis hydrographicis diſpungere, & emendare, tum ipſis, tum aliis, facilè erit. Non enim hodie auaritiæ tantùm apertum eſt mare, quod hoſpitali omnium littorum appulſu nauigatur, ſed & ſcientiæ, quæ plus Batauis quàm lucrum placet: quamobrem ab illis ſcrupuloſius cuncta pelagi tractantur, reiecta prædæ cupidine, quæ Hiſpanis ſentitur plus obeſſe, quàm prodeſſe. Maior quoque gloria eſt docere, quam rapere: animos paſcere, quam corpus. Auidis, auidis natura parum eſt, in quoſcunque mentis affectus mortales ferantur, ſeu bonos, ſeu peruerſos, nuſquam ſatietas eſt.

CAPVT XLII.

Cauſæ fluxus & refluxus marium, cur & quibus locis magis, minúſve æſtus ſuperſundatur, vel etiam nullus ſit: nec ſordidi quidquam mare patiatur, quod variis in locis variè mouetur, intrinſeca etiam agitatione.

MARE ſimile eſſe animantibus multi tradiderunt. Siquidem vt animantes reciprocatione perpeti, nunc vitalem efflant ſpiritum, nunc reuocant: ſic & mare viciſſitudine reciprocâ in ſe & ex ſe recurrenti agitatione quadam, & præcipuè mirâ, modò profertur, modò refertur, reſilítque. Id verò ſtanti in littore, contemplantíque, palàm facit fluctuantis aquæ commotio. Pariter enim pedes diluit ſeſe *Strabo lib. 1. Plin. lib. 2.*

porrigens

porrigens vnda, renudátque velut refugiens, aſſilírque mox, irrequieto motu, appetendo ſemper quæ relinquat, rurſúmque relinquendo quæ appetat. Hinc illa indeficiens alienorum eiectatio, algæ in littus profuſæ argumento. Fit quidem hoc perflantibus ventis vtique amplius. *Phyſici autumant*, vt eſt apud Solinum, *animal eſſe Mundum, cúmque ex varijs Elementorum corporibus conglobatum, moueri ſpiritu, regi mente: quæ vtraque diffuſa per membra omnia, æternæ molis vigorem exerceant. Sicut ergo in corporibus commercia ſunt ſpiritualia, ita in profundis Oceani nares quaſdam Mundi conſtitutas, per quas emiſſi anhelitus, vel reducti, modo inflent maria, modo reuocent*. Alij apud * Pomponium imaginati ſunt depreſſos ſpecus, in quos ingenti ſe mole vibrans aquarum moles mergatur, & rurſum meatuum repagulis pulſa exundet, quod agere ſpiritus ſub aquâ concluſos * Apollonius Tyaneus exiſtimat. Et Plato apud † Stobæum, ſpiritum per quædam terræ foramina æſtum circumferre, mare ſuſpendere, eíque tumorem facere. Ceterùm & à terraneis flatibus, qui ab Ariſtotele dicuntur apogæi, motus fit. Nihilo enim minus in terram fluctus defertur, quamuis in diuerſum reflante vento, velut proprio quodam maris motu cum eo pariter agitato. Quamobrem cadauera, & naufraga denique omnia fluctuum propulſu, repurgantis ſe maris quadam imagine, ad terras protruduntur. Tauromitanum littus Copriam dici legimus, id eſt, fimum, quandò quæ in Carybdin fuerint præcipitata, illuc denique reuomuntur. Inde quoque eſt Plinianum iſtud, omnia pleniſunio maria purgari: quædam & ſtato tempore: circa Meſſanam & Mylas fimo ſimilia expui in littus purgamenta. Vnde fabula, Solis boues illic ſtabulari. Æſtus dicitur motus maris, quo exundans fluit, & exacta periodo, refluit. Maris acceſſus Græcis πλήμη, πλημμύρα, πλημμύρις, & ἐπίβασις. Receſſus verò, ſiue reciprocatio, παλιῤῥοθίη, κῦμα παλιῤῥόθιον, Homero; πλημμυρὶς παλίνορσος, Apollonio: ἀμπωτις, Theophraſto: ἄνεσις, Straboni. Lunari exortu Oceani mutationis euidens fertur indicium dari, enim amplius ſolito àccedit, recedítque, creſcítque creſcente Luna, cuius quibuſdam aſpirationibus inflatur, & ab iiſdem retractus, intra ſuos carceres relabitur. Æſtus maris accedere & reciprocare maximè mirum eſt. Bis inter duos exortus Lunæ fluctus affluunt, bíſque remeant, vicenis quaterníſque ſemper horis. Et primò attollente ſe Lunâ, cum eâ Mundo intumeſcentes, mox à Meridiano cœli faſtigio vergente in occaſum reſidentes: rurſúſque ab Occaſu ſubter cœli ima, & Meridiano contraria accedente, inundantes: hinc, donec iterum exoriatur, ſe ſorbentes. Nec vnquam eodem tempore quo pridie æquor refluit: vt ancillante ſidere, trahentéque ſecum auido hauſtu maria, & aſſiduè vnâ horâ tardius quàm pridie exoriente: paribus tamen interuallis

** Paulus Merula, diſſertatione de Maribus, lib. 3.*

** Philoſtrat. lib. 5. in eius vita, c. 5.*

† lib. 1.

Omnem æſtum à Luna prouenire conatur probare Ludouicus Guicciard. Belg. initio, cauſas eius vide.

Vide Lemnium, lib. 1. de occultis rerum miraculis, cap. 41. & Ranzouium ſub finem ſpeculi Aſtronomici.

uallis reciproci, ſeníſquè ſemper horis, non cuiuſque diei, aut noctis, aut loci, ſed Æquinoctialibus: ideóque inæquales vulgarium horarum ſpatiò vtcunque plures in eas aut diei, aut noctis illarum menſuræ cadunt, & Æquinoctio tantùm pares vbique. Ingens argumentum plenúmque lucis, ac vicis etiam diurnæ, hebetes eſſe, qui negent, ſubtermeare ſidera, ac rursùs eadem reſurgere, ſimilémq; terris, imò verò vniuerſæ Naturæ exindè faciem; in iiſdem ortus occaſúſque operibus: non aliter ſub terrâ manifeſto ſideris curſu, alióve effectu, quàm cùm præter oculos noſtros feratur. Si Luna fortunatis planetis Veneri vel Ioui iuncta fuerit, in ſignis aëriis, quæ inflant: vel in aqueis, quæ augent aquam, maximè aquas mouebit. Sed ſi ab infortunatis, vt Marte & Saturno, opprimatur, vis eius conflaccescet, minúſq; mouebit: & ſic Luna etiam roboratur aut debilitatur, provt ab aliis planetis fœlici aut contrario aſpectu fulcitur. Igitur magna efficacia eſt ad motum Oceani corporum cœleſtium, quibus cognatio eſt cum humidis, in quorum claſſe primum locum obtinet Luna; vnde * Silius: *Galeot. Martius, doctr. promiſcua, cap. 30.* *belli Punici, l. 3.*

Cymothoes eâ regna vagæ, pelagíque labores
Luna mouet; Luna immiſſis per cærula bigis;
Fértque, refértque fretum, ſequitúrque reciproca Tethys.

Vnde rectè * Agellius dixit, Oceanum quaſi Lunæ comitem; cum ea ſimul & adoleſcere & ſeneſcere. Multiplex etiamnum Lunaris differentia, primúmque ſeptenis diebus. Quippe modici noua ad dimidiam æſtus, pleniore ab ea exundant; plenáque maximè feruent. Inde miteſcunt. Pares ad ſeptimam primis. Iterúmque alio latere diuidua augentur. In coitu Solis pares. Planè eadē Aquiloniâ, & à terris longius recedente, mitiores, quàm cùm in Auſtros digreſſa, propiore niſu vim ſuam exercet. Per octonos quoque annos ad principia motus, & paria incrementa; centeſimo Lunæ reuocantur ambitu, augente eā cuncta Solis, annuis cauſis, duobus æquinoctiis maximè tumentes, & Autumnali amplius quàm Verno. Inanes verò Bruma, & magis Solſtitio. Nec tamen ex ipſis, quod dixi, temporum articulis, ſed paucis poſt diebus, ſicuti neque in plenâ, aut nouiſſimâ, ſed poſtea: nec ſtatim vt Lunam Mundus oſtendat, occultétve aut mediâ plagâ declinet, verùm Vere duabus horis æquinoctialibus ſerius, tardiore ſemper ad terras omnium quæ geruntur in cœlo effectu cadente, quàm viſu: ſicuti fulguris, & tonitrui, & fulminum. Omnes enim æſtus in Oceano maiora integunt ſpatia, inundántque, quàm in reliquo mari: ſiue quia totum in vniuerſitate animoſius eſt, quàm in parte: ſiue quia magnitudo aperta ſideris vim laxè graſſantis efficacius ſentit, eandem anguſtiis arcentibus. Quâ de causâ, nec lacus, nec amnes ſimiliter mouentur. Octogenis *lib. 14. Noct. Atticar.*

Oooo cubitis

cubitis ſupra Britanniam intumeſcere æſtus Pythias Maſſilienſis author eſt. Interiora autem maria clauduntur, vt portu. Quibuſdam tamen in locis ſpatioſior laxitas nauigationi patet: vt pote cùm plura exempla ſint, in tranquillo mari nullóque velorum impulſu, tertio die ex Italiâ peruectorum Vticam, æſtu feruente. Circa littora autem magis quàm in alto deprehenduntur ij motus: quoniam & in corpore extrema pulſum venarum, id eſt ſpiritus, magis ſentiunt. In pleriſque tamen æſtuariis, propter diſpares ſiderum in quoque tractu exortus, diuerſi exiſtunt æſtus, tempore, non ratione, diſcordes, ſicut in Syrtibus. Et quorundam tamen priuata natura eſt, velut Tauromitani Euripi, inter Siciliam & Italiam: ſæpius & in Eubœâ, ſepties die ac nocte reciprocantibus aquis. Huius Euripi naturam cùm Ariſtoteles capere non poſſet, animi ęgritudine morbum contraxiſſe ferunt, ex quo poſtea non conualuerit. Sunt qui prodant, in fretum dediſſe præcipitem ſe, præfatum elogium, quoniam Ariſtoteles non cepit Euripum, Euripus capiat Ariſtotelem. Æſtus idem Euripi triduo in menſe conſiſtit, ſeptimâ, octauâ, nonáque Lunâ. Quibus non aſſentitur Liuius,* ſcribit enim: *Fretum ipſum Euripi non ſepties in die, ſicut fama fert temporibus ſtatis reciprocat: ſed temerè in modum venti, nunc huc, nunc illuc, verſo mari, velut monte præcipiti deuolutus torrens, rapitur.* Vnde prouerbium, *Euripo mutabilior*, de re inſtabili. Sic Æſchines Calliam Euripo mutabiliorem notat, &* Cicero inconſtantiam populi & incertam Comitiorum rationem cum Euripi fluxu & refluxu comparat. Gadibus, qui eſt delubro Herculis proximus fons incluſus ad putei modum, aliàs ſimul cum Oceano augetur, minuitúrque: aliàs verò vtrunque contrariis temporibus. Eodem in loco alter Oceani motibus conſentit. In ripâ Bætis oppidum eſt, cuius putei creſcente æſtu minuuntur, augeſcunt deſcendente. Contra Memphis & Meroë ſecundum Nili acceſſum receſſúmque puteos habet auctos, vel ſummiſſos. Cauſa ſuperfluentis Nili, non Etheſiæ modò, qui venti ſunt contra oſtia fluuij Iulio menſe flantes, ſed & aquæ ex Æthiopiâ venientes, in iis partibus in quibus hyems eſt, cùm apud nos æſtas. At Pontus ſemper extra meat in Propontidem, introrſus in Pontum nunquam refluo mari. Adde in eodem Oceano particulares & latentes motus eſſe, alios aliis contrarios: quod maximè è nauigationibus hodiernis in Indiam Americámque conſtat è quantitate curſus, quæ vt debet æſtimata variam pelagi circumactionem oſtendit, proprióſque eius motus, ventis & tempeſtatibus ipſis vehementiores. Neque tamen adhibitâ emendatione per parallelos, & meridianos ſatis ſecurè obſeruatur, vtrum occulto illo maris motu in ortum an in occaſum, hoc eſt, dextrorſum an ſiniſtrorſum loxodromia inclinet: donec aliquo inſularum,

Rhodigin. lect. antiq. lib. 29. cap. 8. Mela lib. 2. c. 7. contra Strabo l. 9. & Plin. lib. 2. c. 97. aiunt tantum ſepties die ac noctu fluere.

* *lib. 38. è Thucyd. lib. 6.*

**Oratione pro Murena.*

Snellius in Tiphy Batauo, lib. 2. Propoſitione 8. 9. 13. & 15.

rium, aut terrarum occurſu, aut id pelagus frequentantium obſeruationibus didiceris, in quam partem aquarum cumuli ferantur. Tales vtique maris impetus naues à Septentrionali Americæ littore versùs Angliam furtim abripiunt, qui in ſinu Africano infra Guineam versùs Ortum omnia aguñt, & rapiunt. Atque ita aliis in locis etiam aliter. Huius exemplum tale eſto. Ab Inſulâ Bellâ, vulgo ita dicta, ſub parallelo LII in littore Americano nauigatum ſit rectâ in Meridiem, vt videbatur, idque iter nauticâ æſtimatione traxetur miliaribus L. quæ faciunt euariationem latitudinis III. gr. XX. ſcr. inde datur loci latitudo XLVIII. grad. XL. ſcrup. de cœlo autem obſeruata poli altitudo ſit XIX. gr. L. ſcr. cùm hîc adeò enormem diſcrepantiam & obſeruatam latitudinem deprehendam, non continuò ad obſeruatum parallelum tranſibo: ſed iterum æſtimatam latitudinem cum denuo obſeruatâ poſtero die contendam. Hic ſi rurſum coniectura mea abludat ab obſeruatione, & latitudinis æſtimatæ differentia iterum maior ſit obſeruata: id mihi ſatis erit indicij, maris latente impetu nauem in latus furto abreptam, neque ſub vno eodémq; meridiano curſum hunc continuatum: ſed loxodromico aliquo iter confectum. Ceterùm ſpecialis marium agitatio per totum anni tempus minime durat. Inter Braſiliam & Angolam Africi littoris, à viceſimâ die Aprilis ad viceſimam Iulij maris fluctus feruntur in Zephyroborẹam. Rurſum à 20. Iulij ad 20. Octobris nullâ particulari agitatione idem mare inquietatur, ſed in ſeſe hæret & quieſcit niſi flatibus attollatur. A 20. Octobris iidem fluctus in Auſtrozephyrum torquentur vſque ad 20. Ianuarij, reliquo anni quieſcunt. Atque hæc momenta à nauium magiſtris ſedulò ſunt obſeruanda, cùm itineri compendium quærunt. Horum ignorantia, aut negligentia, partim morbis, partim inediâ plurimos letho dedit, deficiente commeatu, aut morbis è diuturnâ morâ eorum membra depaſcentibus. Nam & venti ferè hos motus in eandem plagam, aut antecedunt, aut comitantur, itavt fruſtra huic monſtro obnitaris. Iterum hæ agitationes alio in loco aliæ. A freto Dauis & Inſulâ Bellâ, maria in Orientem aut Meridiem mouentur. Poſt Promontorium Bonæ Spei in Indiam Orientalem nauigantibus, inter Cephalam & Inſulam S. Laurentij, quæ olim Magadaſcar, fluctus maris è continenti veniunt, & à ſpeciali motu Luſitani proximum promontorium vocant, *Cabo dos Correntes:* quo nomine etiam appellant aliud promontorium Hiſpaniæ Nouæ, iuxta mare Rubrum Americæ, quod Occidentem reſpicit. Nec ipſum mare quod promontorium Bonæ Spei circumlatrat, ſine motu particulari eſt, furibundo prorſus æſtu, & à terrâ curſum cum magno ſonitu impulſúque recedente. Ibi enim immenſa profunditas, & aquæ turbida vis ab Oriente ad Occiden-

Repetitio non inutilis è precedente Cap. petita.

Oſorius hiſt. Luſitania, lib. 11. & 13.

tera delata, vt tellurem tetigit, maiore iracundiâ repulſâ, Meridiem petit, nec niſi circuitu longo nauigantes admittit ad littora. Et ob eos impetus idem promontorium Leo maris appellatur, quaſi rugientibus vndis, & admiſſa quæque nauigia aut arcentibus, aut deuorantibus. Ibi etiam venti, quos Maſſonas vocant, certa anni tempeſtate continui flant, nunc remiſſi, totas claſſes motibus Oceani permittunt. Ex eo euenit, vt cùm diſtentis velis in Ortum videaris contendiſſe, contra tamen retrò in Occaſum ſis abreptus. Ita olim quidam S. Helenæ Inſulam in medio mari aditurus, poſtquam ad eius parallelum, grad. nempe XVI. Auſtrinæ latitudinis deueniſſet, & inde rectà dictam Inſulam ſub iſto parallelo peteret, cùm ſecundo vento hanc propediem aditurus videretur, tandē vltra CC. milliare Occidentem versùs diſtare ab eâ, & in viciniâ Americæ & Braſiliæ verſari eſt deprehenſus; maris latente motu tanto interuallo retrorſum abreptus, ventis fruſtra obluctantibus. Quamobrem hoc caſu periculoſa perſępè eſt nauigatio, vbi nullum tui erroris argumentum appareat, aut quemadmodum te hinc expedias liquebit. Atque adeò non vtile tantùm, ſed etiam neceſſarium videtur, curſum vltrò citróque obliquare, vt correctioni ſit locus: cùm autem te non eundem parallelum tenuiſſe, quem exiſtimabas obſeruatio arguet, latitudinem ſecundum obſeruata mutabis, & inde longitudinis euariationem definies.

Nec nos obniti contra, neque tendere tantum
Sufficimus, ſuperat quoniam fortuna ſequamur,
Quóque vocat vertamus iter.

Vegetius rei militar. l. 4. c. 42. & 43.

Nauticorum gubernatorúmque ſolertia eſt, loca in quibus nauigatur cognoſcere, tantò enim ſecuritas maior eſt. Aut enim motus occultus, aut reciprocantis ambiguitas, curſum nauium vel adiuuant, vel retardant, quæ nauiganti, aut bellaturo magnâ cautione petenda, vel euitanda ſunt. Et quoniam diuerſis in regionibus diuerſo Lunæ creſcentis minuentíſque flatu, certis horis iſta variantur, ideò prælium nauale geſturus, conſuetudinem pelagi, vel loci ante congreſſum debet agnoſcere. Sed ad æſtus motúſque pelagi præter ea, quæ ſupra dixi, multùm Sol facit, quem pleroſque flatus ſuâ ſecum circumflectere vertigine Ariſtoteles & Heraclides prodidêre: quibus ingruentibus, Atlanticúmque protrudentibus, extumeſcit mare, æſtúmque efficit: rurſúmque illis ſopitis, ſensìm in ſeſe pelagus relabitur, & reciprocatur. Plato in elationem quandam cauſam confert, aquas enim cuiuſdam ſpecus hiatus ſuſtolli & latè effluere, & ſubindè eodem refluere, & ex eo vndabunda maria iactari. Quæ cauſa diuerſorum maris motuum probabilior mihi videtur, cum non modò ea flumina quæ ſupra terras meant, in Oceanum labantur, ſed etiam haud dubiè

Plutarch. de placitis Philoſoph. ſiue de Natur. lib. 3. cap. 17.

biè ea quæ infra terras. Vnde fit, vt cum variis in locis ea mare magno impetu ſubeant, eò deferantur vndæ, quò curſus fluminum erumpunt: quæ ſi ceſſent, gurgites fieri & trahi in fundum naues abſorberique maximè quieto mari, hiatu fluminum fluctus recipiente, multi ſcripſerunt. Addit Timæus, flumina dum deuoluuntur in mare, irritare quietum, æſtúmque ciere, qui vbi concitatus eſt mari cedentibus fluminibus rurſum redite in ſe pelagus, & omittere iras, & permittere labentibus decurſum. Seleucus mathematicus, qui Terræmotum attribuit, circumactui motuíque eius occurſare Lunæ vertiginem dicit: quo impetu colligente ſe inter hæc duo corpora flatu, & in Atlanticum irruente, probabili ratione conturbari maria. Ad quæ conferunt etiam coniunctiones & oppoſitiones reliquorum planetarum, & quibuſdam anni temporibus id magis fit, maiórque varietas in iis motibus exiſtit: quippe cùm circa tropicum Æſtiuum augeatur acceſſus, minórque fiat ad tempus vſque Æquinoctij; ac rurſus creſcat ad Hybernum tropicum, & ab eo ad Vernum Æquinoctium minuatur. Augetur & iſtud etiam vi eorum ſignorum, in quibus Luna fuerit in ſuis mutationibus. Nam in placidioribus æqualiores fiunt motus: in vehementioribus magis inæquales: quod etiam vis imbrium auget, ac impetus ventorum. Ceterum quò latius pelagus patet, eò maioribus motibus obnoxium eſt, vt in Atlantico videmus, cuius cetera maria, partes, & veluti membra ſunt. Ideò Mediterraneum, vt pars Oceani, & quia arctus eſt, non iiſdem æſtibus quibus Oceanus excitatur, cùm maius corpus vehementiore motu, quàm minus indigeat.

--Hic curuo littore latrans *Accius.*
Vnda ſub vndis labunda ſonit:
Simul & circùm magni ſonantibus
Excita ſaxis, ſæuo ſonando
Crepitu clangente cachinnat.

Alludit enim & blanditur ſuis littoribus, dum ea creſcente fluctu palpat, non iraſcitur, vt Oceanus, nec labentia in ſe flumina repellit & propulſat, cachinnat non furit, ludit non lædit, acceptáſque Oceani aquas per fretum Herculeum Adriatico Ægeóque miniſtrat, vbi

Neptunus gurgite feſſos Ducit equos.

Nam qui ſupereſt Euxinus, è Mæoride palude non ab Oceano aquas accipere putatur, cúmque Mediterraneum mare in Orientem & Septentrionem feratur, Euxinum aiunt in Meridiem ferri. Neque tamen Mediterraneum, quà Africam pulſat, ſine motu eſt: in Biſertæ quippe ſtagnum ſtatis æſtibus irrumpit; & infuſum aquà dulci ſenſim abſorbetur, atque emittitur. Præterea ſicut Oceanus, ſic & Mediterraneum mare ſecundùm aquarum clau- *Bizar. Genuenſ. hiſtor. lib. 19.*

tem delata, vt tellurem tetigit, maiore iracundiâ repulſa, Meridiem petit, nec niſi circuitu longo nauigantes admittit ad littora. Et ob eos impetus idem promontorium Leo maris appellatur, quaſi rugientibus vndis, & admiſſa quæque nauigia aut arcentibus, aut deuorantibus. Ibi etiam venti, quos Maſſonas vocant, certa anni tempeſtate continui flant, hunc remiſſi, totas claſſes motibus Oceani permittunt. Ex eo euenit, vt cùm diſtentis velis in Ortum videaris contendiſſe, contra tamen retrò in Occaſum ſis abreptus. Ita olim quidam S. Helenæ Inſulam in medio mari aditurus, poſtquam ad eius parallelum, grad. nempe XVI. Auſtrinæ latitudinis deueniſſet, & inde rectâ dictam Inſulam ſub iſto parallelo peteret, cùm ſecundo vento hanc propediem aditurus videretur, tandẽ vltra CC. milliare Occidentem versùs diſtare ab eâ, & in viciniâ Americæ & Braſiliæ verſari eſt deprehenſus; maris latente motu tanto interuallo retrorſum abreptus, ventis fruſtra obluctantibus. Quamobrem hoc caſu periculoſa perſępè eſt nauigatio, vbi nullum tui erroris argumentum appareat, aut quemadmodum te hinc expedias liquebit. Atque adeò non vtile tantùm, ſed etiam neceſſarium videtur, curſum vltrò citróque obliquare, vt correctioni ſit locus: cùm autem te non eundem parallelum tenuiſſe, quem exiſtimabas obſeruatio arguet, latitudinem ſecundum obſeruata mutabis, & inde longitudinis euariationem definies.

Nec nos obniti contra, neque tendere tantum
Sufficimus, ſuperat quoniam fortuna ſequamur,
Quóque vocat vertamus iter.

Vegetius rei militar. l. 4. c. 42. & 43. Nauticorum gubernatorúmque ſolertia eſt, loca in quibus nauigatur cognoſcere, tantò enim ſecuritas maior eſt. Aut enim motus occultus, aut reciprocantis ambiguitas, curſum nauium vel adiuuant, vel retardant, quæ nauiganti, aut bellaturo magnâ cautione petenda, vel euitanda ſunt. Et quoniam diuerſis in regionibus diuerſo Lunæ creſcentis minuentíſque flatu, certis horis iſta variantur, ideò prælium nauale geſturus, conſuetudinem pelagi, vel loci ante congreſſum debet agnoſcere. Sed ad æſtus motúſque pelagi præter ea, quæ ſupra dixi, multùm Sol facit, quem pleroſque flatus ſuâ ſecum circumflectere vertigine Ariſtoteles & Heraclides prodidêre; quibus ingruentibus, Atlanticúmque protrudentibus, extumeſcit mare, æſtúmque efficit: rurſúmque illis ſopitis, ſensìm in ſeſe pelagus relabitur, & reciprocatur. Plato in elationem quandam cauſam confert, aquas enim cuiuſdam ſpecus hiatus ſuſtolli & latè effluere, & ſubindè eodem refluere, & ex eo vndabunda maria iactari. Quæ cauſa diuerſorum maris motuum probabilior mihi videtur, cum non modò ea flumina quæ ſupra terras meant, in Oceanum labantur, ſed etiam haud dubiè

Plutarch de placitis Philoſoph. ſiue de Natur. lib. 3. cap. 17.

biè ea quæ infrà terras. Vnde fit, vt cum variis in locis ea mare magno impetu ſubeant, eò deferantur vndæ, quò curſus fluminum erumpunt: quæ ſi ceſſent, gurgites fieri & trahi in fundum naues abſorberíque maximè quieto mari, hiatu fluminum fluctus recipiente, multi ſcripſerunt. Addit Timæus, flumina dum deuoluuntur in mare, irritare quietum, æſtúmque ciere, qui vbi concitatus eſt mari cedentibus fluminibus rurſum redire in ſe pelagus, & omittere iras, & permittere labentibus decurſum. Seleucus mathematicus, qui Terræmotum attribuit, circumactui motuíque eius occurſare Lunæ vertiginem dicit: quo impetu colligente ſe inter hæc duo corpora flatu, & in Atlanticum irruente, probabili ratione conturbari maria. Ad quæ conferunt etiam coniunctiones & oppoſitiones reliquorum planetarum, & quibuſdam anni temporibus id magis fit, maiórque varietas in iis motibus exiſtit: quippe cùm circa tropicum Æſtiuum augeatur acceſſus, minórque fiat ad tempus vſque Æquinoctij, ac rurſus creſcat ad Hybernum tropicum, & ab eo ad Vernum Æquinoctium minuatur. Augetur & iſtud etiam vi eorum ſignorum, in quibus Luna fuerit in ſuis mutationibus. Nam in placidioribus æqualiores fiunt motus: in vehementioribus magis inæquales: quod etiam vis imbrium auget, ac impetus ventorum. Ceterum quò latius pelagus patet, eò maioribus motibus obnoxium eſt, vt in Atlantico videmus, cuius cetera maria, partes, & veluti membra ſunt. Ideò Mediterraneum, vt pars Oceani, & quia arctus eſt, non iiſdem æſtibus quibus Oceanus excitatur, cùm maius corpus vehementiore motu, quàm minus indigeat.

--Hic curuo littore latrans Accius.
Vnda ſub vndis labunda ſonit:
Simul & circùm magni ſonantibus
Excita ſaxis, ſæuo ſonando
Crepitu clangente cachinnat.

Alludit enim & blanditur ſuis littoribus, dum ea creſcente fluctu palpat, non iraſcitur, vt Oceanus, nec labentia in ſe flumina repellit & propulſat, cachinnat non furit, ludit non lædit, acceptáſque Oceani aquas per fretum Herculeum Adriatico Ægeóque miniſtrat, vbi

Neptunus gurgite feſſos Ducit equos.

Nam qui ſupereſt Euxinus, è Mæotide palude non ab Oceano aquas accipere putatur, cúmque Mediterraneum mare in Orientem & Septentrionem feratur, Euxinum aiunt in Meridiem ferri. Neque tamen Mediterraneum, quà Africam pulſat, ſine motu eſt: in Biſertæ quippe ſtagnum ſtatis æſtibus irrumpit, & infuſum aquà dulci ſenſim abſorbetur, atque emittitur. Præterea ſicut Oceanus, ſic & Mediterraneum mare ſecundùm aquarum clau- Bizar. Genuenſ. hiſtor. lib. 19.

ſarum, naturam ſe purgat. Nam in iis, quibus curſus eſt, non poſſunt vitia conſiſtere: quæ conſiſtunt, purgantur: nec tantum tempeſtate, ſed etiam tranquillo. Idcircò maria cadauera, ſtramenta, & naufragij naufragorúmq; reliquias in littus euomunt, aliquando etiam altè in fluminum ripas emittunt, nam & æſtum vſque ad centum miliaria creſcere multi ſcripſerunt; maximè vbi demiſſiores ſunt terræ, & vehementiore impetu flumina exonerantur: quò enim rapidioribus & vaſtioribus aquis pelagus intrant, eo vaſtiori mole reuomuntur; & exundant latius altiúſque repulſæ. Sic in noſtra Galliâ rapidus Garumna maiore æſtu quàm Ligeris aut Sequana, qui placidiùs currunt, refluit; creſcitque altior ab Oceano repulſus. Vnde contra naturam reliquorum æquorum cum ſeptem horis intumeſcat, quinque detumeſcit. Ob id puto, quòd longiores moras trahat, aquas præcipites ſummouendo, quàm lentas. Quinque autem detumeſcit, rapido fluctu, marinum celerius quàm alibi expellente, & mole ſuâ naturaliter currente in Oceanum. Quam rationem Scaliger non animaduertit, cùm plures alias ad hanc rem * adferat. Producitur enim tempus ingreſſionis in fluuium, quia æſtui reſiſtit Garumna. Præterea maris moles grauior, idcirco diutius inſtat, viam non inueniens, at vbi ſeſe ſubduxit, celerius abit, oſtiis fluuiorum alueis ipſis patentioribus. Altera ratio eſt, quod ab Arctico mari redeuntibus aquis, non ſolùm obſidentur Garumnæ fauces, ne fluuius deſcendat, atque exeat aqua; ſed etiam complentur nouis fluctibus, & in hac reluctatione tempus acceſſionis conſumitur. Alioquin per horas VI. ſecum ducit aquas Luna, aut quæcunque alia cauſa eſt æſtus, totidem maris ponderi datæ ſunt, quo repulſum à terrâ ſeipſum premendo rurſus in priores ſedes incumberet. Id autem fit, quia Cœli medium in quadrantes duos diuiditur, quorum vnum fluxui, alterum refluxui datur. Reliqui duo quadrantes infra nos ſunt, propter Cœli punctum medium, quod ab vtroque finitoris puncto diſtat æqualiter. Quare neceſſariò diuiditur Hemiſphærium in duas partes æquales. Atque hæc eſt cauſa quare & ad ipſum & ab ipſo ſcilicet verticali fiant mutationes. Ceteræ namque omnes lineæ, ad quodvis punctum à finitore deductæ, inæquales inter ſe ſunt. At totum hemicœlium cùm ſit horarum XII. dimidium eius explebit incrementũ Oceani ad ſummum illud punctum, alterum dimidium exhauriet ad decrementum. Propterea verò quòd non eodem ſemper loco Luna oritur, idcircò æſtus ab illius curſus inconſtantiâ variatur in Oceano. In alterum autem Hemiſphærium currit ſex horis Oceanus totidem recurrit, mox ad nos totidem recurſat, totidem relabitur motu naturali. Vnde diuerſis horis, diuerſis in regionibus motus fit. Accidit tamen Lunâ, punctóque oppoſito ad Meridianum

Senec. Natural. quæſt. lib. 4.

* *Exercitat. 52.*

ridianum iam deuolutis, æſtus nondum creuiſſe, cuius moræ cauſa poteſt eſſe, magna illorum locorum à magno & ſpatioſo Oceano diſtantia, vel ingreſſus aditúſque nimia coarctatio. Propter eaſdem cauſas, feruentiſſimi, & turgidiſſimi æſtus ſunt pluribus in locis, diebus aliquot poſt Lunam plenam, aut nouam. Æſtus autem ſequentium marium, præter iam annotatos, ſic ſe habent:

In Oceano littore Boreali, del Zur, *ſiue Pacifico, nullus æſtus.*

In Britannico & Germanico Oceano vehemens vbique.

In plagâ Indicâ ſecundùm Gangis & Indi fauces & in toto mari Erythreo maximus eſt.

In Liguſtico nullum æſtus veſtigium.

Notabilis in Adriatico.

Garumnæ fauces, vt diximus, ſeptenis horis ingreditur Oceanus, quinis recedit.

Ad Guineam quaternis accedit, octonis regreditur.

Eodem ſemper curſu fertur Oceanus ex Oriente in Occidentem iuxta Panamam.

Nullus æſtus eſt in Baltico mari.

Venti etiam & motus maris varij variis in locis.

A 20. die Aprilis ad 20. Iulij inter Braſiliam & Angolam, maris fluctus feruntur in Zephyro-Boream. Nort-Oueſt.

A 20. Iulij ad 20. Octobris non mouentur in aliquam plagam.

A 20. Octobris ad 20. Ianuarij fluctus feruntur verſus Auſtro-Zephyrum, Zud-Oueſt.

A 20. Ianuarij ad 20. Aprilis iterum nullo motu cientur.

Ab Inſulâ-Bellâ, & ſupra à freto Dauis in Orientem & Meridiem ferè fertur mare.

In Helleſponto & Ægeo periodi breues ſunt, & multùm inter ſe diuerſæ.

Mare Rubrum ſine æſtu eſt.

Iſtud omnibus notum, à nouilunio vſque ad quartam diem, mare mediocriter intumeſcere, mox magis ac magis in plenilunio autem maximè. Poſt decreſcente & deferueſcente calore Lunæ, quæ vim ſuam in humidis exercet, cùm nequeat amplius dilatare exhalationes atque excitare, reſidere illum maris æſtum, ab exhalationibus autem dilatatis augeri & intumeſcere pelagus, cùm erumpere volunt exhalationes illæ excitatæ à Lunâ. Quòd verò exæſtuant & decreſcunt maria non ex æquo, & pari tempore, illud certè reconditæ eſt ſcientiæ. Alij dicunt, naturam aquarum aliam in alio mari, ſitúmque loci, & vapores exhalationéſque ſub mari, ventóſque incumbentes, præcipuè ad fauces, atque anguſta littora, vt in fretis & Euripis iſtud facere. Alij, maiorem, minorémve profunditatem aquarum, longitudinem maiorem vel minorem recepraculorum, quibus terminatur tempus reciprocationum,

Philoſtrat. in vitâ Apollonij lib 5. c. 1.

G. Galilai dialog. 4. Syſtematis Coſmici.

num,huius diuerſitatis cauſam eſſe,nam aquæ profundiores,cùm & mole & pondere ſuperent, expellunt minus profundas, quæ ſedibus ſuis emotæ,deſcendere coguntur,& ſequi quò impelluntur. Addunt aliqui,oppoſitos æſtui ventos, quibus maris commotio retardatur,obiectáque freta, & promontoria aquas repellentia. Mare Inferum vbi Genua ſita eſt, nullum incrementum aut decrementum oſtendit,quoniam aqua illius maris adeò glutinoſa eſt,vt non poſſit ita rarefieri vt creſcat, vel propter ſaxoſitatem fundi, per quam halitus in fundo reſolui nequeunt. Rubrum quoque mare à fluxibus & refluxibus exemptum eſt,ſed ob aliam rationem, nempe quia eius longitudo non extenditur ab Oriente versùs Occidentem: ſed potius inter Euronotum & Corum iaceat. Balticum mare æſtum non ſentit, ob anguſtiam aluei, quod nimis Septentrionale eſt, atque adeò ab efficaci proiectu radiorum luminarium Cœleſtium longius diſſitum; quorum etiam influxibus minus paret,ob profunditatem. Cùm autem terræ motiones tendant ab Occidente in Orientem, impulſus aquarum ferient ſemper Meridianos, & non de parallelo in parallelum ibunt, vnde in maribus,quæ tranſuersìm ad Polos extenduntur, & contra ſecundum Orientalem circulum anguſta ſunt,reciprocationis nulla cauſa ſupereſt,niſi per participationem alterius maris, magni reciprocationibus obnoxij, cum quo illis aliqua communio. Et hæc eſt Galilæi ſententiâ, cum Copernico ſuo, aliorúmque,qui motum Terræ tribuunt, iſtâ maximè ratione fulti, vt cùm primum Mobile innumerabilem ſtellarum fixarum, & inſuper omnes ſphæras Planetarum torqueat, quamvis & hæ & illæ ſuâ naturâ moueantur in contrarium: cúmque iis & Ignem & Aërem, contra ſenſum humanum eſſe, paruum Terræ globum pertinaci virtute tantæ virtuti reluctari, cùm penſile corpus, æquè centro ſuo libratum, ad motum & quietem indifferens, ab ambiente liquido circumdatum, circumrotari & ipſum cum reliquis Elementis & Cœlis neceſſe habeat. Quod ſi valeret,ſequeretur (contra id quod poſtea aſſeruit Galilæus,de diuerſitate æſtuum motuúmque maris) æſtum ſemper in vnaquaque parte terrarum,vt ſemel fuit,permanſurum,ſempérque iturum,ab Occidente in Orientem, nec ſingulis ſex horis recurſaturum,ſed poſt exactas XXIV.horas, cùm Terræ motus iis credatur mouere pelagus ab Occidente in Orientem per XXIV.horas,quod tempus eſt circumactionis primi mobilis, diurnum curſum definientis. Ceterum cùm primum Mobile ab Oriente ad Occidentem moueatur, Elementáque illud ſecum rapiat,concluditur ſimiliter & Terram, fluctúſque maris illi obſequentes, ab Oriente in Occidentem moueri,quod ſi moueantur ab Occidente in Orientem, hoc non à primo Mobili fieri, ſed, vel agitatione naturali & intrinſecâ,

Galeotus Martius doctrina promiſcua cap. 30.

Gal Galil. Syſtem. Coſmici, dialog. 2. & 4.

trinſecâ, vel Solis vi, atque exemplo, cuius curſus, tum diurnus, tum annuus ab Occaſu ad Ortum tendit: quod certe probabilius eſt, virtute Solis in terras & maria cognitâ. Vnde aliqui æſtuum initium ſub Zonâ Torridâ collocant, tum quia Æquator medium Mundi ſecet, conſtituátque ibi vmbilicum, è quo ceteræ partes Orbis veniant. Tum quod è medio maris æſtus fluant, excitati calore vicini Solis, eleuantis fluctus, qui velut in caldario, ſic ſub Torridâ Zonâ bullientes, ab vtraque parte æqualiter fluunt properántque ad littus per inæqualia quidem ſpatia, & inæquales altitudines maris, pérque freta & ſinus, qui demiſſi ſuſcipiunt venientem æſtum, aut excludunt elatiores. Sub Zonâ Torridâ vehementes calores nemo neſcit, adeò vt circa Maldiuas Inſulas, quæ ſub eâ poſitæ ſunt, efferueſcere pelagus * Pirardus ſcripſerit, & ab eo feruore, qui ſub Torridâ fit, æſtum pelagi naſci multi tradiderunt. Aliter * Macrobius, qui maris motum ex eo eſſe putauit, quod ſinus Oceani Orientalis & Occidentalis, mutuo concurſu ſeſe feriant, atque impetu immaniore miſceantur. Franciſcus Sphondratus Italus, reciprocationem pelagi refert ad Magellanicas fauces, per quas concitato curſu ad inſtar rapidi fluminis feruntur aquæ Septentrionalis Atlantici, atque Æthiopici Oceani, quæ vnum illum exitum in mare Meridionale habent, ſi illi fretum vicinum Marij addideris, cùm autem fieri non poſſit, vt omnes tantorum marium vndæ, per anguſtias illas vno agmine tranſire poſſint, coguntur ex fugâ contrariorum, contra oppoſitas ex aduerſo aquas ſequaces regurgitare: & quia vnda palpitatione, vt vocant, vndam proximam impellit, neceſſariò ad partes oppoſitas, quantumuis remotas, ac retrò iacentes, æſtus concitatur maior, aut minor, iuxta oppoſitionis diſtantiã & aquarum multitudinem: addo etiam viarum amplitudinem, aut anguſtiam, per quas ſingulis maribus tranſeundum eſt, donec ad Magellanicum fretum perueniant. Vnde colligitur, maria, quæ longius ab eo freto versùs Ortum iacent, nullâque vicinâ anguſtiâ premuntur, minores æſtus, aut nullos habere, quę verò ad Occaſum vergunt, quò propiùs, eò magis huic reciprocationi obnoxia eſſe. Sunt & Philoſophi qui aſſerant, totam aquæ maſſam moueri ab octauâ ſphærâ ſexageſimo quoq; anno vnâ parte, ita vt longo temporis ſpatio mare ſit futurum vbi nunc eſt terra. Nonnulli dicunt à propriâ grauitate aquarum æſtus procedere, quæ ſi ſemel à causâ primariâ commoueantur, poſtea ad æquilibrium reduci quærunt, iteratis reciprocationibus: quæ non vno tempore & præfixo determinantur, ſed tot diuerſitatibus temporum conſtant, quàm ſunt diuerſæ longitudines & profunditates receptaculorum & ſinum maris. Accidere quoque poteſt, vt è duobus maribus ſatis magnis, ſibi per mutuum aliquod fretum

De Terræmotu diurno & annuo, Id. Galil. Syſtemat. Coſmic. dialog. 3.

** In ſuis nauigat.*

** lib. 2. in Somn.*

G. Galil. dicto dialog. Syſtem. Coſm.

porrigens vnda, renudátque velut refugiens, aſſilírque mox, irrequieto motu, appetendo ſemper quæ relinquat, ruſúmque relinquendo quæ appetat. Hinc illa indeficiens alienorum eiectatio, algæ in littus profuſæ argumento. Fit quidem hoc perflantibus ventis vtique amplius. *Phyſici autumant*, vt eſt apud Solinum, *animal eſſe Mundum, cúmque ex varijs Elementorum corporibus conglobatum, moueri ſpiritu, regi mente: quæ vtraque diffuſa per membra omnia, æternæ molis vigorem exerceant. Sicut ergo in corporibus commercia ſunt ſpiritualia, ita in profundis Oceani nares quaſdam Mundi conſtitutas, per quas emiſſi anhelitus, vel reducti, modo inflent maria, modo reuocent*. Alij apud * Pomponium imaginati ſunt depreſſos ſpecus, in quos ingenti ſe mole vibrans aquarum moles mergatur, & rurſum meatuum repagulis pulſa exundet, quod agere ſpiritus ſub aquâ concluſos * Apollonius Tyaneus exiſtimat. Et Plato apud † Stobæum, ſpiritum per quædam terræ foramina æſtum circumferre, mare ſuſpendere, eíque tumorem facere. Ceterùm & à terraneis flatibus, qui ab Ariſtotele dicuntur apogæi, motus fit. Nihilo enim minus in terram fluctus defertur, quamuis in diuerſum reflante vento, velut proprio quodam maris motu cum eo pariter agitato. Quamobrem cadauera, & naufraga denique omnia fluctuum propulſu, repurgantis ſe maris quadam imagine, ad terras protruduntur. Tauromitanum littus Copriam dici legimus, id eſt, fimum, quandò quæ in Carybdin fuerint præcipitata, illuc denique renomuntur. Inde quoque eſt Plinianum iſtud, omnia pleniſunio maria purgari: quædam & ſtaro tempore: circa Meſſanam & Mylas fimo ſimilia expui in littus purgamenta. Vnde fabula, Solis boues illic ſtabulari. Æſtus dicitur motus maris, quo exundans fluit, & exacta periodo, refluit. Maris acceſſus Græcis πλήμμη, πλημμύρα, πλημμυρὶς, & ἐπίβασις. Receſſus verò, ſiue reciprocatio, παλιῤῥοθίη, κῦμα παλιῤῥόθιον, Homero; πλημμυρὶς παλίνορσος, Apollonio: ἄμπωτις, Theophraſto: ἄνεσις, Straboni. Lunari exortu Oceani mutationis euidens fertur indicium dari, enim amplius ſolito àccedit, recedítque, creſcítque creſcente Luna, cuius quibuſdam aſpirationibus inflatur, & ab iiſdem retractus, intra ſuos carceres relabitur. Æſtus maris accedere & reciprocare maximè mirum eſt. Bis inter duos exortus Lunæ fluctus affluunt, bíſque remeant, vicenis quaterníſque ſemper horis. Et primò attollente ſe Lunâ, cum eâ Mundo intumeſcentes, mox à Meridiano cœli faſtigio vergente in occaſum reſidentes: ruſúſque ab Occaſu ſubter cœli ima, & Meridiano contraria accedente, inundantes: hinc, donec iterum exoriatur, ſe ſorbentes. Nec vnquam eodem tempore quo pridie æquor refluit: vt ancillante ſidere, trahentéque ſecum auido hauſtu maria, & aſſiduè vnâ horâ tardius quàm pridie exoriente: paribus tamen interuallis

** Paulus Merula, diſſertatione de Maribus, lib. 3.*

** Philoſtrat. lib. 5. in eius vita, c. 5.*

† lib. 1.

Omnem æſtum à Luna prouenire conatur probare Ludouicus Guicciard. Belg. initio, cauſas eius vide.

Vide Lemnium, lib. 2. de occultis rerum miraculis, cap. 41. & Ranzouium ſub finem ſpeculi Aſtronomici.

uallis reciproci, ſeníſque ſemper horis, non cuiuſque diei, aut noctis, aut loci, ſed Æquinoctialibus: ideóque inæquales vulgarium horarum ſpatiô vtcunque plures in eas aut diei, aut noctis illarum menſuræ cadunt, & Æquinoctio tantùm pares vbique. Ingens argumentum plenúmque lucis, ac vicis etiam diurnæ, hebetes eſſe, qui negent, ſubtermeare ſidera, ac rurſus eadem reſurgere, ſimilémq; terris, imò verò vniuerſæ Naturæ exindè faciem; in iiſdem ortus occaſúſque operibus: non aliter ſub terrâ manifeſto ſideris curſu, alióve effectu, quàm cùm præter oculos noſtros feratur. Si Luna fortunatis planetis Veneri vel Ioui iuncta fuerit, in ſignis aëriis, quæ inflant: vel in aqueis, quæ augent aquam, maximè aquas mouebit. Sed ſi ab infortunatis, vt Marte & Saturno, opprimatur, vis eius conflaccefcet, minúſq; mouebit: & ſic Luna etiam roboratur aut debilitatur, prout ab aliis planetis fœlici aut contrario aſpectu fulcitur. Igitur magna efficacia eſt ad motum Oceani corporum cœleſtium, quibus cognatio eſt cum humidis, in quorum claſſe primum locum obtinet Luna; vnde * Silius:

Galeot. Martius, Doctr. promiſcua, cap. 30.

Cymothoes eâ regna vagæ, pelagíque labores
Luna mouet; Luna immiſſis per cærula bigis;
Fértque, refértque fretum, ſequitúrque reciproca Tethys.

** belli Punici, l. 3.*

Vnde rectè * Agellius dixit, Oceanum quaſi Lunæ comitem; cum ea ſimul & adoleſcere & ſeneſcere. Multiplex etiamnum Lunaris differentiâ, primúmque ſeptenis diebus. Quippe modici noua ad dimidiam æſtus, pleniore ab ea exundant, plenâque maximè feruent. Inde miteſcunt. Pares ad ſeptimam primis. Iterúmque alio latere diuidua augentur. In coitu Solis pares. Planè eadẽ Aquiloniâ, & à terris longius recedente, mitiores, quàm cùm in Auſtros digreſſa, propiore niſu vim ſuam exercet. Per octonos quoque annos ad principia motus, & paria incrementa; centeſimo Lunæ reuocantur ambitu, augente eâ cuncta Solis, annuis cauſis, duobus æquinoctiis maximè tumentes, & Autumnali amplius quàm Verno. Inanes verò Bruma, & magis Solſtitio. Nec tamen ex ipſis, quod dixi, temporum articulis, ſed paucis poſt diebus, ſicuti neque in plenâ, aut nouiſſimâ, ſed poſtea: nec ſtatim vt Lunam Mundus oſtendat, occultétve aut mediâ plagâ declinet, verùm Vere duabus horis ęquinoctialibus ſerius, tardiore ſemper ad terras omnium quæ geruntur in cœlo effectu cadente, quàm viſu: ſicuti fulguris, & tonitrui, & fulminum. Omnes enim æſtus in Oceano maiora integunt ſpatia, inundántque, quàm in reliquo mari: ſiue quia totum in vniuerſitate animoſius eſt, quàm in parte: ſiue quia magnitudo aperta ſideris vim laxè graſſantis efficacius ſentit, eandem anguſtiis arcentibus. Quâ de causâ, nec lacus, nec amnes ſimiliter mouentur. Octogenis

** lib. 14. Noct. Atticar.*

cubitis ſupra Britanniam intumeſcere æſtus Pythias Maſſilienſis author eſt. Interiora autem maria clauduntur, vt portu. Quibuſdam tamen in locis ſpatioſior laxitas nauigationi patet: vt pote cùm plura exempla ſint, in tranquillo mari nullóque velorum impulſu, tertio die ex Italiâ peruectorum Vticam, æſtu feruente. Circa littora autem magis quàm in alto deprehenduntur ij motus: quoniam & in corpore extrema pulſum venarum, id eſt ſpiritus, magis ſentiunt. In pleriſque tamen æſtuariis, propter diſpares ſiderum in quoque tractu exortus, diuerſi exiſtunt æſtus, tempore, non ratione, diſcordes, ſicut in Syrtibus. Et quorundam tamen priuata natura eſt, velut Tauromitani Euripi, inter Siciliam & Italiam: ſæpius & in Eubœâ, ſepties die ac nocte reciprocantibus aquis. Huius Euripi naturam cùm Ariſtoteles capere non poſſet, animi ægritudine morbum contraxiſſe ferunt, ex quo poſtea non conualuerit. Sunt qui prodant, in fretum dediſſe præcipitem ſe, præfatum elogium, quoniam Ariſtoteles non cepit Euripum, Euripus capiat Ariſtotelem. Æſtus idem Euripi triduo in menſe conſiſtit, ſeptimâ, octauâ, nonâque Lunâ. Quibus non aſſentitur Liuius,* ſcribit enim: *Fretum ipſum Euripi non ſepties in die, ſicut fama fert temporibus ſtatis reciprocat: ſed temerè in modum venti, nunc huc, nunc illuc, verſo mari, velut monte præcipiti deuolutus torrens, rapitur.* Vnde prouerbium, *Euripo mutabilior*, de re inſtabili. Sic Æſchines Calliam Euripo mutabiliorem notat, &* Cicero inconſtantiam populi & incertam Comitiorum rationem cum Euripi fluxu & refluxu comparat. Gadibus, qui eſt delubro Herculis proximus fons incluſus ad putei modum, aliàs ſimul cum Oceano augetur, minuitúrque: aliàs verò vtrunque contrariis temporibus. Eodem in loco alter Oceani motibus conſentit. In ripâ Bætis oppidum eſt, cuius putei creſcente æſtu minuuntur, augeſcunt deſcendente. Contra Memphis & Meroë ſecundum Nili acceſſum receſſúmque puteos habet auctos, vel ſummiſſos. Cauſa ſuperfluentis Nili, non Etheſiæ modò, qui venti ſunt contra oſtia fluuij Iulio menſe flantes, ſed & aquæ ex Æthiopiâ venientes, in iis partibus in quibus hyems eſt, cùm apud nos æſtas. At Pontus ſemper extra meat in Propontidem, introrſus in Pontum nunquam refluo mari. Adde in eodem Oceano particulares & latentes motus eſſe, alios aliis contrarios: quod maximè è nauigationibus hodiernis in Indiam Americámque conſtat è quantitate curſus, quæ vt debet æſtimata variam pelagi circumactionem oſtendit, proprióſque eius motus, ventis & tempeſtatibus ipſis vehementiores. Neque tamen adhibitâ emendatione per parallelos, & meridianos ſatis ſecurè obſeruatur, vtrum occulto illo maris motu in ortum an in occaſum, hoc eſt, dextrorſum an ſiniſtrorſum loxodromia inclinet: donec aliquo inſularum,

Rhodigin. lect. antiq. lib. 29. cap. 8. Mela lib. 2. c. 7. contra Strabo l. 9. & Plin. lib. 2. c. 97. aiunt tantum ſepties die ac noctu fluere.

* *lib. 38. è Thucyd. lib. 6.*

* *Oratione pro Murena.*

Snellius in Tiphy Batauo, lib. 2. Propoſitione 8. 9. 13. & 15.

rum, aut terrarum occurſu, aut id pelagus frequentantium obſeruationibus didiceris, in quam partem aquarum cumuli ferantur. Tales vtique maris impetus naues à Septentrionali Americæ littore versùs Angliam furtìm abripiunt, qui in ſinu Africano infra Guineam versùs Ortum omnia agunt, & rapiunt. Atque ita aliis in locis etiam aliter. Huius exemplum tale eſto. Ab Inſulâ Bellâ, vulgo ita dicta, ſub parallelo LII. in littore Americano nauigatum ſit rectà in Meridiem, vt videbatur, ídque iter nauticâ æſtimatione traxetur miliaribus L. quæ faciunt euariationem latitudinis III. gr. XX. ſcr. inde datur loci latitudo XLVIII. grad. XL. ſcrup. de cœlo autem obſeruata poli altitudo ſit XIX. gr. L. ſcr. cùm hîc adeò enormem diſcrepantiam & obſeruatam latitudinem deprehendam, non continuò ad obſeruatum parallelum tranſibo: ſed iterum æſtimatam latitudinem cum denuo obſeruatâ poſtero die contendam. Hîc ſi rurſum coniectura mea abludat ab obſeruatione, & latitudinis æſtimatæ differentia iterum maior ſit obſeruata: id mihi ſatis erit indicij, maris latente impetu nauem in latus furto abreptam, neque ſub vno eodémq; meridiano curſum hunc continuatum: ſed loxodromico aliquo iter confectum. Ceterùm ſpecialis marium agitatio per totum anni tempus minime durat. Inter Braſiliam & Angolam Africi littoris, à viceſimâ die Aprilis ad viceſimam Iulij maris fluctus feruntur in Zephyroboream. Rurſum à 20. Iulij ad 20. Octobris nullâ particulari agitatione idem mare inquietatur, ſed in ſeſe hæret & quieſcit niſi flatibus attollatur. A 20. Octobris iidem fluctus in Auſtrozephyrum torquentur vſque ad 20. Ianuarij, reliquo anni quieſcunt. Atque hæc momenta à nauium magiſtris ſedulò ſunt obſeruanda, cùm itineri compendium quærunt. Horum ignorantia, aut negligentia, partim morbis, partim inediâ plurimos letho dedit, deficiente commeatu, aut morbis è diuturnâ morâ eorum membra depaſcentibus. Nam & venti ferè hos motus in eandem plagam, aut antecedunt, aut comitantur, ita vt fruſtra huic monſtro obnitaris. Iterum hæ agitationes alio in loco aliæ. A freto Dauis & Inſulâ Bellâ, maria in Orientem aut Meridiem mouentur. Poſt Promontorium Bonæ Spei in Indiam Orientalem nauigantibus, inter Cephalam & Inſulam S. Laurentij, quæ olim Magadaſcar, fluctus maris è continenti veniunt, & à ſpeciali motu Luſitani proximum promontorium vocant, *Cabo dos Correntes:* quo nomine etiam appellant aliud promontorium Hiſpaniæ Nouæ, iuxta mare Rubrum Americæ, quod Occidentem reſpicit. Nec ipſum mare quod promontorium Bonæ Spei circumlatrat, ſine motu particulari eſt, furibundo prorſus æſtu, & à terrâ rurſum cum magno ſonitu impulſúque recedente. Ibi enim immenſa profunditas, & aquæ turbida vis ab Oriente ad Occiden-

Repetitio non inutilis è præcedente Cap. petita.

Oſorius hiſt. Luſitania, lib. 11. & 13.

terræ delata, vt tellurem tetigit, maiore iracundiâ repulſa, Meridiem petit, nec niſi circuitu longo nauigantes admittit ad littora. Et ob eos impetus idem promontorium Leo maris appellatur, quaſi rugientibus vndis, & admiſſa quæque nauigia aut arcentibus, aut deuorantibus. Ibi etiam venti, quos Maſſonas vocant, certa anni tempeſtate continui flant, nunc remiſſi, totas claſſes motibus Oceani permittunt. Ex eo euenit, vt cùm diſtentis velis in Ortum videaris contendiſſe, contra tamen retrò in Occaſum ſis abreptus. Ita olim quidam S. Helenæ Inſulam in medio mari aditurus, poſtquam ad eius parallelum, grad. nempe XVI. Auſtrinæ latitudinis deueniſſet, & inde rectâ dictam Inſulam ſub iſto parallelo peteret, cùm ſecundo vento hanc propediem aditurus videretur, tandè vltra CC. milliare Occidentem versùs diſtare ab eâ, & in viciniâ Americæ & Braſiliæ verſari eſt deprehenſus; maris latente motu tanto interuallo retrorſum abreptus, ventis fruſtra obluctantibus. Quamobrem hoc caſu perículoſa perſępè eſt nauigatio, vbi nullum tui erroris argumentum appareat, aut quemadmodum te hinc expedias liquebit. Atque adeò non vtile tantùm, ſed etiam neceſſarium videtur, curſum vltrò citróque obliquare, vt correctioni ſit locus: cùm autem te non eundem parallelum tenuiſſe, quem exiſtimabas obſeruatio arguet, latitudinem ſecundum obſeruata mutabis, & inde longitudinis euariationem definies.

Nec nos obniti contra, neque tendere tantum
Sufficimus, ſuperat quoniam fortuna ſequamur,
Quóque vocat vertamus iter.

Vegetius rei militar. l. 4. c. 42. & 43. Nauticorum gubernatorúmque ſolertia eſt, loca in quibus nauigatur cognoſcere, tantò enim ſecuritas maior eſt. Aut enim motus occultus, aut reciprocantis ambiguitas, curſum nauium vel adiuuant, vel retardant, quæ nauiganti, aut bellaturo magnâ cautione petenda, vel euitanda ſunt. Et quoniam diuerſis in regionibus diuerſo Lunæ creſcentis minuentíſque flatu, certis horis iſta variantur, ideò prælium nauale geſturus, conſuetudinem pelagi, vel loci ante congreſſum debet agnoſcere. Sed ad æſtus motúſque pelagi præter ea, quæ ſupra dixi, multùm Sol facit, quem pleroſque flatus ſuâ ſecum circumflectere vertigine Ariſtoteles & Heraclides prodidêre: quibus ingruentibus, Atlanticúmque protrudentibus, extumeſcit mare, æſtúmque efficit: rurſúmque illis ſopitis, ſensìm in ſeſe pelagus relabitur, & reciprocatur. Plato in elationem quandam cauſam confert, aquas enim cuiuſdam ſpecus hiatus ſuſtolli & latè effluere, & ſubindè eodem refluere, & ex eo vndabunda maria iactari. Quæ cauſa diuerſorum maris motuum probabilior mihi videtur, cum non modò ea flumina quæ ſupra terras meant, in Oceanum labantur, ſed etiam haud dubiè

Plutarch. de placitis Philoſoph. ſiue de Natur. lib. 3. cap. 17.

biè ea quæ infra terras. Vnde fit, vt cum variis in locis ea mare magno impetu ſubeant, eò deferantur vndæ, quò curſus fluminum erumpunt: quæ ſi ceſſent, gurgites fieri & trahi in fundum naues abſorberique maximè quieto mari, hiatu fluminum fluctus recipiente, multi ſcripſerunt. Addit Timæus, flumina dum deuoluuntur in mare, irritare quietum, æſtúmque ciere, qui vbi concitatus eſt mari cedentibus fluminibus rurſum redire in ſe pelagus, & omittere iras, & permittere labentibus decurſum. Seleucus mathematicus, qui Terræmotum attribuit, circumactui motuíque eius occurſare Lunæ vertiginem dicit: quo impetu colligente ſe inter hæc duo corpora flatu, & in Atlanticum irruente, probabili ratione conturbari maria. Ad quæ conferunt etiam coniunctiones & oppoſitiones reliquorum planetarum, & quibuſdam anni temporibus id magis fit, maiórque varietas in iis motibus exiſtit: quippe cùm circa tropicum Æſtiuum augeatur acceſſus, minórque fiat ad tempus vſque Æquinoctij; ac rurſus creſcat ad Hybernum tropicum, & ab eo ad Vernum Æquinoctium minuatur. Augetur & iſtud etiam vi eorum ſignorum, in quibus Luna fuerit in ſuis mutationibus. Nam in placidioribus æqualiores fiunt motus: in vehementioribus magis inæquales: quod etiam vis imbrium auget, ac impetus ventorum. Ceterum quò latius pelagus patet, eò maioribus motibus obnoxium eſt, vt in Atlantico videmus, cuius cetera maria, partes, & veluti membra ſunt. Ideò Mediterraneum, vt pars Oceani, & quia arctus eſt, non iiſdem æſtibus quibus Oceanus excitatur, cùm maius corpus vehementiore motu, quàm minus indigeat.

--Hic curuo littore latrans *Accius.*
Vnda ſub vndis labunda ſonit:
Simul & circùm magni ſonantibus
Excita ſaxis, ſæuo ſonando
Crepitu clangente cachinnat.

Alludit enim & blanditur ſuis littoribus, dum ea creſcente fluctu pålpat, non iraſcitur, vt Oceanus, nec labentia in ſe flumina repellit & propulſat, cachinnat non furit, ludit non lædit, acceptáſque Oceani aquas per fretum Herculeum Adriatico Ægeóque miniſtrat, vbi

Neptunus gurgite feſſos Ducit equos.

Nam qui ſupereſt Euxinus, è Mæotide palude non ab Oceano aquas accipere putatur, cúmque Mediterraneum mare in Orientem & Septentrionem feratur, Euxinum aiunt in Meridiem ferri. Neque tamen Mediterraneum, quà Africam pulſat, ſine motu eſt: in Biſertæ quippe ſtagnum ſtatis æſtibus irrumpit; & infuſum aquà dulci ſenſim abſorbetur, atque emittitur. Præterea ſicut Oceanus, ſic & Mediterraneum mare ſecundùm aquarum clau- *Bizar. Genuenſ. hiſtor. lib. 19.*

Senec. Natural. quaſt. lib. 4.

ſarum, naturam ſe purgat. Nam in iis, quibus curſus eſt, non poſſunt vitia conſiſtere: quæ conſiſtunt, purgantur: nec tantum tempeſtate, ſed etiam tranquillo. Idcircò maria cadauera, ſtramenta, & naufragij naufragorúmq; reliquias in littus euomunt, aliquando etiam altè in fluminum ripas emittunt, nam & æſtum vſque ad centum miliaria creſcere multi ſcripſerunt; maximè vbi demiſſiores ſunt terræ, & vehementiore impetu flumina exonerantur: quò enim rapidioribus & vaſtioribus aquis pelagus intrant, eo vaſtiori mole reuomuntur, & exundant latius altiúſque repulſæ. Sic in noſtra Galliâ rapidus Garumna maiore æſtu quã Ligeris aut Sequana, qui placidiùs currunt, refloit, creſcítque altior ab Oceano repulſus. Vnde contra naturam reliquorum æquorum cum ſeptem horis intumeſcat, quinque detumeſcit. Ob id puto, quòd longiores moras trahat, aquas præcipites ſummouendo, quàm lentas. Quinque autem detumeſcit, rapido fluctu, marinum celerius quàm alibi expellente, & mole ſuâ naturaliter currente io Oceanum. Quam rationem Scaliger non animaduertit, cùm plures alias ad hanc rem * adferat. Producitur enim tempus ingreſſionis in fluuium, quia æſtui reſiſtit Garumna. Pręterea maris moles grauior, idcirco diutius inſtat, viam non inueniens, at vbi ſeſe ſubduxit, celerius abit, oſtiis fluuiorum alueis ipſis patentioribus. Altera ratio eſt, quod ab Arctico mari redeuntibus aquis, non ſolùm obſidentur Garumnæ fauces, ne fluuius deſcendat, atque exeat aqua, ſed etiam complentur nouis fluctibus, & in hac reluctatione tempus acceſſionis conſumitur. Alioquin per horas VI. ſecum ducit aquas Luna, aut quæcumque alia cauſa eſt æſtus, totidem maris ponderi datæ ſunt, quo repulſum à terrâ ſeipſum premendo rurſus in priores ſedes incumberet. Id autem fit, quia Cœli medium in quadrantes duos diuiditur, quorum vnum fluxui, alterum refluxui datur. Reliqui duo quadrantes infra nos ſunt, propter Cœli punctum medium, quod ab vtroque finitoris puncto diſtat æqualiter. Quare neceſſariò diuiditur Hemiſphærium in duas partes æquales. Atque hæc eſt cauſa quare & ad ipſum & ab ipſo ſcilicet verticali fiant mutationes. Ceteræ namque omnes lineæ, ad quodvis punctum à finitore deductæ, inæquales inter ſe ſunt. At totum hemicœlium cùm ſit horarum XII. dimidium eius explebit incrementũ Oceani ad ſummum illud punctum, alterum dimidium exhauriet ad decrementum. Propterea verò quòd non eodem ſemper loco Luna oritur, idcircò æſtus ab illius curſus inconſtantiâ variatur in Oceano. In alterum autem Hemiſphærium currit ſex horis Oceanus totidem recurrit, mox ad nos totidem recurſat, totidem relabitur motu naturali. Vnde diuerſis horis, diuerſis in regionibus motus fit. Accidit tamen Lunâ, punctóque oppoſito ad Meridianum

** Exercitat. 52.*

ridianum iam deuolutis,æſtus nondum creuiſſe, cuius moræ cauſa poteſt eſſe, magna illorum locorum à magno & ſpatioſo Oceano diſtantia, vel ingreſſus aditúſque nimia coarctatio. Propter eaſdem cauſas, feruentiſſimi, & turgidiſſimi æſtus ſunt pluribus in locis, diebus aliquot poſt Lunam plenam, aut nouam. Æſtus autem ſequentium marium, præter iam annotatos, ſic ſe habent:

In Oceano littore Boreali, del Zur, *ſiue Pacifico, nullus æſtus.*

In Britannico & Germanico Oceano vehemens vbique.

In plagâ Indicâ ſecundùm Gangis & Indi fauces & in toto mari Erythreo maximus eſt.

In Liguſtico nullum æſtus veſtigium.

Notabilis in Adriatico.

Garumnæ fauces, vt diximus, ſeptenis horis ingreditur Oceanus, quinis recedit.

Ad Guineam quaternis accedit, octonis regreditur.

Eodem ſemper curſu fertur Oceanus ex Oriente in Occidentem iuxta Panamam.

Nullus æſtus eſt in Baltico mari.

Venti etiam & motus maris varij variis in locis.

A 20. die Aprilis ad 20. Iulij inter Braſiliam & Angolam, maris fluctus feruntur in Zephyro-Boream. Nort-Oueſt.

A 20. Iulij ad 20. Octobris non mouentur in aliquam plagam.

A 20. Octobris ad 20. Ianuarij fluctus feruntur verſus Auſtro-Zephyrum, Zud-Oueſt.

A 20. Ianuarij ad 20. Aprilis iterum nullo motu cientur.

Ab Inſulâ-Bellâ, & ſupra à freto Dauis in Orientem & Meridiem ferè fertur mare.

In Helleſponto & Ægeo periodi breues ſunt, & multùm inter ſe diuerſæ.

Mare Rubrum ſine æſtu eſt.

Iſtud omnibus notum, à nouilunio vſque ad quartam diem, mare mediocriter intumeſcere, mox magis ac magis in plenilunio autem maximè. Poſt decreſcente & deferueſcente calore Lunæ, quæ vim ſuam in humidis exercet, cùm nequeat amplius dilatare exhalationes atque excitare, reſidere illum maris æſtum, ab exhalationibus autem dilatatis augeri & intumeſcere pelagus, cùm erumpere volunt exhalationes illæ excitatæ à Lunâ. Quòd verò exæſtuant & decreſcunt maria non ex æquo, & pari tempore, illud certè reconditæ eſt ſcientiæ. Alij dicunt, naturam aquarum aliam in alio mari, ſitúmque loci, & vapores exhalationéſque ſub mari, ventóſque incumbentes, præcipuè ad fauces, atque anguſta littora, vt in fretis & Euripis iſtud facere. Alij, maiorem, minorémve profunditatem aquarum, longitudinem maiorem vel minorem receptaculorum, quibus terminatur tempus reciprocatio-

Philoſtrat. in vitâ Apollonij lib 5. c. 1.

G. Galilai dialog. 4. Syſtematis Coſmici.

num,

num, huius diuerſitatis cauſam eſſe, nam aquæ profundiores, cùm & mole & pondere ſuperent, expellunt minus profundas, quæ ſedibus ſuis emotæ, deſcendere coguntur, & ſequi quò impelluntur. Addunt aliqui, oppoſitos æſtui ventos, quibus maris commotio retardatur, obiectáque freta, & promontoria aquas repellentia. Mare Inferum vbi Genua ſita eſt, nullum incrementum aut decrementum oſtendit, quoniam aqua illius maris adeò glutinoſa eſt, vt non poſſit ita rarefieri vt creſcat, vel propter ſaxoſitatem fundi, per quam halitus in fundo reſolui nequeunt. Rubrum quoque mare à fluxibus & refluxibus exemptum eſt, ſed ob aliam rationem, nempe quia eius longitudo non extenditur ab Oriente versùs Occidentem: ſed potius inter Euronotum & Corum iaceat. Balticum mare æſtum non ſentit, ob anguſtiam aluei, quod nimis Septentrionale eſt, atque adeò ab efficaci proiectu radiorum luminarium Cœleſtium longius diſſitum; quotum etiam influxibus minus patet, ob profunditatem. Cùm autem terræ motiones tendant ab Occidente in Orientem, impulſus aquarum ferient ſemper Meridianos, & non de parallelo in parallelum ibunt, vnde in maribus, quæ tranſuersìm ad Polos extenduntur, & contra ſecundum Orientalem circulum anguſta ſunt, reciprocationis nulla cauſa ſupereſt, niſi per participationem alterius maris, magni reciprocationibus obnoxij, cum quo illis aliqua communio. Et hæc eſt Galilæi ſententiâ, cum Copernico ſuo, aliorúmque, qui motum Terræ tribuunt, iſtâ maximè ratione fulti, vt cùm primum Mobile innumerabilem ſtellarum fixarum, & inſuper omnes ſphæras Planetarum torqueat, quamvis & hæ & illæ ſuâ naturâ moueantur in contrarium: cúmque iis & Ignem & Aërem, contra ſenſum humanum eſſe, paruum Terræ globum pertinaci virtute tantæ virtuti reluctari, cùm penſile corpus, æquè centro ſuo libratum, ad motum & quietem indifferens, ab ambiente liquido circumdatum, circumrotari & ipſum cum reliquis Elementis & Cœlis neceſſe habeat. Quod ſi valeret, ſequeretur (contra id quod poſtea aſſeruit Galilæus, de diuerſitate æſtuum motuúmque maris) æſtum ſemper in vnaquaque parte terrarum, vt ſemel fuit, permanſurum, ſempérque iturum, ab Occidente in Orientem, nec ſingulis ſex horis recurſaturum, ſed poſt exactas XXIV. horas, cùm Terræ motus iis credatur mouere pelagus ab Occidente in Orientem per XXIV. horas, quod tempus eſt circumactionis primi mobilis, diurnum curſum definientis. Ceterum cùm primum Mobile ab Oriente ad Occidentem moueatur, Elementáque illud ſecum rapiat, concluditur ſimiliter & Terram, fluctúſque maris illi obſequentes, ab Oriente in Occidentem moueri, quod ſi moueantur ab Occidente in Orientem, hoc non à primo Mobili fieri, ſed, vel agitatione naturali & intrinſecâ,

Galeotus Martius de doctrina promiſcua cap. 30.

Gal Galil. Syſtem. Coſmici, dialog. 1. & 4.

trinſecâ, vel Solis vi, atque exemplo, cuius curſus, tum diurnus, tum annuus ab Occaſu ad Ortum tendit: quod certè probabilius eſt, virtute Solis in terras & maria cognitâ. Vnde aliqui æſtuum initium ſub Zonâ Torridâ collocant, tum quia Æquator medium Mundi ſecet, conſtituátque ibi vmbilicum, è quo ceteræ partes Orbis veniant. Tum quod è medio maris æſtus fluant, excitati calore vicini Solis, eleuantis fluctus, qui velut in caldario, ſic ſub Torridâ Zonâ bullientes, ab vtraque parte æqualiter fluunt properántque ad littus per inæqualia quidem ſpatia, & inæquales altitudines maris, pérque freta & ſinus, qui demiſſi ſuſcipiunt venientem æſtum, aut excludunt elatiores. Sub Zonâ Torridâ vehementes calores nemo neſcit, adeò vt circa Maldiuas Inſulas, quæ ſub eâ poſitæ ſunt, efferueſcere pelagus * Pirardus ſcripſerit, & ab eo feruore, qui ſub Torridâ fit, æſtum pelagi naſci multi tradiderunt. Aliter * Macrobius, qui maris motum ex eo eſſe putauit, quod ſinus Oceani Orientalis & Occidentalis, mutuo concurſu ſeſe feriant, atque impetu immaniore miſceantur. Franciſcus Sphondratus Italus, reciprocationem pelagi refert ad Magellanicas fauces, per quas concitato curſu ad inſtar rapidi fluminis feruntur aquæ Septentrionalis Atlantici, atque Æthiopici Oceani, quæ vnum illum exitum in mare Meridionale habent, ſi illi fretum vicinum Marij addideris, cùm autem fieri non poſſit, vt omnes tantorum marium vndæ, per anguſtias illas vno agmine tranſire poſſint, coguntur ex fugâ contrariorum, contra oppoſitas ex aduerſo aquas ſequaces regurgitare: & quia vnda palpitatione, vt vocant, vndam proximam impellit, neceſſariò ad partes oppoſitas, quantumuis remotas, ac retrò iacentes, æſtus concitatur maior, aut minor, iuxta oppoſitionis diſtantiã & aquarum multitudinem: addo etiam viarum amplitudinem, aut anguſtiam, per quas ſingulis maribus tranſeundum eſt, donec ad Magellanicum fretum perueniant. Vnde colligitur, maria, quæ longius ab eo freto versùs Ortum iacent, nullâque vicinâ anguſtiâ premuntur, minores æſtus, aut nullos habere, quę verò ad Occaſum vergunt, quò propiùs, eò magis huic reciprocationi obnoxia eſſe. Sunt & Philoſophi qui aſſerant, totam aquæ maſſam moueri ab octauâ ſphæra ſexageſimo quoq; anno vnâ parte, ita vt longo temporis ſpatio mare ſit futurum vbi nunc eſt terra. Nonnulli dicunt à propriâ grauitate aquarum æſtus procedere, quæ ſi ſemel à causâ primariâ commoueantur, poſtea ad æquilibrium reduci quærunt, iteratis reciprocationibus: quæ non vno tempore & præfixo determinantur, ſed tot diuerſitatibus temporum conſtant, quàm ſunt diuerſæ longitudines & profunditates receptaculorum & ſinum maris. Accidere quoque poteſt, vt è duobus maribus ſatis magnis, ſibi per mutuum aliquod fretum

De Terræmotu diurno & annuo, Id. Galil. Syſtemat. Coſmic. dialog. 3.

** In ſuit nauigat.*

** lib. 2. in Somn.*

G. Galil. dicto dialog. Syſtem. Coſm.

occurrentibus,mediante mixtione duorum motus principiorum, vnum cauſam præbeat fluxus,eo ipſo tempore,quo alterum contrariæ motionis cauſam præbet. Quo caſu fretum illud diuerſa maria interiacens agitationes extraordinarias propoſitarum motionum, & vorticum, & æſtuum periculoſiſſimorum admittit, de quibus rebus frequens experimentum. Ex eiuſmodi autē motionibus, poſitu, longitudine, & profunditate marium inuicem communicantium, naſcuntur variæ commotiones in aquis, irregulares, & inobſeruabiles, in quas cùm nautæ incidunt, ad cauſas tantæ diuerſitatis ſtupent, non ventis, non aëri credentes. In fretis porrò & Boſporis etiam alia motionis cauſa eſt, dependens ab aquis fluminum, quæ in maria non valdè vaſta ſeſe exonerant, currúntque ſemper ad eandem plagam,vt in Boſporo Thracio, vbi Euxini aqua ſemper in Meridiem fertur per Propontidem. Ceterum maria à Septentrione in Meridiem producta, fluxui & refluxui obnoxia non ſunt: quæ verò freta inter Occaſum & Ortum porrecta ſunt, grauius agitantur,qualia Siculum, Herculeum, & Magellanicum. In tantâ varietate tum æſtuum, tum motuum,irruptionúmque pelagi,quid concludam, non habeo, cùm Lucanus ipſe æſtuū cauſas ſe neſcire fateatur:

---quà littus dubium, quod Terra Fretúmque
Vindicat alternis vicibus, cùm funditur ingens
Oceanus: vel cùm refugis de fluctibus aufert
Ventus, ab extremo pelagus ſic axe volutet,
Deſtituátque ferens: an ſidere mota ſecundo
Tethyos vnda vagæ Lunaribus æſtuat horis:
Flammiger an Titan, vt alentes hauriat vndas,
Eligat Oceanum fluctúſque ad ſidera tollat:
Quærite, quos cogitat Mundi labor? at mihi ſemper,
Tu quæcunque moues tam crebros cauſa meatus,
Vt Superi voluêre, lates.

CAPVT

CAPVT XLIII.

Lacus, fontes, puteóſque eſſe qui æſtuent, de aquis ſalſis, ſale, ſalſarum aquarum miraculis, contra eos qui tributum ex iis exigere voluerunt: de vitâ piſcium marinorum. De vſu aquæ marinæ & ſalis, contra morbos corporis, atque animi. Item de ſalſedine maris, earúmque rerum cauſis.

CETERVM non maria tantum ſed & lacus æſtuant. In Prouinciâ Mexicanâ duo lacus ſunt, vnius aqua dulcis eſt, alterius amara. In meditullio primi lacus olim Mexico ciuitas, quæ *Temiſtitan*, & *Tenuchtitlan* dicta, ſita fuit, iſte in alium inferiorem exoneraretur, cuius aqua, vt dixi, amara eſt, & peſtilens, ideò nullos piſces nutrit, quamuis in dulci abundent. Circuitus vtriuſque lacus quinquaginta leucarum eſt: in quorum ripis & fluctibus quinquaginta tum oppida tum vrbes videntur. Creſcit & decreſcit lacus ſalſus, non in modum maris, ſed pro ratione ventorum, intrinſecum motum eius iuuantium. E proximo monte fluuius defluens, curréńſque per loca ſale plena, ſalſedinem in lacum, quem intrat, importat, inde incolis maxima ſalis eſt copia. Benacus lacus in Italia, amœnis & dulcibus aquis, *fluctibus & fremitu marino aſſurgit*, inquit Virgilius, crebráſque tempeſtates mouet. Alter etiam in Italia Fucinus, Marſis vicinus, aliquando vſque ad montana creſcit, interdum rursùs decreſcit, ruſticiſque agricolationem reddit, merſáque renudat loca. Amenanus quoque iuxta Catanam, in Siciliâ, torrentis in morem nunc exundat, nunc ſiccatur per plures annos. In Dodone Iouis fons, à mediâ die ad mediam noctem creſcit, rurſúmque à mediâ nocte ad medium diei decreſcit, quam ob cauſam anapauomenon eum vocant. In Troglodytis fons Solis, Dulcis appellatur, circa meridiem maximè frigidus, mox paulatim tepeſcens, ad noctis media, feruore & amaritudine infeſtatur. Alius in Tenedo Inſulâ, ſemper à tertiâ noctis horâ in ſextam ab Æſtiuo Solſtitio exundat, & in Delo Inopus fons, eodem quo Nilus modo, ac pariter cum eo decreſcit augetúrque. Contra Timauum amnem Inſula parua eſt in mari cum fontibus calidis, qui pariter cum æſtu maris creſcunt, minuuntúrque. In Monaſterio * Altæ-Combæ, Ciſtercienſis Ordinis, Fons eſt, Miraculi dictus, qui poſtquam per ſex horas fluxit, relabitur totus occul-

Nauigat. Ferdin. Corteſij, lib. 2.

Strabo lib. 5.

Plin. l. 2. c. 103.

* *Haute-Combe.*

tátque ſe ſub terram, magno cum ſonitu,vt putares æneas valuas occludere redeuntem,vel lapideam rupem aditum intercipere,donec elapſo totidem horarum ſpatio,reiectis grandi impetu obicibus, erumpat iterum largus, rotáſque molendiuarias in ipſâ ſuâ ſcaturigine torqueat,patenti alueo oppleto, neq; multis poſt paſſibus * Burgeti lacû,in quo ſpecialis genus piſcis, lauaretum vocant,ſubeat, dulces aquas dulcibus miſcens. Tum ſex aliis horis elapſis remeat in ſe,Oceaníque æmulator denuo recurrit, ſeruatâ lege ſibi à Naturâ inditâ. In Comenſi ſolo,iuxta Larium lacum, fons largus,ſingulis horis intumeſcit,ſingulis detumeſcit. In Ardeatino agro fontes frigidi ſunt,ſulphurati dicuntur,iſti videntur aſpicientibus feruere, ob id, quòd cum in locum ardentem altè penitùs inciderunt, humore & igni diſſidentibus,validos in ſe recipiunt ſpiritus, & ita vi venti inflati bulliunt. In æde Erechthei Athenis puteus fuit aquæ marinæ, ſicut & in Caria apud Aphrodiſienſes, ſed ille ſine motu eſt, iſte verò Auſtro flante mouetur & ſonitum reddit. Alius in Hiſpali, æſtu maris creſcente decreſcit, contra decreſcente, creſcit. In Siciliâ circa Meſſanam & Melas putei fontéſque hyeme in totum areſcunt, æſtate exundant. Et alij quidem dulces, alij amari & ſalſi. Iſtorum cauſa, vel maris vicinitas, vel terra, per quam aqua fluit, aut in quâ quieſcit, ſalsâ. * Vitruuius refert, in Paretonio, quà iter eſt ad Ammonem, & Caſſio ad Ægyptum, lacus eſſe paluſtres, ita ſalſos, vt habeant ſuper ſe ſalem congelatum. Eſt autem ſal,mixtus quidam è terrâ & humore ſuccus, in ſalſum ſaporem,vi caloris concretus. Sunt autem ſalis genera diuerſa,fontanus,putealis,lacuſtris,paluſtris,foſſilis,marinus. Fontanus,è fonte calido ſalem ferente,è nitroſis ſulphureíſque terræ venis erumpens, quæ ſalſum ſaporem continent. Cuiuſmodi fons eſt apud Salinas,in Comitatu Burgundiæ, è quo ſal candidiſſimus conficitur per decoctionem. Ochus & Oxus apud Bactros, nondum fluuij, ſed in ipſis ſuis cunabulis corroſa ſalis ramenta deferunt, non ob dictam cauſam, ſed quoniam per ſalifodinas fluant. E puteis educta aqua ſalſa, in areas diffuſa, aduenientе cœli rore condenſatur,& in candidiſſimum ſalem concreſcit: vt in Volateranis Etruriæ puteis, vnde magno Etruriæ Duci tributum ingens annuum. Apud Oſcenſes in Tarraconenſi Prouinciâ, non longè à Pyrenæis montibus puteales ſalinæ ſunt, quas vulgo vocant Nabalicas: è quibus aqua tracta congelatur in ſalem, purpurearum violarum odore & colore, ſuauiſſimum & perfectiſſimum. Lacuſtris è lacubus egeritur, & concreſcit,dum lacus aqua in ſalem mutatur,ardore Solis ſalſuginoſam terræ naturam ad ſaliendas aquas excitante. Talis eſt ſal Tarentinus in Apuliâ: Tatteus, è Tatta lacu maioris Phrygiæ: Agrigentinus in Siciliâ, Tragaſ-

** alias Burgenſis lacus, vulgo Bourget, in Sabaudiâ.*

Vitruuius l.8.c.3.

Pauſanias in Atticis.

Plin. l.2.c.97.

Idem lib.31.c.3.

** dicto lib. & cap.*

Bernardinus Gomeſius diaſcepſeon de Sale.

ſeus in Æolide: in Valentiæ Regno inter Catthaginem Nouam & Orcelitanum agrum, ſal, qui è lacu, *de la Mata*, conficitur. Paluſtrem ſalem octo ab hinc annis inuenimus in Burgundiâ noſtrâ, inter Sedelocum & Arnam-Ducum vrbes, in dominio nobilis viri mihi familiariſſimi, *de la Rochette*, exigua palus vluâ & iuncis obſita, quâ humilior eſt, vndam exudat, adeò ſalſam, vt tota vicinitas, imò & ipſi ruſtici longè ſepoſiti vndique accurrerent, doliáque eâ implerent, quâ ſalis loco vtebantur. Diſplicuit publicanis, qui ſalis vectigal exigunt, Naturæ liberalitas, viuam calcem immerſerunt ſalutiferæ aquæ, corruperúntq; tantum Dei beneficium, quo nunc ſolæ quadrupedes, *volucréſque vtuntur, dedignatæ peruerſitatem hominum datis vltrò muneribus inuidentium. Ex iis enim paſcuis, nec pecus, nec volucres abigi poſſunt, adeò dulcedine cibi, potúſq; amantiſſimi delectantur. Quatuor anni ſunt à quibus experiri volui, an ille ſal tot hominibus, tot beſtiis petitus, ſalubris eſſet, è tribus aquæ amphoris igni in aheno ſuppoſitis, ſal niger, qui palmam impleret, permanſit in fundo, guſtaui minutulum quoddam, & ſtatim violente niſu exoneraui ſtomachum, de quâ re, cùm ad medicum quendam amicum meum retuliſſem, quidquid eius ſalis habebam, illo petente, tradidi: póſtque aliquot menſes gratias mihi per litteras egit, quòd eo vſus, primùm in xenodochiis, mox & in remedium priuatorum, multos vbique præſentiſſimis morbis liberaſſet, detractâ per vomitum bile vitreâ, quâ ſtomachi orificium ſolet circumuallari atque obſideri, multáſque & periculoſas ęgritudines ciere. Et nunc damnandâ publicanorum auaritiâ, tam promptum, tam ſalutiferum beneficium ſub calce ſepultum iacet, hoc prætextu, quòd ſalis reditus minuerentur: ſed iam Miſericordia & Pietas reliquerunt ſolum, ipſáque Humanitas exulauit ab homine, vt verum fiat vetus prouerbium, *Homo homini lupus*. Reſtant duo ſalium genera nobis exponenda, foſſilis ſcilicet & marinus. Primus, è montium terræque viſceribus, inſtar magnorum lapidum, eruitur, tantâ ſoliditate, vt edolari, atque ex eo effingi ſimulacra poſſint. Nitor eius & perſpicuitas mira, chryſtallóque ſimilis, vnde eum medici ſalem gemmam appellant. De hoc Plinius: *In Citeriori Hiſpaniâ, in Conuentu Carthaginenſi, * Egeleſtæ quoque cæditur, glebis penè tranſlucentibus: cui iampridem à medicis palma inter omnia ſalis genera perhibetur*. Sal porrò marinus concreſcit, cùm mare feruens æſtu ſpumas agit, eáſque ad littora & ſcopulos euomit, vel vento corradente algam in interiora terrarum imbris in morem deferuntur, qualis ſal in Narbonenſi Galliâ, qui *de Pequais* vocatur. Is Aquilonis flatibus, temperato regionis calore denſatur. Plinius ſpumam vocat, Georgius Agricola, ſalem è marina ſpumâ genitum, & ſalem virginem, à flore ſalis, quem Poëtæ ſalis

*hoc genus auium, quod ſalſuginoſis locis gaudet, vocatur à Græcis, ἁλμυροφάγον.

* Hodie, Enieſta, oppidum.

 ſpumam

ſpumam vocant, & ſalum, mare: nimirum à ſale. In Valentiæ Regno iuxta Ferrariam promontorium, excauatis ibi rupibus, longi canales excreſcentes maris fluctus excipiunt, qui deinde in parentes quaſdam areas influunt, vbi marina, cœleſti rore & Aquilone flante concreta, ſal Hiſpaniæ fingit. Similis huic eſt qui in littore Santonico ad Aquitanicum Oceanum, multâ arte & labore perficitur, in paludibus, quæ vulgò, *de Salins* appellantur, quarum terra pinguis eſt, & glutino ſimilis, multâ argillâ obſita, quæ equorum pedibus trita, foſſis alueiſque obductis, reſtagnantem maris aquam, cum ſale aduectitio, non ebibit, ſed conſeruat, eductámque à canalibus, pluuiæ, Soli, Aëri, Ventis, diluendam ſiccandámque tradit, ab Æquinoctio Verno, ad Æquinoctium Autumnale. Poſt hunc ſalem, ſecundum locum inter marinos obtinet ille, qui è mari & aquâ dulci gignitur. Is autem fit dum mare feruet, atque excreſcentibus fluctibus, in proximos & adiacentes littori lacus affunditur: quorum ſtagnantes aquæ dulces marinâ conditæ, ac vi Solis extremas lacus oras exſiccante, concreſcunt in ſalem, qualis in Ebuſo, Balearici maris Inſulâ, repetitur. Omne ſalis genus Ormus Inſula Perſici ſinus continet, tota ſal, ob id ſterilis, vt neque in eâ vireſcant herbæ, neque arbores, neq; ſtirpium genus vllum adoleſcat. Ibi flumina, fontes, putei, terra, glebæ, ſale redundant, cuius permutatione in alias merces, incolæ ſine labore vllo viuunt. In montibus Indiæ Orientalis Oromenus celebratur: Cyrenaicus tractus ſale Ammoniaco, ſub arenis reperto, nobilitatur, quo Gerra oppidum totum quadratis molibus aquâ conglutinatis conſtructum eſt. Cracouia, caput vrbium Poloniæ, ſalem gemmam, ſiue gemmeum habet: fontanum, Æolis: putealem, Selinuntium Siciliæ: lacuſtrem, Agrigentum, eiuſdem Siciliæ vrbs: paluſtrem Burgundia: marinum, Gallia, Hiſpaniáque: Ormus vna, tota ſal eſt, tota omni ſalis genere abundat, ſuſtinetur, viuit, veſtitur, ædificatur: ideò incolis non venditur, quibus ſacer; dicitur enim ſal ſacer, cui nullum vectigal impoſitum eſt: aut ſi quando impoſitum, ceſſatum eſt ab impoſitione, omnibus commune factus, qui ab aquis, communi omnibus Elemento, venit. In Troade cùm antea cuiuis permitteretur ſalem Tragaſſæum gratis auferre, & Lyſimachus ſalarium tributum exigi mandaſſet, illic poſtea nihil ſalis viſum eſt. Admiratus id Lyſimachus tributum remiſit, continuóque ſal rurſum extitit. Quod cùm timerent Celtiberi, ne fons ſcilicet, qui in agro Cæſaraugustano fluit, ob tributum ſalarium illi impoſitum, deficeret, & ſal natiuum incolis denegaret, cùm fonte pepigerunt; vt quotannis certo die, vt vnicuiq; gratuitò, quantum opus haberet ſalis, aſportaret. Hinc ſemper ille perennis fluxit, fónſque ob id ſacer, ſacræque ſalinæ appellantur, quæ iuxta oppidum Armillas extant, dictum

Modum ſalis conficiendi: fusè tractat Bernardus Paliſſy: tract. de Natur. aquar. & fontium, cap. de vulgari ſale. Et Corteſius in tract. De Methodo benè gubernandi rationem, cap. de Sale.

Athenæus Deipnoſ. lib. 3. c. 1.

Bernard. Gomeſius Diaſcepſeon, lib. 1. c. 29. & l. 2. c. 11.

dictum quaſi Halmyrillas, hoc eſt, Salinulas, ἀπὸ τοῦ ἁλμυροῦ, quod eſt falſum; à Gallis olim vetuſtiſſimis Celtiberiæ colonis, quorum ſermo Græcus erat, vt alibi oſtendi in hoc opere. Sed & alia eſt ratio cur ſal ille ſacer vocetur, quod ſcilicet totus cenſus ex eo proueniens, alendis Chriſti pauperibus impendatur apud Turolium vrbem eiuſdem Conuentus Cæſarauguſtani, ad quam eiuſmodi ſalinæ pertinent, quas fons dictus efficit, latis quibuſdam foueis exceptus, atque inde per areas, lateritio ſubſtratas pauimento, diffuſus, vbi rore cœli aſperſus in candidiſſimum & ſuauiſſimum ſalem concreſcit. Eandem ob cauſam ſal Cataritanus in Sardiniâ ſolis exteris venalis eſt, ne ſcilicet exareſcat incolis venumdatus. Iſtud porrò ex antedictis quidam affirmant, non ſine aliquâ ratione, ſenſum aquis eſſe, vndè aliquæ tactum refugiunt, aliæ tactæ efferueſcunt atque iraſcuntur. Aliæ exareſcant, vbi ipſis, aut illis, quæ in iis naſcuntur tributum imponitur, cum ab origine ſua omnium fuerint. Iſtarum meminit * Athenæus, *(* dicto lib. & cap.)* ſcribens; regnante Alexandro Pyrrhi filio, prope Thyamin fluuium Theſprotiæ, quæ in Epeiro eſt, in palude quadam enatam caſu fuiſſe fabam, quæ nunquam aliàs niſi in Ægypto creuerat, vnde Ægyptiaca diciτur, ac toto biennio abundè poſtea fructus peperiſſe: cùm verò præſidium ibi Alexander collocaſſet, quo arcerentur non ij tantùm, qui decerpere vellent, ſed ij etiam, qui eò commearent, videndi gratiâ, exſiccatam paludem fuiſſe, & in poſterum non ſolùm eius fabæ non genuiſſe plantas, ſed nec iam inde aquam in ea fuiſſe conſpectam. Adeò aquarum delicata, & ſui iuris conſeruandi obſtinata natura eſt, quo vni ſeruire non poteſt. In Edepſo, quæ Macedoniæ ciuitas fuit, riuulus haud procul à mari emicuerat, cuius potus ægris plurimùm auxiliabatur, ideò confluentibus multis cùm vectigal ab Antigono fuiſſet indictum, ſtatim euanuit. Simile miraculum Iacobus Meierus * refert, *(* in Annalibus Flandr. Camerar. operar ſuccifinar. Centur. 1. cap. 69.)* de fonte medicato propè Sluſam, qui exaruit, vbi dominus fundi ſuas ægrotis aquas negauit, niſi antea certum pretium perſoluiſſent, mox cùm idem permiſiſſet cunctis, gratis eas potare, rediit fons viuidior, & amplior quàm antea fuerat. Addit apud eandem Sluſam, Flandriæ vrbem, ann. MCCCCXLI. concharum collectioni tributo impoſito, tranſmigraſſe alibi, aut ſaltem euanuiſſe conchas, neque antea comparuiſſe, quàm liberam earum collectionem vrbani publicaſſent, Oceano in gratiam pauperum liberali, qui è conchis maximè veſcuntur: & vltrò ſal eiectante, quo ipſi melius viuant: qui è craſſioribus maris partibus prognatus, pro quinto Elemento eſt, beſtiis hominibúſque ad ſanitatis conſeruationem neceſſario: nihil enim mari, nihil ſale ſanius. Vnde ſunt, qui credant, nullum piſcibus æquoreis præſcriptum à Naturâ vitæ terminum, omnes violento fine emori. Nam cùm mare

mortalitatis

mortalitatis impatiens exanima quæuis animantium corpora illicò euomat in terram, nunquam inter tot, tantáque & varia eiectamina cadauer piſcis viſum eſt. Salſi quippe maris ſalubritate creſcunt, durántque piſces per ſæcula, neque morbos ſentiunt neque ſenectutem: comprobante parœmiâ. *Nihil piſce ſanius.* Neque quòd piſces aliis pinguiores & vegetiores videmus, alios verò colore immutato extenuatos & languentib us ſimiles, iſtud ægritudinibus tribuendum eſt: hoc alimenti defectus, hoc amor facit. Vulnera, niſi ſi mortalia ſint, vix ipſi ſentiunt, cùm ſtatim coaleſcant, ſimul atque ſe mari merſerunt. Hinc ad multorum morborum curationem aquâ marinâ medici vtuntur, in purgationibus verò eadem & Sacerdotes antiqui, & magi. Diogenes Laërtius tradidit, Euripidem cum Platone in Ægyptum profectum, ibíque ægrotantem, marino fluctu ſanatum à Sacerdotibus Ægyptiis. * Apuleius ſeipſum marino lauacro tradidit, ſepties ſubmerſo capite fluctibus, purificandi ſtudio. Vnde ſal in medicinis & ſacrificiis adhibitus. Admotus recenti vulneri ſanguinem ſiſtit, vlcuſcula ſanat, dentes cum gingiuis incorruptos ſeruat, ſuffuſionibus oculorum medetur. Olim temulentiâ laborantes, ſale & oleo peruncti iuuabantur: plæraque Comitialis morbi pharmaca addito ſale fiunt. Epota maris aqua bilem atram excutit: valet ad morſus venenatos, vnde ſali nomen, à ſalute. In ſacrificiis molæ ſalſæ ſuper victimas inſpergebantur, quas fruges ſalſas * Virgilius vocat. Dixi inſpergebantur, quia farina hordei mixto ſale, aqua à miniſtro ſacrorum perfundebatur, hinc in tergus victimæ, tanquã leuis imber, ſpargebatur. Molas illas ὐλοχύτας, Græci vocabant, apud quos ὐλὴ hordeum eſt, χέω fundo. Reliqua molarum, cum villis è fronte victimæ vulſis, in ignem ſuper aram accenſum coniiciebantur. Veſtæ ſal rufum tantùm offerebatur, qui in calicibus fictilibus aſſeruabatur. Taceo luſtrationum & purgationum morem de quo * alibi dixi, in quibus ſal infundebatur aquæ dulci, ſi marina deeſſet, ramóque in eam demerſo, lauri, vel oliuæ, irrorabantur homines & loca opus habentia purgamine. Taceo prouerbium, *Nihil vilius ſale & Sole:* vt ad ſalſuginis marinæ cauſas deueniam, quibus indagandis plures Philoſophi inſudauerunt. Empedocles peruſtæ terræ ſudorem, elutis per ſumma terris prodidit. Metrodorus, mare per terras excolatum, terrenum lentorem ſapere, perinde atque ſolent ea, quæ per cinerem diffunduntur. Quæ opinio, meo quidem iudicio, abſurda videtur, cùm terra, perennibus fluminibus irrigata, adeò torreri igne nequeat, vt fluentes per eam humores, perinde ac per cineres lixiuium, ſalſos emittat, reddátque Oceano: experimento contradicente, quo videmus ſalſas aquas, per terram percolatas, dulces fieri. Vnde putei, & fontes, qui in ſaliſodinis vel ſubſidunt vel

Plin. l. 31. c. 7. & 9.

* *Metamorph. l. 11.* *Vide Commentat. ad iſtud Catull.* Non genitor Nympharum abluat Oceanus. *Et iſtud Seneca in Hippolyto.* Non ipſe toto magnus Oceano pater Tantum expiarit ſceleris.

* *Æneid.* 12. Dant fruges manibus ſalſas.

Feſtus lib. 3. Lil. Girald. Syntagm. deor. gent. 17.
* *Comment. in l. 2. Faſtor. Ouid.*

Plut. natur. quæſt. lib. 3. c. 16.

vel fluunt, miteſcunt per terræ meatus in Oceanum currendo, ad quem per tot ſoli ſpatia peruenire non poſſunt, niſi amaritudinem omnem exuerint. Et ſi ſalſi toti peruenirent, minima illa pars ad comparationem fluminum in mare labentium, pluuiarúmque cadentium, imane illud aquarum corpus, quod Naturâ dulce eſſet, ſi è fluuiis & pluuiis crearetur, corrumpere non poſſet. Platonici volunt, vt tantùm elementaris aquæ, quod rigoris vi ex aëre concretum eſt, dulce fiat: quantùm verò è terrâ buſtulatâ & conflagrante ſuffitum eſt, ſalſum fieri. Præterea, quia mare ſtet, idcircò magis euaporare. Nam cùm duo ſint vaporum genera, alterum frigidum & humectum, reliquum frigidum & ſiccum: ex iis vapor vnus ex maris ſuperficie attollitur: alter ex imo aſſurgit, Solis ac ſtellarum vi. Quoniam verò aqueus vapor ſubtilior eſt, ideò in aërem eo eleuato, remanet terreus vapor craſſior per mare diſſipatus. Aquæ verò frigiditate eum amplexante, propellitur ad eum ipſum caliditas: quæ expulſa, illius partes vrit, atque ita ſalis ſapor incoquitur. Sal enim eſt terræ combuſtæ ſpecies, & ideò liqueſcit frigido & humido, cogitur verò calido & ſicco. Si autem excedit menſuræ modum adurens calor, tunc vapor ille ſal non efficitur, ſed veluti cinis: quo facto, ingeneratur aquis amariſſimus ſapor. Nam aduſtæ res, à quibus totum humiduui ſecretum fuerit, vt cinis, & eiuſmodi alia, amarorē concipiunt euidentiſſimum. Anaxagoræ opinionem, quâ ſalſum mare putat ab ardore Solis ſummas aquas adurentis, ſequitur * Pontanus in hæc verba:

Rhodigin. lect. Antiq. l. 16. c. 9. 10. 11. & 15.

Vos etiam maris vndiſoni fluitantia monſtra
Et Solem rapidum, & latices ſentitis amaros.
Quandoquidem obiectas vrens Sol dum coquit vndas,
Et radiis infeſtat agens Neptunia Regna,
Aſſiduè dulces epulas, tenuémque liquorem
Haurit aquis, ſuccóſque rapit populator amicos,
Grata ſequens, ſenſum longè indignatus amarum,
Hinc ſalſus ſapor, atque aſper fluit æquore amaror.
Quippe etiam vt noſtro fluitat de corpore ſudor,
Ille quidem dulci è Baccho, melliſque liquore
Excluſus venis, & enim ſitis ipſa calórque
Lenibus indulgent ſuccis, & amara recuſant.

* *Meteor. lib.*

Addit fabulam de ſuo genio, quo Poëta ſuper omnes ſui temporis Poëtas maximè valuit. Oceanum Terræ amore captum, & inexoratum rupiſſe Calpen, pérque ruptos obices, in dominium amatæ irrupiſſe. Indignatam eam, & more mulierum ad vltionem conuerſam, vnam è Nymphis, quæ iniuriam ſibi factam vindicaret, exhortatam. Huic Saliæ nomen fuiſſe, quæ ſtatim

 repoſtas

---repoſtas
Exoluit venas, totóque è viſcere Terræ
Eruptat ſale ſaxa ſuper ſudantia amaro.
Quidquid vbique aſprum egeritur, fluitátque malignus
Æquora per ſapor, inficiens vndáſque, Deóſque.
Ipſe etiam Oceanus retrò dare ſigna coactus.
Inde manet ſenſu ſapor aſpernandus amaro.

Igitur duas ſalſedinis marinæ cauſas cum multis philoſophorum Pontanus agnoſcit, aduſtionem Terræ amarum liquorem egerentis, & Solis vim fumidam & ſiccam maris exhalationem, & ob id ſalſuginoſam, attrahentem. Contra primam opinionem diximus, in vltimam hoc dici poteſt. Exhalationes maris ſalſas non eſſe ex eo concludi, quòd ſursùm coactæ in pluuiam dulcē, decidant in mare pariter & terras. Preterea conſtat exhalationes fieri è tenuioribus aquæ partibus, quæ vel dulces omninò ſunt, vel minimùm amaritudinis habent, cúmque leuiores terreis ſint, è quibus ſalſugo, in altum ſublimari iterúmque cadere in Oceanum, qui à Sole dulcibus epulis & tenui liquore, vt Pontanus loquitur, ſpoliatus, graues & amaras aquas retinet. Quod ſi ſalſedo à Sole procederet, ſequeretur, illa maria quæ ſub tropicis ſunt, ceteris ſalſiora, paulatímque ſaporem amarum exuere, quò magis ab Æquatore ſemota ſunt, & ideò quæ ſub Polis conſtituta ſunt, tota dulcia eſſe, tum quòd à Torrida Zonâ procul abſint, tum quòd in ea flumina ingentia deuoluantur, & rigore cœli durentur in glaciem, niuiúmque ingentibus cumulis obruantur. Quæ omnia Æſtatis initio liquefacta, marinas aquas diluunt dulcibus. Et tamen Septentrionalis Oceanus, qui & Glacialis, ſalſiſſimus eſt. Vnde concludimus, maris ſalſuginem, ſiue ab eo ſeparabilis, ſiue inſeparabilis ſit, à primâ illâ Mundi ac rerum procreatione ortum ſuum duxiſſe, eámque vnà cum ipſo mari, à ſummo omnium opifice Deo, nullâ aliâ intercedente causâ, procreatam, illíq; permiſtam fuiſſe, atque ab eo etiam ſingularem illam tum ſanandi, tum propagandi, & à corruptione ſeruandi facultatem mare accepiſſe: cúmque aqua ſalſa dulci ſit craſſior, ac proinde grauior & ponderoſior ad ſuſtinendum, ac reſiſtendum, ideò ſic creatam à Deo ad nauigationis commoditatem, quâ ſemotiſſimæ gentes commercio iunguntur, & commune omnibus efficitur, quidquid vnaquæque tellus ſpeciale gignit.

Bernardin. Gomeſius, Diaſcepſeon lib. 1. c. 24.

CAPVT

CAPVT XLIV.

Cur in fontibus ſalſis & lacubus, piſces neque naſcantur, neque viuant. De luciditate maris & coloribus. Cur ſpeculi vicem prabeat. Cur minus amarum hyeme. Cur non creſcat acceſſu fluminum.

CETERVM mirabile iſtud, cùm Mare innumeris piſcibus abundet, ob ſalſuginem, cur in lacubus & fontibus ſalſis idem non eueniat, contra ſteriles omninò ſint, & ſi quando in eos piſcis mittatur, emoriatur illicò. Namque in lacubus fontibúſque ſupra memoratis, aut in aliis ſalſis, piſcis neque naſcitur, neque viuit, & ſi quando naſcitur & viuit, neque adoleſcit neq; creſcit. Hoc autem maximè in fontibus & fluuiis animaduertitur, qui dum dulces fluunt, piſcoſi ſunt, vt verò ſaliſodinas ineunt, aut fontis fluuiíque ſalſi immerſu vitiantur, nullus omninò in iis piſcis deprehenditur. Exemplum eius rei adfert Ariſtoteles, cùm ait, in Chaoniâ Epiri Prouinciâ fluuium magnum eſſe dulciſſimæ aquæ, multitudine & varietate piſcium mirè affluentem, in quem, vt primùm riuulus aquæ ſalſæ à proximo manans fonticulo illabitur, Chaones non iam piſces, ſed ſalem expiſcari: omnes enim piſces ibi ad vnum intereunt, ſicut in Mexicano, vt diximus, lacu, vbi in eum fons influxit, è ſaliſodinis vicinis naſcens. Talis autem interitus cauſa eſt, terreſtris ſalſuginis quidam quaſi igneus afflatus. Nam ſalſeus quivis humor è terrâ erumpens, cùm per ſulphurea, ſiue bituminoſa loca excurrat, quoſdam ſecum peſtilentes halitus aduehit, quibus pertenuis piſcium aſpiratio, quam iis ineſſe vult Hippocrates, facilè impeditur, atque inde mors ſequitur. Quod etiam in hominibus videre eſt, qui ex carbonum halitu grauato capite, attenuatíſque ſpiritibus, atq; impeditâ reſpiratione, exanimari ſolent. At marina aqua ſulphuris & bituminis expers, recreata prætetea amnium in ſe labentium, aliorúmque infra ſe erumpentium dulcedine, qui fundum temperât, minúſque amarum reddunt, vniuerſis aquatilibus veræ ſalutis, & perpetuæ incolumitatis cauſa exiſtit. Ob id, cùm in Titicacæ lacum, qui in Peruuiâ propè Cuſconem videtur, multa flumina infra ſupráque erumpant, eiúſque altiſſima profunditas ſit, quamuis ſalſus & bituminoſus exiſtat, piſces tamen, quos Suchas, & Bogas appellant, generat & nutrit, exiles & valetudini hominum obnoxios, aquis dulcibus fœtos educantibus, amaris verò & bitumi-

Plin. lib. 5. c. 16. Tacit. histor. lib. 5. Iuſtin. lib. 36.

noſis, ne creſcant, ne boni alimenti ſint, impedientibus. Aſphaltites, ſiue Mare mortuum, ſiue Sodomicus lacus, cùm piſcoſus amnis Iordanis eum ſubeat, piſcem nullum admittit, ne alitem quidem vllam circa ripas ſuas patitur, ob corruptum ſaporem, grauitatémque odoris, qui incolis etiam, & plantis ipſis peſtifer eſt. Superiecta vt ſolido ferûtur, immobilibus, & lethalibus aquis, quæ ipſis ventis reſiſtunt innatante, & vndarum ſuperficiem denſante bitumine: quod in mari non fit, materiâ ſalis, quæ fluctibus innatat, ſpiſſas partes leuibus miſcente, atque iter apertum incluſis profundo ſpiritibus præbente, & ſeſe ad obſequium ventorum præbente, quâ agitatione incolis ſuis ſanitatẽ præſtat mare, liberámque quò cupido ducit, tranſmigrandi, ludendique poteſtatem per cærula, vnde nomẽ Oceano, qui κυάνεος, à cyaneo, ſiue cæruleo colore dicitur * Iſidoro, íſque color etiam Cœlo tribuitur, vt & vitro, vnde & vitreæ dicuntur aquæ perlucidæ, quæ obiectas imagines in modum ſpeculi reddunt. Sunt autem fluuialibus perluciodiores marinæ aquæ, quòd plus ſpiſſitatis iſtis inſit ob ſalem, cuius partes rectæ aqueis obliquis & ſubtilioribus ita miſcentur, vt ſeparari nequeant, tum ab aëre incumbente attritæ, leuigantur mutuo inter ſe attritu, in modum ſolidorum quidem corporum, ſed in inſtanti, quoniam delicatæ illæ partes primo aëris affrictu poliuntur & explanantur. Eſt autem refractionis cauſa leuitas, ac partium inoffenſa continuatio, quæ meatibus prorſus caret ſenſui perſpicuis, ſicut imago digeſta claritas materiæ excipientis vmbram, quod repercuſſo aëre atque in oculos regeſto, fieri conuenit. Oportet verò aquas ſtare, vt ſpeculi loco ſeruiant.

* lib. 13. Origin.

Carteſius tractatu de Meteoris.

Virgil. in Bucolic.

Nec ſum adeò informis, nuper me in littore vidi,
Cum placidum ventis ſtaret mare.

Sed & præter craſſitiem vndarum marinarum, multùm ad reddendas imagines profunditas eius facit, quæ loco viui argenti, aut plumbi, quibus ſolent vitra obduci, vt ſpecula fiant, putatur. Quoniam verò terreſtre omne ex aquæ commixtione ad albedinem tendit, propter eius perſpicuitatem, éſtque in eo vrens calor, inde fit, noctu præcipuè, vt fluctuans mare ſcintillare videatur, præſertim eximiè ſalſum, calidiore tractu. Quod in tranquillo non fit, candidi panni exemplo, quod ſuccuſſum de nocte colorem ſuum prodit, qui antea non videbatur. Vnde ea agitatio per quam fluctus marini candidi apparent, tempeſtatis imminentis præſagium eſt: ſicut Ceyci apud * Ouidium:

* Metamorph. 11.

Cùm mare ſub noctem tumidis albeſcere cœpit
Fluctibus, & præceps ſpirare valentius Eurus.

Et poſt: *---æquor*
Sternitur interdum, ſpumíſque ſonantibus albet.

Concuſſu

Concuſſu autem aquarum ſpumantium ſcintillarum imagines apparent, ſeu quòd commotione atque agitatione incaleſcit mare, in quo aduentitia eſt caliditas: ſeu propter albedinem furentis algæ; ſeu refractione ſyderum, & coruſcationum. Ceterum tenuitas cauſa non eſt cur mare dilucidum ſit, ſed directi meatus. Tranſlucidius tamē eſt Aquilone flante, quàm Auſtro: nam mare quando ſerenum eſt, colorem ſibi trahere aſſolet, ineſt nimirum aliquid pingue in ſucco ſalſo: Eſt enim naturâ ſuâ coloris expers, veri ſcilicet. Nam verus color reperitur tantùm in mixtis corporibus, & terminatis, dicitúrq; extremitas quædam corporis opaci, qui vtiq; ſequitur κρᾶσιν, hoc eſt, temperaturam, ex Elementorum qualitatibus prouenientem. Color verò non verus, id omne intelligitur quod viſu apprehenditur, quale mare eſt. De hoc colore * Agellius loquitur. *A peritiſſimis rerum Philoſophis obſeruatum eſt: Auſtris ſpirantibus mare fieri glaucum & cæruleum: Aquilonibus obſcurius, atriúſque: cuius rei cauſam, cùm Ariſtotelis libros problematum percerpſimus, notaui: cur Auſtro ſpirante, mare cæruleum fiat: Aquilone obſcurius atriúſque: an propterea quòd Aquilo minus mare perturbat, omne autem quod tranquillius eſt, atrum eſſe videtur.* Verum colorem mari non eſſe probatur è * mari Rubro Americæ, cui colorem faciunt fundus & littora rubricata.

Rhodigin. lect. Antiq. l. 26. c. 9.

* Noct. Atticar. lib. 3. c. 30.

* Mar Vermejo.

Et modo cùm fuluas ex imo verrit arenas
Concolor eſt illis, Stygia modò nigrior vnda
Pontus.

Ouid. dicto loco.

In Orientali Oceano pars eius viridis, à colore herbarum innatantium, vel in fundo naſcentium, quibus plærunque gubernacula nauigiorum ita obuoluuntur, vt moueri nequeant. Omitto epitheta diuerſis maribus à Poëtis data de colore diuerſo aquarũ, qui etiam in ſingulis eſt, non tantùm pro ventorum ratione, ſed etiam pro temporum diuerſitate, aëríſque ſerenitate, vel tempeſtate. Minus craſſum pelagus hyeme eſſe ob id conſtat, quòd minus ex eo tunc Sol remotior euaporet, quòd tunc temporis extumeſcant flumina, pluréſque aquas deuoluant, quòd mollis terra, gelida, vel humida, ob breues & ninguidos dies, minus caloris, ideóque minus amaroris habeat, quem fluuiis, mox mari, tribuat. Miramur etiam quod acceſſionem fluuiorum maria non ſentiant. Æquè mirandum eſt, quòd detrimenta exeuntium terra non ſentit, quæ aquas eorum continuationi nondum laſſata ſufficit. Quid eſt, quod illam ſic impleuit, vt præbere tantùm ex recondito poſſit, ac ſubindè ſic ſuppleat. Quidam iudicant terram quidquid aquarum emiſerit rursùs accipere, ob hoc maria non creſcere: quia quod influxit non in ſuum vertunt, ſed protinus reddunt: occulto enim itinere ſubit terras, & palam venit, ſecretóque reuertitur, tollitúrque tranſitu amarum, per multipli-

Senec. Natural. quæſt. lib. 3.

ces anfractus terrarum verberatum, prauitatem ſaporis in tantâ ſoli varietate exuens, & in ſinceram, vt ante, aquam rediens:

Lucret. de rer. natur. lib. 6.

Omnia quò veniunt ex omni flumina parte,
Adde vagos imbres, tempeſtateſque volantes,
Omnia quæ maria ac terras ſpargúntque, rigántque,
Adde ſuos fontes; tamen ad maris omnia ſummam
Guttai vix inſtar erunt vnius, ad augmen,
Quò minus eſt mirum mare non augeſcere magnum.
Præterea magnam Sol partem detrahit æſtu.
Quippe videmus enim veſtes humore madentes
Exſiccare ſuis radiis ardentibu' Solem:
At pelagi multa, & latè ſubſtrata videmus.
Proinde licet quamuis ex vno quoque loco Sol
Humoris paruam delibet ab æquore partem:
Largitèr in tanto ſpatio tamen auferet vndis.
Tum porro venti magnam quoque tollere partem
Humoris poſſunt verrentes æquora ponti
Vnâ nocte vias quoniam perſæpè videmus
Siccari, molliſque luti concreſcere cruſtas.
Præterea docui multum ſuſtollere nubes
Humorem magno conceptum ex æquore ponti:
Et paſſim toto terrarum ſpargere in Orbe,
Cùm pluit in terris, & venti nubila portant.

De cauſis cur mare fluminibus non augeatur: Vide Iſidor. l. 13. c. 14.

Poſtremò ſicut è terrâ aqua fit, ſic ex aquâ terra. Omnium enim elementorum alterni recurſus ſunt, quod alteri perit in alterum tranſit. Arenæ & littora & quidquid Oceano ſubiacet aliquid ſemper ebibit, demítque fluctibus: tantùm ex iſtis hauritur & adimitur, quantùm ſuperfluum eſt. Præterea acceſſu fluminum mare non augetur, quòd mare vndarum omnium naturale receptaculum ſit, & quietis locus, igitur, nec repellit, nec impedit aquas in ſe fluentes, contra eas ceu portio ſui, corpori ſuo accumulat, gaudétque acceſſione incidentium, ſiue tributum illud ſit, ſiue naturalis cibus deuoranti Oceano, tot fluminum incurſu capaci, & nunquam ſatiato.

CAPVT

CAPVT XLV.

De exundationibus pelagi, & nouarum terrarum Inſularúmque eruptione. Vbi altiſsimum ſit mare. Dies antiquorum nautici. Cur mari quieſcente quandóque nauigia abſorbeantur. Cur nauſeabundos faciat mare. Deorum Dearúmque maritimorum nomina ſecundùm naturam maris & ſcientiam nauticam explicata.

SED cur cùm fluminibus non augeatur mare, aliquándo imperat vndis exire, neglectíſq; prioribus clauſtris noua littora facere, operire terras, aperire alias, dare agricolis quod colant, auferre iiſdem quod colebant? Fiunt ſimul cum Terræ motu & inundationes maris, eodem ſcilicet ſpiritu infuſi, aut reſidentis ſinu recepti. Eadem naſcentium cauſa terrarum eſt, cùm idem ille * ſpiritus attollendo potens ſolo, non valet erumpere. Naſcuntur enim, nec fluminum tantùm inuectu, vt Æchinades Inſulæ ab Acheloo amne conuectæ, maiórque pars Ægypti à Nilo, in quam à Pharo Inſulâ noctis ac diei curſum fuiſſe Homerus credidit: ſed & receſſu maris, ſicut idem de Circeis narrat. Quod accidiſſe & in Ambraciæ portu X.M. paſſuum interuallo, & Athenienſium V.M. ad Pyreæum memoratur. Et Epheſi, vbi quondam ædem Dianæ alluebat. Herodoto ſi fides eſt, mare fuit ſupra Memphim vſque ad Æthiopum montes: itémque à planis Arabiæ. Mare & circa Ilium, Teuthraniámque, & quà campos intulit Mæander. Naſcuntur & alio modo terræ, ac repentè in aliquo mari emergunt, velut paria ſecum faciente Naturâ, quæque hauſerit hiatus, alio loco reddente. Claræ iampridem memoriæ Delos Rhodóſq; Inſulæ produntur enatæ. Poſtea & minores: vltra Melon, Anaphe: inter Lemnum & Helleſpontum, Nea: inter Lebedum & Teon, Alone: inter Cycladas Olympiadis CXXXV. ann. IV. Thera & Teraſia: inter eaſdem poſt annos CXXX. Hiera, eadémque Automate: & ab eâ duobus ſtadiis poſt annos CX.M. Iulio Syllano & L. Balbo Coſſ. ad VIII. Id. Iulij, Thia. Iuxta Italiam vna inter Æolias, altera iuxtà Cretam, tertia in Tuſco mari. Pithecuſæ in Campano ſinu ortæ. Et Pithecuſarum montem Epopon, cùm repentè flamma ex eo emicuiſſet, ferunt campeſtri æquatum planicie, oppidum proximum hauſtum profundo, alióque terræ motu Statinas emerſiſſe: & alio, prouolutis montibus, Inſulam extitiſſe Prochytam. Námque & hoc modo Inſulas rerum

Plin. lib. nat. hiſt. cap. 84. 85. 86. 87. 88. 89. 90. 91. 92.

** Hos ſpiritus Palmatias lib. 17. Ammianus vocat, qui humum moleſtius ſuſcitantes, ſurſum propellunt immenſiſſimas moles.*

rum natura facit. Maris impetus auulſit olim Siciliam Italiæ, Cyprum Syriæ, Euboëam Bœotiæ, Euboëæ Atlantem & Macriam, Belbycum Bithyniæ, Leucoſiam Sirenum promontorio. Rurſus abſtulit Inſulas mari, iunxítque terris: Antiſſam Leſbo, Zephyrium Halicarnaſſo, Ethuſam Mindo, Domiſton & Prienen Mileto, Arthemiſiam Parthenio promontorio. Hybanda quondam Inſula Ioniæ, cc. nunc à mari abeſt ſtadiis. Syriten Epheſus inter Mediterranea habet, Deraſidas & Sophoniam. Vicina ei Magneſia, Epidaurus & Oricon Inſulæ eſſe deſierunt. In totum abſtulit terras primum omnium Atlanticum mare, quod fractis obicibus Europam ab Africâ diuiſit, factóque freto Herculeo vndas intulit in noſtrum mare. Acarnania merſa eſt Ambracio ſinu, Achaia Corinthio, Venetiorum tellus Adriatico: Europam atque Aſiam Propontis & Pontus ſecreuerunt. Ad hoc perrupit mare Leucada, Antirrhium, Helleſpontum, Boſporos duos. Pyrrham & Antiſſam circa Mæotin Pontus abſtulit: Elicen & Buram ſinus Corinthius, quarum in alto veſtigia apparent. Anno Sal. MCCCCXXI. Friſiis & Hollandis multas vrbes, plures vicos, agros innumeros exundatio maris abſtulit: videntur adhuc in æquore ſumma domorum templorúmque tecta, quæ nauigantibus aut teruntur, aut vitantur. Ex Ceâ Inſulâ triginta millia paſſuum iracundum mare olim abſorbuit. In Siciliâ dimidiam Tyndarida vrbem, & quidquid ab Italia deeſt. Et hæc ſatis de exundatione maris: cur autem alio loco profundius ſit, abundantia humoris facit, ideóque, quod ſub frigido cœlo eſt, altius omninò inuenitur: vndè nautæ recentiores, qui proximè polos nauigauerunt, iniecto in Oceanum perpendiculo, fundum non inueniri prodiderunt: ibi enim innumera & abundantiſſima flumina lacúſque è terris deuoluuntur, parúmque è mari Sol trahit, qui raró eo locorum lucet, nec niſi remotior & hebetiore luce apparet ſub vtroque polo nauigantibus. Atlantici atque Æthiopici æquoris altitudo XV. ſtadiorum putatur. Sunt & qui ſcribant, in Ponto ex aduerſo Coraxorum gentis (vocant Bathea Ponti, CCC. ferè à cōtinenti ſtadiis) immenſam altitudinem maris eſſe, vadis nunquam repertis. Ceterum ſicut hodie in Americam aut Indiam nauigantibus, ſolutionis tempus maximè attenditur, vt tempeſtates, quæ per hyemem maria turbant, ſecuris in portubus vitentur: atque ideò quo die in Æthiopiâ, quo in Indiâ, quo in Peruanâ Prouinciâ, quo in Braſiliâ hyems incipiat, quóve deſinat, diariis in chartis reduces nautæ ceteris tradunt, ne tot marium ſpatia luſtraturi, per ignorantiam eiuſmodi rerum, vel fame, vel naufragio pereant: ſic & olim nautis ſui dies ſuſpecti fuerūt: Martij, I. VII. XV. XVII. XIX. & XXV. Aprilis, V. VI. XII. XX. Februarij, VI. XII. XV. XVII. XIX. & XX. quos inuariabiliter obſeruabant, aſſerentes, hiſce ferè diebus

Plin. lib. 2. c. 102.

Rhodigin. lect. ant. lib. 14. cap. 9.
De iis ſuſpectis diebus cōſule Briſſon. ad l. quoties, C. de naufragiis, & l. ciuil. C. de offic. rect. Prouinc.

bus

bus maximas in mari mutationes contingere, vel ad tranquillitatem, vel ad tempeſtatem: proinde in re ambiguâ tutius arbitrabantur nauigationi ſuperſedere. Contra Phœnitæ decurſu, id eſt, poſt ortum Pleiadum, à die VI. Kal. Iuniarum, vſque ad Arcturi ortum, id eſt, in diem XVIII. Kal. Octobr. ſecura nauigatio credebatur, quia beneficio ęſtatis ventorum acerbitas mitigatur. Poſt hoc tempus vſque in III. Id. Nouembr. incerta nauigatio putabatur, & diſcrimini proprior: propterea quia poſt Id. Septembr. oritur Arcturus vehementiſſimum ſidus. Et VIII. Kal. Octob. æquinoctiali die euenit acerba tempeſtas. Circa Nonas verò eiuſdem menſis, Hœdi pluuiales, V. Idus eiuſdem Taurus. A Nouembri autem menſe crebris procellis nauigia conturbat Vergiliarum hyemalis occaſus. Ex die igitur III. Id. Nouembris vſque in diem VI. Id. Martiarum, maria claudebantur. Nam lux minima, nóxque prolixa, nubium denſitas, aëris obſcuritas, ventorum, imbre, vel niuibus geminata ſæuitia, non ſolùm claſſes à pelago, ſed etiam commeantes à terreſtri itinere deturbat. Poſt natalem verò nauigationis, qui ſolemni certamine, publicóque ſpectaculo multarum gentium celebrabatur, plurimorum ſiderum, ipſiúſque temporis ratione, vſq; in Idus Maias periculosè maria tentabantur, non quòd negociatorum ceſſet induſtria, ſed quia maior adhibenda eſt cautela nauigante exercitu in liburnis, aut triremibus quàm cùm priuatorum ad merces feſtinat audacia. Natalem autem nauigationis Ver fuiſſe Plinius ſcripſit, aperit enim nauigantibus maria, quæ hyeme clauſa fuerunt, cœlo tempeſtatibus fœdo & procelloſo: & vt Apuleius loquitur, ſedatis hybernis tempeſtatibus, & lenitis maris procelloſis fluctibus, nauigabili iam pelago, quo rudem dedicabant carinam, primitiáſque commeatus. Hoc nauigatio prima dicebatur: cuius dies incidebat in VI. Eid. Martias, Sole Aquarij vigeſimam quintam obtinente partē. Quo Iſidi tempeſtatum, maris, nauigantiúmque Deæ, ſacrum fiebat: Neptuno quoque Equeſtri, qui idem eſt cum Conſo. Verum vt ad rem recurram, neque tantùm tempeſtates vitandæ ſunt, ſed & ipſa maris malacia: contingit enim nonnunquam nauigia dum curſum agunt remorum impetu, vel vētorum, à puppi flantium, flatu, vbi mare placabile eſt, hebeſcente motu vniuerſo pelagi, repentè abſorberi, totáque ita perire, vt ne naufragiùm quidem fluitans videatur vſquam. Id euenire putat Ariſtoteles præruptâ terræ cauernoſâ, hiantéque inanitate, mari ſubiectâ. Nam ſimul ſubſidentibus aquis nauigia introrumpere, & ad interna ſpiritus vi detrahi. Quod apud Meſſanam euenire, reciprocante freto, palam eſt, vertiginum ratione. Eodem maris motu circumactúque, nauſeâ & vertigine nauigantes laborant. Hoc ipſa agitatio vndarum, hoc aër grauis, hoc timor, hoc odoratus faciunt. Supra-

Veget. de re milit. lib. 5. c. 9.

De natali nauigationis, dixi Comment. meis in Faſtos Ouidij.

Cicer. l. 1. Epiſt. ad Quint. Fratr.

Rhodigin. lib 26. cap. 12. & 13.

dictorum autem , non modò in hoc Capite , ſed etiam in aliis præcedentibus, Poetæ nobis notitiam in fabulis reliquerunt, dum tot Deos mari, tot iis nomina fecerunt. OCEANVM cæli & terræ filium oſtendunt, pluuiæ, & flumina. Apud eum dicitur IVNO educata, quòd aqua in aërem proximum ſoluitur. Eius amiciſſimus PROMETHEVS, quoniam nauigantibus maximâ prudentiâ & peritiâ opus eſt. Dictus eſt Oceanus à Græcâ voce ὠκύς, quæ velocem ſignificat. Vxorem habuit TETHYN, quæ nihil aliud quàm aquæ molem ſignificat: nam niſi ſit Oceanus vniuerſa aqua, materia & Thetys ad generationem concreta, ridiculum foret vxorem mari dare. Ex eo coniugio TYCHE, hoc eſt, Fortuna, quia fortunatos eſſe oportet omnes nauigantes. PHILYRA amica experientiæ, quâ nautica ſcientia quæritur, eſt enim φίλη amica, πεῖρα experientia. XANTHE, id eſt, flaua, qui vndis ardente Sole color eſſe putatur. DAIRA, perita. LEVCIPPA velut albis equis vecta, quòd candida alga ad littus fluctuatim feratur, velut equis ſubſultim delata. MELOBOSIS, oues paſcens, hoc eſt, curam gerens fluctuum, qui dum extumeſcunt, repercuſſâ ad littus algâ, ouium vellera proſpicientibus apparent. IANTHE, à violaceo æquoris colore. ELECTRA, à flauo electrum referente, vel ab aquarum luciditate, vnde & PHÆNO, OCYRHOE celeriter fluens. EVRYNOME latè paſcens. ÆTHRA ſplendens. PLEIONE copioſa. Hæ & aliæ multæ Oceani ſunt filiæ, quæ fontium & fluminum nominibus inſignitæ, fontes flumináque oſtendunt è mari naſci. Eiuſdem filius TRITON buccinator, ſonitum fluctuum indicans, ciénſque motus æquoris:

Virgil. Ætna.

Pellit opes collectus aquæ, victúſque mouetur
Spiritus, & longas emugit buccina voces.

NEPTVNVM eſſe dicunt animum cum intelligentiâ per mare peragentem, vel aërem per maria manantem. A nubendo Neptunus, quod obnubat, hoc eſt, tegat terras. Eius vxor AMPHITRITE, aqua ſcilicet. Eſt enim Amphitrite corpus & materia humoris omnis, qui vel circa terram eſt, vel intra terram, cuius Neptunus ſpiritus eſt, & velut anima. Coniuges aliæ Neptuno adduntur, SALACIA, & VENILIA. Prima dicta à ſalo, quòd ſalum moueret, hoc eſt, mare. Altera vnda quæ ad littus venit. Vel ſic, Venilia eſt acceſſus, ſeu exæſtuatio maris: Salacia, receſſus, quòd ad ſalum redeat. Sed poſtquam Romani Druſo duce ad Oceanum Germanicum penetrarunt, veterum Saxonum nominibus vtramque vocauêre: pro Veniliâ, Malinam; pro Salaciâ, Lidunam dicentes: per quæ Saxones olim Lunaria Oceani incrementa, & decrementa nuncupabant. Multi filij & filiæ Neptuno tribuuntur, quæ nomina, vel fluminum in mare erumpentium ſunt, vel regionum maritimarum. Extremum maris ambitum, Græci, PHORCI

ci nomine intelligunt, proptereáque eum faciunt Ponti & Terræ filium, qui Cetonis congreſſu genuit Græas, à partu ſtatim canas; quia breuibus & ſaxis incidens vnda ſpumas concipiat; rectè vetulas appellatas, quia albæ: eſt enim Græcis vetula, γραῦς: Ceto verò exhalatio eſt, quæ calore & radiis Solis excitatur, ea autem cùm per æſtatem attollitur, ſpecie draconis ſublime petit, obnubítque & velut ſeruat aureos radios Solis, ne à nobis videantur: vnde fabula è Cetone & Phornice natum draconem, qui aurea mala Heſperidum ſeruaret. Ex algâ natam Venerem fabulantur, quoniam nihil generatur ſine ſale. Sequitur & Protheus vates variis figuris celebratus, natura aëris, per quē omnia oriuntur, ſeu plantæ, ſeu animalia. Nam ex eadem materiâ pro aëris & caloris proportione, vel arbores, vel animalia naſcuntur, vel materia ipſa conuertitur in Elementa, quod antiqui ſignificarunt per tot támque multiplices formarum mutationes, cùm Protheus quaſi τὸ πρῶτον ὄν, primum exiſtens ſcilicet ſit. Materia enim omnis in intellectu forma prior exiſtit, formáſque varias ſemper expetit Naturæ impulſu: quamobrem in tot formas verti dicitur Protheus. Sunt qui dicant primo creationis huius vniuerſi momento, mare primum à ceteris Elementis ſegregatum Protheum appellatum, è quo vapores diuerſis figuris aſſurgunt, vnde fabulæ locus. Alij eandem fabulam ad nauticam ſcientiam pertinere putant, nautámque vaticinari debere, qui venti aut tempeſtates ingruant, antequam vela explicet, ſoluátque anchoras, eundémque pro ventorum ratione nunc in Orientem, nunc in Occidentem curſum flectere, vt aliquando etiam in Meridiem aut Septentrionem perueniat, ſic pro occaſione nauigationem vel tardare, vel mutare, vel etiam curſum augere. Portvno portus curæ, vt tuti, vt muniti ſint, Græcis Palæmon eſt, vis tempeſtatis, nam παλλεῖν agitare ſignificat. Matvtæ filius, hoc eſt, Auroræ, quia ſub Auroræ aduentum ſpirare venti incipiunt, & maria mouere: vnde etiam Matuta & Palæmon dicuntur ſe in mare præcipites dediſſe. Glavcvs à colore maris viridi albeſcente dictus. Per Nerevm verò Oceani & Thetyos filium, Orpheus fundamentum aquæ, finémque & principium cunctorum intellexit, eíque quinquaginta filias attribuit, quæ de nomine patris Nereides appellantur. Haliam, ἀπὸ τῆς ἁλὸς, à mari: vel ab haliade paruâ naui: Spiona, à ſpeluncis maris, in quibus nymphæ habitare finguntur, σπέος enim ſpelunca: Cymodocen, à placandis fluctibus: Thaliam, virentem: Nisam, quaſi Inſularem, quæ Inſulas varias earúmq; portuoſa & importuoſa noſcet: Pasitheam, quoniam παρὰ πάντων θαυμάζεται, omnibus ſit admirationi, Paſithoam alij vocant cuncta mouentem: Ligeam, à cantus ſuauitate, vel à canoro vndarum ſtrepitu: Actæam, littoralem:

Meliten, dulcem: Amphithoem, circumcurſantem: Dynamenem, mari pollentem, Amphinomem, circumpaſcentem, aquæ enim littora circumquaque exedunt & depaſcuntur: Panopeam, viſu perſpicuam: Callianassam & Callianiram, benè fluctibus imperanres, & nauigantibus fauenres, honeſtantéſque viros, qui ſe pelago commiſerunt. Sequuntur & alia aliquot Nereidum nomina, quæ in compendium miſi, ne vniuerſa diſpliceant. Quidquid in mare præcipirarur recipit Dexamene: ſpumas inter recubat candida Galatea: perdit naues Amathea, imprudentia, ſeu inſcitia nautarum: pellace fluctu decipit incautos Climene, κλιμάζειν quippe apud Græcos decipere eſt: idem facit & Ianira. Contra naues ſecundo curſu dirigit, regítque Ianassa: ſplendet Mæra: mare ventóſque temperat Evcrate: ſerenat Galene: diſcurrir per vndas Cymothoe: faciles portus facit Evlimene: ſuſcipit blandùm Evnice, cum Eratone. Vndis, ceu equis currunt, agúntque naues iiſdem Hippothoe, & Hipponoe: pererrat mare Pontoporia: præcepta dat ſalutaria ad nauigationē, ſingulis Avtonome, vniuerſis Polynome: oſtendit litrora Psamathe, curſum verò nauigationis, cuius dux eſt, Evpompe: iura dat vela facientibus Themisto: prouidet neceſſaria quæque ad nauigationem Pronoe: nunquam errat, ſed quæ euentura ſunt, certò prædicit Nemertes: ad finem perducit Cranto: naualia curat Neomeris: ſagaces nautas reddit Polinoe: fraxineos aſſeres conſeruat Melia: æquilibrio ſtare naues iubet Isæa: remiges verò concordi ictu ſimul ad magiſtri vocem vndas verberare, & neſcio quam harmoniam audiru blandam reddere, Evmolpe. Sic Nereus rectè explicatur, conſilium & peritia regendarum nauium ab Oceano nata, cuius filiæ multæ, hoc eſt, inuentiones ad nauigationem pertinentes: antiquiſſimus putatur, ob vetuſtarem nauigationis: vates quoque, quia in ſingulis diſciplinis peritia efficit, vt multa euentura diuinemus, & longè proſpiciamus: neque peritus nauigandi quiſquam exiſtimandus eſt, niſi qui multo ante ventorum mutationes, & ſigna tempeſtatum præuiderit. Sed hanc quoque peritiam Æolus habuit, vnde ventorum rector & moderator exiſtimatus eſt.

CAPVT

CAPVT XLVI.

Quid ſit Paraſemum, quid Tutela nauis. Pictæ naues, & ſacræ. Materia nauium, & cædendæ eius tempus.

EFFIGIES animantum in prorâ: Deorum, Nympharum, aut Heroum, olim in puppi locabantur. Iſtæ Tutelæ, illæ παράσημα vocabantur. Paraſemum nauis Bellerophontis, Pegaſus: Helles & Phryxi, aries auratus: Iouis, quà Europam rapuit, taurus. Addita & proræ inanimatarum rerum ſimulacra, vt caſſis apud Ouidium: *Villebrord. Snell. in præfat. Typhis Batauí, Gregor. Girald. de Nauigiis, cap. 9.*

Eſt mihi, ſitque precor flauæ tutela Mineruæ
Nauis, & à pictâ caſſide nomen habet.

Quippe quòd naues quondam, & hodie etiam appellantur ab eo quod in prorâ effigiatum eſt, non autem ab eo quod in puppe, in quà Minerua, Apollo, Caſtores, Neptunus, Nereis, & ſimilia apud antiquos. Hinc ταυροφόρος, κριοφόρος, λεοντοφόρες naues, quibus pro inſigni, vel paraſemo, in prorâ taurus, aries, leo.

---Æneia puppis *Virg. Æneid. 5.*
Prima tenet, roſtro Phrygios inuecta leones.

Hæc nauis Æneæ in tutelâ Matris Deûm erat, quæ in puppi picta; in prorâ autem Leones. Aliud exemplum:

Maſſicus æratâ princeps ſecat æquora tygri *Æneid. 10.*

Hîc paraſemum. Sequitur eiuſdem nauis tutela.

---Huic totum inſignibus armis
Agmen, & aurato fulgebat Apolline puppis.

Apud * Homerum Hector minatur ſe abſciſſurum ſummas Græcarum nauium partes, deinde autem ipſas naues incenſurum; ne impiè ſcilicet faceret, totas atque integras incendendo cum Diis ipſis Tutelaribus, quos æquum erat homini religioſo demere, antequam in reliqua nauium incendium mitteret. Non prætereundum iſtud * Horatij, cùm naufragium imminebat, ſolitos eos qui in naue erant, apprehensâ malo, in puppim ſeſe vertere, atque inde inuocare in auxilium ſuum Deos, qui in eâ figurati erant, hoc eſt, Tutelares nauis, quos nullos tum Bruto fuiſſe, bellum ciuile reparanti, ait, quoniam iam ipſi eum reliquerant, Tutelaribus Romani Imperij Diis à Bruto læſis & fugatis, ipſo arma in patriam ferente. Notat * Salmaſius tutelam & paraſemum eandem rem aliquando fuiſſe. Apud Lucianum quippe Iſis Dea tutela ſimul & paraſemon nauis eſt. In triremi, quâ D. Pau-

* *Iliad. 9. verſu 241.*
* *lib. 1. Carm. ode 14 & Commentat. ad eum verſum:* Non Di, quos iterum preſſâ voces malo.
* *in Solinum.*

lus Romam vectus fuit, tutela & paraſemon, Dioſcuri, hoc eſt, Caſtores. Cereris nauigij paraſemum, ſiue inſigne, putat Snellius, duos angues alatos fuiſſe apud Poëtam, cùm ait:

---Geminos Dea fertilis angues
Curribus admouit, frænisque coërcuit ora.

Vbi currum, nauim explicat: addírque in prorâ nauis Perſei, quâ Andromedam rapuit, cetum fuiſſe, appellatámque eam nauim ab eâ effigie, cetum: Scyllam quoque, triremis nomen, ob eandem cauſam, monſtro eo in prorâ delineato, quam Vlyſſes effugit, piratis crudeliſſimis refertam, vnde locus fabulæ, de voracitate cuncta abſorbentis Scyllæ; ad quam alludit * Poëta, dum Cloantho, qui Scyllâ naui vehebatur, victoriam maritimi certaminis, ſiue Naumachiæ attribuit. Neque tantum effigies erant in proris puppibúſque, ſed tota nauis picturas varias ad luxum oſtendebat, aut ſaltem remedium in fluctuum mordacitatem, & putredinem.

* *Æneid. lib. 5.*

In deſcriptione Argus, Palladiâ arte fabricatæ, * Valer. Flaccus:

* *Argonaut. lib. 1.*

Conſtitit vt longo moles non peruia ponto
Puppis, & vt tenues ſubiére latentia ceræ
Lumina, picturæ varios ſuperaddit honores.
Hîc ſperata ſedens Tyrrheni tergore piſcis
Peleos in thalamum vehitur Thetis: æquora Delphin
Corrupuit, &c.

A genere picturæ rubricatæ naues dicuntur, quas μιλτοπαρῄους * Homerus appellat. Encauſticè pingendi duo genera fuiſſe conſtat, cerâ & ebore: ceſtro, id eſt, viriculo, donec claſſes pingi cepêre. Hoc tertium acceſſit reſolutis igni ceris penicillo vtendi, quæ pictura in nauibus, nec ſale, nec Sole, nec ventis corrumpitur. Iuuat quoque pugnatores ad mortem, aut certè cædem, ſpecioſè vehi: ludibria Principum, & populorum in mari laſciuientium. Hoc picturæ genus κηροχαφία à Grçcis dicitur. Indi Orientales pro picturâ bitumine vtuntur, illinúntque totas naues viuaciori, quam cera, aut pix, aut rubrica effectu. Canabum minutiſſimè terunt, dein calcem atque oleum cuiuſdam arboris, quantum ſat eſt, accipiunt, miſcent, & eouſquè tundunt, quò lentorem viſco ſimilem contrahat, hoc illitæ naues in ſæculum durãt. Sed nec illud prætereundum, quod & in ſacris nauium vſus apud antiquos fuit. Barin, nauigij quoddam genus, ſacerdotes Iſidi quotannis dicabant. E ſpinâ & iunco circumſutum nauigium illud fuiſſe, Herodotus author eſt. Dies conſecrationis cum mare Vernâ temperie tranquillum erat, menſe Martio. Puppis paulatim aſſurgebat inflexa, è regione verò eius proportione quadam prora in longum producta eminebat, habẽt hinc & inde ſignum Deæ Iſidis, nauis cognomentum: quam faberrimè factam, picturis miris Ægyptiorum variegatam, ſummus Sacerdos ſedatis

* *Odyſſ. lib. 9.*
Plin. lib. 35.

Lucian. in dialogo, cui titulo, πλοῖον ἢ εὐχαί. *Apuleius in fine fermè ſui operis.*

hybernis

hybernis tempeſtatibus, nauigabili iam pelago, tedâ lucidâ, & ouo, & ſulphure, ſolemniſſimas preces de caſto præfatus ore, quàm puriſſimè purificatam Deæ vouebat. Apud eoſdem fuit & Oſiridis, ſiue Solis nauis, cuius effigies in prorâ & puppe, crocodilo inſidens. Athenienſes & ipſi nauem ſacram habuerunt, quam Theſei fuiſſe credebant, Deliam appellatam, quòd ſingulis annis in Delum mitteretur ad februationem Inſulæ. De hac ſuperiore Libro diximus. Eam Suidas Theorida vocat. Iidem & ſacras alias naues habuêre, ſeruatas in Areopago, quas in Panatheorum pompâ oſtendebant. Salaminiam quoque & Paralon. Salaminiâ vehebantur citati ad iudicium: de Paralo hactenus. Fuit & Theoris ſacra Lemniorum, quâ Lemnus Inſula quotannis expiabatur, ob ſceleratum facinus in viros à mulieribus commiſſum, & in nonum diem, ignis, qui in eâ erat, extinguebatur, delatus ex Inſulâ Delo: & ſi priuſquam Inſula expiata eſſet nauis acceſſiſſet, nulli Inſulæ, vel regioni appellebat, ſed ſuſpendebatur, donec fas eſſet adnauigare: quo tempore terreſtres Deos, & arcanos inuocabant, ignémque, qui in naui erat, cuſtodiebant. Cùm autem nauis acceſſiſſet, ignem diſtribuebant. Romani dudum nauem, quâ Saturnus in Italiam venit, ſacram habuêre, aliáſque, quibus ſimulacra Matris Deûm è Peſſinunte, & Æſculapij ex Epidauro Romam tranſportatæ ſunt. Omitto Antigoni ſacram triremem, quâ Ptolomæi Duces ad Leucollam Ciliciæ promontorium ſuperauit, ſacrauítque Apollini. Athenienſium etiam Antigonida, Ptolomaida, & Ammoniada, quam ad Ammonem pro ſacris accipiendis miſerant. Suidas his adiungit Demetriada. Seſoſtris antiquiſſimus rex Ægyptiorum nauim è Cedro CCLXXX. cubitorum, deauratam exterius, interius deargentatam, obtulit, dicauítque Deo, qui Thebis colebatur. Sacra quoque dici poteſt Bucentaurus nauis hodie apud Venetos, ſeu quòd in vrbem aduenientes ſacri Principes externi portantur, ſeu quòd ſingulis annis Dux, & Senatores ſacro Aſcenſionis die, magnâ pompâ, eâ naui deſpondendo æquori vehântur. Antequam autem nauigiorum, quæ ſacra non ſunt, genera enumerem, quæ materia ad eorum fabricam apta ſit, & quandò cædenda, paucis accipe. Apud Aſſyrios è cupreſſu olim fabricatæ naues diuturnæ. Pinus vulgatior. Laudatur & abies, fidelis materia intra, & extra mare. Cui accedit robur, & cedrus, & picea, & quercus: alij probant etiam alnum & fagum.

Philoſtrat. in Heroicis.
Athenæus Deipnoſ. lib 5.
Girald. lib de nauigiis, cap. 18.
Diodor. Sicul. l. 1. Bibliothec. cap. 2.

Plin. lib. 17. c. 33.
Greg. Girald. c. 4. lib. de nauigiis.
Veget. de re milit. lib. 4. c. 35. & 36.

Claudian.

Sic qui vecturus longinqua per æquora merces,
Molitur tellure ratem, vitámque procellis
Obiectare parat, fagos metitur, & alnos,
Et varium rudibus ſyluis accommodat vſum.
Quæ longa eſt, tumidis prædebit cornua velis:

Quæ

Quæ fortis, clauo potior, quæ lenta, fauebit
Remigio, ſtagni patiens aptanda carinæ.

Sic totæ etiam ſyluæ ad nauigiorum confectionem cadunt. Phyſici, & artifices cædi præcipiunt menſe Decembri, & Ianuario, Lunâ ſeneſcente, & ſub terrâ exiſtente. Lunæ enim lumen ligna molliora facit, quæ verò tunc cæſa ſunt, minus putreſcunt. * Vegetius à Solſtitio æſtiuali ad Kalend. Ianuarias, & à xv. ad xxiii. Lunam cædi docet. Columella à xx. ad xxx. Circunciſas arbores ad medullam alij non inutiliter relinquunt, vt omnis humor ſtantibus defluat. Theophraſtus prodidit, viſco illitas naues non ardere, ſicut neque alumine. Vetus quoque opinio eſt laricem igni non cedere. Vnde Mantuanus:

** Lib. 5. rei milit. cap 9.*
Poſt ortum Pleiadum à die 6. kal. Iuniarum, vſque ad Arcturi ortum, id eſt, in diem 18. kal. Octob.

Videndus Theophraſt. l. 3. c. 10.

Et robuſta larix igni impenetrabile lignum.

Nauium malis antenniſque propter leuitatem, altitudinem & rectitudinem, præfertur abies, & tamen apud * Caſſiodorum Theodoricus Rex Abundantio Præfecto Prætorio ſcribit, vt per cunctam Italiam directis artificibus ad dromones ligna perquirere faciat, & ſicubi cupreſſos & pinos repererint in vicinitate littoris, dato competenti pretio dominis conſulatur. Cetera vilitate ſuâ non indigere æſtimatione. Sed & poſtea abietem cum pinu & cupreſſu videtur miſcuiſſe, cùm ait: *Sed quoniam dromonum numerum iuuante Deo cupimus ampliare, ſi qua ligna fabricis eorum neceſſaria per vtramque Padi ripam potuerint inueniri, nullo obſiſtente, iubemus abſcidi. Quia ſine præiudicio dominorum, opere præſenti volumus iniuncta concedi. Mittat Padus noſter indigenas pelago naues, & abies quæ fluentis amnicis nutrita ſurrexit, marinarum ſuperare cumulos diſcat vndarum.* Hîc autem per dromones, intellige non tantùm curſuarias naues, ſed & omne genus nauigij, quo claſſis conſtituitur, ſpeciali vocabulo in generalem ſignificationem verſo. Ceterum ad cædendas arbores infinitùm refert Lunaris ratio, nec niſi à viceſima ad triceſimam cædi volunt. Inter omnes conuenit, in coitu eius vtiliſſimè ſterni, quem diem alij interlunium, alij ſilentis Lunæ appellant: poſt meridiem tamen, & ſerenâ die. Illud etiam cauendum, ne continuò vt deiectæ fuerint trabes, ſecentur, vel ſtatim, vt ſectæ fuerint, mittantur in nauem: ſiquidem & adhuc ſolidæ arbores, & iam diuiſæ per tabulas duplices, ad maiorem ſiccitatem mereantur inducias. Nam quæ virides compinguntur cùm natiuum humorem exudauerint, contrahuntur, & rimas faciunt latiores, quo nihil eſt periculoſius nauigantibus.

Plin. l. 16. c. 40.
** Lib. 5. Variar. epiſt. 16.*

Epiſt. 17. ad eund.

Plin. l. 16. c. 39.
Cato, de re ruſtica.

CAPVT

CAPVT XLVII.

Quid quiſque ad fabricam nauium inuenerit. Eas piſcium concharúmque imitatione factas, quæ earum ſint inſtrumenta, armamenta, arma. Item de remis, contis, velis, funibus, & ornamentis nauium.

FABRICAM Lignariam Dædalus, ſerram, aſciam, perpendiculum, id eſt, inſtrumentum, quo plumbo à filò, & gnomone pendente, rectio, vel obliquitas operis perpenditur atque examinatur, cum terebrâ & glutino reperit; Græci ſicut & nos collam vocant, quo ligna conglutinantur. Normam autem, tornum, & clauem Theodorus Samius. Circinum Perdix Dædali è ſorore nepos, repertâ ſerpentis maxillâ. Rotam figuli Talaus, eiuſdem Dædali nepos. Securim Pantaſilea Amazonum Regina. Remum Copæ, eiuſdem latitudinem Plateæ: Icarus vela, quod Iſidi tamen Theodericus Rex tribuit ad Abundantium ſcribens apud * Caſſiodorum: *Nunc prædictis rebus armamenta procura, vela præcipuè alas nauium facientia, linum volatile, quidam ſpiritus currentium carinarum: prænuntia mercium, auxilia quieta nautarum, quorum beneficio conficiunt ocioſi, quod à celerrimis auibus vix probatur impleri. Hæc Iſis rati prima ſuſpendit, cùm per maria Apocrenſilium ſuum audaci fœmina pietate perquireret. Ita dum materna caritas ſuum deſiderium feſtinat implere, Mundi viſa eſt ignota reſerare.* Reperit antennam, & malum Icari pater Dædalus. Roſtra Piſæus, anchoram Tyrrheni, harpagonas Anacharſis, adminicula gubernaculi Tiphys, ſumpto à miluo aue exemplo, aliſque alia inuenerunt. Inter præcipua autem miracula piſcis eſt, qui vocatur * nautilos, ab aliis pompilos. Supinus in ſumma æquoris venit, ita ſe paulatim ſubrigens, vt emiſſâ omni per fiſtulam aquâ, velut exoneratus ſentinâ, facilè nauiget: poſtea duo prima brachia retorquens, inter illa membranam miræ tenuitatis extendit, quâ velificante in auras, ceteris adremigans brachiis, mediâ caudâ, vt gubernaculo ſe regit. Ita vadit alto, liburnicarum gaudens imagine. Si quid pauoris interuenit, hauſtâ ſe mergens aquâ, ruſúſque, veluti vitato naufragio, è profundo ſeſe exerens. Hunc ſacrum piſcem vocant in mari nauigantes, quòd nautis de viâ anxiis iter tutum indicat, præcedírque claſſes, ideóque eſus piſcis prohibitus. Figuram nauigantis nautili habes apud Camerarium, Emblemate XLIX. cum hoc Diſticho:

Nautilus vt placidum & ſæuum mare ſuſtinet æquè,
Sic itidem fortis ſorte in vtraque animus.

Polyd. Vergil. de inuent. rer. l. 3. c. 14. & 15.
Baiſius de re nauali. Greg. Girald. de nauigiis, c. 12.
Veget. lib. 4 c. 44. & 46.
Iulius Pollux Dictionarij lib. 1.
**Variar. lib. 5. epiſt. 17.*
** Nautilorum conchas plures vidi, vna ceteris commendatior extat in pinothecâ amici mei Soiroti Diuione. Pedalis latitudo conchæ, profunditas digitorum 6. leuitas interna externáque mirabilis, & par coruſcantibus margaritarũ conchis. Prora puppiſque in eâ altiore tabulato, quàm medium cataſtroma. In prora exiguum foramen, ceu recipiẽdo malo. Latius aliud in medio conchæ, præcipuus mali locus. Ibi concha ſubrugata in ſulcos videtur trãſtra referre, in quibus remiges ſedent. Adeo illa certis ordinibus ad proram pupimque porriguntur. Inter quæ crediderim viſes nautilos & brachia, cetereros, agitare, & mẽbranas exerere, atque extẽdere, veluti vela. Alueus, pro ſaburrâ, piſcis excrementis impeditur, vixque tribus aquæ cyathis exſiccatus impletur.*

Sicut enim tranquillo mari nauigare hic piſcis gaudet,& tempeſtate ingruente,vt ait Oppianus,rudentes ſuos,veláq; & gubernaculum contrahens,impletus concham aqua multa tutò ſe in mare demergit,ita ſapiēs ſecundis rebus moderatè vtitur,& in aduerſis in ſeſe reductus ridet ludibria Fortunæ. Nauigeram ſimilitudinem & aliam ſibi in Propontide viſam ſcripſit Mutianus: concham eſſe, acatij, quod genus eſt nauigij, modo figuratam, carinatámque, inflexâ puppe, prorâ roſtratâ; in hac condi naupliū, animal ſepiæ ſimile, ſola colludendi ſocietate. Duobus hoc fieri generibus: tranquillò enim vectorem demiſſis palmulis ferire,vt remis: ſi verò flatus inuitent, eaſdem in vſum gubernaculi porrigere, pandereque concharum ſinus auræ. Huius voluptatem eſſe,vt ferat,illius, vt regat. Sic vt & multa alia ab animantibus humana imbecilitas deſumpſit, nauis variam figuram à concharum varietate; inſtrumenta, atque armamenta nautica ab ipſis piſcibus. Inter ea, malus, qui erectus vela ſuſtinet, ἱστὸς Græcis: cuius partes, pterne, thoracium, elacate, icrion. Pars quæ ſub antennâ eſt, atractos Græcè dicitur. Nuncupatur pars mali inferior orthiax, ſicur ſuperior carcheſion. Mala lignea dicuntur orbiculi volubiles, qui malum circulo ambiunt,vt eorum agitatione vela facilius pandantur & demittantur. Trullæ ferreæ ſartagines erant nauibus præfixæ, in quibus ignis accendebatur, vt de nocte curſum tenere naues poſſent, eæ maximè Prætoriæ naui affigebantur, vt eam per tenebras claſſis reliqua ſequeretur. Præcipua pars nauis & maximè neceſſaria, clauus, gubernaculum, ſiue temo à quo dirigitur, ſub puppi poſitus loco à centro nauis remotiore,vnde illi virtus in tantam molem, cùm exiguum lignum ſit, quia virtus mouens quò eſt remotior à centro,eò eſt velocior & validior. Bolis eſt inſtrumentum nauticum,pyramidalem truncum formâ referens, ab acutâ parre perforatum, quà fune tenetur, ita vt ſebum ab alterâ parte applicantes nautæ in fundum demergant, quoties locum ſtationi aptum nactos ſe eſſe exiſtimant: quòd ſi ei arena adhæſerit,commodam eſſe ſtationem colligunt: ſin minus limum aut rupem ſubeſſe agnoſcunt, cui anchora defigi non poſſit, atque adeò illis aliò properandum. Iuuat hîc Statij verſum exponere,in quo vulgares lectiones molorchum legunt, in hunc modum:

Sylvar. lib. 3.

Sint quibus exploret rupes grauis arte molorchus.

Ego cum * Ioan.Bapriſtâ Pio ſic lego:

* *Annotat. poſterior. ſylleg. 3. c. 19.*

Sint quibus exploret rupes grauis arte molorthus.

malim tamen pro *arte*, *ære* reponere. Nihil enim aliud eſt molorthus quàm bolis, hoc eſt,perpendiculum ex ære vel plumbo, quod à filo & gnomone dependent, quo rectitudo & obliquitas ædificij indicatur, in mari verò,ratione quam diximus,profunditas,

tas, & fundi natura. Dictus quaſi, μόλυβδος ὀρθὸς, hoc eſt, plumbum rectum. Aliis cataprorates appellatur. Antenna lignum tranſuerſum in malo, quod velum ſuſtinet, quaſi tranſuerſa pertica, dicta, quòd ſit ante amnem. Eius extremitates cornua vocantur, & cetuchi, qui longè diuerſi ſunt à cheniſco contra multorum opinionem, nam cheniſcus pars eſt cui appenduntur anchoræ. Sunt & qui cheniſcum puppis principium dicant, quoniam nauium artifices eam partem in anſerini capitis effigiem fingunt. Anchora dens eſt ferreus ad ſiſtendas naues, Sophocles iſchada vocat. Inter anchoras vna eſt, ſacram nautæ nominant, quam non niſi coacti expediunt ſæuiente tempeſtate. Tonſilla palus eſt dedolatus in acume, & cuſpide præacutus, qui nauis religandæ cauſâ in littore figitur, Feſtus, prymneſium appellat. Portiſculum, de quo antea, caſteriam Plautus dicit. Puluini machinæ ſunt, quibus naues in portum deducuntur, vel ſubducuntur. At verò phalanges fuſtes, per quos nauibus ſubditos, in aquam naues vel impelluntur, vel ſubtrahuntur. Remulcus haſta erat vncato ferro, quo nauis grandior à minore trahebatur. Sunt & ergatæ, machinæ tractoriæ, ad onerandas, & exonerandas naues aptæ, aliæ erectæ, aliæ planæ in carcheſiis verſatilibus collocatæ. Fiunt & ſubductiones nauigiorum funibus & trochleis. Pons nauis is vocatur, quo veluti ſcalis in nauem aſcendimus, vel deſcendimus, ἀποβάθρα Græci vocant, & διαβάθρα. Sunt & hermata ligna quæ nauibus in terram deductis ſubiiciuntur, ne putreſcant. Antlia inſtrumenta ad exhauriendam ſentinam. Delphis plumbum in delphini figuram ex antennâ ſuſpenſum, quo demiſſo naues hoſtium ſubiectæ quaſſantur. Erant & inſtrumenta alia, quibus in bellis duntaxat nanalibus antiqui vtebantur, qualia. HARPAGONES, ſeu aſſeres vnco ferro præfixi, qui in hoſtilem nauem iniecti, ne aufugeret inhibebant. Hinc ſimilis * HARPAGA, Agrippæ inuentum. Lignum erat quinque cubitum ferro circumplexum, fibulas ab vtraque parte fixas continēs, quarum vni falx ferrea inhærebat, alteri funes plurimi connectebantur. Ab iſtis proximæ erant, MANICÆ, ſiue, MANVS FERREÆ, quarum duo genera. Aliæ, thecæ ex ferro factæ, quibus manus & brachia aduerſus hoſtium iniurias, ſed præcipuè iaculationem ignis muniebant. Aliæ, vnci ferrei firmæ cathenæ illigati, qui in nauigia iactati, quidquid apprehenderant, retinebant, cogebántque nauem ſtare, aut ſequi. FALX dicitur acutiſſimum ferrum ad ſimilitudinem falcis curuatum, quod contis longioribus inditum, collatorios funes, quibus antenna ſuſpenditur, repentè præcidit, collapſiſque velis nauium, pigrum, aut inutile nauigium reddit. BIPENNIS, ſecuris eſt, habens ab vtraq; parte latiſſimum ferrum, quo funes gubernaculorum ſecantur. ASSER Naualis

Vuolgang. Lazius Commentar. Reip. Rom. lib. 6. c. 7.

Veget. lib 2. c. vlt. harpagones, & coruos confundit, idēque fuiſſe dicit.

**Supra pag. 116. pro harpagâ harpagonem legi. Tu elige, quem volueris, variant enim authores in hoc vocabulo.*

trabs eſt ſubtilis & longa ad ſimilitudinem antennæ pendens de malo, vtroque capite ferrato, quæ concuſſa in hoſtilem nauem arietis vice fungitur, nautas proſternit, tabulas laterum proræque & puppis diſiungit. CATARACTI Pontes proiiciebantur in hoſtilem triremem, quò in eam miles deſcenderet, vel aſcenderet: alij à cataracta portarum, quam vulgo herſam dicimus, quâ lapſa, via in vrbem hoſti præcluditur, hoc inſtrumentum dictum volunt. CORVOS etiam munimenta nauium Romani excogitauerunt, eorum figura hæc erat: Ligneam machinam rota ſuſtinebat, huic tabulæ inhærentes ſcalas conficiebant, foramen tabulis per longitudinem erat: in ligni extremo ferrum inſtar mallei peracutum, præterea anulus fune alligatus. Igitur ſimul ac nauis hoſtium aduentabat, laxato fune, ſcalæ demittebantur, ferrum pondere ac vi ligni ſuper hoſtiles naues delapſum figebatur: ſi aduerſa prora erat, bini milites per ſcalas deſcendebant, duo primi præferentes ſcuta, reliqui latera ſcutis protecti. Si verò hoſtium nauis obliqua erat, in eam ex totâ pariter naui deſiliebatur. Erant Græcis Romaniſque ſcaphæ ſarmentis & ſtuppa impletæ, cum multo ſulphure, reſina, & pice, quæ fauente vento in claſſem hoſtilem ad incendium mittebantur. Præterea antiqui in aduerſarios tela ignita coniiciebant, trullas ferreas ignitas, facéſque ardentes: complures etiam ollas carbone & pice refertas, alias ſerpentibus plenas, quæ colliſæ latè excidium ſpargebant, aut mordebant tenentes. Aduersùs ea, coria, crudæque pelles, & madidi panni. Arma in claſſe, quàm in terrâ maioris ponderis, loricæ, galeæ, ocreæ, ſcutáque ſolito ampliora craſſioráque, nemo enim de onere poteſt queri, qui ſtans pugnat: ſaxis, ſagittis, miſſilibus, fundis, fuſtibalis, plumbatis, onagris, ſcorpionibus, iaculis priſci præliabantur. Vtile eſt, vt alto & libero mari claſſis vtatur, inimicorum verò pellatur ad littus: quia pugnandi impetũ perdunt, qui detruduntur in terras. In eiuſmodi certamine, quinque armorum genera ſolent plurimum ad victoriam prodeſſe, lupus naualis aſſeres, harpagones, falces, bipennes. Qui de virtute præſumunt, admotis liburnis, iniectis pontibus, in aduerſariorũ tranſeunt naues, ibíque gladiis manu ad manum dimicant. In maioribus etiam liburnis propugnacula turréſque conſtituunt, vt tanquam de muro, ita de excelſioribus tabulatis facilius vulnerent. Oleo incendiario, ſtuppâ, ſulphure, bitumine obuolutæ, & ardentes ſagittæ, per baliſtas, in hoſticarum nauium alueos infiguntur, inunctáſq; cerâ, reſinâ & pice tabulas tot fomentis ignium repentè ſuccendunt. Hanc artẽ inter ſpecies pyrotecniæ, ſiue pyronomiæ * Encyclopædia nominat. Huius ignis plura genera: Græcus, fulminans, pinguis, & pyrius, quorum vſus in pyrecboliâ militari. Græcus, accenditur ipsâ aquâ: conſtat pice nauali & Græcâ, ſulphure,

Vide apud Dionem deſcriptionem pugnæ Actiacæ:) qui iis armis victum Antonium dicit.

Veget. de re milit. lib. 5. c. 14.

* *lib. 35. ſect. 7.*

re, vini fæce, quam vocamus tartarum, ſarcocollâ, halinitro, petroleo: additur calx viua dupli pondere, cum ouorum luteis, miſcentur omnia & in fimo equino, ſepeliuntur. Alij aliter hunc ignem conficiunt, ex oleo lineo, ſulphureo, & iunipero, halinitro, pinguedine anſeris, ſtercoris columbini, aſphaltico bitumine, vernice, aquâ ardenti, & ligno laurino ſiccato & in puluerem redacto: quæ ſimul mixta vitreo in vaſe in fimo quoque equino per tres menſes ſepeliri oportet. De igne, ſiue auro fulminante, quod fulminis in modum ad ima deſcendens, ſubiecta quoque præcipitat, Diuione, vnde ſum, ſcripſit Ioannes Furcaldus an. MDCXXII. Hic menſe Maio innumeras herbas colligebat, miſcebátq; aquam fortem atque ardentem, ínque vaſe probè lutato cum aliis medicamentis concludebat, ſummittebátque ignem. Poſt aliquot dies quod aqueum in vaſe inueniebatur, excipiebat phialâ, eâ aquâ aurum diſſoluebat in ſpeciem butyri, quo ad purganda corpora humana efficaciſſimè vtebatur, ſed eius vſus præcipuus, ad ruinas ædificiorum, nauiúmque; aurum enim illud certis medicamentis mixtum, æneo vaſi incluſum, ſupráque fornices aut tecta infixo vaſe, ad ima domus, aut nauis magno cum fragore concepto igne, momento deſcendebat. De igne pingui, qui oleis, bituminibus, aliíſque rebus, quibus incendiariæ naues ſtipantur, dixi antea ſæpius, vbi maritima certamina enarraui. De puluere pyrio, qui è tribus partibus halinitri, duabus ſalignei carbonis, & vnâ ſulphuris conſtat cum aquâ ardenti, quo ferrei plumbeíque orbes cum tonitru excutiuntur, aut ſine tonitru, ſed minore cum ruinâ, ſi halinitrum ſuſtuleris, noua & pueris cognita experientia eſt. Huius, ſicut & bombardæ inuentio, quam nos *Artillerie & Canon*, vocamus: ad Germanum quemdam refertur, qui tantæ machinæ vſum primùm Venetis oſtendit, eo bello, quod illis ad foſſam Clodiam maritimum cum Genuenſibus erat, anno Salutis MCCCLXXX. Aliqui Germano huic tam peſtilentis inuentionis authori nomen aiunt fuiſſe, Bertoldi Schvvartzi monachi, qui medicinam, vel Chymiam exercebat. In hiſtoriis Indiæ Orientalis legimus, eandem machinam ante plura ſæcula Sinenſibus in vſu fuiſſe. Sed & Munſterus aſſerit, eadem vſos Danos, authore Cimoſco Rege Friſiæ, ann. Salut. MCCCLIV. Addit * Crantzius, Chriſtophorum Danorum Regem in prœlio bombardæ ictu cæſum ann. MCCLXXX. Eâ multus hodie bello nauali vſus, ſicut & ferrearum fiſtularum, quas *arquebuſes & mouſquets*, appellamus. Ad harum machinarum onerationem ingens pyrij pulueris, ferreorum globorum, plumbearum glandium neceſſarius nauigantibus aceruus eſt. Adde & cumulos incendiarij funis, quo ſclopetæ ignem concipiunt, fulménque excuſſum in hoſtem iaculantur. Tormentorum bellicorum in vna naui plu-

Iſtius diſſolutionis aliam rationem videbis in fine l. 4. epiſt. Andr. Mat-thioli.

Polydor. Vergil. de inuent. rer. l. 2. c. 11. Camerarius hor. ſucciſiu. Cent. 2. c. 28. & Cent. 3. c. 82. & 83.

** Vandal. l. 8. c. 23.*

res ſpecies ſunt. * Alia ore quadrato, in quæ pixis, puluere nitreo facta conijcitur, quibus ſclopetarij plumbei orbiculi, ferri particulæ, lapidéſque in ſacculo ſuperadduntur, cædendis hoſtibus parata materia, ſi propius accedant. Alia fuſili ex ære, quæ Berchas vocamus, minoris ponderis & effectus aduerſus hoſtes quàm ea quæ *Courſiers* dicimus, ex ære viridi ceteris maiora, & latè longéque fulminantia. Inter orbes ferreos quibus eiuſmodi machinæ farciuntur, † alij cathenis vinciuntur, alij virgis ferreis præacutis hinc & inde armantur, alij toti rotundi ſunt. Nunc ad reliqua nauis armamenta inſtrumentáque reducenda eſt oratio. Quatuor hodie in naui mali ſunt: in maioribus nauigiis, qualia galliones ſunt, quinque, artemonem enim geminum habent. * Magnus malus in medio collocatus eſt, qui, quoniam rariſſimè ex vnâ arbore ob proceritatem eius atque amplitudinem confici poteſt, ideò ab vtroque latere mali alij annectuntur, inſeruntúrq; inferiori: quam inſitionem carcheſium diſterminat, vnde malus ille, ſic alteri inſertus, carcheſij dicitur, cui & alius in maioribus nauigiis ſubeſt, quem & aliud minus carcheſium diſcriminat, vocatúrque iſte malus magni pſyttaci. Sequitur poſt magnum malum eiúſque partes, malus alter Miſeniæ dictus, altero paulo minor, quem inter & proram collocatus eſt. Tertius ſuper roſtro nauis inclinatur. Quartus ſuper puppi erectus etiam hodie apud nos Græcum nomen ſeruat, ſicut & in Italiâ, dicitúrq; artimon, pro artemone. Gemini in maioribus nauigiis conſtituuntur. Quamuis & artemonem maius velum, alij antennam putent. *Antennas autem virgas dicimus, cognominamúſque eas de nomine malorum, eorumdémque partibus quibus annexæ ſunt, ſuſtinéntque vela. Artemon duas antennas habet, vnam Latinam dictam, cui artemonis velum alligatum eſt. Alteram ſine nomine particulari, infra carcheſium collocatam. Remi circa ſcalmos ſtrophis religati, cum manibus impelluntur & reducuntur, extremis progredientibus à centro palmis in maris vndis ſummam impulſu vehementi protrudunt porrectam nauem, ſecante prorâ liquoris raritatem. A trudendo trudes appellantur: quamuis aliqui trudes inſtrumenta eſſe putent, quibus ſaxo, vel arenæ nauigium inhærens trudi & reduci ſoleat. Contus oblonga in extremitate ferrum habet, hac nautæ vtuntur ad exploranda loca nauibus oportuna. Græci remi partes has faciunt. Enchiridion, hoc eſt, manubrium, qui & capulus. Vracon, quæ media pars eſt. Pte-

ram

**Piérriers, ou pieces de terre, ouuertes en quarré ſur la culaſſe, & dedans cette ouuerture on met la boete de fer pleine de poudre, puis les ſacquetes ou cartouches, qui ſōt balles de mouſquets, ferraille & cailloux empaquetez enſemble, qui iouent à l'abordage.*

†Bales à rame, qui ſont enchaisnées: bales à ſiche, qui ont vne barre de fer au trauers pointue de chaque bout: bales rondes

**L'arbre, ou grand maſt eſt au milieu du vaiſſeau, & d'autant que rarement on en treuue d'aſſez gros & puiſſans pour les grāds vaiſſeaux, on plaque & ride en bien ſerré des grandes pieces d'autres maſts de long en long pour le rēforcer, & pour en faire vn de pluſieurs, ces pieces ſont nōmées gemelles, gaburons, coſtons: & le maſt ainſi fait, eſt dit gemellé, ſurlié, coſtonné. On dit maſt aſſuſté, quand il eſt enté: ſçauoir qu'il y a des pieces par le bout de haut, leſquelles pieces ſōt nommées ganseiras qui ſont au deſſous de la hune, que les Latins appellent* carcheſium, *& à ce ſuiet, l'arbre de deſſus ainſi enté, s'appelle le grand maſt du bourſet, ou de hune, attaché audit arbre auec vne piece de bois trauerſant, nommée cap de more. Et encore au bout du maſt de hune, les grands vaiſſeaux ont vne autre hune moindre, ſur laquelle ſe leue le maſt du grand perroquet. Le ſecond maſt eſt le maſt deuant, ou de miſaine, plus petit que le grand placé entre celuy là & la proue. Le troiſieſme maſt eſt le beaupré couché au deuant ſur l'eſperon.*

**Les antennes, ou vergues qui portent les voiles ſont amarrées à leur maſt, & prennent leur difference & denomination d'iceux, la grande vergue, la vergue du grand bourſet, du grand perroquet, de miſaine, &c.*

tam, & tarſum, quæ palmula eſt, vndè & remorum ordines ταρσώ-ματα vocantur. Hanc remi partem * Apollonius πηδὸν nominat: eam verò quæ à ſcalmo inrus in naui eſt, ἔννιον. A rondendo quoque ronſæ iidem remi appellantur. Maior verborum nomi-númque copia circa vela. Audax vira & ſcelerum plena aliquid ſerere non veruir, quod venrum procelláſque reciperer, linum & cannabum. Parum fuit ſternere arbores & edolare vt fluctibus veheremur. Iamdudum nec vela ſaris fuerunr maiora nauigiis, ſed quamuis amplitudine antennarum ſingulæ arbores ſufficiant, ſuper eas tamen addira & alia vela, prætérque ea, alia in proris, alia in puppibus ſuſpenſa. Mirum ror modis prouocari morrem, denique ram paruo ſemine naſci, quod Orbem terrarum vltrò citróq; portet: inuenroribus ſaris non fuir hominem mori in rerrâ, niſi periret & inſepultus. Ἱστία vela Græci vocanr, ἱστιοῤῥάφειν, qui vela conſuit, vel conficir. Vocanrur & nonnunquam vela orhonæ. Pollux orhonen apud Homerum ex vellere & lanâ fuiſſe potius quèm è lino mavult, qui rria vela facit. * Acarium, ſiue acarion, quod velum maximum eſt, medià in naue conſtitutum. *a* Epidromon ſecundæ magnitudinis velum eſt. *b* Dolon, minimum ad proram. Addit Iulius Cæſar in Commentariis belli Gallici, Venetos Galliæ ad Oceanum Brirannicum populos, ex pellibus alutis vela conſuere. *c* Artemon malo ſupra puppim erecto annexum eſt. Supparum autem genus eſt veli vnius pedis, quo iuuari nauigia ſolent in nauigatione, quoties vis venri langueſcit. Manſarium, ſiue mendicum in prorâ velum putanr. Figura velorum triplex, triangularis, quadrata, rotunda. In maioribus nauigiis XII. Herbarum colore, vel cæruleo viridi, qualis pelagi color, in ſpecularoriis & piraticis nauibus, vela ſunr, ipſúmq; corpus nauigij ringere, vetus inuenrum, ne in mari nauigantes deprehenderenrur, confuſis cum fluctibus coloribus. Iſtud, vel ad faſtum, vel ad inſaniam, nullo vſu, purpureo velo vti, quale fuit M. Anronij in Actiacâ pugnâ: qualia Alexandri Magni vela in Indo flumine nauiganti, cum Duces eius & Præfecti in certamine quodam variaſſenr inſignia nauium, & cuiuſque vela ſuo colore fucaſſent, quod hodie apud nos in legione Cenruriones faciunr, in terreſtri exercitu, verſicolore vexillo, pro arbitrio Centurionis. Sic rerris, ſic Oceano luditur. Etiam reſolutis igni ceris penicillo pictæ naues, quod neque Sol, neque vnda, neque venti corrumpant, ſtupenribus litroribus luxum periturorum, vt delicarius hoc apparatu ad mortem nauigantes properent. Nautica vocabula ſunt † complicare vela, dimittere, attollere, laxare, rimas obducere. Carinam agere. Vngere nauim. Armamentum nauis causâ parare. Locatio nauis. Libellus rationis. Breue. Naulum ſoluere, vel periculi pretium. Argenti dati ſi nauis

** Argonaut. l. 4.*

Plin. in proœmio lib. 19.

** Le grand Paſi, au bas duquel s'adiouſte vne grande piece de voile auec eguilletes ou cordellons, laquelle ſe nomme, bonnette.*

a *La grande voile de miſaine eſt nõmée trinquet.* b *La voile du beaupré ſur la proüe eſt appellée ſiuadiero.*

c *La voile d'Artimon du nom du maſt de pouppe.*

Plin. l. 19 c. 1.

† *plier ſous la vergues, & alors on appelle telles voiles, freſlées. Caler amener, c'eſt a dire abaiſſer, buſer, bauſſer. deſployee. Radouber, calfatrer. Faire carene, quand le vaiſſeau*

uis redierit, naufragiiſque ad creditorem denunciatio. Nauigandi licentia. Sumptus extraordinarij ad mercium nauiſque conſeruationem. Hoſtilis prȩda. Expeditionis fructus. Ociatio. Portus in quos nauigantes anchoram iaciunt, applicantque. Halecum piſcatio. Portus, in quo ex propoſito nauigantium vltimùm exoneratur nauis. Indices, quibus nauigantes, velut è Mercurij antiqui digito auertuntur à periculo, quóque eundum illis ſit indicatur. In locis ignotis nautæ locorum conducuntur, portuum, fluuiorúmque vicinorum gnari, qui nauim aduenientem, in portu ſecuro, aut in ſtatione locant, deducúntve eam in altum, nautico labore. Alij in littus merces vehunt, & de littore in terram exponunt. Ratio, & duplex ratio. Quod quiſque ſeu menſuræ, ſeu ponderis in nauim deferre proprium poteſt, ordinarium dicitur. Qui anchoræ collocandæ curam gerit, Boſmanus appellatur. Pixis nautica chartaſſea papyro tegitur, in quâ gradus 360. venti 32. totidem radiis notantur. Aſtrolabium æneum dignoſcendis Solis eleuationibus aptum, cum bacculo Geometrico. Sicut vela è lino, canabe, ſcirpo, ſparto, & corio conficiebantur, ſic & funes, quibus & iuncum Plinius addit, alióſque è palmæ foliis, & philyrâ in Oriente. Theophraſtus ex arborum corticibus, è ceraſo detracto cortice, è vite, & tiliâ rudentes fieri ait, à nimio ſtridore appellatos. Caloſtrophum Latini reſtionem vocant. Funes quibus velum ſubducitur [1] meſurias: quibus ex vtraque parte proræ malum conſtringitur, [2] protonos: quibus à lateribus, [3] pedes: & quod reliquum eſt eorum, [4] propedes appellant: cum quibus etiam & ij ſunt, qui tenthrij vocitantur. [5] Hyperis, antennarum cornua traducuntur: [6] peſmate, demittitur anchora: [7] epitono, antenna malo alligatur: protonis, malus à prorâ & puppe: tropis, tropoteris, & epicopeteris, remi religantur ad ſcalmum. Funium volubilitates ſpiras Seruius appellat. Tormento prora ad puppim conſtringitur. [8] Opiferis cornua antennarum tenduntur. [9] Collatorios Vegetius vocat, chalatorios Turnebus, à Græco χαλᾶν, hoc eſt, deducere, iis enim antenna attollitur, & demittitur. Mitrâ, media nauis vincitur. Anquinâ antenna ad malum conſtringitur. Helcyone, nauis trahitur: item & rhymatis remulcatur: hinc remulcus funis, quo deligata nauis remi vice trahitur. Inter nauticos funes ſerilla, & ſelmidæ numerantur, ſed quinam fuerunt nondum inueni. Camelus funis eſt craſſus quo nautæ alligant anchoras. Camulcus machina

eſt couché ſur l'eau pour receuoir le radoub. Braier, ſuiuer, ſpalmer. Faire agreits & ſartie. Fretement. Charte partie. Breuet, ou conneiſſement, qui eſt eſcriture priuée pour marchandiſe paſſagere, ou particuliere. Le fret, nolis, naulage & ceux qui le payent pour le port de leurs perſonnes, s'appellent paſſagers, ou pelerins. Police d'aſſeurance. Bomerie, & acte de delais. Congé. Auarie. Pillage, Haute sõme. Morte-ſaiſon, quand il ne ſe preſente rien à faire ſur mer. Eſcales. Harangaiſon, tẽps à prendre harans, droguerie, & les bateaux drogueurs. Lieu du reſte, le but du voyage, & de la decharge. Baliſes, boües. Lamanurs, locmans, ou lomans, qui conduiſent le nauire en rade, qui eſt dans le haure, ou en furain, qui eſt en plaine mer: le trauail de ces pilotes eſt nommé pilotage, & des mariniers, touage & amenage. Tanqueurs. Raiſon ou double raiſon qu'on diſtribue à chacun dans le bord L'ordinaire. Boſman. Le cõpas, ou bouſſole, ou la boette de l'aiguille aimãtée, couuerte d'vn cartõ nommé la roſe, diuiſé en 360. degrez ſur lequel y a 32. pointes deſignant les Vents, leſquels raions ſont appellez rombs, ou rums. L'aſtrolabe, qui ſert à chercher l'eleuation du Soleil, auec l'arbaleſtille, ou le baſton gradué & geometrique.

1 *Les cargues à freler & deſfreler les voiles.* 2 *L'eſtay.* 3 *Les Aubans.* 4 *Les eſcoutes & couets qui tiennent aux bas angles des voiles de chaque bord.* 5 *Les balancines, ou les bras des voiles.* 6 *Le chable, ou cable.* 7 *L'eſtague, & la corde qui tient la grande voile à l'eſtague s'appelle couïllard.* 8 *Manœuures.* 9 *Les driſſes.*

na tractoriâ, quâ in terram nauis attrahitur. Prymneſium putat Theophilus funem eſſe, quo in littore nauis palo alligatur, qui epigium & peſina etiam dicitur, Latinis retinaculum. Napura funiculus eſt ex ſtramento factus: qui verò è ſparto, cannabe & lino fit, mataxa. Tomices reſtes ſunt è cannabe impolito, & ſparto leuiter tortæ. Tranſenna funis extentus. Remi itaque nauigia agunt, vela ventos excipiunt, funes vela ſuſtinent, nauem autem ſaburra, quæ ex arenâ, aut materiâ aliquâ ponderosâ fit. Inſtrumenta, armamenta atque arma ad neceſſitatem & tutelam nauis pertinent, ad voluptatem ornamenta: qualia ſunt ea quæ apluſtria, vel ampluſtria dicuntur, hoc eſt, poſita extra nauigationem, minime nauigantibus neceſſaria. Quæ circum naues pinguntur, aut adhibentur luxus causâ, ἀμφιμήτρια Græcis vocantur. Sunt & nauium ornamenta, aulæa, tapetes, periſtromata, peripetaſmata, picturæ, corymbi cingentes nauem:

---auratis Argo redimita corymbis.

Ad ſimilitudinem vitis, vel hederæ conficti. Præterea paraſemon & tutela nauis, de quibus præcedenti Capite. Tum vexilla, tentoria, ſiue ſtemmata, faſciæque verſicolores. Vexillorum diuerſæ ſpecies ſunt, * alia Nationis, Reip. & Principis, alia Amiraliorum, alia pugnę ineundæ, alia relinquendæ, aut abeundi, alia conuocandi concilij, alia pacis, alia tutelæ & protectionis. Si qua nauis bello capta eſt, eius vexilla & ſtemmata de tergo puppis pendentia, ipſum mare verrunt. Claſſem bellicam iſtis verbis explicamus, *vne Armade de cent voiles, plus ou moins.* Claſſem verò mercatorum aliena petentium, *vne Flotte de tant de voiles.* Milite, armis, & nautis benè inſtincta nauigia συγκεκροτημένα Græcis dicuntur: malè munita atque armata, ἀσυγκρότητα.

* *Banniere de nation, de Republique, Royale, Amirale, de combat, de partance, de conſeil, de paix, d'aide, ou de conſerue.*

CAPVT XLVIII.

De triremis antiqua, atque hodierna, quam Galeram vocamus figurâ, membris ac partibus, Græcis, Latinis, & noſtris vocabulis.

Ex iiſdem authoribus, quibus additur Hobierus, de conſtructione triremis.


QVÆ forma triremibus anriquorum fuerit dubitant multi viri docti : inter quos etiam quid ſit ordo remigum nondum conuenit. Alij enim ordinem remigum illud eſſe volunt, quod nos *Banc* vocamus, ſcamnum ſcilicer, in quo quatuor, quinque, aliquando etiam ſex remiges ad vnum remum ſedent. Cui opinioni dudum ſubſcripſi : præcipuè cùm in numis priſcorum Romanorum, apud Goltzium, atque Vrſinum, omnes naues, quæ remis aguntur plures remos eodem ordine oſtendant, æquo ſpatio diſpoſitos, longitudine pari, in porrectum extenſos, ſimúlque æquora ferientes. Quod maximè apparet è numis L. Bibuli, M. Fonteij, & M. Antonij III. Viri, in qnibus triremes ſignatæ videntur eadem formâ, atque ordinibus, quibus hodie galeræ noſtræ conſurgunt. Fieri tamen potuit, vt plures remigum ordines, aliis remigum ordinibus pleriſque in nauigiis ſubiicerentur: quorum nauigiorum, cùm nullam in antiquis numis figuram viderim, multa tamen de iis ſparsìm legi, ideóque in partes Snellij tranſeo, qui nuper de nauium curſibus & re nauali ſcribens, dicit, ordines; gradus remigum fuiſſe, ita vt in biremi duplices fuerint gradus, in triremi triplices, & ſic de ceteris. Vnde concludit, in triremi imum remigum ordinem propiorem aquæ, ſupremum propiorem foris nauis, medium inter vtrumque poſitum. Imis remigibus breuiores remos, ſupremis longiores, mediis mediocres. Primos à Græcis thalamitas, ſupremos thranitas, medios Zygitas appellatos. Falli Baifium & alios, qui triremem in tres partes diuidentes: à prorâ ad malum : à malo ad acroſtolion: inde ad ſummum apluſtre, remiges inter proram & malum ſitos, thranitas vocāt; hinc ad initium ἀκροστολίου ζυγίτας: inde ad apluſtre, thalamitas. Quid enim, inquir, triplex ordo remigantium in eodem tabulato fuiſſet? cur Vegetius de quinqueremibus loquens, dixiſſet : *Quinos ſortiuntur remigum gradus.* Cur iſtud Virgilij :

---triplici pubes quam Dardanâ verſu
Impellit, triplici conſurgunt ordine remi.


Sanè conſurgentes remorum ordines dici non poſſunt de longitudine

tudine, longitudo iacet, altitudo conſurgit? Quid illa teſſeraconteres Philopatoris, de quâ ſuccedente Capite dicemus? nónne quadraginta non remium, ſed remorum ordines alios ſuper alios aſſurgentes deſignat? Quid quòd in ipſis Leonis Imperatoris Tacticis, ita legitur: *Unaquæque nauis bellica iuſtæ longitudinis ſit oportet, duos in ſe habens remorum ordines, alium ſuperiorem, alium inferiorem.* Huius figuram è Baifio ſubieci, & alteram triremis hodiernæ, vt appareat in quibus vtraque vel conſentiat vel diſſentiat, ex ipſis notis vtrique communibus, vel ſpecialibus.

NOVA TRIREMIS, *quam dicimus*, GALERE.



ANTIQVA TRIREMIS.



Litera *A* eam triremis partem notat vltra quam niſi in tempeſtate vnda non procedit.

B Carinam deſignat, *la Carene*, alueum alij vocant partem nauis infimam, τρόπις à Græcis nuncupatur. Cui incumbunt figuntúrque coſtæ, *le courban*; phalcis, ſiue leſbion.

C Lineam terræ oſtendit, ſiue baſim proræ, & puppis.

D Huc vſque peruenit truncus, ſeu caput imum mali, quod in triremis antiquæ figurâ non videtur, vbi nullus malus eſt. Hanc partem hiſtodocem, & hiſtothecem Græci vocant, aliqui etiam & hiſtopedem, & ληνίδα.

E Proportio longitudinis, ad latitudinem: quod neque in antiquâ triremi videtur.

F Circulum extuberantem monſtrat, quo nauis cingitur, *l'enceinte, ou cordon, qui eſt d'ordinaire façonné*, alij à præſcincturâ *perſcinte*, vocant.

G Feneſtras cubiculi Prætorij. *Le contault, ou contrehault, dans lequel ſont les feneſtres de la pouppe: Au deſſus eſt la tapiere ordinairement façonnée.*

H Fori

H Foriſpatia, ſiue trabes cancellis ſubiectæ, quibus remi ſuſtinentur, *les apoſtis*.

K Quadratos fuſtes oſtendit, quibus tranſtra imponuntur. *Les batoilles, qui trauerſent les fillarets, qui ſeruent de gardefous.* Quæ tranſtra, dum pugnatur, panno rubro teguntur, *de la paueſade*, ne milites, remigéſque ab hoſte videantur.

L Suggeſtum è quo velut ex arce milites præliantur. *L'vne des rambades*. Infra machinas habet, locáque quibus exoneratur venter, quæ vno vocabulo dicuntur, *la conille*.

M Puppim ſignat, ſicut nota, 1 Pergulam totam puppim ſuprafecantem. Nota verò 2 Cancellos, *Les bandins, ou bandinets:* Græci puppim, πρύμνην vocant, è ἱερὰν. Sub ea iugum quo ſuſtinetur, collúmque puppis: *le ioug, & le col de poupe.*

N Proram, πρώραν. Sub quâ iugum, quod proræ vocatur.

15 Roſtrum, chalcembelòn: *L'eſperon au deſſous deſquels eſt le taillemar.* Theophilus, ligna, quæ tanquam geminæ auriculæ nectuntur in prorâ ἐπωτίδες vocat.

O Malum deſignat, *l'arbre*, maiorem ſcilicet.

P Malorum extremitates, ſiue calces, ad quas funes religantur. *Le calcet auquel ſont les poulies pour baiſſer & hauſſer l'entene, qu'ils appellent hiſſer & amener*: quibus trochleis demittitur atque attollitur antenna.

Q Malum proræ, *le Trinquet*: in cuius ſummo funes, *vettes de guinda*, trochleis reducti, aut deducti.

R S Antennam cornuáque eius deſignant, atque monſtrant. *L'entene, dont R eſt la pene, ſur laquelle ſe met le quart, & s'y adioute le pigon, lors qu'on met la voile.*

T Trabem, quâ pergula puppis fulcitur: *l'Eſcontre, qui appuie la fleche ſur la pouppe.*

V Gubernaculum, ſeu clauum monſtrat: *le gouuernail.* Græcis οἴαξ, οἰήϊον, πηδάλιον, καὶ ἰφίλιον dicitur: vbi & enclima, locus in quo gubernator reclinatur.

X Pontem, ſeu ſcalam, *l'eſcalle*, graduum quinque, aut ſex, quâ è cymbâ in triremim aſcendimus.

Y *L'eſpalle*, locum interpretantur, qui intrantibus primùm in nauem tenetur: Græci patodon, & parathranon vocant.

3 Tabernaculum, *le tabernacle*. Vnde militibus iuſſa dat quiſquis in triremi imperat: Scena ab aliis vocatur.

4 Præcipuum nauis tabulatum quo diſcurritur, veluti quodam vico: *la courſie:* aliquibus agea.

5 Puppis tabulatum, *le plancher de pouppe.*

SS Tabulatum quo fulmineæ machinæ inſident, *plan des rambades, ou ſe mettent les Canons.*

6 Hîc fori ſunt, ſiue latera ſpatiáque concaua. *Les arbaleſtieres*

 ou ſe

ou ſe mettent les ſoldats, locus ſic appellatus ab eo, quòd olim milites arcu baliſtis vterentur.

7 Scamna quibus inſident remigantes, *les bancs ou ſe mettent les forçats, qui ſont entre les arbaleſtieres & la courſie.*

8 Tegimen proræ, vndè machinæ fulminant, & anchora iacitur. *Tabourin de proüe, auec l'eſperon, au deſſous duquel ſont les cuiſſes, & au deſſous le taillemar.* Cuius roſtrum duabus trabibus firmatur, infra verò aliam trabem habet, quà fluctus ſcinduntur.

9 Palos ligneos oſtendit hæc nota, cum vinculis quibus remi alligantur. *Eſcomes, ou s'attachent les rames auec l'aſtrocq.* Quod alias verbis Latinis exprimi poteſt, ſcalmi ad quos remi ſtrophis vinciuntur.

10 Nauis, ſi per medium ſecaretur, partem inferiorem denotat, *le tail, ou pourfil de la Galere, qui eſt ce qui ſe verroit, ſi elle eſtoit coupée par le milieu.*

11 Partem eam triremis oſtendit, quæ aquarum, dum nauigat, ſuperficie pulſatur: *iuſques ou la galere enfonce en l'eau.*

12 Ianuas, ſiue aditus cubiculorum ſex, quæ in trireme ſunt: *les ſix portaux des chambres de pouppe, eſcandolat, compagne, paillo, meſanie, & de proüe.* Hæc cubicula dici poſſunt, Prætorium, Armamentarium, Refectorium, Nauclairi, Scribæ & proræ.

13 Locum notat, quo pes remigantis cathenatur, ſiue vincitur: *banquette.*

14 Scamnulum habet, quo pes remigantis concathenatus innititur, *Pedagne.*

15 Scamnum, *le banc.* Scamna, ἰζύγια quibus inſident remiges à dextris 26. à ſiniſtris totidem. ſunt 16 17 & 18 eadem ſignificant, quæ ſub literis *A, X, & S,* diximus.

19 Remum, *la palle, ou rame.* ſeu extremum remi, quod Latini palmulam, Græci pteram, & tarſum vocant.

20 Eam remi partem oſtentat quæ naui alligatur, *la galaerne qui s'attache à vne cheuille.* Ad ſcalmum.

21 Remi longitudinem.

22 Manubrium, ſiue eam remi partem, quæ remigantium manibus tenetur, & teritur. *La maintenante, ſur laquelle y a du plomb pour ſoulager la rame.* Capulus, ſeu enchiridion ad æquilibrium grauedine plumbi ductum.

23 Hæc nota oſtendit extremitatem remi, *le giron.*

24 Lumen, ſiue fax nauis, *le falot, fanal, où lanterne.* Aſſeres quibus carina extra contegitur, dicimus, *Rombaillieres:* quæ inter eos rimæ pice illinuntur, *le comment.* Aſſeres verò intra triremem, vocantur, *la fourrure,* qui à ſummo nauis ad imum deſcendunt, vſque ad carinam, vbi ſaburra immittitur,

tur, *iuſques aux deux eſcoües, ou ſe met la ſaure composée de petits cailloux, ou gros granier, qui ſert à faire enfoncer la Galere, & l'empeſcher de ſe rendre ialouſe*, ne vacillet. Infra iuga puppis & proræ exiguæ longitudinis, craſſitudinis mediocris baculi ſunt 48. *Les courts baſtons de ſottoſrin.* Inter ſcamna, ſeu remigum ordines à ſiniſtro triremis latere, octauo in ſcamno, culina eſt, *le fougon*. Infra foros, quod apertum reſpicit mare, *le ramier*: à latere verò dextro ad octauum ſcamnum, locus hîc cymbam accipit, *là ſe met le Caiq ſur deux caualets.* Iuxta puppis cubiculum cubiculiolum eſt, Latinis ſtega, vulgò appellatur, *le gauon*: diémque accipit duabus exiguis feneſtris in orbem inciſis, quas vocant, *cantanettes:* inter eas gubernaculum, ſeu temo nauis, baculo, *par lariau*, vinculiſq; duobus mouetur impulſum, *& par deux brides du timon attachées à vne poulie.* Extremitas puppis nuncupatur, *le draguant.*

25 Incuruatas trabes, vnde ſtatuæ quoq; incuruatæ extra puppim locum faciunt cancellis clauſum, quo tota puppis cingitur, pérque eum, ſeu vico, ambulatur, aſpicitúrque mare, noſtri ſic efferūt, *les paneaux ſur leſquels ſe mettent les bandins, ſouſtenus de grandes conſoles, qui ſont ordinairement formées en Hercules, Amazones, Satyres, & autres figures, qui ſortent hors la longueur du corps de la Galere, enuiron huit pans, pour ſoutenir vne eſpece de banc fermé par dehors de petits baluſtres, nommez ialouſies de meze pouppe, & d'vne piece figurée à iour, appellée le couronnement.* His cancellis virgulæ ferreæ craſſitudine digitali infixæ, incuruatæ versùs mare, geminas trabes fulciunt, quibus turriculæ duæ impoſitæ trabi, quæ ſupra puppem in longum extenditur, coniunguntur. Ad hanc trabem, quà proram puppis reſpicit, leonis, aquilæ, aut alterius animalis figura eſt, ſeu paraſemum: quà mare, inſigne, ſiue ſtemma Regis, Principis, aut Reip. aſpicitur, cuius iuſſu, vel ſub cuius tutelâ nauigatur. Reliquæ trabes ſtemma oſtendunt versùs mare, illius ducis, qui in triremi imperat. *Au deſſus des bandins ſont attachées des verges de fer de la groſſeur d'vn pouce, leſquelles courbées & ſortans d'enuiron vn pan pour elargir la pouppe, reçoiuent les deux bandinets, ſur leſquels ſont les arſeaux, ou guerites, qui ſe vont inſerez dans la fleche, qui eſt comme la clef de la voulte, laquelle s'auançant vn peu plus que les bandins au dehors, porte au deſſus vne figure en relief, qui regarde vers la proüe, ſoit de lion, d'aigle ou autre, & reçoit à l'extremité les armes du Roy, comme chacun des bandinets celles du Capitaine, & là ſe finit l'acheuement de la pouppe.* Tota puppis, ne Sol, vel pluuiæ noceant, linteo cerâ illito tegitur, *ſe couure du tendelet.* Remos generali nomine vocamus, *Palamante.* Duobus malis triremes apud nos armantur: Maiori, *Arbre de maiſtre, qui pour ſe dreſſer deſcend le long de la canau, qui ſert pour appuier de coſté & d'autre, & tombe ſur vne groſſe piece de bois qui s'appelle l'eſcaſſe, poſée ſur la contrecarence vers*


le

le 17. banc, en ſorte qu'il ſe peut iuſtement enfermer dans la courſie. Minori, *le trinquet, qui ſe met au bout de la rambade ioignant le biton de bande gauche, afin de laiſſer le canon de courſie libre.* Duobus tentoriis nautæ, militéſq; iniuriam cœli vitant, *par deux tentes, ou pauillons.* Quæ inter pugnam vbi demittuntur, deditionis ſigna ſunt, furcis ſuſpenſa, nauigantes tegunt, ceu tecto, *appuiés ſur des cabres.* Minus, quia è xilino eſt, vocatur, *tente de cottonine, ou de catton.* Maius è panno, *tente d'herbage.* Omnia vela in triangulum deſinunt, vno excepto, quod quadratum eſt, appellatum, *le treou*, quod malo aptatur, dum nauigantibus lenta nauigatio placet. Si mediocris, *la bourde.* Si tempeſtas immineat, *le marabout.* Ad colligendos ventos, dum minus incumbunt pelago, *la baſtarde.* Summum, ſiue carcheſium, *la penne:* Proræ, *la carnau:* infimum, *l'eſcot:* quæ duo vltima epidromum & dolona à Græcis nuncupari exiſtimo: ſicut acation illud, quod in maiori malo eſt maximum. Tertium aliquando nautæ malum addunt inter maiorem malum & puppim, illíque velum applicant celeritatis cauſâ, medium vocatum, *le mezanin.* Maiores funes *les cables, & gumenes:* minores, *les mataſions*, appellantur. Anchoræ gemino dente, *les anchres:* quatuor dentibus armatæ, *les riſſons.* Machinæ bellicæ, ſiue tormentariæ ſæpenumero nouem inæqualis ponderis in ipsâ prorâ. Milites per foros diſponuntur, *on les met en leurs poſtes ſur les arbaleſtieres & rambades.* Duo primi remiges, qui propiùs mari remos torquent, in vno quoque ordine, vel ſcamno, *les eſpalliers*, reliqui *Vye auant*, generali vocantur appellatione. Tertij cuiuſque ſcamni, quarti, & quinti, *les tercerots, quarterots, & quinterots.* Sic ad vnumquemq; remum remiges quinque ſedent, à prorâ nempe vſque ad maximum malum: à quo ad puppim quiſque remus quatuor remigibus contentus eſt, maiori enim impulſu prora, quà fluctus finduntur, eget, quàm puppis. Ex quo colligitur, ſingulas triremes CCL. remigibus moueri, & agitari. Remigum autem quatuor genera, eorum, qui ſe ad remos locant, & voluntarij appellantur: eorum, qui ex lege victoriæ, aut tributi loco, certum remigum numerum ad claſſem quotannis dare coguntur: eorum, qui bello capti ad ſcamnos vinciuntur: eorum denique, qui ad triremes damnantur, ob ſcelera, qualis fuit ille, qui cùm ſe Octauiæ filium feciſſet, imperio Auguſti, remo publicæ triremis affixus eſt. Ceterum remiges omnes Græci λαπίσπυγας, hoc eſt, macros clunes habentes, vocauerunt. Hoc de Theſeo & Athenienſibus * Apoſtolius dixit, quòd ille & iſti perpetuò remis aſſiderent, vnde illis clunes ceteris hominibus graciliores. Data & ornamentis nauium vernacula vocabula, in ſummo vtriuſque mali, ſericæ, lineæque faſciæ diuerſi coloris infixæ, & Principis ſtemmatibus ornatæ, vocantur, *les bandieres.* In quarum locum aliquando & aliæ

Valer. Max. lib. 9. cap. vlt.

* *Centur. 3. Prouerb. 81.*

aliæ faſciæ colligantur deſcendentes ad ima mali, ventorum ludibrium, *les gaillardets:* aliæque de cornibus antennæ minores pendent, flammulæ nuncupatæ, *les flammes.* A tergo puppis vexilla tria, per tranſtra quindecim haſtis infixa volitant. In Prętoriâ, ſiue Capitaneâ triremi, additur & aliud vexillũ, indicium pugnæ quoties erigitur, *l'etendart*, ad dextrum puppis latus, *ſur l'eſpalle du coſté droit de la pouppe.* Triremis nauigantis figuram, hîc addidi, quò ſuperiora facilius intuentibus in hoc Opus, innoteſcant.



Adde loca ea, ſiue tabulata in quibus ſub duce ſuo armati ſtant milites, aut pugnaturi, aut pugnantes; ſiue in prorâ, ſiue in puppi, ſiue mediâ in naui agea ab agendo dici, ab aliis cataſtromata. Nonnulli tamen eam viam agea vocari exiſtimant, per quam ad remiges hortator accedit. Columbaria Vitruuius vocat caua, ſeu foramina, per quæ aqua concepta in tympano educitur: Pollux, Eudiæa. Alij columbaria vocant foramina per quæ remi promicant. Echetlion locus eſt in naui, in quo piſces reponuntur. Sentina pars eſt inferior nauis vbi ſordes defluunt. Ptychis ſiue ophthalmus oculus triremis, iuxta quem nauis nomen inſcribitur: quamuis & in acroſtolio, ſeu trabe in puppi erectâ, hoc apud antiquos factum multi ſcribant. Thalamiam

Vvvv vocare

vocare videtur Herodotus, foramen per quod remus extat, quod alij nauphracton dicunt. Nauis latera Latini ſpondam & caſtam, Græci πλευρὰν nuncupant, τοῖχον parietem. Stamina, ſtatumina, ſiue coſtæ, ſunt ligna erecta interius, quæ nauis latera ſuppingunt. Scalmus, labrum nauis vbi remi annexi ſunt. Interſcalmium, ſiue interuallum ſcalmorum, ſpatium inter remiges. Tropi dicunrur lora, quibus remi ſcalmo alligantur. Sub roſtro repagulum eſt. Inter roſtrum & repagulum ſtira. Repagulo harpa inſiſtit, è quâ nauis harpophora nominatur. Inter repagulum ſuper ſtiram ſtolus, ſiue galea. Galeam hodie temonem dicimus, *heaume*, ſiue manubrium gubernaculi, quod quadrato ſtipite mouetur, *par le moien du gouſſet*. Pellis ſcalmo annexa, quâ minuuntur remi, aſcoma dicitur. Pelles, panni, & lintea, quibus merces & veſtes teguntur, ne putreſcant, ſegeſtria. Via, quæ circa remiges, parodus, aut interſcalmium. Vtræque proræ partes, genæ & alæ. Trabes prominentes circa puppim, peritonæa: vbi & tabernaculum eſt nauclairo extructum. Summitas claui lax; medium phtir, radix & ſuccinctura: extremum ala, reliqua verò pars collum appellatur. Medium puppis aſandium, cuius pars interior, penetrale. Huic obtenſa pars, epiſion: ſummitas eius cacumen, in cuius medio rectum lignum infixum, quod ſtilida vocant: è cuius medio cingulum dependet, faſcia. Pars media antennæ quæ malo adhęret ambola, & ſymbola, quæ verò hanc vtrinq; continent, anſæ: ſicut extremitates, cornua. Loca, in quibus poſt nauigationẽ aſſeruantur remi, κωπητήρια Gręci, Latini caſteriam appellant, Antliam, *pompe*, ad aquas è naui hauriendas. Si conſtrata aut cataphracta nauis fuerit tigna duas turres ſuſtinent, inter quas quod medium eſt, ſtratum dicitur. Fundamentum nauis, *la quille, ou carlingue*, cui coſtæ innectuntur, *membres, ou varengues*, vnde nudum nauigij cadauer formatur, *la carcaſſe, ou coffre de navire*. Tabulata, *ponts & tillacs*. Saburra, *le balaſt, ou l'eſt*. Ianuæ, ſeu feneſtræ in tabulatis, per quas ad ima deſcenditur, *Jlloires, eſcoutes, eſcoutilles, eſcoutillons*, aſſeres verò quibus clauduntur, *les panneaux*. Foramina per quæ anchorarij funes demittuntur, *eſcanbans*. Tabulata proræ & puppis, *Chaſteau deuant, & Chaſteau dernier*, vel ſic, *gaillar deuant, & gaillar dernier*. Anchoræ partes ſunt, anulus, *l'argant*, trabecula ſub anulo, ſiue axis, *l'eſſieu*, dentes, *les pates ou grapes*.

CAPVT

CAPVT XLIX.

Nauium ad oſtentationem, aut voluptatem fabricatarum deſcriptio, & enumeratio, aliorúmque nauigiorum quibus antiqui vſi ſunt.

* SNELLIVM nullo modò erraſſe exiſtimó, cùm triremes in tres gradus diuiſit: nam Philopator Rex Ægypti nauem ædificauit longam CCLXXX. cubiros, latam XXXVIII. ad acroſtolion vſque XLVIII. cubitorum altitudo fuit: eius verò partis, quæ à puppís tabulis ad mare vſq; demittitur, cubitorum LIII. Claui fuêre IV. cubitorum XXX. remi longiores ad puppim inſerti: horum maximi cubirorum XXXVIII. tractatu, & remigio in vſu faciles, ob plumbum ad manubrium additum, & quia, quà nauis lateribus adiunguntur, introrſum apprimè graues forent. Duplex in eâ tum prora, tum puppis fuit: roſtra verò VII. præcipuum quidem vnum extans præter cetera, alia breuiora, & contractiora: quædam ad laterum proiecturas. Nauis coſtæ & rabulata XII. fuerunt, ſingula cubitorum D C. ſtructura ſupra modum èleganti, reliquíſque ornamentis ſtupendi luxus. Etenim in prorà & puppi animantium effigies fuêre, cubitis non minores XII. quiuis in eâ locus cereæ picturæ verſicolori varietate diſtinguebatur. Ea verò pars, quâ remi collocantur, ad carinam vſque, thyrſis & hederaceâ fronde operta fuit. IV. M. remigum illi fuêre, mediaſtini, & adminiſtri operæ CCCC. militum IV. M. Sub tranſtris in mediâ náuis parte aliâ ſeorſum hominum turba, arma & commeatus ingens. Ex eſchario (quod temporarium ædificium eſt, ſub quo naues ędificantur) materia quinquerentium L facto, protracta. Populo cum fauſtis acclamationibus, & tubarum clangoribus, in mare perducere eam conante, Phœnix quidam rationem excogitauit, quâ deduci poſſet, foſsâ, quæ naui longitudine par eſſet ſubiectâ, & prope littus excauatâ. In hac iacta fundamenta è ſolido lapide conſtruxit ad altitudinem cubitorum V. deinde per illa continuas phalangas, hoc eſt, rotundos teretéſque fuſtes, tranſuerſas impulit, ſub quibus, ad fundum vſque foſſæ, quatuor cubitorum ſpatium relinqueretur: tum mari immiſſo, foſſam impleuit, nauémque ſtabiliuit. Ex hoc apparet, cùm remi alij aliis longiores fuerint, & plura tabulata, plures quoque remigum gradus fuiſſe: ob id teſſeraconteres dicta, quòd quadraginta non remis, ſed re-

* *In proemio Tiphys Batavi. Athenæus Deipnoſ. lib. 5. è verſione Dalechampij.*

vocare videtur Herodotus, foramen per quod remus extat, quod alij nauphracton dicunt. Nauis latera Latini ſpondam & caſtam, Græci πλευρὰς nuncupant, τοῖχον parietem. Stamina, ſtatumina, ſiue coſtæ, ſunt ligna erecta interius, quæ nauis latera ſuppingunt. Scalmus, labrum nauis vbi remi annexi ſunt. Interſcalmium, ſiue interuallum ſcalmorum, ſparium inter remiges. Tropi dicuntur lora, quibus remi ſcalmo alligantur. Sub roſtro repagulum eſt. Inter roſtrum & repagulum ſtira. Repagulo harpa inſiſtit, è quâ nauis harpophora nominatur. Inter repagulum ſuper ſtiram ſtolus, ſiue galea. Galeam hodie temonem dicimus, *heaume*, ſiue manubrium gubernaculi, quod quadrato ſtipite mouetur, *par le moien du gouſſet*. Pellis ſcalmo annexa, quâ minuuntur remi, aſcoma dicitur. Pelles, panni, & lintea, quibus merces & veſtes teguntur, ne putreſcant, ſegeſtria. Via, quæ circa remiges, parodus, aut interſcalmium. Vtræque proræ partes, genæ & alæ. Trabes prominentes circa puppim, peritonæa: vbi & tabernaculum eſt nauclairo extructum. Summitas claui lax; medium phtir, radix & ſuccinctura: extremum ala, reliqua verò pars collum appellatur. Medium puppis aſandium, cuius pars interior, penetrale. Huic obtenſa pars, epiſion: ſummitas eius cacumen, in cuius medio rectum lignum infixum, quod ſtilida vocant: è cuius medio cingulum dependet, faſcia. Pars media antennæ quæ malo adhęret ambola, & ſymbola, quæ verò hanc vtrinq; continent, anſæ: ſicut extremitates, cornua. Loca, in quibus poſt nauigationē aſſeruantur remi, κωπητήρια Gręci, Latini caſteriam appellant, Antliam, *pompe*, ad aquas è naui hauriendas. Si conſtrata aut cataphracta nauis fuerit tigna duas turres ſuſtinent, inter quas quod medium eſt, ſtratum dicitur. Fundamentum nauis, *la quille, ou carlingue*, cui coſtæ innectuntur, *membres, ou varengues*, vnde nudum nauigij cadauer formatur, *la carcaſſe, ou coffre de nauire.* Tabulata, *ponts & tillacs.* Saburra, *le balaſt, ou l'eſt.* Ianuæ, ſeu feneſtræ in tabulatis, per quas ad ima deſcenditur, *Flloires, eſcoutes, eſcoutilles, eſcoutillons,* aſſeres verò quibus clauduntur, *les panneaux.* Foramina per quæ anchorarij funes demittuntur, *eſcaubans.* Tabulata proræ & puppis, *Chaſteau deuant, & Chaſteau dernier*, vel ſic, *gaillar deuant, & gaillar dernier.* Anchoræ partes ſunt, anulus, *l'argant*, trabecula ſub anulo, ſiue axis, *l'eſſieu*, dentes, *les pates ou grapes.*

CAPVT

CAPVT XLIX.

Nauium ad oſtentationem, aut voluptatem fabricatarum deſcriptio, & enumeratio, aliorúmque nauigiorum quibus antiqui vſi ſunt.

* SNELLIVM nullo modò erraſſe exiſtimò, cùm triremes in tres gradus diuiſit: nam Philopator Rex Ægypti nauem ædificauit longam CCLXXX. cubitos, latam XXXVIII. ad acroſtolion vſque XLVIII. cubitorum altitudo fuit: eius verò partis, quæ à puppis tabulis ad mare vſq; demittitur, cubitorum LIII. Claui fuêre IV. cubitorum XXX. remi longiores ad puppim inſerti: horum maximi cubitorum XXXVIII. tractatu, & remigio in vſu faciles, ob plumbum ad manubrium additum, & quia, quà nauis lateribus adiunguntur, introrſum apprimè graues forent. Duplex in eâ tum prora, tum puppis fuit: roſtra verò VII. præcipuum quidem vnum extans præter cetera, alia breuiora, & contractiora: quædam ad laterum proiectura. Nauis coſtæ & tabulata XII. fuerunt, ſingula cubitorum DC. ſtructura ſupra modum eleganti, reliquíſque ornamentis ſtupendi luxus. Etenim in prorâ & puppi animantium effigies fuêre, cubitis non minores XII. quiuis in eâ locus cereæ picturæ verſicolori varietate diſtinguebatur. Ea verò pars, quâ remi collocantur, ad cariuam vſque, thyrſis & hederaceâ fronde operta fuit. IV.M. remigum illi fuêre, mediaſtini, & adminiſtri operæ CCCC. militum IV. M. Sub tranſtris in mediâ nauis parte aliâ ſeorſum hominum turba, arma & commeatus ingens. Ex eſchario (quod temporarium ædificium eſt, ſub quo naues ędificantur) materia quinquerentium L facto, protracta. Populo cum fauſtis acclamationibus, & tubarum clangoribus, in mare perducere eam conante, Phœnix quidam rationem excogitauit, quâ deduci poſſet, foſsâ, quæ naui longitudine par eſſet ſubiectâ, & prope littus excauatâ. In hac iacta fundamenta è ſolido lapide conſtruxit ad altitudinem cubitorum V. deinde per illa continuas phalangas, hoc eſt, rotundos teretéſque fuſtes, tranſuerſas impulit, ſub quibus, ad fundum vſque foſſæ, quatuor cubitorum ſpatium relinqueretur: tum mari immiſſo, foſſam impleuit, nauémque ſtabiliuit. Ex hoc apparet, cùm remi alij aliis longiores fuerint, & plura tabulata, plures quoque remigum gradus fuiſſe: ob id teſſeraconteres dicta, quòd quadraginta non remis, ſed re-

** In proœmio Tiphys Batavi. Athenæus Deipnoſ. lib. 5. è verſione Dalechampij.*

nium ordinibus,aliis ſupra alios immenſum inſurgentibus,ageretur. Ædificauit & idem Philopator nauem alteram,Thalamegon vocatam,quâ voluptatis gratiâ cum vxore & liberis per Nilum veheretur. Eius longitudo fuit dimidij ſtadij,hoc eſt,pedum cccxii. latitudo maior quàm cubitorum xxx. Altitudo cum tabernaculi ſubrecto faſtigio, parum à xl. cubitis aberat. Figura nec longas naues imitabatur, nec rotundas, ſed ab illis diuerſa pro vſus commoditate, & altitudine fluuij: infernè quidem ad carinam lata & humilis: at eius ſummæ partes præcipuè ad proram multùm extendebantur. Duplex prora, dupléxque puppis. In eius aluo mediâ, cœnationes & conſtructa cubicula fuêre. In ambitu nauis duplex ambulatio, non minore circuitu quàm iugerum v. & inferioris quidem humóque propioris ſpecies ac diſpoſitio porticui ſimilis, quam columnæ ſuſtinent: ſuperior autem & à terrâ diſtantior camerata, feneſtris, feneſtrarúmque interſepimentis vndique circumdata. Veſtibula ambulationum ex ebore, aliáque materiâ pretioſiſſimâ. His adiuncta fuit domus, vno tantùm columnarum ordine circumuallata, quæ lectos xx. capiebat, maximâ ædificij parte è cedro fiſſili materiatâ,cupreſſóque Mileſiâ. Fores ex aſſamẽris Thyiæ coagmentatæ,cum eburneis ornamentis. In earum fronte clauis oſtiorúmque marculis, & anulis ex ære rubro conflatis, color aureus igne adſcitus eſt. Columnarum ſcapi è cupreſſo fuêre: capitula operis Corinthiaci, auro & ebore ornata: epiſtylium (trabs eſt columnarum capitulis impoſita) totum aureum,cui diaſoſma, ſeu præcinctio, *la frize*, aptata fuit, cum inſignibus animantium imaguncuIis eburneis, cubito maioribus, artificij mediocris, ſed numero materiáque admirandis. Cœnationi tectum ſuperſtabat, elegans, è cupreſſi ligno, cum variis ornamentis ſculptis, inauratâ ſuperficie. Inde dormitorium cubiculum cum lectis v. cui coniunctus fuit anguſtus canalis in latum per nauis aluum diſtentus, mulierum conclaue dirimens,in quo cœnaculum fuit cum lectis ix. ſumptu & magnificentiâ par maiori, ac cubiculum cum lectis v. Ad primum vſque tectum hæc ita diſpoſita fuerunt. At in ſcalas cubiculo vicinas vbi aſcendiſſes,alia domus apparebat,inſtructa v. lectis conuexâ tecti ſummitate, figurâ rhombo ſimili: & propè ipſam ædes Veneris camerata, in teſtitudinis rotundum faſtigium deſinente cacumine, in quâ marmorea Diuæ ſtatua. E regione huius domus aliud cœnaculum fuit ſumptuoſum,vno columnarum ordine circumſeptum,columnis conſtructis è lapide Indico. Huic propinqua cubicula, iis quæ antea declarauimus,ornatu ſimili reſpondebant. In proram euntibus, Bacchica domus ſubiacebat,vno columnarum ordine cincta, inauratis ſuggrundiis,ſiue tecti prominentiis, vſque ad epiſtylia circumdata. Tecti fabrica eadem

eadem quæ & ædis Veneris. Ad huius ædificij dextrum latus antrum effoſſum fuit, eo prorſus colore, qui videtur in lapideo cæmentitióque opere, ex veris lapidibus & auro confectum. In eo Regiæ ſtirpis, ac cognationis imagines erant, collocatæ, ex lychnitide marmore. Fuit & alia cœnatio perquam amœna, ſuper maximæ domus tecto poſita, ordine & formâ tentorij. Aduerſo flumine cùm nauigabatur, aulæa in eâ expandebantur, purpurea. Cœnationem hanc excipiebat locus dialis, cuius in ſuperiore parte nauis ea collocatio fuit, quæ ſubiectæ proſtadis, ſeu viæ, quæ à porticu in gynæceum ducit. Huic vicina fuit ſcala tortilis, quæ ad occultam ambulationem tendebat, & cœnationem IX. lectis inſtructam, fabricâ Ægyptiacâ. Nam teretes, quæ illic columnæ fuêre, vertebratis ſcalpturis differebant, candidæ viciſſim ac nigræ. Rotunda in illis forma capitulorum, totáque circumſcriptio roſis aliquantulum dehiſcentibus ſimilis. Circa partem, quam calathum vocant, nullæ volutæ fuerunt; quemadmodùm in Græcis: craſſa nulla folia, ſed loti fluuiatilis calyces, & palmæ nuper germinantis fructus. In quibuſdam aliorum florum multa genera exſculpta. Quod autem radici capituli ſuberat, nempe quod vertebræ iungenti cum ſcapo inſidet, ciboriorum, hoc eſt, fabæ Ægyptiacæ, floribus, & veluti complicatis foliis cœlatum erat: ſic enim Ægyptij parietes conſtruunt & ornant, quos nigris lateribus & albis variant, interdum etiam lapide, quem alabaſtriten vocant. Ædificia quoque multa alia in mediâ mole alui nauis, & in cunctis eius partibus fuêre. Malus eius cubitorum LXXXX. velum byſſinum, id eſt, è tenuiſſimo lino, purpureis funibus ornatum. At de naue quam conſtruxit Hieron Syracuſius Archimedis operâ, & ingenio, alia referuntur. Materia ex Ætnâ, quæ ad conficiendas triremes LX. ſufficeret, educta. Populi ex Italiâ ad remos petiti, rudentes ex Iberiâ, cannabis & iuniperus è Rhodano, cetera ex aliis Orbis partibus. Dimidia nauis pars per CCC. operarios ſex menſibus abſoluta. Interſtitia, & rimæ aſſerum laminis plumbeis tectæ. Archimedes excogitata Helice machinâ, cochlearum inſtar clauiculatìm, & ſpiratìm ſtriatâ, tantum nauigium in mare pertraxit. Viginti remorum ordines in eâ fuêre naui, aditus triplex: infimus quidem ad ſaburram, in quam per crebras ſcalas deſcendebatur: alter ad diætas ducebat: vltimus ad militum armatorum ſtationem tendebat. Ad vtrunque parietem aditus medij, cœnationes viriles XXX. ſingulæ tribus lectis ſtratæ. In nautarum diætâ lecti XV. & thalami tres, hoc eſt, maritorum & vxorum cubicula, inque ſingulis tres lecti. Horum omnium ſolum exiguis lapidibus pauimentatum fuit, iiſque coloris diuerſi, in quo Iliadis tota fabula depicta conſpiciebatur. In aditu ſupremo, gymnaſium, & ambulationes, eâ conſtitutione,

quæ nauis magnitudini congrueret. In iis horti omnibus plantis ad miraculum vſque conſiti, quibus lateritio, plumbeóque canali aqua immittebatur. Præterea ex albâ hederâ, & vitibus attegiæ, trichlilæ, quarum ſtirpium radices in doliis terrâ plenis alebantur. Subiectas ambulationes attegiæ adumbrabant. Poſt hæc ad Veneris voluptates Aphrodiſium extructum cum III. lectis, pauimento ex achate gemmâ, & aliis pulcherrimis, quæcunq; in Siciliâ reperiuntur, compoſito. Materia tecti è cupreſſo: ianuarum ex ebore, & thyiâ, ſiue cedro Atlanticâ: picturis, ſtatuis, variis poculis ornata omnia. Continens huic fuit Scholaſterium, ad otiandum & confabulandum, cum lectis v. materiâ buxeâ parietum & ianuarum, in eóque bibliotheca, & in ſummo tecti polus, ſeu horologium, factum ad imitationem ſolarij quod Achradinæ fuit. Sequebatur balneum cum caldariis tribus æneis, & ſolio & Tauromenite lapide vario, cum metretis v. Ædificatæ multæ cellæ vectoribus, & ab iis ſeparata equilia, ex vtroque nauis pariete x. ínque iis pabulum equis repoſitum, cum puerorum, & equitum ſarcinis. In prorâ aquæ receptaculum claudebatur, & recludebatur quoties libitum erat, quod metretas ad bis mille capiebat, ex aſſeribus, linteolis, & pice confectum: ſunt autem metretæ cadi, ſiue vaſa congiorum x. Propè hoc piſcium viuarium è plumbeis laminis, & aſſerum tabulis, maris aquâ plenum, in quo piſces alebantur. E muris vtrinque tigna prominebant interuallo mediocri diſtantia, ſuper quibus conſtructa erant lignaria, clibani, culinæ, molæ acuendis ferramentis, & aliæ plures miniſteriorum officinæ. Extrinſecus nauem circuibant Atlantes, cubitorum VI. molem ſummi tabulati & triglyphorum, ſeu triplicium canalium ſculptarum in columnarum zoophoro, ſuſcipientes, ordine omnes locati. Tota verò nauis picturis miris ſpectantium oculos detinebat. Duæ in puppi turres, totidem in prorâ, quatuor in medio, & ſuper his aperta foramina, quibus in accendentes hoſtes ſaxa deturbarentur. Super nauis foris murus cum propugnaculis extructus, & in eo iaciendis ſaxis collocata machina, fabricata ab Archimede, lignis in tria veluti crura diviſis ſuffulta, quæ ſaxum CCC. librarum pondo, ac ſagittam cubitorum XV. vibraret. In naui mali tres, & horum ſingulis aptatæ antennæ duæ lapides ferentes, è quibus vnci ferreæque maſſæ iacerentur in hoſtem oppugnantem. Ferreum quoque vallum naui circumiectum, quod aſcendere conantes arceret, cum ferreis coruis per totum ambitum, qui inſtrumentis proiecti, naues hoſtium correptas propè admouerent, vt facilius ferirentur. Ad vtrũque murum LX. iuuenes conſiſtebant, toto corpore armati, totidémq; circa malos & antennas. In malorum corbibus æneis maioribus viri tres, mediis duo, minoribus vnus excubias agebant.


His

His pueri ſaxa caniſtris textilibus, & ſagittas trochleis ſubminiſtrabant in thoraciâ. Anchoræ IV. naui fuêre ligneæ, ferreæ VIII. Maior malus è Britanniâ petitus. Phileas Tauromenites machinarius eam in mare deduxit. Sentina, quamuis profundiſſima, ab vno tamen homine exſiccabatur, cochlio, quod Archimedis inuentum fuit. Nauis ea principio Syracuſia vocata eſt, poſtquam Ptolomæo dono ab Hierone miſſa, Alexandrina. Etenim Ægypti Reges rei nauticæ ſtudioſiſſimi ſemper fuerunt: námq; Philadelphus nauium multitudine omnes Principes ſuperauit. Ampliſſimæ apud eum fuerunt ordinum XXXII. Ordinum XX. vna. Ordinum XIV. quatuor. Duæ ordinum XII. Vndecim ordinum. XIV. nouem ordinum XXX. Septem ordinum XXXVII. Sex ordinum V. Quinquiremes XVII. Quadriremes, triremes, & hemiolæ, ſiue biremes, duplo plures. Nauigia verò quæ ad Inſulas dimittebantur, eiúſque ditionis vrbes, & Lyciam, pluraquàm IV. M. fuêre. At quàm longè ab Hierone, & Philopatore, neque tamen minus ad miraculum nauis Myrmecidis, quæ apis alis tegebatur tota. Non ſic illa nauis ab Ægypto Caij Principis iuſſu Oſtiam aduecta, cui, centum viginti modij lentis pro ſaburrâ fuêre. Arboris craſſitudo quatuor hominum vlnas complectentium implebat. Submerſa maximam partem Oſtienſis portus ſub Claudio Imp. tenuit, cum tribus molibus turrium altitudine ædificatis. Fabricauerat & antea C. Caligula de cedris liburnicas, gēmatis puppibus, verſicoloribus velis, magnâ thermarum & porticuum, & tricliniorum laxitate, magnáq; etiam vitium, & pomiferarum arborum varietate, quibus diſcumbens de die inter choros & ſymphonias, littora Campaniæ peragraret. Inter prædam, quam Iulius Cæſar Pompeio pugnâ Pharſalicâ abſtulit, nauis dumetis conſita inuenta eſt, in qua omne genus arborum pomiferarum, pendente è ramis fructu. Triremem Lucullus tantæ vaſtitatis extruxit, vt in ea velut in Circo, aut Arena, venationes fierent. Dionyſius tyrannus cùm Siciliam fugeret, naui DC. M. hominum capace exceptus eſt. Genus liburnæ, quam ſex boues agunt, volubilitate rotarum nauis lateribus impactarum, fluctúſque, ſeu remis verberantium, vt miraculoſum prorſus, hîc adſcripſi oculis curioſorum perluſtrandum. Eius vſum in mari fuiſſe multi negant, niſi circa littora, in lacubus verò & fluuis maxime opportunum.

Girald. lib. de nauigiis.

E lib anonymo, vtriuſque Imperij Notitia addito.

Iam



Giral. de nau. c. 18. Iul. Poll Dict. l. 1. & alij Vuolfgang. Lazius. Comment. Reip. Rom. l. 6. c. 8.

Iam quæ ad onus aut bella, priſcis nauigia in mari fuerunt, ordine alphabetico expediam. ACATVS dictus, quòd circa littora feratur: idem genus nauigij putantur, actos, epactis, porthmis, & carabus. Ab acato diminutiuum formatur ACATION, quod actuarium nauigium fuit: piſcatoriam nauem putat Suidas: Amphericon Thucydides vocat. Sed & ACTVARIÆ naues celeres dicuntur, quòd remis agantur: vel ſi placet, velis ſimul & remis: Fuſtas Italicas hodiernas interpretatur Lazius, triremibus, roſtratis, & tectis nauibus minores: maiores autem tabellariis, curſoriis, cuſtodiariis, & ſpeculatoriis. Harum vaſtiſſima xxx. remis acta. * Liuius, inter pacis conditiones cum Antiocho iſtud ponit. Vt traderet naues armamentáque earum, néve plures quàm decem Actuarias haberet, quarum nulla pluſquam xxx. remis ageretur. ALVEVS aliquandò pro nauigio rudi, & ſine arte compacto vſurpatur. AVLONAS, quaſi aulas, ſeu palatia maris Ethicus Hiſter appellauit. AVTOCABDALOS, & AVTOSCHEDIOS nauis à Græcis dicitur, quæ ex tempore conſtructa eſt. BYRSOPAGES nauis è corio compacta: iis nauibus Aſſyrij, Armeníque olim vtebantur, in ſpeciem clypei orbiculatis, non puppi, non prorâ diſcretis, ſalicibus texebantur, crudo corio exteriore

** Lib. 8. Decad. 4.*

teriore parte obducto: mercibus venditis eaſdem complicabant iumentóque imponebant. Iis Britanni quondam vſi:

---qui rei ad miraculum *Feſtus Auienus.*
Nauigia iunctis ſemper aptant pellibus,
Corióque vaſtum ſæpè percurrunt ſalum.

Iis & Veneti.

Vtque habuit ripas Sicoris, campóſque reliquit: *Lucan. Pharſal. 1.*
Primùm cana ſalix madefacto vimine paruam
Texitur in puppim, cæſoque induta iuuenco
Vectoris patiens tumidum ſupereminet amnem.
Sic Venetus ſtagnante Pado, fuſóque Britannus
Nauigat Oceano, ſic cùm tenet omnia Nilus
Conſeritur Bibulâ Memphitis cymba papyro.

CAMERIS XXV. aut XXX. hominum capacibus vſi Heniochi populi & Boſporani, hodiéque etiam Tartari contra Turcas, arctis lateribus, latâ aluo, ſine vinculo æris aut ferri compactis, tumido mari provt fluctibus attolluntur, ſumma nauium tabulis augent, donec in modum tecti claudantur. Sic inter vndas voluuntur, pari vtrinquè prorâ, & mutabili remigio, quando hinc vel inde appellere indiſcretum & innoxium eſt. Reliquæ quoque Euxini & Mæotidis gentes iis nauibus gaudent, quas humeris, finitâ expeditione, in ſyluas portant, ibíque per hyemem habitant, rurſum vbi nauigandi tempus aduenit, deportant in mare. *Strabo lib. 11. Tacit. hiſt. l. 19.* CAMERÆA à Camarâ diuerſa eſt, dicta putatur, quòd camelorum more in medio curuo colcherio, quaſi cameli gibbum, feneſtras, obliquas & modicas ad ventorum receptacula haberet. CATAPHRACTARVM nauium apud vtriuſque linguæ authores crebra mentio: ita verò appellantur, quæ in prœliis naualibus obteguntur, armantúrque ne facilè ab hoſte minuantur. Tectas Latini vocant, & conſtratas. Hoc nauium genere primos mortalium Rhodios vſos fuiſſe legimus. CANTHARVS de vaſis formâ nomen ſortitur, Naxiurgem, quòd in Naxo Inſulâ hoc nauis genus fabricatum ſit, dictum, Suidas putat. CHALCEMBOLON nauigium vocant Græci, cuius æratum ſit roſtrum. CATAPLVS Genus nauigij mercatorij. CAPVLICÆ, vel Caupulicæ à capiendo denominatæ. CELOX nauigium breue dictum à celeritate, Celeten Græci vocant, nos *Brigantin.* A concauitate, & ventre appellatum putat Lazius, confunditque cum piraticâ, prædatoriâ, & actuariâ naui. CERCVRVS nauis eſt Aſiana prægrandis, à Corcyreis inuenta, dictáque Cercyra. CATASCOPIVM nauigium ſpeculatorium, ſiue exploratorium. CORBITA à corbe dicta, quæ in ſummo mali eſt, tarda, & grandis. COMISTICA nauigia à Græcis vocantur, in quibus hoſtium ſpolia deportantur. CHOLONES naues ſunt miræ magnitudinis velociſſimæ. CYBÆA triremis magnitu-

dine, ornata, & pulcherrima. DICROTÆ, & dicrota biremes, δίκροτα, ſunt qui eas interprætantur naues quæ duobus gubernaculis à prorâ pariter & puppi reguntur. DROMONES ad frumenta deuehenda. Iſidorus tamen longas naues vocat, quæ quoniam fugæ curſuíque aptiores ſunt, ἀπὸ τοῦ δρόμου dictæ videntur: curſorias interpretarer. GERARIA eadem eſſe videtur quæ mercatoria, & oneraria. GAVLVS nauigium rotundum. HEMIOLVS, vel Hemiolia, cum biremi confunditur, piratica nauis. HIBERIOTA, nauis longa & arcta, ab Iberis Scythicis inuenta. HIPPAGINES naues ſunt conuehendis equis aptæ, Hippophoras Herodotus vocat. HEPTEREM Græci, Septiremem Latinorum appellant. IVLOPEZA quæ fuerit nondum reperi. LAMIAS naues longas à velocitate nomen ſortitas multi produnt. LIBVRNÆ mercatoriæ naues, à Liburnis ſinui Adriaco incumbentibus populis: prædatorias, roſtratas, robuſtas, & contectas Suidas putat. MARPLACIDAS, ſiue mariplacidas, Siculi inuenerũt. MVSCVLVM recuruum nauigium: MELIACVM verò rimarum plenum multi credunt, MYOPARO piratarum nauis eſt, ſicut & Paro: illius forma mixta erat è naue onerariâ, & longâ triremi: Galeones noſtros Baifiús exiſtimauit. NAVSVS Gallicum olim nauigium. ONERARIÆ φορτηγοὶ, φορταγωγοὶ, & φορτίδες Græcis, tardæ naues, quales frumentariæ, & annotinæ: Thucidides ὁλκάδας vocat, nos, *des Oulques*. Inter has & OPITAGOGÆ, paratæ ad vehendos milites armatos: & Caudicæ, quibus etiam commeatus ſubuehebatur, dictæ, à plurium tabularum contextu, caudex enim idem eſt, cum tabulâ. OCYALVS nauigij celocis nomen, ſicut & OXIA. ORTHOCRÆRVS rectas habebat antennas. PENTECONTERVS nauis L. remigum. PHASELVS nauigium Campanum. PHYLACIDES ad præſidia & cuſtodiam naues miſſæ. PIRATICÆ, & Prędatoriæ confunduntur. PRISTIS à ſecandis fluctibus nominatur. PONTONES Gallicas naues Cæſar appellat, Pontonia Iſidorus dicit. Quidam naues interprætantur traiiciendis amnibus aptas: πόρια dicuntur Diodoro, naues ad tranſportandum militem fabricatæ. PRÆTORIAM hodie Capitaneam vocamus, Græci ναυαρχίδα quæ & turrita, in quâ totius claſſis Præfectus, ſiue Prætor manebat, cæteris, velo, roſtris, turribus, atque habitatione, munitior, atque ornatior. In eâ tria lumina de nocte in trullis ferreis accendebantur. Fuerunt & aliæ naues turritæ, è quibus in ipſos maritimarum vrbium muros antiqui irruperunt, turribus impoſitis tribus nauibus inter ſe connexis, & propugnaculis mœnibúſque hoſtium admotis, iniectis ponticulis, quo via in oppugnatam ſiue, vrbem, ſiue arcem eſſet. PROPLVS actuarij genus fuit nauigij: ſpeculatorij verò PROSVMIA. Iſidorus genus nauiculæ Syriacæ PORTEMIAM ſcribit, à portando vocatam, latam, & ſine carinâ. ROSTRATÆ, quæ & apertæ,

Ammian. l. 2. hiſt. Harum figuram ponit Stevvechius Comment. in Vegetium.

tæ,æratæ atque cataphractæ, quòd ferro probè munitæ, vt cataphractæ portæ,& ſine tecto ad pugnandum accommodatæ. SAMÆNA eadem cum biremi putatur, rotunda,& concaua: Samiam aliqui autumant. SCHEDIA genus nauigij inconditum,factum è trabibus, ξυληγοὶ Græcis, rates Latinis, & Subliciæ naues, ni fallor vocatæ: STLATVM verò latum magis quàm altum. SYNEDRIA genus nauis videtur ſpaciandi causâ factum, & vndique ſedilibus ſparſum. STRONGYLON rotunda nauis eſt ad onera. THALAMECÆ ad belli aliarúmque rerum pompâm,proris,puppibúſque deauratis. THEORIS, quâ legati ab Athenienſibus ex voto Theſei quotannis in Delum Inſulam ad ſacra facienda mittebantur, & ad oraculum ſcitandum de patriâ, de peregrinatione, de ſacris certaminibus, bellis quoque & adminiſtratione Reip. TRIERIM antiqui vocauerũt nauim fabricatam è materiâ trium triremium; ſed verius eſt,eandem fuiſſe cum triremi. TABRICA,quæ & Trabaria, quòd è trabibus compacta. TRAMPIS barbarum nauigium acantho ſimile. TYPHYS in formam Argus fabricata, cuius Typhis fabricator fuerat. VAGIONES nauiculæ miro artificio factæ ex tabellis tenuibus leuigatis, dolariſque, æreis laminibus coniunctis: dictæ quaſi vagantes. Fuerunt & alia nauium nomina, qualia Silphæ,Cydali,Ampheres,Ancyromagi,Mimottauia, Sujones, mutabili nauigio,biniſq; proris,paratam appulſui frontem habentes, à Suionibus populis inferioris Germaniæ authoribus nomen ſortitæ. Fuerunt & Tutritæ, harum figura videtur in numis Goltzij,in Iulio Cæſare,numo LI. Item & in numis Auguſti Pag.XXX. TECTÆ à Thaſiis inuentæ, inter longas naues numeratæ,Conſtratæ etiam vocantur. Sed & inter LONGAS NAVES recenſentur,Liburnicæ,biremes,triremes,atque hæ omnes quæ remis aguntur. Sunt qui Liburnicas & Biremes idem putent, hodie Iſtris Dalmatiſque familiares. Quonam in genere nauium Epibates, ſiue Epibades ponantur, adhuc in incerto eſt, conſtat, vectoria,ſiue tranſportaria nauigia fuiſſe.

Cornel. Tacit. De morib. Germanor.

L. Debet. §. Has actio. D. Nautæ. Caup. ſtabul.

CAPVT VLTIMVM.

De piſcatoriis, fluuiatilibus, & reliquo genere nauigiorum, eorum maximè quibus diuerſæ nationes hodie vtuntur.

HVC quoque & minoris æſtimationis nauigia memoranda ſunt, quæ ad importandas exportandáſque in terram, vel claſſem merces, viros, annonam, aquam, & arma idonea, ad hoc opus noſtrum pertinent: inter quas numerantur naues tabellariæ, curſoriæ, cuſtodiariæ, & ſpeculatoriæ. Sunt autem Tabellariæ quibus per tabulas, hoc eſt, literas, aliquid vrgens ſignificabatur, ob velocitatem nauigij. Curſoriæ, quæ & Dromones, & Luſoriæ, & Synedriæ, ad curſus expeditæ. Cuſtodiariæ ad excubias maritimas comparatæ. Quibus ſimiles Speculatoriæ, quæ præmittuntur, ad hoſtilem claſſem detegendam: huius generis celebrabantur olim Cattæ, à figurâ animalis, quæ & Cataſcopia, qualia Aphractæ Rhodiorum, & Dicrotæ Mitylenorum. De Proſumiis, quæ inter Speculatorias cenſentur, meminit Plautus in Amphytrione. Sequuntur Oriæ, ſiue Oriolæ naues piſcatoriæ, inter ſcaphas poſitæ. Scaphæ, ἀπὸ τοῦ σκάπτειν, nauiculæ ex vnicâ arbore excauatæ: alio nomine, Μονόξυλα à Grçcis dicuntur. Apud Poëtas tamen & hiſtoricos pro quouis nauigiolo ſcapha vſurpatur. Iidem Grçci ἐφόλκια vocant cymbas, quæ homines in claſſem deuehunt: ῥάπτα, ἀπὸ τοῦ ῥάπτειν, naues ſutiles, ſiue plicatiles, quales Æthiopum: Schedias, rates Latini vocant, & tumultuarias. Scaphas teſtaceas Ægyptus olim habuit: Matteas quoque, hoc eſt, iunceas, & ſparteas: item & ex papyro. Barcarum nomen etiam & hodie apud nos viuit. Iis commercia nauium ad littus portantur: has nauis in nauigatione propter nimias vndas ſuo ſuſcipit gremio, vbi portus tenetur, reddunt vicem naui, quam onere leuant. Canoë hodie apud Indos ex vnico arboris trunco trium hominum capax. Epactroceles apud antiquos nauigiolum fuit prædatorium. Cymbam Phœnices inuenêre, parua eſt nauicula in medio latior. Iſidorus eaſdem eſſe exiſtimat, lembum, cymbam, & caupulum. Halias nauis eſt maritima, ab ipſo, vt liquet, mari appellata, ſcapha ſcilicet. Horia nauis dicitur piſcatoria, quæ & horiola, & lenunculus. Actuariolum x. remis agebatur, radebátque littora. Inter piſcatorias naues aliqui lembum reponunt, Cyrenenſium inuentio: δρομώνα Græci vocant. Lintres fluuiatiles Danubij accolæ repererunt, caupulóſque appellauerunt ex integris arboribus cauatas.

Confun

Confundunt eas multi cum carabo, & carabione. Pacton ſcaphæ genus ex virgis ita compoſitum, vt textile quiddam videatur, quale apud Babylonios bitumine illinitur. Aquariæ naues ſunt apud Venetos quibus aqua importatur venditúrque ciſternas non habentibus, *burchi de aqua* vocant. Habent & lignarias, arenarias, lutarias, farinarias, quibus lignum, arenam, lutum, & farinam portant. Sunt & palearum, & carbonariæ, aliáque apud eoſdem nauigiorum genera infinita, penè vno gondolarum nomine comprehenſa. Nos * chalupas habemus, pontones, & alias ſcaphas, ob id dictas, quòd cum planâ carinâ ſint, radunt aquas, quibus adde tranſmittendis fluminibus aptatas, trauerſieros dicimus: adde & currus, ob id quòd currere videantur deſtinatæ ad certum iter. Apud Turcas cymbæ genus * Cahica: Amurathes Turcarum Imp. proclamatus, ann. MDCXXIII. ex conſuetudine inueteratâ, cùm ſumpturus eſſet acinacem in Mequitâ ſuburbij Paſſari, è manu Magni Turcarum Pontificis, Muftim vocant, ab vrbe Conſtantinopolitanâ exiuit, cahicâ vectus, cuius puppis laminibus aureis & argenteis diſcriminata, gemmis lapilliſque certo ordine diſpoſitis fulgebat, prorâ verò ſpeculis, radios Solis acceptos repercutientibus, ſmaragdi, & rubræ igneæque gemmæ internitebant. Hæc ad oſtentationem, ſicut & Caraca Melitenſis, ſed alio modo: opulentia illam commendauit, iſtam ſua moles. Quatuor illi tabulata erant, ne per rimas fluctus aut pluuiæ intrarent, plumbeæ atque ęreæ laminæ commixturis impoſitæ impediebant. Ibi ſacellum, armamentarium, cubiculi plures, triclinium, furni, molendini, porticus, fabrica ferraria, horti. Pręcipui mali craſſitudo vlnarum XII. Intus & foris variæ picturæ. Ioannes Omedes Magnus Melitenſis Ordinis Magiſtęr eam exarmari iuſſit, quòd in eâ Melitenſes ſibi in Inſulam aduentanti, ex more antiquo, obuiam non fuiſſent. Magnæ ęſtimationis ſunt, Sexremis Hiſpanica, quam Nauiam appellant: Tartanæ, Fuſtæ, Brigantini, Pinacæ, Carauellæ, quibus quatuor mali ſunt, Luſitanorum opus: Aſſabræ, aliàs Zabræ, Galeaſſæ, ſiue Galeacæ, & Gatæ, centiremes: Galiones, Patacæ, Vrcæ, Rambergæ Angliæ, Flibotij Batauici, Lahudæ Luſitanicæ octiremes, & alia nauigiorum genera infinita. Commendatiores, quæ rarius videntur, gentibus vltra Orbem antiquum poſitis vſitatæ, aut non ita pridem inuentæ: quales ſunt in mari Rubro Æthiopico, Perſico, Indico, Sinenſi, & Americano, Zambuchi, Ciampanę, *Paraoſi, Cathurſi, Porcai, Malabarum Paiares, Iunci Sinenſes ad negociationes & bella, ſicut & Lanteæ, ſiue Lanteaæ, quæ octo remis aguntur, & Bancoæ, quæ quatuor: pręterea Baloni, Panouræ triremibus ſimiles, ſi ad Sinarum Regem pertineant picturis & auro ornatæ, ſi ad alios, magnis retiis à puppi ad proram tectæ, anſeribus velut in

Vide Lipſ. Elector. lib. 1. cap. 7.

* *Chaloupes, radeaux, trauerſiers, coches.*

* *Cahic.*

Paraos *Indi, ſicut Cathurſi*, Cature.

caueâ continendis, nutriendis, & fouendis, donec vendantur. Remos quoq; habent Ianleæ, Laulerſi, Ioangæ, aliàs Iengæ, Funcæ, Balones, Lanchares Indicæ, Calaluces, Vancoes, ſiue Vancones, Paraones piratici Malabarum lembi, phaſelorum in formam conſtructi. Inter cymbas numerantur Baloes, Champanæ, Caturi, Pangaij Moſambici, Iangades, Lorchæ, Manchuæ, Almadiæ, Tones, Paleguæ. Tam Carauellarum in ſpeciem formati Iurupangones, Geluæque, & Terradæ, quibus Turcæ hodie per Arabicum ſinum & Rubrum mare nauigant. Dictorum nauigiorum exemplaria aliquot huc tranſcripſi, ad faciliorem intelligentiam, diuerſis tabulis inſerta. In primâ Tabulâ duarum nauium typus eſt, Iaponenſis, & Sinenſis. Iaponenſis, ligneis anchoris veliſque arundine contextis & tribus malis conſtat, prorâ latâ leniter contumaciam fluctuum elidit, funes è paleâ, vel tilia ſunt. Præter gubernaculum, quod puppi additur, duo alia habet, vnum à dextris, alterum à ſiniſtris puppis, in remorum formam: *Champan* appellant Iaponenſes. Sinenſis, picta atque vncta eſt cuiuſdam arboris lucente ſucco, quem *vernis* dicimus, is inſtar picis nullum humorem admittit. Nauim eam incolæ *Charan* vocant.




In Tabulà ſecundâ quatuor nauigia ſunt, quibus Indi etiam Orientales vtuntur. *A*, Litera piſcatoriam nauim deſignat, ex vno arboris trunco cauatam, Almadiam vocant. Si profundo mergatur, natando & ſubeundo aquas eam ſurſum trahunt, aptántque iterum nauigationi. Vno gubernaculo, remis duobus regitur. Aliquando ſola fluctus ſecat, aliquando cymbulæ applicatur, quæ geminis è ferro virgis ad admadiæ latus retenta, cogitur ſequi tunſis impulſam. Ea cymbulâ aquâ plenâ, capti piſces ſeruantur, multis ſupra foraminibus aëra admittentibus. *B* veliferam eorumdem almadiam notat. * *C* Fluuiatilem Sinenſium, cuius puppis ſępenumero in cornua duo finditur, medium tecta, in quo nobiliores epulantur ludúntque & cantant, *Tonem* appellant, de nomine arboris è cuius vnico trunco conſtat: ſicut & palegua ſub litera *D* annotata. Iſta duobus remis vno gubernaculo mouetur, illa longâ perticâ, vel vno remo.

* *Eſt ſimile penè huic nauigium in Oliuieri Nortij nauigationibus,* Pag. 50. *Editionis Amſtelodamenſis, Ann.* 1610. *quo Rex Inſulæ à* Borneo *vtitur, niſi quòd decem remis agitur, & prora duabus machinis bellicis armatur. Malus abſque velo in vexillo habet Regis inſigne.*



Tabula

Tabula tertia Piraticam Malabarum deſcribit.




Tabula quarta tria nauigia figurat, illo, quod maius eſt ceteris, Bantami ad bellum nauale vtuntur *Caturs* vocant. Supra tabulatum miles armatus proſtat, ſub eo remiges, & qui machinas bellicas curant. Vnum illis velum xilineum, vnus malus. Authores eius putantur Magnæ Iauæ incolæ, quorum altera ſpecies nauigij hîc depingitur, quo mercatores, occupatâ antea nauigandi tempeſtate, ad transfretando mari vtuntur, *Joncos* vocant. Tectæ nauis ſpecies eſt, duobus temonibus gubernata. Iidem Iauæ Batamíque incolæ, prçcurſoriis cymbis vtuntur, luſtrando mari & littoribus, piratis, hoſtibúſque detegendis. Gemino, vt ceteræ, temone ducuntur, agiles ad bellum, remis quatuor versùs proram vrgentibus mare. Inter puppim & malum tectum porrigitur, ſub quo latitant nauigantes, vnum illis velum, herbis, foliis, arundinibúſque interſertis formatum. Huic cymbæ nomen *Paraos*. Funes è iunco & corticibus arborem tiliæ ſimilium, quibus Euſtathius in lib.2.Homericæ Odyſſeæ, ante bellum

lum Troianum, antiquos, rudentes, ait, confeciſſe: vbi corticem tiliæ philyram vocat, ſicut & tiliam philyram Plinius lib. 16. Naturar. hiſtoriar.




Sequitur in quintâ Tabulâ miræ nauis effigies, *Carcolam* alij, alij *Coracoram* nuncupant, velociſſima omnium triremium, & ideò ad bellum nauale vtiliſſima, inuentum Inſulanorum, qui Bandam habitant. Vt in præcedenti Caturſo, inſiſtunt alto tabulato armati, ſub quo & alij milites. A latere vtroque nauis gemini remigum ordines in aſſeribus collocati, quos per foramina tranſmiſſi funes tignis alligant. Sic extra nauim, ſeu alis volucres, ita remis totum corpus nauigij mouetur, ſine velis, vnico gubernaculo à læuâ puppis. Si rimæ appareant, eas putaminibus nucum Indicarum, quas *Clappos* vocant, calci mixtis, obducunt, quæ deinde materia non aqua reſoluitur, non motu excutitur, certo glutino illita. Iis Carcolis, Ternatenſes etiam naui-

gant: tribus aliquando tabulatis, è iunco factis, quarum effigies videntur lib. nauigationum Iacobi Cornelij Nec, *Pag.* 20. Amſtelodami, typis Cornelij Nicolai, Ann. 1609.



Sexta

Sexta Tabula cymbas tres oſtentat, quibus incolæ Guineæ, ad Æthiopicum Oceanum versùs Æquatorem ſitæ, maria littoribus vicina, ad permutationem mercium, tranſcurrunt: vno nomine, *Canoes* vocantur.



Septima Tabula genus nauigij figurat, in Inſulis Cocorum & Proditorum vſitati. Canoës duæ fundamentum totius ſtructuræ conficiunt, ſuper quas tabulatum extenditur, in cuius medio cellula eſt fœminis puerîſque recipiendis. Vnus illi malus, vnica antenna. Diuiduntur Canoës, quæ tabulatum ſuſtinent, tranſuerſalibus trabibus affixæ, pedúmque decem ſpatium inter ſe relinquunt. Cellula iunceo panno ſuperſternitur, velum quoque & funes è iunco ſunt, variis coloribus picti.



Mirum

Mirum & aliis lembis vno arbotis trunco cauatis, eandem appellationem eſſe in Occidentali Indiâ, ſiue Americâ, quas tamen & alio vocabulo indigetant Mexicani, eas *Acalles* vocando, quo nomine domus aquatiles ſignificant. Sunt & dictis Orientis populis alia nauigia, iutupangæ carauellis ſimiles: lanteæ, fuſtis: panuræ, cameris: gabaræ, phaſelis. Guedeæ & lanleæ temis aguntur. Moſambici Pangaiis, Malabares, Pairaos, Bengalenſes, * coſſis & zoenſibus vtuntur. Adeo diuerſis tumulis incluſi properamus ad tumulum, mortémque non expectamus, ſed quærimus, vt ea quæ oculis noſtris Natura ſubtraxit, videamus, occupemus, & fruamur occupatis. Vt totum genus hominum, quocunque habitat, in Orbe velut in vrbe incluſum, iungamus commerciis. Sicut enim mare terras penetrando, ipſum cùm ſit nauigabile, nauigabilia quoque flumina producit, cunctáque ſoli omnium pater irrigat, facítque communia, oblatâ nauigandi poteſtate: tecteat ſolum humido liquore, pabulúmque præbet animantibus: ſic nauigatio per omnes Vniuerſi partes aditum mortalibus faciendo, cunctas gentes cœlo, ſolo, moribus diſſitas, velut humore quodam radicali copulat inuicem, ſolidámque ſocietatem inter homines facit, artes, labores, induſtriam, bona denique communia reddit: ſocordiam, otium, & voluptates tollit, dat diuitias, corpotáque atque animos periculorum contemptores, laboribus induratos, in Regnorum munimentum nutrit. Affinitates denique, concordiam, pacem, abundantiam bonam fortunam, & victorias procurat, facítque illud maximè humano generi optandum, vt nullibi terrarum exilium ſit, poſtquam omnis Orbis communis omnium factus eſt patria. Hinc antiqui Venerem connubiorum, affinitatum & amicitiæ Deam è mari natam finxerunt, conchámque illi nauis loco, ceſtum pro velo, adtemigante cupidine dederunt. Quod & pictores, metallarij, lapidatiíque ſequuti ſunt, ſtantem eam figurantes, dexterâ temonem tegentem, ſiniſtrâ cornucopiæ ferentem, Amore colludente. Similiter Concordiam, Pacem, Abundantiam, Bonam Fortunam, & Victoriam, pinxerunt, cuſerunt, ſculpſerunt, & ſcalpſerunt, cum dictis, temone, & cornucopiæ, additis aliquando ramis oleæ, & lauri, vel pro cornucopiæ ariſtis ſuppoſitis.

* *Coſſes & zoens*

Vide Comment. mea in 4. Faſtor. Ouidij ſub initio. Sic inciſa eſt apud Gorlaum in Onyce, quæ Gemmarum num. 32. reponitur in eius dactylıotheca. Item num. 18. in Achate, in Onyce, 156. In Sarda, num. 102. & 54.

* * *

F I N I S.

Errata ſic corrige.

P*Agina 4 linea* 10.*pro* Rhodis,*lege* Rhodiis. *Ibidem linea vltima,lege* Pentecontoron. *pag.* 10.*lin.*7.*lege* ſulcandóque. *pag.*12.*lin* 4.Cherroneſum. *ibid.lin* 8 Scyro. *pag.*14. *lin.*6. *pro* neque, *lege*,vſqne. *pag.*15.*lin.penult.*ſtrepitu. *pag.*22.*lin.*5.Peloponneſiacum. *ibid lin.*17.Samias. *pag* 24. *lin.*33.Peloponneſij. *pag.*27. *lin.*31. *pro* plebeios, *lege*,plebeins. *pag.*40. *lin.*20.Pharnabazum. *pag.*56.*lin.*1.Cauſa. *pag.*57. *lin.*13.Quindecimremem. *pag.*85.*lin.*41.Auxiliis. *pag.*90.*lin.*22.viridémque. *pag* 91.*lin.*39.*pro* alios,*lege*,aliss. *pag.*93. *lin.*10.victúſqne. *pag.*115. *lin.*33.Prætoriana. *ibid lin.*42 ambóque. *pag.*138. *lin.*35.ἀκρωτήριον. *pag.*146. *lin.*12.neceſſitas. *pag* 154. *lin* 21. *pro* auium,*lege*, nauium. *pag.*165.*in margine, equeſtris.* *pag.*170. *in fine linea* 19. *&* *initio lin.*20. mari. *pag.*172. *lin.*34.gubernaeulum. *pag.*173. *lin.*2.tria. *pag.*179.*lin.*7.Agrippam. *pag.*181. *lin.*41. *pro* donauit, *lege*, dedit. *pag.*184. *lin.*31.Prætoria. *pag.*215. *lin.*43.Extollis. *pag.*221. *lin.*19.Soccorum. *ibid. lin.*21.*deme*,Cantabria. *pag* 226. *lin.*18.Auaticorum. *pag.*238. *lin.*12.Pauſaniæ. *pag.*251.*lin.*3.promonioriorum. *pag.*253. *lin.*34. *lege*,alteram trianguli partem. *pag.*267. *lin.*42.Myrtoum. *pag.*276. *lin.*13. Cetera. *pag.*312. *lin.*13.Confinio. *pag.*326.*lin.*31.Septam. *pag.*331.*lin.*30.*deme*,quibus patuit. *pag.*355. *lin.*12.*lege*,inulti. *pag.*357. *lin.vlt.*memorabimus. *pag.*368. *lin.*22. *poſt* omnium, *adde*, Amiralius. *ibid.lin.*36. *lege*,volúmque. *pag.*366. *lin.*4.Ioannes. *pag.*384. *lin.vlt.*Franciæ. *pag.*398.*lin.*37.Aeta. *pag* 400.*lin.*28.Britanniâ. *pag.*406.*lin.*8.Amirallo. *pag.*420. *in fine lin.*20.*&* *initio lin.*21.*lege*,Fœderati. *pag.*429.*lin.*38.Suecica. *pag.*436.*in lineis* 5. *&* 6. *deme*, victores Danorum mox. *ibid. lin.*28. *lege*, celebri. *Item lin.* 33. Lubicam. *pag.*459.*lin.*25.*poſt* clientelam,*adde*,ob. *pag.*460.*lin.*14.Ducis. *pag.*463 *lin.*9.*poſt* maritima, *adde*, &c. *pag.*468. *lin.*6. deſponſatio. *pag.*481. *lin.*22.cæſos. *pag.*483.*lin.*6.ſeruandum. *pag.*489.*lin.*14.regnandi. *pag.*484.*in margine*,Ann.1511.1516. *pag.*497.*lin.*6. Calecutianorum. *pag.*503. *lin.*9.*pro* eis,*lege*,vltra. *pag.*525. *lin.*4.barbarorúmque. *pagin.*537.*lin.*34.faſtigiatam. *pag.*568.*lin.*8.Arabiæ. *pag.*575 *lin.*3.totam. *pag.*594.*lin.*25. appellant. *pag.*600.*lin.*32.pelagus. *pag* 603.*lin.*4. poſt aliis,*lege*,Valdiuia. *pag.*604. *linea* 21,*deme*, ſtrictiori.

INDEX

INDEX
RERVM ET VERBORVM IN HOC OPERE MEMORABILIVM.

A.

ABERA vrbs à quibus condita. *Pag.* 265
Abſyrtides Inſulæ vnde dictæ. 2
Abyla. 285
Acata nauis ſpecies. 327
Acation veli genus. 695. Et nauigij 712
Achaïæ denominatio. 8 Deſcriptio. 266
Prouincia Pop.Rom. 128
Acheruſia ſpecus. 309
Achillis tumulus. 311
Acmodæ Inſulæ. 255
Actium nauale. 156
Actiaca pugna: Auguria eam pugnam præcedentia. Actio Apollini naues conſecratæ, ludíque facti, qui Actiaci dicti ſunt. 117.118.119.166.274
Actuariæ naues, quæ. 712
Acus marinæ inuentum, eiúſque vſus. 489. 649 Eius conficiendæ ratio ſine magnete: & vnde magnes 631.652
Acuum promontorium. 580
Adherbal P.Claudium claſſe vincit. 70
Adulicus ſinus cum vrbe. 290
Aloiſij Cadamuſti nauigationes. 489
Africæ littoralia, *à pag.* 279. *ad pag.* 288
Æa vrbs, quæ & Dioſcurias. 307
Ægeum pelagus vnde dictum. 13.311.
In Turcarum dominio eſſe. 469
Ægeæ vrbis appellatio vnde. 47
Ægis Inſula. 278
Æguſa Inſula. 69
Ægyptus Prouincia facta. 120. 131. Ibi nunquam pluit. 64
Æmilius Paulus de Perſeo & Macedoniâ triumphat. 86
Æneæ nauigationes. 13
Æoliarum Inſularum appellatio. 5.249
Æolus marinæ chartæ author, magnúſque nauta. 12
Æſtus maritimi diuerſitas, & ratio. 655.656 657.658.660.661
Æſtus vbi nulli, aut ab aliis diuerſi, eorúmque cauſæ. 664.665
Aex Inſula vnde nomen Ægeo mari. 263
Afernella nauis longæ nomen. 550
Africa P.Rom. Prouincia. 129 Eius littoralia antiquis cognita. 282.283 iiſdémque cognita quidem, ſed ſine nomine & deſcriptione, cum Inſulis adiacentibus. 579.580.581.628.629
Africana claſſis. 145.148
Agatoclis geſta. 61.& 62
Agea in triremi quid. 705
Aggeris in mare faciendi, ſtabiliendíque ratio. 50
Ageſilai geſta. 45.46
Agiſandridas Athenienſes mari vincit. 39
Agrigentum. 246
Aiax vbi ſepultus. 311
Alarici Regis geſta. 329
Albania. 305
Alboini Longobardorum Regis geſta. 329. 330
Albuquerci geſta. 493.494
Alcibiadis geſta. 38.39 Eius in vrbem reditus. 40
Alcionei dies. 641
Alexandriæ conditores. 280
Alexandri Magni res mari geſtæ. Diis in ipſa claſſe ſacrificat. 48 Tyrum obſidet, 49.50. 51. Capit. 52. Inſulas quoque omnes inter Achaiam atque Aſiam. 53. Alexandriam in Ægypto condit, Aras ad Hypalim fluuium monumentum expeditionis excitat. Nicæam & Bucephalon oppida conſtruit. ibid. Periclitatur cum ſuis in Indo flumine ob maris æſtum. 54 Maris & locorum Diis ſacrificat. Barcen ædificat. Nearchum, & Oneſicritum cum claſſe mittit, ad nouas terras inquirendas. Aras in Inſula erigit, metámque dominationis ſuæ conſtituit. Mox veneno tollitur. 55
Alexandrina claſſis. 145.147

Almadia

Index rerum

Almadia nauis. 719

Amazonium in Attica. 6

Amazonum Imperium maritimum, & Coloniæ. 6

Amazones in Suecia. 427

Ambracius ſinus cum vrbe. 274

Americæ Septentrionalis littoralia, *à pagina* 592. *ad pag.* 599 Inſulæ circa eam. 599. 600. 601

Americæ Meridionalis littoralis deſcriptio, & menſuratio. *à pag* 601. *ad pag.* 609 Inſulæ circa eam. *à pag.* 609. *ad pag.* 612

Amiralij Angliæ. 443. 444. 445. 446

Amiralius Baltici maris. 437

Amiralios per Britannicum mare à Duce Armoricanæ creatus. 401

Amiralij nominis origo. 332. 363. 364.

Ameralij, iidem cum Ameraliis, & Amirantibus 332. 349. 350 Quando in Galliis inceperint, & deſierint, quid ab vnoquoq; claſſe geſtum, *à pag.* 358. *ad pag.* 380 Amiralatus officium temporarium, mox ad vitam conceſſum. 363 Plures vno tempore in Galliis. 364. 365. 386 Mox vnus inſtitutus, ſub quo Vice-amiralius, ſiue Vicarius Orientis. 367. 385 cui & annexa fuit Magni Prouinciæ Seneſcali iuriſdictio, aliquando etiam ſeparata, ſub nomine Generalis triremium. 386 Vbi de ſingulorum Amiralium iuriſdictione, *ad pag.* 393 Amiralatus iure etiam priuati in Galliis vſi. 387 In aliis quoque terris. 469

Amiralatus inſignia, & dignitas. 372 Iura. 467

Amſterodamum. 616

Anatolia Turcia dicta. 565

Anconitanum portum Traianus ſtruxit. 124

Ancona quibus fondata. 241

Andegauenſium pelago geſta. 304. 305. 306

Andreæ Doriæ res pelago geſtæ. 367. 368

Aodros Inſula. 268

Anglorum nauigationes. 445. 446 Eorumdem marinum dominium legitimum. 463

Angliæ denominatio. 453 Anglorum in Britanniâ Inſulâ, geſta, Reges, déque eorum Imperio maritimo, *à pag.* 441. *ad pag.* 463 A Gallis, Saxonibus, Anglis, Danis, & Normannis occupatur Anglia. Bella inter Anglos & Gallos. 442. 443. 444 Angliæ ambitus. 632

Annibal nauta inſignis. 68. 69

Annibal Imp. in exitium Rom. iurat. Eius geſta. 79. *&c.* Inſidias Romanorum vitat. 83 Antiocho coniungitur: à Cn. Liuio claſſe ſuperatur. 84 Moritur veneno. 85 Eius ſepulchrum. 310

Anian fretum & Regnum. 583. 593

Annonæ curatio apud Rom. 148

Antenna. 692 & eius partes. 706

Antigoni rea geſtæ. 56. & 57

Antipater leges dat Athenienſibus. 56

Antium. 234

Antlia exhauriendis aquis. 692

Antonias nomen nauis eximiæ. 118

Antros Inſula. 224

Anzeaticæ vrbes, fœdúſque. 438

Apij corona. 172

Apographum, quid. 154

Apolloniæ vrbis origo. 261

Apollini Actiaci templum & ludi. 119

Apollophanes Cornificium claſſe vincit. 114

Appius Claudius Caudex. 63

Apuliæ. 239. 240

Aquæ Mortuæ oppidum. 563

Aquæ Sextiæ Rom. Colonia. 127. 403

Aquileia. 228

Aquitanica Gallia. 223

Ara victoribus erecta. 175

Arabia Pop. Rom. Prouincia. 133 Arabicus ſinus littoraque Arabiæ cum Inſulis. 291. 292. 293. 294. 296. 612

Aragonenſium res mari geſtæ. *pag.* 404. 405. 406 Deinde *à pag.* 473. *ad pag.* 480.

Archigubernus. 153

Archimedis artes contra Romanos Syracuſas obſidentes. 73

Arcutrij Comitij virtus. 375. 376

Arcus honorarij & triumphales. 177. 181

Arelas. 226

Argaricus ſinus cum vrbe. 299

Argenteus fluuius. 604

Argonautarum expeditio, & nauigationes. 8. & 9

Argos nauis de nomine fabri. 8 Neptuno conſecrata, & collocata in cœlo iuxta Phryxi Arietem. 9. & 10

Argaſini nomen & officium. 158

Ariminum. 241

Armamentum nauale. 137

Armenia P. Rom. Prouincia. 133

Armorum deportatio, aliáque in hoſtis gratiam prohibita. 462

Arnhemium. 616

Aromata emporium. 290

Arſinoë vrbs. 291

Artemiſiæ generoſitas. 18. & 19

Artemon veli & mali genus. 694. 695

Aſelli ſtellæ. 638

Aſia P. Rom. Prouincia. 128

Aſores Inſulæ. 580. 581

Aſphaltites lacus. 676

Aſſabræ nauea. 717

Aſſer naualis. 691. 692

Aſtrologiæ inuentio. 6

Aſtir, quæ nunc Aſtorga. 471. 472

Athenienſium origo. 15 Victoriæ maritimæ in Megarenſes, & Perſas. 16. 17. 18. 19 Imperium eorundem maritimum. 20 Cauſæ belli inter eos & Lacedæmonios, Corinthios. ad Ceriphaleam vincunt. 21 Syracuſanos etiam. 28 Fortunæ culpam in ducibus ſuis puniebant. 29 Toronem capiunt. 30 Syracuſas obſident. 33. 34. 35 Ad extrema ipſi rediguntur. 41 Duces eorum quod ſuorum cadauera non humaſſent capita damnati. 42. 46 Athenæ à Lyſandro

ſandro captæ, diruta mœnia, naues ad tibiam crematæ. 43. Reditus vrbis antiquus ſplendor atque Imperium. 44.45.46. Lacedæmonios mari ſuperant. *ibid.* Eorum claſſes, naualia, magiſtratus claſſici. 151.152
Atticæ littoralia. 267
Athos mons à continenti reſciſſus. 17
Atlantica Inſula. 214
Atlas Minor. 286
Attali Regis geſta. 81.82
Attilæ geſta. 330.331
Aualites ſinus. 290
Auernus lacus. 235
Auguſtus Philippenſi acie victor Sext. Pompeium terrâ marique victum ad fugam cogit, qui Mileti interficitur. Bellum Lucullo infert, hic victus Triumuiratum abdicat. Antonium cum Cleopatra ad Actium vincit. Ægyptum in Prouinciæ formam redigit. *à pag.* 109. *ad pag.* 121
Aulis nauale. 156
Aurum coronarium. 180
Auſtralis Terræ denominationes. 609. 610. cum eius deſcriptione, maximè littorum.
Auſtria in Pannonia I. 341
Axur. 234

B.

BAcaleos Inſula. 597
Bacchi geſta: huic mercaturæ nauigationis & aſtrologiæ, inuentio tribuitur. 6.& 7
Bachu ciuitatis, & maris nomen. 305
Bæticæ deſcriptio littoralis. 218
Baiæ, & ſinus Baianus. 235
Baleares à Romanis terrâ marique vincuntur. 90.91. Prouinciales facti. 127. Eorum Inſulæ. 218
Baloni ſpecies nauigij. 717
Bamba Hiſpaniæ Rex Saracenos mari ſuperat. 332.333
Bannalia, quæ. 465
Barbariæ, ſiue Africæ littoralia. 282.283
Barca & barcarij. 343
Barcino vrbs Hiſpaniæ 220
Baruſſæ Inſulæ, hodie Philippinæ. 301.584
Baſtagæ, & baſtagarij. 341.399
Batauia. 225. Batauorum origo. & commendatio. *ibid.*
Belgica. 224. 225. Eius hodierna diuiſio. 407. Gubernatio Belgij diuerſa. 408.409.411.412
Belitarij geſta. 326.327
Belli denunciandi mos ab Alexandro Magno petitus. 48
Belli euentus in ducibus punitus. 67.70
Bertrandi Gueſclinij mari geſta in Anglos. 364
Bettencurtius Gallus Canariis, ſiue Fortunatis Inſulis imperauit, vrbéſque in iis varias, traductis colonis, extruxit. 384
Bithynia P. Rom. Prouincia. 129.132. Eius littoralia. 309
Bolis, quid. 690
Bombardarum inuentio & vſus. 693. Earumdem varia genera. 694
Bonifacius Pipini Caroli Magni filij legatus Saracenos claſſe victos Sardinia & Corſica eiicit. 335
Boodes Cn. Cornelium Conſ. claſſe ſuperat. 64
Botriquen Inſula 600
Boſpori Thracij littoralia. 309. nauibus ſternitur. 15. Cimmerius. 259.306
Braſiliæ littoralia. 605
Breda cum arce, mira ſtratagemate occupata. 414
Bremenſium nauigationes. 437
Breſçi Marchionis res pelago geſtæ. 377.379.380
Breuiorum, ſiue teſſeratum veniæ obtenſio. 462. Breuia conductionis, ſiue, nobilitates ſuper nauibus. 467
Brigantini nauis ſpecies. 717
Britanniâ Inſulâ Romani eiiciuntur in quorum locum Saxones ſuccedunt. 441. Antea ſub Præfectu Prætorio Galliarum erat. 454
Britannici maris denominatio, & extenſio. 448. Dominium. 462. Inſulæ in eo, & circa Scotiam, in mari Deucaledonio. 620
Britannia Inſula à Iulio Cæſare petita. 98. Gallis colonis olim implera. 100.399. quibus & ſuos reddidit. 449. In Prouinciæ formam redacta. 130. 440 à quibus adminiſtrata. 131. Littoralis ejus deſcriptio. 252. 253.254. Britannorum Armoricorum, qui & Britones, Leti, & Lætani res pelago geſtæ. 400.401
Brundufium nauale Rom. 147.239.240
Bruttij. 237
Brutius Surra Metrophanem Mithridaricæ claſſis Præfectum vincit. 92
Buchardus Amiralius ſub Carolo Magno. 359
Buticcarli, qui. 457
Bukinghamiæ Ducis clades. 373
Burgundionum denominatio. 325.403
Byrſo, ages nauis, quæ. 712
Byſantium, poſtea Conſtantinopolis; déque eius origine & colonis. 262

C.

CÆſarea Inſula. 254. eius ſicut & Sarniæ Aſilum. 458
Caieta cum ſinu. 234
C. Annius Sertorium mari fugat. 93
C. Duillius primus Rom. claſſe vincit. 63.64. Eius triumphus, columna roſtrata, cum ſtatua & aliis priuilegiis. 65.66
C. Lælius Adherbalem Carteiæ in portu vincit. 76
C. Octauius mari vincit. 76
Cahica nauigium. 717
Californiæ littora. 594

Caligulæ ſpolia de Oceano, aggérque ab eo Puteolum inter & Baias erectus. 122
Callicratidæ geſta. 41.42
Calpe & Abyle columnę ab Hercule conſtitutæ in Freto. 16.285
Camarina. 247
Camera geous nauigij, quę & Cameris, alia à Cameræa. 713
Canadæ littoralia. 597.598
Canariæ Inſulæ à Cantabris occupatæ. 478. A Betancurtio Gallo regnatæ. 478
Candia à Saracenis condita, vnde hodie Creta Candia dicitur. 335
Canes ſtipiendiarij. 483
Caninefates populi. 22
Canis, ſiue Hecubæ ſepulchrum. 40
Canoes cymbę deſcriptio & figura. 723. Alio nomine Acalles dicitur. 725
Canopus à quo condita. 12
Cantabria. 121
Cantarus genus nauigij. 713
Cappadocia P.Rom.Prouincia. 132. eius littoralia. 308
Capraria Inſula, in qua vrbs Iuſtinopolis. 277. 278
Capreæ Inſula. 242
Carauella ſpecies nauigij. 490. ſicut & Caraca. 717
Carauſius. 125. Præfectus Britannici maris. 450. 451
Carauenna, quid. 556
Carcheſium, quid. 694
Carcinites ſinus. 259
Carculæ, ſiue coracoræ nauis deſcriptio, & figura. 721
Carmaniæ littora. 296.298
Cartagena Americæ Prouincia. 607
Cartarum geographicarum inuentio. 215.216. 14
Carthaginis origo, ciuiúmque geſta. *à pag.* 58. *ad pag.* 90. vbi eius deſcriptio, obſidio, euerſio, & reſtauratione eius ab Auguſto, qui in eam colonos miſit. 283
Caſpij maris periplus. 304. 305. Vrbes recentiores in littore eius. 614
Caſſiterides Inſulæ Romanis domitæ, 127. 581
Caſſius Dolabellam mari fugat, Rhodúmque capit. 110
Ciſtellodranum oppidum. 621
Caſtellæ Regum origo. 472.473. Caſtellanorum nauigationes in Guineam, & Occidentalem Indiam. *à pag* 480. *ad pag.* 487.
Caſtellæ auriferæ deſcriptio. 602
Caſteria in naui. 706
Caſtores nauigantium Dij 8
Catalania vnde dicta. 328. Olim Laletania. 353. Gallico Imperio reddita. 378
Catalus genus nauigij. 713
Cataphractæ naues. 713.714.715
Cataracti pontes. 692
Cataſcopium ſpeculatorum nauigium. 713
Cattæ naues. 716
Cattigara ſtatio. 583
Catuiſi nauigij ſpecies, eiúſque deſcriptio. 717.720
Cauchi populi. 225.258
Caulodicæ. 153
Caulonia. 238
Celeuſtes in naui, quis. 153
Celox nauigium quod. 713
Celtica Gallia. 224
Cenchreæ. 270
Centenarius portus, quis. 339
Centonarij, qui. 154. 155. Eorum collegia & patroni. 343.344
Cephalenia Inſula. 275
Cercurus nauis. 713
Ceruchi, ſiue cornua. 692
Chalcidis excidium. 90. eius nauale. 156
Charcæ populi. 603
Cheniſcus, quid. 692
Chile Prouincia. 603
Chios Inſula. 268.313
Cholones naues. 713
Chriſtianorum nauale cum Turca certamen ad Naupactum. 541.542
Chriſtophori Columbi nauigationes. 480
Chuchina, vel Cochin Indiæ. 299
Cilicia Pop. Rom. Prouincia. 128. Eius littoralia. 316.317
Cimonis victoria naualis contra Perſas aliáque eius facta. 20
Ciſalpinæ Galliæ littoralia. 227.228
Claſſis vnde dicta. 137
Claſſis Præfecti. 139. 140. 141. Vbi & de Præfectis maris apud Romanos & Curatoribus oræ maritimæ.
Claſſes fluminatiæ. 340. Armamentariæ, & armatæ. 341
Claſſes Prætoriæ, aliæque non Prętoriæ, déque legionibus claſſicis. 143.144.145.146. Officia in claſſe, fugientis claſſis, & victricis ſigna. 152. 153. 154. 160.
Claſſicus apparatus celerrimus. 64. 75. 76. 533. 544. 445
Claſſicæ coronæ. 179
Claſſica officia apud Gallos. 388
Claſſis luſtratio & ſacrificium antequam ad bellum nauale iretur, ſignáque profectionis & reditus. 114.*&c.*& 480
Claſſium nomina & numerus in Occidente apud Romanos. 341.342. 343. 344. Earundem numerus & nomina per Orientem, 345.*& infra.* Claſſis ſub Carolo Magno & Rolando eius Amiralio, mox ſub Ludouico Pio. 358.359.360. Sub Carolo V. claſſis in Anglos maximo luxu, pompa & artificio præparata. 365
Claſſis ſtatariæ noua ratio. 425
Claſſis Britannica, quæ, & vnde appellata. 450. Sambrica. 453
Claſſis terrâ deducta. 537.538.568
Claudij Imp. de Britannia triomphus. 123
Claudio imperante Gothi, ſiue Scythæ mari debellati. 124

Claui

Claui ſiue gubernaculi nomina & partes 706
Cleopatrę cultris ad Antonium pompaticus apparatus. 111.112. Eius fuga ad Actium, & mors. 118.119.120
Clypei votiui. 177.178.188
Cn.Fuluius de Illyricis nauale triumphum duxit. 80
Cn.Liuius Annibalem & Polixenidam claſſe vincit. 84.85
Cn.Octauij naufragium. 77 Triumphat cùm etiam mari non viciſſet. 86
Cn. Pompeius toto mari pręfectus cum infinito Imperio. 95 Piratas pelago debellat, mox Tigranem & Mithridatem è quibus maritimum egit triumphum. 96.97
Cn. eius filius interficitur, alter eiuſdem filius Sextus, patre cęſo, mortem fuga euadit. 108
Cn.Scipionis res mari geſtæ. 72
Codanus ſinus. 258
Codicarij, qui. 155
Colchidos expeditio. 7
Colchidis littoralia. 307
Colchicus ſinus Indię. 299
Coloniarum deductio. 183 Deducendarum earum rationes. Diuiſio agrorum aſſignatorum. Notæ maritimarum in nummis. Earum Genij: immunitates, nomina, leges & iura: *à pag.*196. *ad pag.*200
Coloniæ poſt Conſtantinum factę iuxta ſinum Arabicum, Perſicum, Agaricum, ſiue Gangeticum, Indicum & Sinenſe mare. 612 Caſpium, Septentrionale. 613.614 Germanicum. 616 In Hollandiâ, Zelandiâ, Angliâ, Inſuliſque vicinis. 617.618. 620 Irlandiâ, Galliâ, Hiſpaniâ, Italiâ, Gręcia. *à pag.*621. *ad pag.*627 Ad Boſporum Thracium, Pontum Euxinum, Mæotim. 627. 628 In Ægypti & Africæ littoribus. 629.630.631
Colophonis conditores. 312
Columba antiquis nauigationis index. 302
Columbaria Inſula, in quâ ſepulchra Regum Scotiæ, Iberniæ, & Noruagiæ. 620
Columbaria in triremi, quid. 705
Columna roſtrata quibus erecta. 65.176
Comes, ſiue Curator alui Tiberis, riparum, cloacarum, & portus. 339 Sacrarum largitionum, & rerum priuatarum. 341. Comes littoris Saxonici. Item Africæ. 344 Comes Orientis, & vnde Comitum nomen. 346 Vbi de Comitibus domeſticorum equitum & peditum, rei militaris, Palatinis, Prouincialibus, Stabuli, aliiſque, maximè Inſularum & marini tractus.
Comites ad cuſtodiendam oram maritimam à Carolo Magno deputati. 358
Comitis littoris Saxonici iuriſdictio, claſſes, iura, priuilegia. 448 Pręſidia ſub eo. 451 Cauſa inſtitutionis. 453
Comitum nomen & officium in triremi. 557. 558
Commeatus naualis, quis? 537
Condæi Principis geſta. 376.377
Condura. 438
Cononis mari geſta. 42.45.46
Conſtantinus Magnus nomen ſuum Bizantio tribuit: eiuſdem geſta in mari maxime. 125
Conſtantinopolis à Gallis capta, Imperiúmque Otticois occupatum. 361. 362 Vrbis ſitus, & fundatio. 627
Corbita & Comiſtica nauigia. 713
Corcyræ appellatio. 13.275
Corcyræi Epidamni conditores, eorúmque diſcordiæ. 23.27
Corea Inſula. 583
Corinthiorum maritima. 271 Vrbis Corinthi excidium. 90
Cornugalliæ etymon, & coloni. 449
Corona naualis ex apio. 171 Lemniſcata, lintea, aurea: cuique hęc vltima data ſit. 178 179.180
Corona ciuica. 181 Oleagina. 182 Graminea, quibus conceſſa & quas ob cauſas. 171.172
Coronæ aureæ victori datę. 43
Correctores Prouinciarum, qui. 136
Correctores Calabriæ & Apuliæ. 342
Corſica P.Romani Prouincia. 136 Eius deſcriptio. 233
Coruncani obtruncantur. 79
Corui, ferreæ manus, vnci, falces ad bellum nauale. 51.65
Coruorum inuentio & deſcriptio. 64.692
Cothones, qui. 156
Cretenſes. 3 Cretæ vaſtatio. 95 P. Romani Prouincia. 132 Eius littoralia. 272 Candia dicta. 335
Creuſa & Thybe Phoenicium naualia. 154
Croatia, olim Sauia. 341.342
Crotone vrbs. 238
Cuba Inſula. 600
Cumę. 234
Curatio rei maritimæ quibus data à Romanis. 95
Curricula maris quę dicuntur. 465
Currus votiuus. 288.189
Curſores in claſſe, qui. 350
Curſoriæ naues, & cuſtodiariæ. 710
Cyana vrinatrix pręſtantiſſima. 18
Cyaneæ Inſulæ. 262
Cybęa triremis. 713
Cyclades. 268
Cyllene Eleorum nauale. 156
Cyme colonia. 312
Cynegiri generoſitas. 156
Cynus nauale. 156
Cyprus P.Rom.Prouincia. 129 Eius circumnauigatio. 317 Venetę ditionis facta. 539 Mox Turcicæ. 541
Cyrene vrbs. 281 Cyrenaicę littus. 282.283 Cyrenaica P.Rom.Prouincia. 129
Cyzicon colonia. 310

D.

DAcia P.Rom.Prouincia. 230
Dędalus Minois vrbis conditor. 4
Dalmatia Rom.Prouincia. 133 Eius maritima. 276
Damietta, olim Æliopolis à Gallis capta. 362
Danai Gręci dicti. 4
Danegeldicum tributum,quod. 455
Daniæ populi, eorum Imperium, & victoriæ maritimæ. Britanniam, Hiberniámque tenuerunt. Vandalos mari vicerunt.pag.424.425.442.454.455
Daniæ vrbes & arces celebriores,bella in Suecos.428.429.432.& Germanos.437 Daniæ littoralia.587. Danubij oſtia. 260
Dantiſci ara à quo condita.439 Vrbis vetus nomen,Gedanum. 615
Dardanum promontorium cum Hecubę ſepulchro. 311
Decius Brutus victis bis pelago Maſſilienſibus vrbem capit. 100.101.102.103
Decumanum frumentum, quod. 340
Deditionis ſigna in pugnâ nauali. 160
Delos Inſulæ. 268
Delphis naualis machina. 692
Delphi in Hollandia. 617
Delphinorum plumbeorum in nauali bello vſus. 35
Demetrij Pharij geſta. 80
Demetrij nauigium celebre. 57
Demetrias nauale. 156
Demoſthenis mors. 38
Democrates M.Liuium ad Sacriportum nauali pręlio ſuperat. 75
Dendrophori. 154.155
Denia vrbs. 623
Deorum currus. 289
Diętarij. 153
Dicrotæ & dicrota triremes. 714
Dięturci. 153
Diocletiani & Maximiani res mari geſtæ. 124.125
Diomedeę Inſulæ vnde dictę. 22
Dionyſij Siculi Regis res mari geſtę. 60
Dionyſius Iunior in exilium actus. ibid.
Dolabrarij. 154
Dolo & dolon genus veli. 118.695
Dominiorum diſtinctio. 459
Doridis littoralia. 313.315.316
Draci,ſiue Draki nauigationes,& geſta. 444
Drepanum, vnde dictum. 2
Drodama genus nauigij. 327
Dromos,ſiue Heroum,pene-inſula. 190
Dromones, iidem qui Galeones. 535.536 Eorum generalior ſignificatio. 688.714
Drungarij, qui. 349.350
Druſi foſſę. 122
Dublinia, olim Eblana. 620
Ducum,qui nauali pręlio vicerant,honores & priuilegia. à pag.174.ad pag.190
Duumviri nauales.138.139.147 Coloniarum deducendarum. 196.197.198
Dux tractus Armoricani. 344. & Belgicę 11.451 Quæ Pręſidia ſub illorum iuriſdictione eſſent, claſſes & magiſtratus. 452.453
Dyrachium à quo ſtructum. 22

E.

EBrides Inſulę. 255
Ebuſus. 218
Ebyſus. 220
Echethon quid. 705
Embola felix, qua. 340.341
Enetia vrbs. 308
Enguerandus à Cuciaco primus Amiralius perpetuus in Gallia. 363
Enſe exerto & commoto tonitrua & turbines auertuntur. 579
Epheſus,& templum Dianæ. 312
Epibata, quid. 108.153
Epidamnum. 22
Epidaurus. 276
Epidromon velum. 695
Epiri littoralia. 274
Epocharum ſignificatio. 466
Equitum Melitenſium res mari geſtę. à pagin.549. ad pag. 555 Ordinatio eorundem circa rem maritimam. à pag.555.ad pag.561
Equites Teutonicæ domus. 434
Equites,Fratres-ferentes gladios. 435
Equites S.Stephani. 526
Equitum Templariorum origo,& excidiũ. 561
Equites S.Lazari, S.Catharinę in monte Sinai. Montis Iouis,qui & Monfraui & Trugilli Equites dicti. S.Thomæ. S.Blaſij. S.Sepulchri. Cochlearis. Muris Africanæ. Geniſtellę. Stellæ. Nauis, ſiue Vltramarini. S.Mauritij. Liligeri. S.Iacobi de Spata. S.Iuliani à Pyro, qui & Alcantaræ. Calatrauę. Faſciatorum. S.Saluatoris à Monteregali. Monteſæ. Chriſti. Fratrum S.Mariæ Eboracenſis, qui & Aniſij nuncupati. S.Georgij,qui Auſtriaci & Carinthij vocati. Enſigerorum, Aquiliferorum. Elephantiferorum. Ieſuitarum. Ieſu Chriſti. S.Spiritus. S.Petri.S.Pauli.Virginis Mariæ. S.Marci. Annunciationis. pag.562.563.564
Ergatæ quid. 692
Ermangarius Saracenos mari vincit. 335.336.359
Erythrei maris appellatio. 4
Eſtiuæ appellatio, vnde. 557
Eubœæ circunductio. 267
Euonymos Inſula. 249
Euphranoris commendatio & exitus. 107
Euripus Euboicus.267 Eius æſtus,vnde prouerbium· Euripo mutabilior. 658
Europæ raptus,eadem credita Dea. 7
Europæ dimenſio. 631
Excubitos. 153
Eurymedontis mors. 36
Eutychi ſtatua. 119
Euxini circuitus. 307.627

Fabrorum

F.

FAbrorum collegia. 154.155
Falcium vſus in prælio nauali. 116
Fanum S.Machlouij à quo extructum. 621
Faſces laneeati. 176
Fax in prætoria naui,& vexillum. 159
Ferdinandi Corteſij res geſtæ. 482.483
Ferdinandi Magellani nauigationes. 483.484
Fernambucum vrbs. 605
Ferreæ manus in bello nauali. 37
Filis, ſtatio,& Inſula. 348
Fimbriæ crudelitas. Iterum Ilium incendio abſumit. 92
Fimmarchia. 614
Fionia Inſula. 587
Flammæ in tempeſtate apparentes. 637.638
Flandriæ Comitatus. 409 Eius littorales vrbes. 618
Fliſſingæ author. 618
Florentinorum res mari geſtæ, & claſſes. 525. 526
Floridæ littora. 596
Fœderatatum Prouinciarum coniuratio, earum res mari geſtæ, Amiraliorum nomina, & facta. Eorum nauigationes vſq; ad Obij oſtia ſub ipſo Septentrione. Societatem Fœderati ineunt ad vtramque Indiam, ad merces. Eorum geſta in Africa, Canariis, Molucia, & Iauæ Inſulis. Victoriæ in Hiſpanos, quos vbique terunt, eiiciúntque Moluccis, ſinu Perſico, Braſilia, littoribus ab Æquatore ad Caput Bonæ Spei protenſis, vbi Congi & Angolæ regna. *à pag.* 407. *ad pag.* 420 Eorum rei naualis adminiſtratio, claſſes, & leges nauales. *à pag.* 420. *ad pag.* 423
Fontes æſtum ſentientes. 667.668
Foreſterij Magni in Flandria inſtitutio, vnde. 358.408.409
Fortuna Redux. 175
Fortunatæ Inſulæ. 93.94. 292 A Gallis occupatæ. 384 A S. Pontifice Ludonico à Cerda conceſſæ. 477
Foſſa inter ſinum Arabicum & Nilum. 291
Franciſci Almeidis mari geſta. 492.493
Francorum origo, Gallis mixti, nomen ſuum Galliæ indunt. Eorum antiquiora geſta in mare & circa mare. 356.357 Maritimæ victoriæ Caroli Magni. 358.359. Philippi I. & II. 360. Ludouici IX. 361. contra Græcos & Saracenos. Mox in Anglos. 362.363. 364.365.366 Quos Carolus V. Francorum Rex ante Rupellam claſſe vincit, vnde Rupella nobis reddita. 364 Saraceni, vrbe Africa direpta, noſtris cedunt. 365 Bella maritima in Italia contra Hiſpanos. 366. 367 Alia ſub Ludouico XIII. confecta. *à pag.* 360. *ad pag.* 380 Canadam, Tupinambuſſiorúmque Prouinciam, tenent: Inſulas Fortunatas tenuerunt. 382.383.384 Batauiam occupant totúmque Belgium. 408
Maritimum eorum imperium. 459.460.461. 462
Fretum Marij. 610
Friſij. 225 Eorum littoralia. 258. 616
Friſlandia. 615
Frumentariæ claſſes. 145.147.148 Vbi de priuilegiis & honoribus illis attributis.
Frumenti decumani, empti, & æſtimati differentiæ. 340 Vbi de diuerſis frumentis quæ Romam vehebantur.
Fucinus lacus in Lirim perductus. 122.195.
Funium, qui in naui ſunt, nomina,& vſus. 696. 697
Funebris oratio iis apud Athenienſes dicta, qui bello occubuerant. 25
Furti in naui commiſſi pœna apud Suecos. 432
Fuſcina Neptuno data quid ſignificat. 2
Fuſcæ nauigij genus. 717

G.

GAditani prouinciales facti. 127
Gadira inſula 218
Galatia Prouincia P. Romani. 132
Galata vrbs. 262
Galba pſeudo-Neronem interficit. 123
Galeacæ naues. 717
Galleræ appellatio, vnde. 354
Galli ſtratagema, inuentum in perniciem nauium portum ſubeuntium. 120 Præficitur Ægypto. *ibid.*
Galliæ longitudo. 632
Gallorum geſta. 60 Equitum aliquot mira virtus 108 Narboneñſis Gallia Pop.Rom. Prouincia. 127 Mox & ceteræ. 134 Galliæ littoralis deſcriptio. *à pag.* 223. *ad pag.* 231 vbi de harum diuiſione. *Item pag.* 621.622 Gallorum excurſiones maritimæ antiquiores. Cybeles Sacerdotes. Primi literarum inuentores, Philoſophi, Oratores. Aſiam Minorem, Sarmatiam vtramque, Superius & Inferius mare, littoráque & Inſulas domuerunt, atque tenuerunt. Eorum vetuſtiſſimæ coloniæ maritimæ, in Italia, Albione, & Hiſpaniis. Idioma eorum vetuſtiſſimum. imperij maritimi termini. Rhodiis nauigandi artem legéſque tradiderunt. Aliáque eorumdem. *à pag.* 350. *ad pag.* 356
Gangis oſtia eiúſque origo. 300
Garumna æſtum ab aliis diuerſum admittit, & eius cauſa. 662
Gaulus nauis. 714
Gazæ vrbis denominatio. 320
Gedroſiæ littoralia. 299
Geldriæ littoralia. 616
Genua. 228 Genuenſium res mari geſtæ. 478. 479 Bella maritima, victoriæ, nauales, eorúmque circa rem vrbicam, & maritimam adminiſtratio. *à pag.* 512. *ad pag.* 527
Geographicarum tabularum inuentio. 215, 216

Gepidarum nomen & geſta. 325
Getaria nauis eadem cum onetaria. 714
Gerra Caldæorum colonia. 295
Germaniæ littoralia. 257.258 Populi, geſta contra Romanos. 423
Germanici Cæſaris geſta. 121
Getones, qui. 176
Geſorigia. 124
Getæ, idem qui Gothi. 324
Getuliæ littoralia. 288.289
Gizerichi, ſiue Genſerici Vandalorum Regis geſta. 325.326
Glauci officium, nauta eximius & vates. 3
Gorgones Inſulæ. 293
Gorocomium. 617
Gottenburgum portus. 440
Gothia. 259.588
Gothorum origo, diuerſa Gentis nomina, eorumque tea mari geſtæ. *à pag.* 323. *ad paginā* 329. Deſcriptio. 430.431
Græcorum naualis victoria ad Salaminem contra Perſas. 18. aliæque contra eoſdem. 19. & 20. Pacem petenti dant Xerxi. *ibid.* Eorum bella maritima, Imperiúmque maritimum. *à dictâ pag.* 20. *ad pag.* 47. claſſis in Troianos. 11
Grauiſcæ. 232
Grimaldi, Moneci Herculis Principes Gallis fauent. 764.380
Groënlandia. 615.589
Gubernacula duo in vnâ naui. 121
Gulielmus Normanniæ Dux, Rex Angliæ. 456
Guineæ Nouæ deſcriptio littoralis. 610
Guſtaui Adolphi Suecorum Regis res mari, Inſulis, & littoribus geſtę. Orientalem nauigationem inſtituit. Moritur. 429.430.432
Gythium nauale Lacedæmoniorum. 156.

H.

HAfnia, à quo condita. 615
Halicarnaſſus Regia Cariæ, cum Mauſoleo. 313
Hamborgum. 615
Hannonis nauigatio. 212.289
Hanſæ, ſiue Anzæ nominis deriuatio, & Hanſeaticæ ſocietatis inſtitutio. 434.438
Harcurtij Comitis mari & in Inſulis geſta. 375.376
Harpagæ, harpagones. 692
Hecubæ ſepulchrum, 401.311
Helciarij. 153
Helleſponti denominatio, & deſcriptio. 310.311
Helene à Theſeo rapta. 10.& 11
Helleſpontus. 628
Hemiolus, ſiue hemiolis nauis. 714
Heneti. 13
Heniochæ appellatio, vnde. 8
Heptadelphus mons Africę. 285
Heraclea vrbs. 309
Herculis templum in Syrte Libyca. 8. Amazones vincit, aliáque eius geſta. 10. Herculeum fretum. Herculis templum in Canopico Nili oſtio, aſilum fugitiuis. *ibid.* Herculis Tyrij templum. 49. Herculei freti ratio. 307
Heregildum tributum, quod. 455.456
Herthum Numen Germanis cultum. 425
Heſperides Inſulæ. 293
Hiberniæ circumnauigatio. 215
Hiera Inſula. 249
Hieronis Syracuſani Regis res mari geſtæ. 59
Himera reſtaurata. 245
Hippagines naues tranſuchendis equis. 714
Hircania & Hircanum mare. 305
Hiſpal. 219.471
Hiſpania P. Rom. Prouincia. 126.134. Eius littoralis deſcriptio. *à pag.* 217. *ad pag.* 223. *Item pag.* 622.623. Diuerſis populis habitata. 471. Hiſpanorum res mari & in Inſulis geſtæ. *à pag.* 471. *ad pag.* 487. Eorum maritimum Imperium cum claſſibus, claſſiúmque, & littorum rectoribus, & ordinatione circa rem maritimam. *à pag.* 501. *ad p.* 512.
Hiſpaniæ longitudo. 632
Hiſpania Noua. 594.595
Hiſpaniola Inſula. 599.600
Hollandorum nomen vnde, geſta eorum in mari. 409. Hiſpanicum iugum excutiunt. Initium dominationis earũ Prouinciarum, quæ Fœderatæ appellantur. 410. Hollandiæ littoralia. 616.617. Eius denominatio, vnde. Comites eiuſdem, Inſulæque circa Hollandiam & Zelandiam. 618.619. Earúmque adminiſtratio. 617
Honores iis attributi qui bello nauali vicerant. 58.59
Horoſcopus hominis in mari fortunati. 635
Hugo Quieretus Franciæ Amiralius ſub Philippo VI. 363
Hungariæ appellatio. 331. Olim Pannonia Secunda. 342
Hyberna, quæ. 157
Hydruntum. 239
Hydruſa Inſula. 268
Hyperborei. 304.

I.

IAcobus Auenelius Franciæ Amiralius ſub Philippo II. 361
Iamaica Inſula. 600
Ianus clauſus. 71.120.121
Iapponiæ littoralia, & circuitus. 583
Iaponenſis nauis figura. 718
Iapudes à Rom. triumphati. 127
Iaſon in Colchidem. 7. Idem præfectus oræ maritimæ in piratas. 8
Iauæ Inſulæ. 585
Iazyges. 259
Ibetiota nauis. 714
Ibernia. 254.620

Icaria Inſula. 313. Vbi & alię Inſulæ in Icario mari.
Ignis in pharis & promontoriis ſtatutus ad indicandum appulſum hoſtium. 39
Ignis artificioſus non comburens, 494. Varia ignis genera. Grçcus, fulminans, pinguis, pyrius. 693
Illiberis vrbs capta. 379
Illyricum Prouincia Pop.Rom.80.& 127.Eius maritima. 276.277
Ilua Inſula. 233
Imbros Inſula. 263
Indi fluminis oſtia. 299
India intra Gangem. 299.
India extra Gangem. 300. Vtriuſque Regna ad mare. 576.577.582.613
Indignationis templum. 105
Inſulæ continenti iunctæ. 81.680
Inſularum nouarum eruptionis cauſæ.679.680
Ioannæ Flandricę,Monfortij Ducis vxoris,virtus, 401
Iol vrbs Mauritaniæ, 284
Iouis Imperium maritimum.2. Quænam eius fulmina fuerint.*ibid.* Europam rapit. 7
Ionis raptus,à quo mare Ionium. 7. Sub Iſidis nomine ab Ægyptiis culta. *ibid.*
Ionij maris alia denominatio. 22
Ioppes memorabiliora. 320
Irenarchæ,eorúmque officium. 339
Iſlandiæ,quę Thule antiquorum putatur, deſcriptio. 432,515.588,589
Iſſicus ſinus. 317
Iſthmus Corinthiacus. 267
Iſtriæ littoralia. 277
Italiæ littoralia & colonię.*à pag* 231.*ad p.* 244. Eius dimenſuratio,& dominia. 632
Iſthmiorum inſtitutio. 9
Iucatana. 600
Iudæa P.Rom.Prouincia 133. Eius littoralia. 320
Iulij Cęſaris geſta contra Gallos,Venetos maximè.97. In Britanniam traijcit.98. In cuius littore tempeſtatem patitur. 99. Inſulam eam vectigalem facit. Gallias paccat, aliáque eiuſdem. 100. Pompeio victo, illiſque qui Pompeij partes ſequuti erant, Alexandriam obſider,& poſt multiplices nauales victorias capit, Reginámque Ægypti Cleopatram conſtituit. 104. 105. 106. 107. Dictator in decennium nominatus Pharnacem debellat, inque eius locum Mithridatem locat. *dicta pag.*107. tandem ducibus Pompeij victis,Numidiâ in Prouinciæ formam redactâ, poſt quatuor triumphos in Senatu cęſus eſt.108.109. Vbi agitur de honoribus maximis illi attributis. 188.189
Iunci Sinenſes figurati, 717. 720
Iupiter Axurius. 169
Ius ſalutis,quod. 467
Iuſtinianus Iunior à Saracenis fugatur. 334
Iuſtiniani tituli,vnde. 326
Iuſtinopolis quando condita. 328

K.

Koningsberga à quo condita. 439

L.

LAconicus ſinus. 270
Lacus ſalſi,& ęſtuantes. 666.667
Laletania,quæ hodie Catalonia. 353
Lampſacus oppidum. 310
Languedochij appellatio. 329
Larium Permarinorum ędes Romæ. 86
Latij littora. 233
Lechęum nauale. 156
Legatorum nomine quinam comprehenſi.135
Leges Rhodiæ nauales. *a pag.*200.*ad pag.*211
Legiones claſſicæ Rom.145.146 Ripenſes. 347
Lemnos Inſula. 263
Leo Imp. per ardentia ſpecula Saracenicam claſſem incendit. 334.335
Leocara vrbs antiqua. 225
Leontium. 248
Lerinum & Lero Inſulæ.227. A Duce Ferrandinę captæ,quibus,victus,pellitur ab Henrico Lotharingo Arcurtij Comite. 375.376
Lesbos Inſula. 263
Letania eadem quæ Armorica. 400
Lettorum metropolis Riga,Bremenſium colonia. 439
Leucas,& Leucadia. 274.275
Liburnæ rotis actæ deſcriptio & figura. 711. 712.714
Libyæ littoralia. 288. 289
Lilia vetuſtiſſima Gallorum ſtemmata,ab Hercule. Vſurpata à Galliæ Regibus ante Francorum nomen. 351.452
Liliacea vox,Grçcis lirioſſa, quæ. 351
Lilybæi obſidio. 69.70
Lima vrbs. 602
Limenarchæ,qui.156. Eorum officium. 339
Linceus ſpeculator in naui Argo. 8
Lintrarius. 152
Lipara Inſula. 249
Literæ laureatę. 161.175
Literę licentiæ. 420
Liuoniæ littoralia. 590
Lixos Antęi Regia. 285.286
Longobardorum denominatio & geſta. 329. 330
Locri. 238
Loxodromia,quid : eius ratio. 649.650
Lubica Vandaliæ caput.434. A quo ædificata. 436.438.615
L.Æmilius ad Gereſtium Polixenidam claſſe vincit. 85
L.Apuſtius Andrum Inſulam capit. 82
L.Luculli geſta. 94. 95. Eius naualis triumphus. 96
L.Lutatius Carthaginienſes pelago vincit. 70. eius triumphus, denariúſque in eius honorem cuſus. 71

L.Manlij

Index rerum

L. Manlij victoria & triumphus naualis de Cartaginienſibus. 67
L. Metelli geſta. 95
L. Mummius Achaicus vnde. 90
L. Syllæ geſta contra Mithridatem. Hoſtis Pop.Rom. iudicatus. 92
Lucania. 236
Lucrinus lacus. 235
Lodouici IX. contra ſaracenos geſta. 362
Ludouicus Aurelianenſis Hiſpanos ante portum Veneris fugat. 366
Ludouicus, Philippi Galliarum Regis filius Angliæ Rex creatus. 442
Lugdunum Colonia Rom. 127
Lugdunum Batauorum. 616
Luſitaniæ littoralia 220. 221. Luſitanorum res mari geſtæ. *à pag.* 487. *ad pag.* 501. Eorundem Imperium. 500. 501
Luſtrandæ claſſis mos apud Romanos 114. 157. ſacrificia ad eam luſtrationem deſcribuntur. 158. 159
Lydia Rom. Prouincia. 133
Lyſander Athenienſes mari vincit. 41. Alia eius geſta. 42. 43

M.

MAcedoniæ deſcriptio. 265. 274. Macedonum res mari geſtæ. *à pag.* 47. *ad pag.* 58
Macedonicum bellum. *à pag.* 78. *ad pag.* 87
Macedonia Prouincia. 127
Magadaſcar, quæ & Inſula S. Laurentij. 580.
Magellanicum fretum. 604
Magnetis lapidis vſus. 648.649
Magonis geſta. 76. 77
Mahometes pſeudopropheta, eius ſecta & geſta. 332
Maldiuæ Inſulæ. 581. 582
Mali in naui. 694. eorúmque partes. 690
Malabarum nauis piratica. 719
Man, ſiue Mona. 255.
Manicongi regnum. 579
Maniolæ Inſulæ. 301
Maragnon fluuios. 606
M. Agrippa præfectus claſſis ab Auguſto, eam luſtrat. 114. Democharis claſſem ad Mylas fugat. 115. Pompeium ad Naulochos frangit. 116. L. Naſidium ad Patras. Antonium & Cleopatram ad Actium, omnia iſta Auguſti auſpiciis. 117
Marcellus Syracuſas capit. 73. Eius triumphus. 75
M. Antonius amore Cleopatræ captus. 112. eius geſta, victus ad Actium, in Ægypto moritur. *ad pag.* 120
M. Attilij Reguli victoria naualis. 67. Naualis triumphus Ful. Seruij, & M. Æmilij. 68
M. Metelli de Sardis triumphus. 91
Margaiates populi. 605
Maris Dij humanæ hoſtiæ mactatæ. 394. Eorum deorum nomina ad ſcientiam nauticam explicata. 682. 683. 684
Mare clauſum, & apertum, quando 138. 648. 680. 681. Cur nauſeabundos faciat. 681. 682
Mare liberum omnibus. 447. 458. 464
Marinæ chartæ author. 12
Maria quæ ſine æſtu. 664. 665
Marium nomina. 211. 212. 213. 214
Motuum diuerſitas. *pag.* 649. 650. 658. 659. 660. 661. Curſus confecti alia ratio, quam à magnete. 650
Marium purgatio 556. 661. 662
Maritimæ primæ expeditiones. 5
Maritimum perſarum Imperium, 54
Maritimæ victoriæ inditium, collectio cadauerum & naufragiorum. 24. Victorum bonos aurea corona, atq; aræ. 43. Triumphus columna roſtrata, ſtatua, aliáq; eiuſmodi. 65
Maritima pugna ſine nauigiis. 552. 553
Maritimâ expeditione finitâ, quid ab Alexandro factum, in eius memoriam. 55
Maritimi dominij notæ. 456. 461. Diſtinctio inter dominium & Imperium maritimum, definitio, vtriuſque, exempla, enumeratio. 463. Iuriſdictionis maritimæ extenſio, & ſpecies dominij 464. 465. Limitationes. 466. 467. 468. 569. 470
Maritimæ expeditioni inchoandæ preces & ſacrificia apud Romanos. 77. 114. in fugâ & metu quidnam faciebant. 115. 116 Item & poſt victoriam. 161. 162
Maritimæ vires Rom. 141. 142. 143
Maritimi tributi indicendi ratio. 470
Vbi profundius mare. 680
Marina aqua in medicinis, ſacris, purgationibus. 672. Maris exundationes. 679.680
Mare & aquæ cur ſpeculi vicē præbeant. 676
Mare cur noctu ſcintillet, cur dilucidum, cur craſſum æſtate, vnde illi colores varij, cur non creſcat acceſſu fluminum. 677. 678
Marmaricæ littoralia. 280.281
Maſſilia, & eius coloniæ. 227
Maſſonę venti. 660
Maſtramella. 226
Marana vrbs. 271
Mattiaces, nunc Zelandi. 225
Mauri idem qui Saraceni, eorum res mari & in Inſulis geſtæ. 332 *& ſeq.*
Mauritaniæ P.Rom.Prouinciæ. 130. 131. earum littoralia. 284.285
Media Prouincia. 305
Mediterranæum mare totum olim fuiſſe Gallorum, & Romanorum. 468. & quare. 469
Megara. 248
Melite Inſula. 250
Menodorus Apollophanem claſſe ſuperat. 114 A Pompeio ad Auguſtum deficit, mox ab Auguſto ad Pompeium. Sub quo Cæſaris claſſem lacerat. *ibid.*
Meridianus, quid. 653
Meſenautæ. 553
Meſſana. 244.245
Mexico. 482.483
Mexicano ſinui incumbentes vrbes. 596. Lacus circa vrbem. 667

Mileti

Mileti conditores. 312
Militaria dona. 178.180.181.
Priuilegia. 182.183.184.185.
Etiam filiorum quorum patres nauali bello perierunt. 543.544
Melitenſium Equitum origo, nomina varia, ſicut & habitationes, inſtitutio, res ſub Magnis Magiſtris Ordinis mari geſtę. *à pag.* 549. *ad pag.* 555. Eorum ordinaria claſſis, ordinatio circa bella & rem maritimam, magiſtratus claſſici, ſtatuta. *à dicta pag. ad paginam* 561
Mindari res mari geſtę. 39.40
Mineruæ Diſſipatoriæ templum. 306
Maſſilia quando & à quibus condita. 14. à Iulio Cęſare per D. Brutum obſeſſa, poſt geminas clades mari acceptas deditur. 100. 101. 102. 103.
Mirmix Inſula. 68.
Miſenenſis claſſis. 124
Miſſilia iacta in populum. 193
Mitylenes excidium. 27
Mithridatis geſta. Manio Aquilio Rom. capto ludibrium facit. Rhodum obſidet. 91. Pacem à Syllâ etiam iniquis conditionibus accipit. 92
Renouatur bellum, multa terrâ marique Mithridatis proſpera, aduerſáque. 94.95.
Eiuſdem tumulus. 109
Mœſię P. Rom. Prouinciæ. 130
Molorthus, idem quod bolis. 690
Molucæ Inſulæ. 484.584. Luſitanis ab Hiſpanis conceſſæ. 498
Mommorancij virtus contra Subiſium. 371
Mona Inſula. 255
Moſcouię Ducatus. 436
Nauigationes Muſcouitarum, & geſta 437. 438.
Longitudo. 633
Muauias Admirans Conſtantium Imp. claſſe vincit, aliáque eius geſta. 333. Califa factus Conſtantium tributarium reddit. *ibid.*
Mula, ſiue Maleos, Inſula. 256
Mureus, & Oenobardus Octauianam claſſem prope Brunduſium frangunt. 121
Muſa Admirans Vliti Tingitanam, Hiſpanias & Narbonenſem Galliam Saracenico addit Imperio. 334
Muſculorum cohors, & muſculi. 348
Myoparo nauis piratica. 714
Muziris emporium. 299.
Myrtoi maris denominatio. 267
Et Inſulæ in eo. 313.

N.

NApura fructs ſpecies. 697
Narbo colonia. 127.226. Vbi & de foſſis Marianis. Narbonenſis Galliæ littoralia, 225. 226.
Narſetis geſta contra Gothos. 328.329.330.
Nauarchus quid. 153
Nauclarij milites. 348
Nauium nauigiorúmque diuerſorum tum veterum tum recentiorum nomina & ſpecies, cum figuris exoticorum. *à pag.* 156. *ad finem Libri.*
Nauium partes, arma, armamenta. 690. 691. 692. Ornamenta. 697.704.705.
Naualis pugnę ſimulachrum. 137. 190. 191.
Etiam in ipſa terrâ. 582
Nauali pugnę neceſſaria. 691.692
Naues ſacræ. 92.152.685.687.715. Pictæ *ibid.* & 695. Coronatæ & laureatę. 161. 171. Ad oſtentationem & voluptatem. 707.708. 709.710.711
Naues vitiles. 4. Scirpeæ. *ibid.*
Nauis magiſter & eius officium. 152
Nauigia veterum Gallorum. 356
Nauis immenſæ magnitudinis. 368
Nauis rotis acta, ſine velis & remis. 412
Naues turritas & roſtratas Neptunus inuenit. 2. onerarias Hippius Tyrius. 4. Materia nauium qualis, & eius cędendæ tẽpus. 687.688
Nauigandi artis author Prometheus. 4. Rhodij. Phœnices, Cares, Ægynetæ, Tyrij, Ægyptij. *ibid.* Vbi de cymbę, cercuri, lintris, ſcaphæ, & hippaginis authoribus. Cycladæ & Ætnæ naues, quę. 5
Naualis pugna ad Chimerium promontorium inter Corcyrenſes & Corinthios. 23
Naues incendiarię. 36 692. Quomodo naues captiuę in ſpeciem triumphi deducebantur. 43. Alterum genus incendiarię nauis. 50. 88.105.539. Cui turres igniuomę additæ. 327. Naues ad fumum in hoſtes ſpargendum. 374. Ad ſtragem immenſam, fornicatę. 412.413
Naues ad obſidionem vrbis ſimul ligatæ ſuperiniectis tabulatis. 51
Naualis pugnæ ineundæ ſignum. 56.159
Naualis pugna ante Heracleam inter Romanos & Carthaginenſes. 67
Nauale ſtratagema fictilibus amphoris igne, & ſerpentibus plenis dimicare. 85. aliud, funibus ſub aqua carinæ alligatis aduehere. 103. Aliud, lampadibus clypeis impoſitis. item & aliud, alimentis in profundum datis. 520. Aliud retinaculis inter vndas reſciſis. 522
Nauis fornicatæ artificium, & effectus in hoſtes. 412
Naues à Germanico Cęſare inuentæ. 121
Nauis tutela, quid. 685
Nauigationes in Americam. 480.481.482
Nauigium quandoque fluctu abſorbetur, in ipſâ malaciâ. 681
Nauræ eximij genitura. 634.635
Nauticæ pixidis inuentio & vſus. 648.649
Nautici antiquorum dies. 680.681
Nautica vocabula. 695.696
Nautarum collegia, eorúmq. patroni. 343.344
Nauticę turbæ exercitatio. 64. 137

Nautica vocabula. 537.138
Nauticum ſtratagema in hoſtes mirabile. 414. 491.
Nauales triumphi Luculli & Pompei. 96.97.
Honores attributi iis qui bello Nauali vicerant. *à pag.*175.*ad pag.* 190.
Nauale, quid. 137.156.
Nauales ſocij, qui. *ibid. &* 150.154.
Naualia plura. 156.570
Naumachiæ. *à pag.*190. *ad pag.*195
Naualis pugna inter Democharem & Caluiſium. 553
Naualis corona ex apio. 571
Nauiculariorum corpora & collegia. 554 555
Nauigationis natalis. 138. & tempus nauigandi apud antiquos. 680.681
Nauigationes antiquiores. 212. 213. 289
Nauigationis vtilitas. *In Præfatione, & pagina* 725
Naufragiorum collectio poſt victoriam. 161.
Ad quos pertineat. 469.470
Nauphylax. 552.
Nauplius piſcis. 690
Nauſtologi. 553
Naurodicæ. 154
Nautilii, ſiue pompili piſcis ars, natura & deſcriptio. 689. 690
Naxos Inſula. 269
Neapolis. 236
Nearchi nauigationes. 55.212
Nereides, quid. 3
Neurgi. 554
Nili exundationis cauſa. 658
Nigritæ. 289
Neptuni imperium in mare, & vxores eius. 2.
Roſtratas & turritas naues primus reperit, huius ludi, ſacra, & templa. *ibidem.*
Rauennæ. 143
Nicias capitur. 38
Nicopolis ciuitas. 119.166
Nili oſtia. 280
Niſæa nauale Megarenſium. 156
Nohemus ratis inuentor. 1
Nomen Dei, vrbs. 595.603.607
Normannorum res mari geſtæ. Vbi de eorum origine è Noruagiâ, & appulſu in Gallias. Apuliam, Siciliámque occupant, pulſis, Saracenis, Græcis, Venetiſque claſſe victis. Melita, Gozo, Eubœa, Corcyra, vrbibúſque litoralibus Africæ captis. In Anglia quoque regnauêre, & Gallia, donec cum Anglis etiam Normanniâ ſuâ pellerentur. *à pag.* 393. *ad pag.* 399.442. 443. In quam ſemper Reges Franciæ directum habuerunt dominium. 459
Noruegiorum, ſiue Noruagiorum, res pelago geſtæ. 394
Deſcriptio eius, cum Gothia, Suecia, Dania, Scandia, Inſuliſque Septentrionalibus. 431.432.433.587.588.
Norumbega. 597
Notitia Occidentalis Rom. Imperij. 338. & *infrà.*
Nouæ Franciæ Septentrionalis & Auſtralis litoralia. 369.597. 605
Noua Granada. 524
Noua Zembla. 589
Numantia diruitur. 90
Numidia Prouincia facta. 108.129
Numus argenteus quando a Spartanis primùm in vſu fuit. 43
Nyſea Megarenſium nauale. 26.

O.

OBdora. 438.589
Obeliſcus Circi Maximi, vnde. 131
Obius fluuius. 589
Obſidionis arcendæ artes mirabiles. 73. 74
Occidentis Imperij termini & Prouinciæ. 338.*&c.*
Oceanum in nullius dominio aut imperio eſſe. 470. 471
Olbia antiquiſſima Gallorum Academia. 351
Olcas nauigij genus. 36
Olympiorum inſtitutio, è qua per Olympiades computatio annorum cœpta. 2
Oneſicriti nauigationes. 212.213
Oneraria nauis, quæ. 714
Opliragogæ & caudicæ naues, quæ. 714
Oratio funebris quibus facta. 585
Orbis antiqui deſcriptio & circumnauigatio 211. 212. 213. Eius menſura ſecundum antiquos. 321
Orcæ tympanorum tinnitu fugantur. 582
Oriæ naues. 716
Orientis Imperij Romanorum termini, iuriſdictiones, & Prouinciæ. 345.*&c.*
Oſmeni Califæ geſta. 333
Oſtienſis portus. 122.195.
Cum vrbe. 234. Et pharo. 339
Oſtrogothorum nomen, & geſta. 324
Otho Vitellianos claſſe vincit. 123
Othone veli genus. 695

P.

PAcheci pelago geſta. 491
Pæana victores canebant. 26.43
Pæſtum. 236
Pagaſæ nauale. 156
Pagaſicus ſinus. 266
Palæmon cuſtos portuum. 3
Paleguæ nauigij deſcriptio, & figura. 719
Palinuri portus. 13
Panama vrbs. 595
Pannoniæ. 341
Panoutæ nauigij deſcriptio. 717

Paphlagonia

Paphlagonia P.Romani Prouincia. 132
Paragontici ſinus deſcriptio. 298
Paralos nauis. 42. Ad reos Athenas deportandos. 43. Parallelus quid. 653.
Paraoſi nauis ſpecies. 717.720
Paraſemon, quid. 685.703
Pariæ deſcriptio littoralis. 600
Parlamenta Hiſpanorum in America. 508. 509.510.512
Patagones. 603. Patala Inſula. 301
Patara cum templo Apollinis. 316
Pataoij. 13. Pedatura, quid. 347 Pedario. 348.
Pegaſi fabula. 6
Peloponneſiacum bellum maritimum. à pagina 24. ad pag. 44 Peloponneſi circumductio. 269.270
Pericles Samium diripit. 22. Eius geſta & victoriæ maritimæ. 25
Perimolicus ſinus. 300
Perpinianum, olim Ruſcino, à Gallis captum. 379
Perſarum res mari & littoribus geſtæ. 14.15. 16.17. & 18. Perſarum Aulicorum à Xerxem veneratio & obſequium. 19. Perſicus ſinus eiúſque littora. 295.296.613. Claſſis in eo. 575
Perſei Regis geſta. 86
Peruuiæ deſcriptio. 602.603
Perilia à quo condita. 12
Petzora fluminis & Regionis nomen. 438
Peuce Achillis. 260
Phalangarum vſus in naui. 692
Phanaticus ſinus. 277
Pharus. 194.195.280. Apud Sluſam & Rupellam. 360
Phaſis, quid. 154
Phaſidis fluuij fabula. 307. Déque vrbe eiuſdem nominis. 308
Phœnices. 3. Phœnice P.Rom.Prouincia. 133. eius littoralia. 319
Philippi Macedoniæ Regis geſta. 47. & 48
Philippi alterius Macedoniæ Regis geſta contra Romanos. 80. 81. Pax cum iiſdem. 82.83
Philippi I. & II. Gallorum Regum res in mari & littoribus geſtæ. 360.361.362
Philippinæ inſulæ. 584
Phurcus deus maritimus. 3
Phormionis victoriæ maritimæ. 25.26
Phrygia Minor cur Pacatiana. 234
Phryxei arietis vellus, quid. 7
Picentini. 236. Eorum vrbes maritimę. 241
Pilotæ appellatio, vnde. 557
Pinacæ naues. 717
Pipini Italiæ Regis victoria contra Græcos & Venetos, eius Amiralij eorúmque geſta. 359
Piratarum nomen olim honorificum, déque eius origine. 355.394.427
Piraticum bellum. 93
Piſanorum maritima pręlia. 514.515.516
Piſaurum. 241
Piſcationis ius quomodo limitatum. 458.465
Piſces neque naſcuntur neque viuunt in lacubus, fontibus, fluuiiſque ſalſis: & quare. 675.676. piſces foſſiles. 225
Piſce ſanius, vnde prouerbium. 672
Planaſia. 233. Plata fluuius. 604
Plutonis res mari geſtę. 2
Polonorum maritima. 436. Nominis origo. 437
Polybij nauigationes. 213
Pomerania. 591
Poncurlaij res pelago geſtæ. 376
Pontes cataracti. 692
Pontones naues. 714
Pontus P.Romani Prouincia. 129.132
Pontus ceteris maribus dilutior. 261. Eius menſura 307. Inſulę in eo. 314.
Pontus Polemoniacus. 308
Popalana Prouincia. 602
Portiſculus. 152
Portitores, qui. 339. Portoria. 340
Portus-Bellus. 595
Portunus Deus portuum cuſtos. 3
Portus, quid. 156. Portuum cuſtodes, qui. 339
Portuenſes apparitores. 339
Portugallia legitimo Regi reſtituta. 377.378 Portugalliæ Regum & nominis origo, eorum nauigationes & geſta in mari. à pag. 487. ad pag. 501
Poſſidonia. 270
Pręcurſoriæ naues. 148.159
Præfecti Prætorio Occidentis & Orientis iuriſdictio, circa res maritimas. Iuriſdictionis termini, claſſes & claſſici magiſtratus. Præfecti Prætorio Italiæ, Galliæ, Africæ, Orientis, & Illyrici. à pag. 136. ad pag. 350
Præpoſitus thematis. 350
Pręſides Prouinciarum. 135.136
Prętenturæ maris, ad quorum dominium pertineant. 468
Prætores Prouinc. qui. 136. Apud Græcos. 252
Pięt oriæ naues, quæ, earúmque deſcriptio. 714
Pregentij Vice-Amiralij res pelago geſtę. 367
Proconſules apud Rom. quinam. 135
Procuratores Prouinciarum. 136
Propontis mare eiúſq; littoralia. 309. 310.628
Pro-Prętor quis. 135
Protæ & poppis partes. 706
Prorета. 152
Proſumiæ naues. 716
Protei hiſtoria. 2
Protocarabus, quis. 350
Prothyra, quæ. 466
Prouincia quid. 126. prouinciarum rectores apud Romanos. à pag. 126 ad pag. 137.
Prouincialium res mari geſtæ, vnde illis nomen. à pag. 403. ad pag. 407
Pruſſia. 435.590
Pſittacorum regio. 611
P. Scipionis geſta. In Africam vela facit. 75. Quibus conditionibus pacē Carthaginienſibus dederit: Primus à deuictâ gente cognomen accepit, dictus Africanus. 78. Alter P. Scipio mirâ arte Carthaginem obſidet. 88. mox diruit. 89
P. Seruilius cur Iſauricus. 95
Pugnæ naualis ineundę ſigna. 159

Pullati amictus antiquiſſimus vſus in luctu 62
Puluini deducendæ naui. 692
Punicum I. bellum. *à pag. 63. ad pag. 71.* Punicum II. maritimum, eius cauſę. *à pag 71. ad pag. 78*
Puteolos. 236
Purei ęſtum habentes. 658
Pylus nauale. 156
Pyrardi nauigationes. 384
Pyręum Athenienſium portus. 26
Pyrrhi geſta. 62
Pytilus, quid. 153

Q.

Q. Fabius Labeo Nauale triumphum ducit, etiam hoſte non viſo. 85
Q. Metellus vnde Balearicus. 91
Q. Metellus, cur Creticus. 95. vbi de eius geſtis.
Q. Valerius Prętor vnus omnium naualem triumphum egit. 71

R.

RAptum promontoriū cum vrbe Rapta. 290
Ratis inuentio. 1
Rauenna municipium. 142. Vbi de eius portu & claſſe. De diuiſione vrbis in claſſem & Cæſaream, déque eius nauali. 143. De claſſe ibi conſtituta. 144. Theſſalorum colonia. 229. Vnde Rauennatis Exarchatus inceperit, & finierit. 330
Raxillij pelago geſtà. 382. 383
Regalia, quæ. 465. 466. 467
Regna & Imperia aliquot perierunt ſub eiuſdem nominis Regibus & impp. à quibus inceperunt. 566
Remi & remorum partes. 694. 695
Remigandi pœna, vnde. 116. 704
Remiges vnde antiquitus petebantur. 150. 345. Eorum nomina & genera. 558. 704
Remiregis, ſiue Remulati officium. 558
Remulcus, remulcare. 692
Renierus Grimoaldus Flandros mari ſuperat. 364. 410
Retinaculum, funis, qui & prymneſium. 697
Reualia à quo condita. 439
Rhegium. 237. 238
Rheni oſtia. 124. 125
Richelæus, extincto Amiralij nomine, Pręfecti generalis Nauigationum commerciorúmque Gallicorum titulo decoratur. Sub quo Rhea Inſula pelluntur Angli, terra marique vincuntur, Rupella expugnatur. 372. 373. 374. Ordinatio eius circa rem maritimam. Lero & Lerinum Inſulæ Hiſpanis ereptæ. 375. 376. Catalonia imperio Gallico reddita, Portugallia in antiquam ſocietatem recepta. 378. Marocci & Feſſæ Reges, portu cum vrbe Sala Gallis relicta ad ſocietatem coguntur. Noua Francia nouis colonis impleta, vbi de veteribus Gallorum coloniis in vtraque Francia. 383. 384. Fœdus cum Sueco. 385
Rhodani oſtia. 226
Rhodus à Mithridate obſeſſa. 91. ditionis Romanorum facta. 134
Rhodiæ leges nauales. *à pag. 200. ad pag* 211
Rhodij maris Inſulæ, vbi & Rhodi Inſulę deſcriptio. 317. 318
Rhodij coloſſi demolitio quem Chares fecerat. 333
Rhodus mira arte ab Equitibus S. Ioannis Ieroſolymitani occupatur. 550. Tandem à Turcis. 551
Rodope. 220
Roggenil Inſula. 618
Roma Gothia appellata. 329
Romani Siciliam petunt, primúmque mare intrant, ſuis nauibus. 63. Amilcarem cum Carthaginienſibus nauali pręlio vincunt ante Heracleam. 67. Per tempeſtatem claſſes amittunt. Hinc decretum ne amplius mare tentarent. 68. Rurſum tentato mari Carthaginienſes vincunt. 70. Cum quibus pax. primi belli Punici finis. Vnde Sicilia Rom. Prouincia facta. 71. Sardiniam, Corcyram, Balearéſque Inſulas occupant. 72. Syracuſas capiunt. 73. Secundi belli Punici finis, eiúſque pacis conditiones. 78. Corcyrenſes in amicitiam recipiunt. 79. Illyrios in obſequium. 80. Philippum ſuperant, eique Thraciam eripiunt. 82. 83. Cum Antiocho terrâ marique pugnant. 83. 84. Vincunt, pacémque certis conditionibus ſtabiliunt, Ætolis, Ambraciotis, & Cephalenis libertatem adimunt. 85. De Perſeo & Macedoniâ triumphant. 86. Eorum iniuſtitiâ in Carthaginienſes, vnde bellum Punicum vltimum, Carthaginis obſidio. 87. mox excidium. Hanc Auguſtus Romanis colonis miſſis reſurgere iuſſit. 89. Achęns Romani vincunt, Corinthúmque, Thebas, Chalcidem, & Numantiam euertunt. 90. Baleares Sardóſque debellant. 91. Tum Mithridatem. 92. 93. Inde piratas. 96. Britannias, Galliáſque per Iulium Cęſarem pacāt. 100. Qui ciuili bello finito, Numidiam in Prouinciæ formam redegit, multiſque triumphis actis, cęſus fuit. 108. 109. Auguſtus rerum potitur. 120. Romanorum Prouinciæ. *à pag. 126. ad pag. 129.* Maritimæ vires. *à pag. 140. ad pag. 152.* Romani Imperij notitia à Conſtantino Magno ad Carolum Magnum & Conſtantinopoli à Turcis occupatâ. *à pag. 338. ad pag. 350.* Britanniam, Monam, Orcadáſque Inſulas Romani tenuerunt. 440. 441
Romulus vltimus Romæ imp. 125
Roſtra Romę. 65. Libertati ſacra. 177
Roſtrata columna quibus erecta. 65. 176
Roſtratæ coronæ. 178. 179
Roſtratæ naues. 714. 715
Roſtochium antiquorum Laciniom nominis &

& condirionis origo. 439
Roſtra Romæ, Vereia & Noua, quæ. 162
Roterodami origo. 617
Rupellæ obſidio. 370. 371. Expugnatio eiuſdem. 373. 374. 375. Eorum res mari geſtæ. 368. 369
Roſcino vrbs & Comitatus ſceptto Gallieo accedunt. 379

S.

SAbaracus ſinus. 300
Saccarij idem cum baiulis. 339
Sacra reſolutoria, quæ. 166
Sacrificium Nepruno ex humanis hoſtiis. 18
Sacrificium Alexandri mare egredientia intrantiſque in Aſiam. 48. Mithridatis quoque in Rom. nauigaturi. 94
Sacrificium & hymnt pro victoriâ maritimâ. 116. Antequam claſſem ingrederentur. 157. Poſt victoriam. 161
Sagittæ ardentes. 692
Salacia & Venilia Deæ maris. 682
Salſuginis marinæ cauſæ. 673
Salis & ſalinarum vectigal. 467. Eius cauſa & genera 668. 669. Salinæ item & ſalis conficiendi modus. 670. 671. Vbi de ſale Ammoniaco, gemmeo, & ſacro. Item de ſalis tributo. Saliæ nomen, & ſalſedo, vnde. 673. 674.
Sala colonia. 286
Salaminia Græcorum victoria. 18
Salſulæ Gallis deditæ. 379. ingenium vicini ſoli. 225
Saltuatiorum Flandrorum inſtitutio. 358. 408. 409
Samæna ſiue Samia nauis. 715
Samothrace Inſula. 263
Sanctum Naſum promontorium mirandum. 591
Sarmacanda vrbs Tartariæ. 304. *in margine*.
Sambrica claſſis. 344. 453
Samos Inſula, eius nomina & coloni. 14
Sanctius IV. Hiſpaniæ Rex Saracenos nauali prælio fregit. 337
Saracenorum origo eorúmque geſta. 332. & *ſeq*. Excidium gentis. 337
Sardinia Prouincia facta. 126. Inſulæ littoralia. 233
Sarmatiæ vtriuſque littoralia. 258. 259. 306. 307
Sarnia Inſula. 254
Sarrouicus ſinus. 270
Saxonum littoralia. 258. Quodnam littus Saxonicum. 344. Angliam Saxones occupant. 435. 441. 453.
Saxoniæ Ducatus exordium. 436
Scalarij. 154
Scaldia Inſula. 619
Scalmus & inter ſcalmium. 706
Scandia Inſula. 258. Littoralia eius atq; amplitudo. 430
Schediæ naues. 715. 716
Scotiæ littoralia deſcriptio. 255
Scribæ officium in naui. 559. Et extra nauem. 560
Scyllis Scionæus vrinator præſtantiſſimus. Huic & Cyanæ filiæ ſtatuæ dicatæ, ob nauatam in Salaminiâ pugnâ operam. 18
Scytharum geſta. 124. Scythia Rom. Prouincia. 133. Scythæ degeneres. 258
Segeſta à quo condita. 246
Segeſtanorum commentum, vt auxilium ab Athenienſibus impetrarent. 32. 33
Segeſtria, quæ. 208. *in margine*.
Seldenus refutatus. 447. 448. *&c*.
Selinuntium reparatum. 59. Eius authores. 246
Semes promontorium mirabile. 591
Semiramidis contra Staurobatem victoria in Indo flumine. 5
Sena. 241
Seneſcali Magni Prouinciæ iura & iuriſdictio. 366. 367. 386. 387
Septemmaria. 229
Septentrionalium terrarum littora & Inſulæ. *à* *pag*. 586. *ad* *pag*. 592
Sertorius in Rom. rebellat, eius geſta. 93. & mors. 94
Serum, ſiue Chinenſium littoralia. 301. 302. 303. 304
Sexti Pompeij in mari geſta. 110. Præfectus claſſis & oræ maritimæ à Sen. nominatur, Siciliam totam ſub ſuum imperium mittit. Q. Saluidienum claſſe ſuperat. 111. Auguſto & Antonio conciliatur. 112. à Menodoro deſeritur, vnde inter eum & Auguſtum bellum. 113. Neptuni filium ſe vocari iuſſit Pompeius, & exinde vſus eſt cæruleo pallio, poſt Auguſti duces mari victos. 114. Ad oſtium Oenobolæ Auguſti claſſem frangit. 115
Siciliæ appellationes. Theatrum maximorum bellorum, & cauſa. 32. Colonis plurimis impleta, vnde bella *ibid*. Prima Rom. Prouincia. 71. 75. 126. Eius littoralia. 244. & *inde*. Sicilia Gallis tradita. 362
Sinenſium littoralia. 301. 302. 583. Eorum nauigationes, claſſes, diuerſa nauigia. Ordinatio circa rem maritimam. 575. 576
Sinenſis nauigij deſcriptio & figura. 718
Sinueſſa. 235
Sipontum. 240
Sirenides Inſulæ. 242
Smyrne à quibus condita. 312
Sociorum apud Romanos priuilegia. 184
Soleneium colonia. 96
Solonis ficta amentia. 15
Spectacula ludicra in vndis. 191. 192. 193. 194
Speculatorum cohors in claſſe. 145. 146. 147. 159
Spirbergia Inſula. 589
Spolia hoſtium Diis Inferis Martique conſecrata, & cremata. 92. Etiam & aliis. 166
Sponda nauis quæ. 706
Sleſvvicum, ab aliis Heideba, ab Hethâ conditum. 616

Stamina idem cum coſtis nauis. 706
Statio, quid. 137.156
Statuæ equeſtris honos. 165.176.177. Vbi de aliis honorariis ſtatuis. 182
Stellarum volitantium imagines, earúmque cauſa. 647.638
Stetinum. 439
Stlatum nauigium. 714.715
Stœcades Inſulę 227
Stokolma caput Sueciæ. 427.428. A quo extructa. 431
Strongyle Inſula. 249
Strongylon nauis. 715
Subiſij geſta. 370.371. vincitur, debellatur. 374
Sueciæ populi, vnde, eorum excurſiones, bella maritima aduerſus Danos, claſſes, littoralia, vrbes, & arces celebriores. 426. 427. 428. 588. Victoriæ ſub Guſtauo Adolpho Rege. 429.430. Diuiſio Regni in plures Prouincias. 431
Suiones naues. 715
Sundiæ nomen & origo. 439
Supparum velum. 695
Supplicationum indictio. 176
Surdiſij Burdigalenſis Archiepiſcopo in mari virtus. 375.376
Suſianæ maritima. 295.296
Sybaris colonia Athenienſium. 22.239
Syda cum nauali. 316
Sydon vrbs. 319
Symondi Inſula, nunc Sumatra. 301
Synedria genus nauis. 715
Syracuſani Athenienſes mari vincunt. 35.36. 37. Trophæum erigunt. 38. Eorum res mari geſtæ. 58. 59. Eorum nauale. Syracuſæ Corinthiis coloniis reſtaurantur. 60. A Marcello capiuntur. 73.75. Authores vrbis. 247
Syria Rom. Prouincia. 129. Eius littora. 319
Syrtes. 281.282. Inſulæ circa eaſdem. 286

T.

TAbellariæ naues quæ. 148.716
Tabrica, ſiue Trabaria nauis. 715
Tameſis fluuius. 254
Tanais fluuius. 306
Taprobane, quæ & Symondi Inſula. 301
Tarentum. 239
Tarmaicus ſinus. 266
Tarraconenſis Hiſpaniæ littora. 219. Vbi de Tarracone vrbe.
Tarſus. 316
Tarranæ naues. 717
Tartarorum mores & littora. 304.305.583.584 Imperium eorundem & Impp. victoriæ maritimæ, claſſes, naualia. pag. 574. 575. Tartariæ littoralia. 613.614. Longitudo eius, & nominis origo. 633
Taſus Inſula antea Plate. 7
Tautomenium colonia. 248
Tectæ & turritę naues. 715
Tolonia tributa, quæ & pelagia. 466.467
Tempeſtatis præſagia. 635.636.637.638.645
Templariorum origo & excidium. 561.562
Tentorij demiſſio, deditionis ſignum. 554. Quid ſit tentorium. 704
Terræ à tertis diuulſæ. 81
Terrarum ſub Septentrione poſitarum nomina & deſcriptio. 587.588.589.590
Terræ totius ambitus quantitas & menſuratio. 631.632. Inſula vna. 609
Terra Fœderatarum Prouinciarum. 610
Tertiocerij officium. 341
Teſſera ſignum pugnæ nauale. 160
Teutonicæ Societatis vrbes, & inſtitutio. 434. 438.439.440
Teutonici Ordinis origo & geſta. 434.435
Thalamegæ naues. 715
Thalamites, quis. 153
Thalamia quid. 705.706
Thalaſſometra. 153
Thebæ Bœotiæ à Cadmo conditæ. 7. excinduntur a Rom. 90
Thenſæ, quid. 187.189
Theoris nauis. 715
Thera Inſula. 268
Thraciæ, Prouinciæ Rom. 133. Eius littoralia. 261. longitudo. 633
Tranites, quis. 153
Thule Inſula. 254
Thurium. 238
Thuſcorum res mari geſtæ. 525. 526
Tigris fluuius. 295. 296
Tingi oppidum, à quo Tingitana. 285
Tiptoſti Amitalij Angliæ geſta. 362. 363
T. Quintij triumphus naualis. 83
Toga picta. 181
Toiræ virtus. 372. 373
Tomices funes. 697
Tomos vrbs vbi & quando condita. 9. 261
Tone nauis fluuialis Sinenſium, cum eius figura. 719
Tonſila, quid. 692
Tormentorum bellicorum vſus. 693.694
Totilæ geſta. 326. 327
Toronteae Regnum. 194
Traiani monumenta. 124
Trampis nauigij ſpecies. 715
Tranſenna funis. 697
Tranſuectionum cura cui mandata à Romanis. 341
Tributum è rebus ſponte naſcentibus exigi non debere. 670. 671
Trierarchi. 152
Trieris nauis. 715
Trieretieorum ſacrorum inſtitutio. 6
Tripodes quibus ſacræ. 189
Triremium aliarúmque nauium, quæ remis aguntur, authores. 4. Triramis antiquæ & nouæ effigies, & deſcriptio per partes. à pag. 699. ad pag. 707
Triremium præfecti in Galliis. 367. 368
Tritonis palus. 282. 283
Triton tubicen Neptuni. 2. & 3
Triumphi ceſſatio in familiis Rom. cauſa exitij Rom. Imperij eùm pro triumpho triumphalia

phalia ornamenta inſtituta eſſent. 121.161.
Triumphi ordinatio. 178.185.186.187.
Inſignia. 181
Triumphalia ornamenta, quæ. 180
Troianum bellum. 11.& 12.
Troianus equus,quid. *ibid.*
Trophæa & ſpolia maritima. 161.162.
Eorum imagines. *Inde ad pag.* 168
Tropi in triremi. 706
Trudes. 694
Tunetii expugnatio. 485
Troica palmata. 181
Tupinambutii populi. 605
Turcopherus, quid. 500
Turcæ, vnde. Primæ eorum ſedes, victoriæ, Reges, Claſſes, Arcenale eorum apud Peram, ordinatio circa rem maritimam, Maritimi magiſtratus, eorúmque imperium in milites & claſſiarios. Vnde illis materia ad naues fabricandas. Nanalia, & Arcenalia cum claſſibus Statariis. *à pag.* 565. *ad pag.* 574
Torritæ naues. 714
Turla nauis,quid. 159.685
Typhis gubernator in Argo naui, moritur. 8
Typhis nauis. 715
Tyriorum coloniæ. 6.53
Tyri obſidio per Alexandrum. 49.50 51 & 52.
Eius conditores. 319
Tyrrhenia. 231

V.

VAcatio. 182.198
Vagiones nauigiola. 715
Valerius Læuinus ante Clupeam Pœnos mari vincit.
Valetta vrbs in Inſulâ Melitâ conſtruitur, poſt electos Turcas. 554
Vandilorum res geſtæ. 325
Deſcriptio littoralis Vandaliç. 433.434
Cum eius pręcipuis vrbibus. 439
Vaſqueſij à Gama nauigationes. 488. 489. 490
Vatinius Octauium mari vincit. 107
Vice-Amiralij Orientis per Gallias, eorúmque iuriſdictio. 367
Vectis Inſula. 254
Velorum demiſſio, ſummiſſionis nota. 461. 462.704. Eorum genera, nomina, colores. 694.695.704
Venatio in vndis. 194
Venetianus Scythas claſſe vincit. 124
Veneſuelæ vrbes & coloniæ. 606.725
Venetias Gallicas Iulius Cæſar mari obſidet. 97
Eorum naues. Claſſe vincuntur, ſéque Cęſari dant. 98
Eorum vrbs & coloniæ. 224
Venetiæ Adriaticæ, & coloniæ eius. 228. 229
Vrbis origo. 331.527
Dominium eius maritimum. 467.468
Bella maritima in Genuenſes. 516.517.518. 519. Adminiſtratio circa remp. & rem naualem: victoriæ nauales, coloniæ, claſſes, claſſici magiſtratus, honoa, & pręmia attributa illis poſteriſque eorum, qui bello maritimo vicerunt, aut ceciderunt, vrbia nauale, & ſitus. *à pag.* 527. *ad pag.* 549.
Ventorum nomina, genera, obſeruationes, cauſæ. *à pag.* 638. *ad pag.* 645. Caracteras, quibus apud Romanos Venti deſignabantur, aliaque verba nautica. 645. 646. 647. Obliquitatis ventorum & maritimi curſos, cauſę 652.653
Veragua Regio. 595
Vetia vrbs. 618
Verſoria quid apud Plautum. 649
Veſpaſiani duces Vitellij claſſem frangunt. 123 124
Veſtibula marina, quæ, qualia, & quod ex iis lucrum. 466
Vexillum purpureum indicium naualis pugnæ. 42
Viburgenſis arx cum ſtationaria claſſe. 437
Vicarij portus officium. 350
Vice-Amiralij Orientis inſtitutio & iuriſdictio. 367
Vice-Amiraliorum in claſſe & extra claſſem iura, & priuilegia, vbi & Amiralatus leges. *à pag.* 388. *ad pag.* 393
Victorię fama celerrima. 20. Huius dies quotannis celebratus. 38. Quidnam victores facerent poſt nauale prçlium. 161.162
Virginia dominationis Anglicæ. 445. Etua littoralia. 597
Viſigothi qui, eorúmque mari geſta. 324.325
Vitellij Imperium. 123.124
Vviſmaria à quo condita. 439.615
Vlconium vrbs. 276
Vliaris lex. 457
Vlyſſis nauigationes. 12. & 13. Huius opus Vlyſſipo. *ibid.*
Vmbria. 229
Vrbs lignea portatilis. 365
Voadica Regina Romanos per Britaniam cædit. 440
Vota pro Imp. reditu primùm à Coſ. facta. 120
Vrbs lignea nauibus portata. 365
Vrinatores eximij, quibus lien deeſt, eorum genitura. 636
Vrucana tempeſtas, quæ. 642
Vſquoqueſi, qui. 542. 543. idem qui Vſucci. 549
Vrrarij. 154
Vvalachria Inſula. 618
Vvieringia Inſula. 618
Vulteij ſociorúmque eius exitus mirandus, per mutuam cędem. 103. 104.

Xerxes

X.

XErxes Athos montem cum quinque vrbibus abſcidit à continenti, Helleſponto verbera imperauit, miſitque in fundum compedes & vrinatorem, qui, ceu ſeruo, ſtigmata inureret. 17. Helleſpontum ponte coniunxit. *ibid.* Athenas delet. 18.

Z.

ZAcynthus vrbs, & Inſula. 220. 272
Zeilan Inſula. 585
Zelandorum contra Hiſpanos memorabilis victoria maritima. 414
Zelandiæ littoralia. 617
Zilis Africæ opp. 285
Zingis promontorium. 250
Ziriczea. 619
Zoa oppidum à Batto conditum. 6
Zophalæ, ſiue Ceſalæ littoralia. 580
Zygites, quis. 153.

F I N I S.

DIVIONE,
Ex Typographia PETRI PALLIOT, Typographi Regij, Bibliopolæ, & Calcographi, ſub ſigno Reginæ Pacis, ante Palatium.
M. DC. XLIII.

Digitized by Google

Digitized by Google